CARTAGENA



DE B. M. V. TOMVS 3

[illegible] cū puer puer [illegible] sa mantus cultello flammis fine ligore co[illegible]

Ego R. C. Janiacen[illegible]
Tono habeo a Volo[illegible]
dati

XIII 23

HOMILIÆ CATHOLICÆ

R. P. F.

IOANNIS DE CARTHAGENA,

HISPANI, CELEBERRIMI THEOLOGI, EX ORDINE MINORVM DE OBSERVANTIA, INSIGNIS PROVINciæ immaculatæ conceptionis

DE SACRIS ARCANIS DEIPARAE ET IOSEPHI.

TOMVS TERTIVS:

Operum Tomus IV.

E. 66

Ex libris R. Lucæ Zagronyensis

Conventus Crat nobrodensis Ord. Fr. Ad

Laudetur Jesus Xpus Amen



Nos autem gloriari oportet in cruce Domini.

COLONIAE AGRIPPINAE,

Sumptibus Bernardi Gualtheri,

ANNO M. DC. XVI.

Cum gratia & priuilegio S. Cæs. Maiest. speciali.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI,

ATQVE AMPLISSIMO DOMINO

D. HENRICO SPICHERNAGEL,

CELEBERRIMI AD D. PANTALEONEM MONASTERII, DE ORDINE SS. PATRIS BENEDICTI Abbati, nec non sacræ Vnionis Bursfeldiensis Præsidi Principali dignissimo, &c.

DOMINO AC PATRONO IVGITER COLENDO F.

DVO capita sunt, Reuerendissime Pater, ex quibus publicum laudis ac gratulationis monumentum Tibi deberi intelligo: Alterum, quod sacri Ordinis Diui Benedicti Congregatio Bursfeldiensis in Præsidem te suum non ita pridem designauerit, atque electio hæc Sanctissimo Pontifici nostro vehementer grata ac iucunda acciderit: Alterum, quod mox in dignitatis huius limine cogitationem susceperis, de excitando in Metropoli Colonienſi Religiosæ iuuentutis Seminario, in quo optimis disciplinis excoli possent, quos Diuina prouidentia videretur ad perpetuandum veterem illum Benedictinæ Familiæ splendorem singulariter destinasse.

Ac primùm quidem illud quantæ molis ac momenti regimen sit, vel inde summatim colligo, quod per vtramque Germaniam amplius quadraginta Monasteria ipsi pareant; eorundem Præsules verò, viri inquam prudentia & ætate graues, rerumque spiritualium vsu exercitatissimi, à Reuerendissima Paternitate Vestra tanquam Duce & Capite

pite suo pendere velint; quod eiusdem arbitrio causas maximè arduas dirigendas, terminandasque permittant: quod eandem denique in periculis asylum, & in dubijs oraculum suum agnoscant, quasi

Centum illi Natura manus, centum ora dedisset:

vt proinde admirabili virtutum ac donorum varietate pollere eam necesse sit, in quam potissimum vniuersæ Congregationis vota collimabant.

Alterum de constitutione Seminarii facinus tale est, vt nec sine laude, nec sine admiratione celebrari debeat. Cùm enim eiusdem rei propositum Antecessoribus R.^MAE Paternitatis V.^AE cordi fuerit; omnes verò aut morte præuentos, aut temporum atrocitate deterritos in ipsis quodammodo fundamentis substitisse manifestum sit: Ipsa demum per sexcenta discrimina mortem præueniens, prima omnium Seminarium, quod dixi, ex selectis Ordinis sui Tyronibus Coloniæ nuper erexit, idque talibus auspicijs ac regulis, vt nemo non sibi polliceri queat, viros inde prodituros, qui Clerum pariter ac populum ad virtutis suæ imitationem attrahant.

Ego nunc vt vtrumque breui gratulationis periodo complectar, non minus R.^MAE Paternitati V.^AE congaudeo de sacri Ordinis sui eximio in illam affectu, quem in præfacta electione suis singuli suffragijs expressérunt, quàm Ordini de Paterna ipsius sollicitudine, & constanti studio, vnum illud consequendi, vt in omnibus fratribus suis sancti Benedicti mores virtutesque præclarè eluceant.

Cæterùm animum hunc meum præsentis libri nuncupatione testari malui: Nam ab vna parte Authoris nomine, qui Religiosæ disciplinæ scientia simul & obseruantia insignem sibi in Christiana Republica famam & authoritatem peperit: Ab altera, propter argumenti sublimitatem, nihil dubito, quin R.^MAE Paternitati V.^AE multò gratissimus accidet. Versatur nempè in Reginæ illius encomijs, cuius ipsa foribus iugiter aduigilare, & cœlestes nutus venerari didicit ac docuit: quam filij ipsius Magistram gloriantur ac matrem suam; quæ tandem Magnum familiæ vestræ columen vsque adhuc se præbere dignoscitur.

Ipsius proinde erit, si benigna est, mediocre munusculum boni consulere, & vbi conditionem illius à capite ad calcem vsque perspexerit,

consorti-

consortibus quoque suis spectandum exhibere; sic omnes intelligent, quàm R.MAE inprimis Paternitatis V.AE dignitati probè congratuler, deinde recenti Ordinis Seminario opera mea prodesse cupiam, vt cuius præla ijs maximè cudendis lucubrationibus assueta sunt. quæ Ecclesiasticorum hominum instituto conueniunt. Quod reliquum, diuinæ Maiestati humillimè supplico, quatenus supernæ benedictionis abundantia Ipsius, suorumque pia vota complere non dedignetur. Hisce valeat in Christo beatissimè, diutissimeque. Coloniæ Vbiorum. V. Kalend. Septemb. M. DC. XVI.

R.mæ Paternitatis V.æ

deuotissimus seruitor

BERNARDVS GVALTHERI,
Ciuis ac Bibliopola Colonienſis.

CLARISS. ET SAPIENTISS.
VIRO AC REVERENDISS. PATRI

FR. ANTONIO A TREIO, TOTIVS SERAPHICI ORDINIS D. FRANCISCI GENERALI AC SVPREMO MODERATORI,

FR. IOANNES DE CARTAGENA S. THEOLOGIAE Lector generalis, & emeritus, æternam felicitatem precatur.

DVPLICEM per antiquam, non semel obseruatã consuetudinem (Reuerendissime Pater) quarũ vna, scriptoribus aduersa, altera felix esse perhibetur: illa insidias parat, hac velut clypeus ab eisdem scriptores tuetur, & protegit. Equidem vetustus increbuit mos, vt cùm quispiam, lucubrationes suas in lucem mittit, continuò plerique, qui cùm alioquin nullum ingenij, nullum eruditionis suæ monumentum, luci vnquam exposuerint: temerè tamen audent, maledicentiæ suæ virus in illas euomere, morsibus discerpere, ac pungentibus verbis, pænè proscindere. Verum aduersus detestabilem hunc obtrectantium morem, mos alius satis vetustus inoleuit, vt qui ingenij, & laboris sui partus ad communem Ecclesiæ vtilitatem, studiosè producit, alicui heroi, & magno viro, dignitate conspicuo, vel eruditionis, & doctrinæ prærogatiua insigni, illas consecret, non tam ad eius promerendam gratiam, quàm ad defensionem contra importunas detrahentium voces, & criticorum hominum subacida iudicia reprimenda. Ne igitur maiorum vestigijs insistere contemnerem, nec mihi ipsi viderer nimium blandiri, quasi adeò egregia, limata, exculta, ac omnibus numeris absoluta mea scripta existimarem, vt absque insignis alicuius Principis præsidio, ac tutela, acre iudicium illorum propulsare queant, quorum sepulchrum patens est guttur eorum, maledicentiæ fœtorem instar sepulchri semper emittens: idcircò tibi (Reuerendissime Pater) opus hoc de sacris arcanis Deiparæ Virginis nuncupandum, ac sacrandum censui, qui Seraphici nostri Ordinis Princeps, ac supremus moderator existis, non solùm ad id cunctis fratribus suffragantibus, sed summi Pontificis Apostolico calculo electionem tuam confirmante: quod singulari Dei prouidentia factum, minimè ambigo: tum quia si Politicen consulerem, ita eam sapienter, prouideque moderaris, vt duo illa, quæ in

quæ in eximijs quibusque Principibus Traiani Cæsaris *Respublica desiderabat*; sanctitas domi, foris fortitudo, vtrobique prudentia, *in animo tuo certare videantur: tum, quia inspicio in* Franciscanam *familiam, te suprema eius gubernacula tenente, non solùm decus maximum, sed summum incrementum illatum, quam in pristinam venustatem, ac perfectionis formam quotidie reuocare impensè niteris, cui etiam iuxta clarissimæ familiæ tuæ nomenclaturam,* Panis, scilicet, & aquæ, (*quæ non absque superni auspicio numinis contigit*) Omnis robur panis, & omne robur aquæ (*vt Isaias loquitur*) *præstare mihi videris, vnde cœlitus alitur, nutritur, augetur, ac mirabili vbertate completur, & fœcundatur. His accedit (& hæc tua propria laus est Reuerendissime Pater) quod sacrum illud domicilium, in quo D. Francisci Protoparentis nostri membra, dum adhuc superstes esset, conquieuerunt, memorabiles illas ædes, verius dicerem, sacrum, ac venerandum templum, pretio à Catholico Rege, ad preces tuas exhibito, religiosè nobis redemeris; qua in re, non aliorum, qui te præcesserunt, gloriam adæquasti, sed longè laudabilius, ac præclarius superasti: tua etiam laus est, singularis alius cultus erga eundem Patriarcham nostrum Franciscum, cuius iugiter satagis famam, nominisque celebritatem protendere: silebant prius extra nostrum Ordinem sacrorum Stigmatum eius mira præconia, nunc eloquentia tua, ac in negotijs pertractandis dexteritate, obtenta à summo Pontifice facultate, vt per vniuersam Ecclesiam, festum impressionis sacrorum Stigmatum, liberè celebrari possit: iam eorum laudes per totum terrarum personant Orbem: iacebat illorum cultus apud multos panè collapsus, nunc tua dextera viget erectus: frigebat panè extinctus feruor, nunc tua deuotione succensus, latam, latamque flammam attollit. Tua laus est humanitas, comitas, ac egregia animi tui indoles, qua omnibus non solùm conspicuum, & planè admirabilem sed & charissimum te reddis. Tua tandem laus est mira sollicitudo in honestandis doctis, ac eruditis viris ad dignitates promouendis, qua liberalitate, & munificentia, vt alter Alexander Magnus cogis omnes te tanquam insignem virum, egregium heroem, ac pium parentem colere, vereri, ac venerari. Sed enim vereor ego, ne dum egregia tua gesta, ac laudabiles actiones recensendo delibo, singularem animi tui modestiam, qui fastidiosè soleas tua præconia, surdis etiam auribus excipere offendam: permittam, vt facundius silentio, quam oratione eloquar. En tibi offero volumen Deiparæ Virginis, erga quam ardenti amore flagras, varijs encomijs refertum: tibi summo omnium nostrum parenti, atque ideò propensi in te animi mei pignus, & monumentum consecro: in conspectum tuum illud prodijt velut postremus ille Iacobi dilectus filius* Beniamin. *Reliquum est (Reuerendissime Pater) vt fausta tua benedictione illud suscipias: tanti enim viri sinu exceptum, commendatione admissum, eruditorum, & piorum hominum luce frui, feliciter incepturum, non temerè sperabo.*

Vale.

FACVL-

FACVLTAS AD MODVM REVERENDI PATRIS PROCVratoris Generalis in Curia Romana Ordinis Minorum de Obseruantia.

FAcultatem concedimus Reu. P. F. Ioanni de Carthagena Lectori Generali Iubilato, Prouinciæ Immaculatæ Conceptionis, vt quartum Tomum, cuius Titulus est, Homiliæ Catholicæ de Sacris Arcanis Deiparæ Virginis, prælo dare possit, cùm ex testimonio Reuerendi, & Doctissimi Patris Fr. Francisci de Suessa, cui illum examinandum commisimus, nobis constet dignum esse Typis mandari. Datum Romæ die 10. Februarij. Anno 1616.

Fr. Petrus Iouer, Procurator Generalis.

Imprimatur, *Si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.*

Cæsar Fidelis Vicesger.

EX Commissione Reuerendissimi Patris Fr. Hyacinthi Petronij Romani, Sacri Apostolici Palatij Magistri, opus Admodum Reuerendi Patris Fr. Ioannis de Carthagena Ordinis Minorum, Sacræ Theologiæ Magistri, cui titulus, De Sacris Arcanis Deiparæ, & Iosephi, diligenter perlegi, & accuratè consideraui, ipsumque nedum Fidei Catholicæ, bonisque moribus consonum, sed ob summam moralis doctrinæ lucem, eximiam Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum intelligentiam, ac eruditionem; singularem scribendi stylum, sicut cæteros eiusdem Auctoris partus, cunctos eruditos in admirationem rapientes, dignissimum censui, vt in Christi fidelium vtilitatem & tanquam locupletissimus Verbi Dei concionatorum thesaurus Typis mandetur. Romæ die 22. Ianuarij. 1616.

Ego Fr. Nicolaus Rodulphus, Collegij Rom. S. Thomæ Aquin. super Mineruam Sacræ Theologiæ Lector.

Imprimatur, *Fr. Gregorius Donatus Magister, & Reuerendiss. P. Fr. Hyacinthi Petronij Rom. Sacri Palatij Apostolici Magistri, Socius, Ord. Prædic.*

EX commissione Reuerendiss. P. Fr. Hyacinthi Petronij S. Theologiæ, & Sacri Apostolici Palatij Magistri, Ordinis Prædicatorum, admiranda operum D. Deiparentis Mariæ, non minus pio, quam accurato, & Catholico admodum R. P. Fr. Ioannis Carthagenæ S. Theol. Professoris calamo, ad inflammandam Christi fidelium pietatem, orbi vniuerso vulgata, summa animi mei voluptate legi, dignaq; censui, omninò vt publicam lucem aspicerent. quod & magnæ Matris in mortales ingentem benignitatem, simulq; potestatem diuulgent, & eruditi collectoris, in magnam hospitatricem, per multa argumenta commonstratam, deuotionem ostendant; & piorum Reginæ cœlestis cultorum, tum ad virtutis amorem accendant, tum à flagitiorum perpetratione deterreant animos; illa gratiarum scaturigine, quas in suos supplices, non angustis elicibus deriuare, hac suppliciorum grauitate, quæ in negligentes, & contemptores Diuum satis præparca manu destillare solens, Maria, mater gratiarum, Maria, princeps vindiciarum: quæ in salutem deuotorum, damnati draconis caput potentissimo calcaneo detriuit. Romæ in ædibus Magnæpotentis Matris super Mineruam, die 24. Februarij. M. DC. XV.

Fr Abraham Bzouius S. Theol. Mag. Ord. Præd. manu propria.

DE SA-

DE

SACRIS ARCANIS DEIPARAE VIRGINIS.

IN FESTO S. MARIÆ AD Niues, & in Euangelica illius diei lectione latentibus.

LIBER DECIMVSQVINTVS.

HOMILIA I.

Eccles. 44. *IN ILLA VERBA ECCLESIAST. 44. IMPERIO suo acceleravit niuem, proprietates, & effectus niuis in laudem B. Virginis, & nostram vtilitatem conuertuntur.*

Conventus fratrum ordinis Prædicatorum

VAMVIS non pauca Deiparæ Virginis præconia, duobus integris voluminibus à me, Diuina irrorante gratia, nuper elucubratis effuderim: tamen cum legi Ecclesiasticum dicentem: *Multa abscondita sunt maiora his:* Eccles. 43. *pauca enim vidimus operum eius.* continuò accinctus sum, hæc maiora diligenti indagine inuestigare; vt quod de B. Virginis Filio idem Ecclesiast. dixit: *Exaltate illum quantum potestis: maior enim est omni laude.* in matrem etiam eius (sicut & præcitata verba, aliàs de æterna Sapientia dicta) rectè conuenire autumem: Deiparam enim Virginem numquam satis extolli, aut pro dignitate honorari posse, omnes Ecclesiæ Patres, vnanimi sensu contestantur. Vnde D. Anselmus lib. de Excell. Virginis cap. 2. dixit: *Ea quæ incunctanter de B. Virgine vera existunt, tanta laudis materia sunt referta, vt quicunque in laudando eam morari desiderat, necesse sit, vt facultas eius magnitudini rei succumbat* Cuius rationem reddit B. Petrus Damian. serm. de Natiuit. B. Virginis. *Quia* (inquit) *impar est illi omnis* D. Anſel. lib. de excellen. Virg. c. 2. B. Pet. Dam.

fer. de Nat. Virg. *humanæ linguæ præconium.* Sed parum dixit, cùm nec Angelica encomia ei sufficiant,

D. Io. Dam. orat. 1. de Assumpt. D. Ioanne Damasceno dicente, oratione prima de Assumpt. *Eam non hominum lingua, non mundo sublimior Angelorum mens satdignis laudibus efferre potest, per quam Domini gloriam intueri nobis datum est.* Vnde ingeniosè

S. Basil. Episc. Seleuc. orat. de Annunc. S. Basilius Episc. Seleucien. orat. de Annunc. B. Virginis dixit: *Qui omnia illustria, & gloriosa dixerit, nusquam is à veritatis scopo aberrabit: attamen dignitatis magnitudinem, nulla unquam oratione exæquabit.* Quibus consonant, egregia illa Mantuani carmina lib. 1. Parthenop.

Mant. lib. 1. Parthenop.

Nulli adeò vivax animi solertia nulli.
Tam felix aderit florentis gloria linguæ.
Vt Mariæ possit laudes æquare loquendo.
Quæ data sunt illi, nunquam mortalib. vllis
Antea concessit, nec post concedet Olympus.

Exod. c. 24. Atqui ad hoc ipsum significandum libro Exodi cap. 24. legimus, duo Cherubim in Sancta Sanctorum collocata fuisse, qui alis suis expansis, arcam illam mirabilem contegebant, quam typum fuisse B. Virginis communis est Patrum sententia.

D. Dion. de cæl. Hierar. Cherubim autem (vt D. Dionysius docet de cœlesti Hierarchia) plenitudinem scientiæ significant: alę verò, intellectus eorum cogitationes designant: nam sicut aues alis suis peruolant, & alta loca conscendunt, ita Cherubim perspicacissimi sui intellectus cogitationibus, diuino lumine perfusi, altissima penetrant sapientiæ arcana. Cùm ergo dicitur: Cherubinos alis suis tegere arcam Dei B. Mariam adumbrantem, apertè significatur, tãtam esse B. Virginis celsitudinem, vt quantò altius Cherubim euolant ad illam comprehendendam, tantò magis inuestigabilem agnoscãt, ad eum certe modum, quo qui solem videre desiderans, quantò magis oculorum aciem in solis iubar figit, tantò magis inde cæcutit. Quantumuis ergò Cherubini magna, & ineffabilia B. Virginis arcana penetrent: adhuc tamen semper mystica hæc arca manet alis eorum tecta; perinde ac si ab eis numquam fuisset reserata. Atque huc etiam facit (nisi fallor) quod Ezechiel c. 44. dixit: *Porta hæc clausa erit, & vir non transibit per eam:* licèt enim verba hæc indicent B. Virginem incognitam fuisse viro quantùm ad complexum maritalem; non desunt tamen, qui putẽt etiam intelligi posse in hoc sensu, quòd B. Virginis excellentia, omnibus fuit semper clausa, nulli vnquam viro cognita, & satis perspecta: nomine autem viri non solùm venit intelligẽdus homo sanctitate cõspicuus, cuiusmodi erat Iob, de quo dicitur libro 1. *Vir erat in terra Hus.* nec solùm vir sapiens, vt Salomõ, cui pater eius dixit: *Verumtamen esto vir:* sed & etiam Angelus, nam Daniel. 9. Gabriel vocatur vir: *Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel.* Est igitur Deipara Virgo propter eximiam eius excellentiam porta clausa, & inaccessa omni tam humanæ, quam Angelicę intelligentiæ, quia, vt dixit D. Io. Damascenus orat. 2. de Assumpt. *Virgo omnium encomiorum legem excedit.* Verùm ob hanc tantam B. Virginis miram celsitudinem, minimè putauerim tantæ maiestatis pauore concussis, à laudib. eius abstinendum, Ioanne Damasceno dicente orat. 1. de Assump. *Quid ergo? an quia eam pro dignitate laudare minimè possumus, idcirco metu reprehensi conticescemus? minimè sanè; quin potius temperata metu cupiditate, contextaque vna, & vtraq; corolla, cum sacra reuerentia, tremente manu, ac cupido animo, vilem (vt ingenij nostri primitias, regiæ matri, de vniuersa natura benemeritæ, grato, candidoq; animo, tanquam debitum quoddam persoluemus.* Hactenus D. Damascenus. Etenim sicut rusticus ille, cuius ibid. meminit idem Sanct. Doctor, concauis manibus exceptam aquam Regi obtulit, gratissimum fuit exiguum munus, non ab exiguo animo profectum: ita licèt tantæ matri oblatas à nobis laudes impares esse necesse sit: ipsam tamen non tam exiguitatem muneris, quàm pium animi affectum perpendente? grato animo eas susceptura, non ambigo, maximè, quòd à Spiritu S. charissimo eius sponso profectas, probè agnoscit: id enim planè cecinerat Regius Vates Psal. 86. *Gloriosa dicta*

Ezech. 44.

Iob lib. 1.

1. Reg. 18.

Dan. 9.

D. Io. Dam. orat. 2. de Assumpt.

Idem orat. 1. de Assumpt.

Psal. 86.

dicta sunt de te ciuitas Dei. & postea subiunxit: *Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum horum, qui fuerunt in ea.* Ecce Dauid, diuino spiritu afflatus, non solùm B. Virginis, illa encomia, quæ insignes, ac præcipui Doctores, sed & quæ populares, & vulgares homines scribunt, ipsi Deo, tãquam authori adscribit. Vnde, vbi Vulgatus interpres Psalm. 86. legit: *Memor ero Rahab, & Babylonis scientium me.* Paraphrastes Chaldæus vertit: *Laudare faciam Ægyptios, & Babylonios,* quos constat præ alijs omnibus discolos magis esse. Id autẽ quid quæso aliud est, nisi quòd in eodem Psalmo canit Dauid: *Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum horum, qui fuerunt in ea.* Cui profectò vaticinio illustrãdo, mirificè congruit, quòd in vitis Philosophorum de Euripide legitur, quòd propter intestinum odium, quo fœmineũ sexum prosequebatur in suo testamento, hoc ei legatum reliquid, vt quidquid vbique gentium in fœminarum opprobrium dictum, aut scriptum reperiretur, sibi tanquam auctori adscribi gratum, & ratum haberet: non dissimiliter, sicut Euripides propter odium in fœminas; ita certè Deus propter singularem amorem erga Beatissimam Virginem, quæcunque in eius laudem Catholicè scripta sunt, sibi præcipuè tribui, & tanquam proprio auctori deferri cupit: *Dominus narrabit in scripturis populorum.* His accedit, quòd ad Beatę Virginis laudes decantandas calcaria mihi addit, quòd dum Virginem matrem commendo, à laude filij non desisto; vt enim dixit D. Bernardus Homilia 4. super Missus est: *Sicut cum filium honoramus, à laudibus matris non recedimus, ita dubium non est, quidquid in laudibus matris proferimus, ad filium pertinere.* Quibus consonat illud D. Ildefonsi lib de virginitate Mariæ cap. 2. dicentis: *Quod seruit ancillæ, ad dominam pertinet, quod matri impenditur, ad filium redundat, & quod in Regis honorem transit, in famulatum Deiparæ transfertur.* Etenim quemadmodum, vt docuit D. Gregor. lib. 5. Moralium cap. 5. qui chordarum armoniam temperant, tanta hanc arte dispensant, vt plerumque cùm vna tangitur, longè alia, ac multis interiacentibus posita chorda quatiatur: ita Iesus, & Maria sic inter se benè consentiunt, ita filius, & mater, tanquam harmonicæ chordæ sibi inuicem consonant, vt matris laudibus insonãtibus, necesse sit filij laudes simul personare, Salomone dicẽte Prou. 17. *Gloria filiorum patres eorum.* Ex quo testimonio D. Thom. 3 p. q. 27 art. 4. probat honorem B. Virginis in Christum filium eius maximè redundare. Ad extremum B. Virginis laudes minimè silere, sed accuratius, & impensius prosequi, illud vehemẽter stimulat, quòd non solùm peruetusti hęretici Cherintus, Ebion, Valentinus, Heluidius, Iouinianus, sed & recentiores hæresiarchæ Martinus Buccerus, Lucas Sternebergerus, Petrus Martyr (non Christi, sed Sathanæ) Annabaptistæ sectarij, & alij Anthidicomarianitæ ardentissimo odio in B. Virginem flagrantes, multis conuicijs, & blasphemijs Deiparam Virginem commaculare non verẽtur: etenim hac nostra tempestate compleri conspicimus, quod Ioannes nõ Propheta minus, quàm Apostolus, & Euangelista, de Antichristo, eiusque sodalitio in vltima ætate futurum, in Pathmos insula vaticinatus est: *Aperuit* (inquit) *os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius* Mariam Dei tabernaculum dici, præter veteres alios, Sanctus Methodius in hypopante Domini, & D. Athanasius adnotarunt, illoque Dauidis testimonio confirmarunt: *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Nullus enim vnquam fuit, est, aut erit mortaliũ, qui nomen hoc Beata Virgine rectiè mereatur, in qua Verbum illud æternum carnem assumens, velut in lectissimo tabernaculo multis mensibus habitauit, & ex quo demum, velut sponsus matris diademate, & carne virginea coronatus, ad filias Sion, non sine cordis lætitia processit in orbem: quantò igitur horum hæreticorum execranda in Beatam Virginem petulantia, atque inuerecundia efferuet,

Vulgat. Int. Psalm. 86. *Paraphrast. Chald.* *Euripides.* *D. Bernard. hom. 4. sup Missus est.* *D. Ildef. lib. de Virg. Mariæ c. 2.* *D Greg. lib. 1. Moral. c. 5.* *Prou 17.* *D. Tho. 3 p. q 27. art. 4.* *Cherintus.* *Ebion.* *Valentinus.* *Heluidius.* *Iouinianus.* *Buccerus.* *Lucas.* *Petr. Martyr* *Annabaptistæ hæretici.* *Apoc. 13.* *S. Method. in hypopante Domini.* *D. Athanas. Psalm. 45.*

tantò ardentius B. Mariæ præconia decãtandi desiderium, animũ accendit, ne nos qui Ecclesiæ Catholicæ fideles alumni gloriamur in exornando, & honorando Dei tabernaculo, tepidiores, aut minus feruentes cultores inueniamur, quàm impudentissimi hæretici in eo despiciendo, & blasphemando se exhibuisse nouimus; non tamẽ propterea ita desipio, vt putem omnia Mariæ præconia me comprehensurum: id enim esset in prouerbij illius incidere scopulum, *Athlanticum mare cotyla exorbere;* curabo tamen multa, eaque nõ vulgaria in laudem tantæ matris proferre, in quibus non tam verborum cultum, quàm veritatem affectabo: vt enim dixit

D. Basil. in epist. ad Diodorum.

D. Basilius in epistola ad Diodorum: *Inaffectata dictionis simplicitas decora mihi videtur, & conueniens professioni Christiani hominis, cuius est, non ad ostentationem magis scribere, quàm ad publicam vtilitatem*: quam veritatem, eloquentiæ parens Cicero, tametsi ethnicus, non ignorasse mihi videtur, siquidem libro de finib. dixit:

Cicero lib. de finib.

Quod de re bona dilucidè dicitur, mihi præclarè dici videtur: istiusmodi autem res dicere ornatè velle, puerile est: planè autem, & perspicuè expedire posse docti, & intelligentis viri. Nemo ergò expectet à me cultum, ac pompam sermonis: *Hæc enim* (vt D. Ambrosius præclarè dixit in cap. 1 epist. 1. ad Corinth.)

D. Amb. in c. 1 ep. 1 ad Corinth.

prædicatio, & fides Christiana non indiget, ne videatur esse ex versutia, & calliditate humanæ sapientiæ, non ex veritate. Super epistolam verò secundam ad Corinth. cap. 14. inquit:

Idem in cap. 14. epist. 2. ad Corinth.

Gloriam suam quærit, qui fidem Christi verbis exornare vult: obscurat enim illam splendore verborum, vt non illa, sed ipse laudetur. Scio quòd quocumq; modo me gerам, imperiti, ac maledici detractoris morsum non effugiam, ei tamen illud Martialis libro 1. epigram. 90. obijciam.

Martial. lib. 1. epig. 90.

Cum tua non edas, carpis mea carmina Læli.
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

Quòd si dicas, iam in hoc genere argumenti alij insudarunt scriptores, audi D. Augustinum lib. 1. de Trinitate hæc dicẽtem:

D. Aug. li. 1. de Trin. c. 3.

Expedit plures libros à pluribus fieri diuerso stylo, non diuersa fide, etiam de quæstionibus ijsdem, vt ad plurimos res ipsa perueniat, ad alios sic, ad alios autem sic. Vnde ad rem nostram propius iam accedens: Cùm origo præsentis festiuitatis S. Mariæ ad Niues nuncupata, omnibus fidelibus notissima sit, paucissimis illam perstringam, vt fundamentum, & basim illius apponam. Inter alia Romanæ Vrbis templa, perquam celebre est illud S. Mariæ in Exquilijs, seu in monte Exquilino, quòd Ioannes Patritius Romanus, eiusque coniux, anno à Christi Domini natali 367. multis expensis extruxerunt. Hi, cum filijs carerent, Deiparæ cuncta sua bona vouerunt, à qua Nonis Augusti, cum in Vrbe ardentiores calores esse solent, in somnis sunt admoniti, vt quem locum niue conspersum viderent, in eo Ecclesiam ædificarent, quæ suo nomini dicaretur, id quod Ioannes ad Liberium summum Pontificem detulit, cui idipsum Beata Mater per quietem, eadem nocte edixerat: *Præcepit enim niui, vt descenderet super terram*, vt habetur Iob 37. Quare dominus Liberius, solemni Sacerdotum, & populi processione instituta, ad montem Exquilinum, niue conspersum venit, locum Ecclesiæ perlustrat, quę Ioannis, & vxoris pecunia fuit extructa: adest ibi pulchra imago B. Virginis, puerum Iesum in vlnis fouentis à S. Luca depicta, miraculis multis inclyta, atque illo inprimis, quod à Sancto Gregorio Papa, grassante per Vrbem peste, per vias ciuitatis deuotè gestata, illam fugauit: licèt autem permulta templa Mariano nomini sint in Vrbe sacra; hoc tamen S Mariæ ad Niues principem locum tenet, vt propterea multis etiam sit insignitum nominibus: dicta quippe est, Sancta Maria ad Præsepe, quod in ea seruatur Præsepe Christi Domini, de quo Ecclesia Romana:

Iob 37.

Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia.

Ex offic. Eccles.

Dicta est Basilica Liberij à nomine sui cõditoris: dicta S Maria Maior, quod cæteris dignitate præstet. Vnde D. Gregorius

lib. 2.

D. Greg. lib. 2. Reg. ep. 2. & lib. 4. Moral. c. 15.

lib. 2. Reg. ep. 2. & lib. 4. Moral. cap. 15. per anthonomasiam, Dei Genitricis Ecclesiā absolutè eam appellat.

Hoc peracto fundamento, exploremus quæso causas, ob quas Deipara Virgo voluerit, templi suo nomine sacrādi, locum niue præsertim designare: etenim cum mille alijs modis, potuisset sacra Virgo Ioanni Patritio, & Liberio Pontifici voluntatem suam manifestare, facilè mihi persuadeo, haud mysterio vacare, quòd niue domus in honorem eius denuo extruendæ, locum designare voluerit: maximè quòd Spiritus Sanctus Prouerb. 25. ait, cōsentaneum non esse naturis rerum, imo & indecens, & indecorum, tempore æstiuo, niuem pluere: *Quomodo nix in æstate, & pluuia in messe, sic indecens est stulto gloria.* vbi glossa ait: *Indecens est, quia contra naturam temporis.* Ecce tam dissonum, ait, in æstate niuem pluere, quàm à ratione alienum, stulto glorioſum aliquod mun⁹ credere. Niuis ergo cælitus à B. Virgine in montem Exquilinum missa, tempore æstiuo, sermonem à nobis extorquet, vt varia, quæ in missione huius niuis delitescunt arcana, diligenter referemus: ad tria capita illa omnia reuoco: quædam enim respiciunt eximiam B. Virginis puritatem, quædam coniunctionem virginitatis cum maternitate, quædam tandem munditiam spiritualem, quam Deipara Virgo in famulis suis præfulgere desiderat. Inprimis ergo, in eo, quod locus habitationis Deiparæ Virginis niue delineatus fuerit, mihi ob oculos proponitur singulare, quod interest, discrimen inter Dei genitricem, & reliquos filios Adæ, quod istorum conceptio, quæ ædificatio est luteæ domus singulorum, nigerrimo peccati originalis tritione delineatur; at immaculatæ Virginis conceptio, diuinæ gratiæ candidissima niue fuit designata. Vnde sicut nix à primordio suæ generationis, nunquam candore caruit, nūquam non fuit candida, ita Beata Virgo à principio suæ conceptionis, nunquam candore & nitore gratiæ caruit, nunquam non candidà inuenta est. Quare ad hunc candorem significādum in 3 Synodo, Actione tertia vocatur, Maria, *Immaculata, & omni sensibili, atque intellectuali natura purior.* & in Concilio Francfordiensi, epist. ad Episcopos Hispaniæ, vocatur Maria, *Immaculata, prorsusque pura*, non fuisset autem prorsus pura, si impuritate peccati originalis fuisset denigrata, & D. Ioannes Damascenus oratione 2. de Assumptione, de B Virgine loquens, inquit: *Ad hunc Paradisum serpens aditum non habuit*: alludit ad paradisum terrestrem, ad quem inficiendum serpens ille antiquus aditum inuenit; ad cœlestem verò paradisum, Mariā scilicet, ait, serpentem aditum non habuisse, cum eam peccati originalis labe deturpare non potuerit: si enim deturpasset, verè aditum habuisset. Equidem ad honorem tanti filij spectabat, qui candor est lucis æternæ, matrem eius candore gratiæ nunquam caruisse. Refert Plutarchus, Darium regem bellum indixisse cōtra Scytas, qui oppida relinquentes, ad interiora terræ se tantò magis recipiebant, quantò amplius ille appropinquabat; ad quos sic Darius: *Quousque fugere destinatis?* qui responderunt: *Vsque ad sepulchra parentum.* quasi dicerent: Domos, & ciuitates nihili facimus, tolle tibi, pluris enim vitā, quàm domos æstimamus: at si ad tumulos parentum accesseris, vt aliquid in eos indecorum committas, scito nos ibi expectaturos, & belligeraturos ad mortem vsque pro parentum, quamuis mortuorum gloria tanta quidem cura filiorum de gloria parētum fuit, vt gloriam eorum propriam vitam reputarēt. Quòd si gloriam parentum mortuorum tanti faciunt barbari homines, in quibus vix scintilla iuris naturalis remansit, quid de Christo sentiendum pro matris excellentissimæ honore, & gloria effeciſſe? sanè quòd nihil indecorum, ac indecens in Beatam Virginem à primordijs suæ conceptionis irrepsisse passus est. Cornelius Tacit⁹ commemorat, Germanos in bello contra Romanos pugnātes, iam ferè à Romanis victos,

Prou. 25.

Glossa.

3. Syn. act. 3.

Conc. Francford. epist. ad Episc. Hisp.

D. Io. Dam. orat. 2. de Assumpt.

Plutarchus.

Cornel. Tacitus.

terga vertere voluisse; affuerunt autem à tergo vxores, & matres eorum, dicentes: Eia sponsi, eia filij viriliter agite, ne sponsas, & matres vestras in manus inimicorum, & in captiuitatem ire videatis, ne talia patiamini; eia leones, rugite, pugnate, vincite hostes; quibus quidem verbis adeò roborati fuerunt, talesque spiritus, & animos resumpserunt, vt Romanos viriliter & expugnauerint, & vicerint. Beatissima Virgo sponsa, & mater Dei est, quidni defenderet eam filius, & sponsus? volebat eam truculentus hostis in captiuitatem redigere, sed eam sibi matrem, & sponsam futuram prospiciens Dominus, hostem expugnauit, & fugauit, & liberam sponsam, ac semper immaculatam matrem effecit. Atque hæc à peccato originali præseruatio fuit primus fructus, quem Christus Dominus ex copiosa sua redemptione percepit; vt mihi non obscure indicāt verba illa Diui Ambrosij lib. 2. in Lucam: *Nec mirum, si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoauit à matre, vt per quam salus omnibus parabatur, eandem primam, fructum haberet ex pignore.* Et quidem cùm Beata Virgo futura esset animatum templum filij Dei, in quo nouem menses ex ea carnem assumens, habitaturus erat, oportebat in eius ædificatione non communes, & vulgares expensas fieri, sicut alijs, sed quales decebant, magnificentiam non modo regiam, sed diuinam: etenim si de templo ædificando, 1. Paralip. 12. Dauid dicebat: *Ecce ego in paupertate mea præparaui impensas domus Domini, auri talenta centum millia, argenti mille millia talentorum, æris, & ferri non est pondus.* Quod sanè aurum, & argentum, si ad calculum nostræ pecuniæ supputare velimus, centum millia auri talenta, mille sexcentos octingenta tres milliones scutorum, vt vocant, pecuniæ Romanæ, qui decem argenteis constant. Argenti verò mille millia talentorum, mille quadringentos quadraginta milliones scutorum conficiunt, vt adnotauit eruditus auctor Villalpandus super Ezech. tomo 3. in apparatu, tabula 1. de numismat. & ponderib. & tabula 2. idque probat libro secundo de ponderibus, & numismat. disp. 4. cap. 33. Si (inquam) in ædificatione materialis templi, tam pretiosa, Dauid, pauperem se vocans, illi præparauit; consequens est, Deum, omnium ditissimum, in ædificationem animati templi matris suæ, pretiosiora multò congessisse. Vnde sicut rationem præbens Dauid cap. 29 tam magnifici apparatus, illam reddidit: *Opus namq; grande est, neque enim homini præparatur habitaculum, sed Deo*: ita nihil mirādum si de conceptione B. Virginis, quæ ædificatio fuit Mariani templi, tam gloriosa prædicentur; etenim non puro homini præparabatur habitatio, sed filio Dei incarnato, qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Nō solùm autem per albedinem, & candorem niuis, significatur nobis puritas immaculatæ conceptionis, sed & integerrima eius virginitas, vt planè colligitur ex illo Apocalyp. 3. vbi loquens Dominus de Virginib. ait: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* & cap. 6. *Datæ sunt singulis stolæ albæ*, & cap. 7. *Amicti stolis albis*: ecce albedo in sacris eloquijs, symbolum est virginitatis.

Villalpand. super Ezech. tom. 3. in apparatu tab. 1. de numis. & pond. & tabul. 2.

1. Paral. 29.

Ad Phil. c. 2.

Apoc. 3. 6. & 7.

Sancti Patres eximiam Beatæ Virginis Deiparæ virginitatem perpendentes, varijs encomijs, & epithetis Mariam illustrare conati sunt. Etenim Sanct. Ephræm orat. de Deipara, vocat illam *Coronam Virginum*. cui persimile est Diui Cyrilli Alexandrini homil. 6 contra Nestorium, epithetum, *Virginitatis coronam*, illam compellantis. S. Ildefonsus serm. 1 de Assumptione vocat eam: *Fastigium omnium Virginum* & sermone 3. *Exemplum perfectæ virginitatis*. & sermone 4. *Caput Virginum*. & libro de virginitate Mariæ: *Æternitatis virginitatem*. Eam nuncupat D. Damascenus oratione prima de Natiuitate: *Virginitatis thesaurum*. Clamat D. Epiphanius hæresi 78 *Principem virginitatis*. Chrysologus sermone 83 *Reginam totius castitatis, virginitatis decus*. D. Ansel. de Excellent. Beatæ Virginis cap. vltimo: *Matrem virginitatis*. Sanctus

S. Ephræm orat. de Deipara.

Cyril. Alex. hom. 6. cont. Nestorium.

S. Ildefonsus ser. 1. de Ass.

S. Ildefonsus ser. 3. & 4.

Idem lib. de virg. Mariæ.

D. Io. Dam. orat. 1. de Natiuitate.

D. Epiphan. hæresi 78.

D. Amb. lib. 2. in Lucam.

1. Paral. 12.

Chrysolog. serm. 83. *D. Ansel de excell. Virg. c. vlt.* *S. Bern. trac. de pass. Dom. cap. 31.* *D. Bonau. in litan. Deip.* *Sabellicus libro 5 c. 6.* *D. Bern. ho. 2. super Missus est.*

ctus Bernardus tractatu de Passione Domini cap. 3 *Virginum primiceriam.* D. Bonauentura in litanijs Deiparæ. *Virginum figuferam, & decus virginalis pudicitiæ.* Ac tandem Sabellicus lib. 5. c6. præclara hæc scripsit. *Fuit Deipara Christi mater non solùm virgo, sed summum etiam Virginum decus, & specimen vnicum, vt nefas sit sanctissimum eius uterum in ordinem redigere, nisi prototypus sit, & virginitatis idæa.* Vnde Diuus Bernardus homil. 2. super Missus est, dixit: *Nouum canticum illud, quod solis dabitur in regno Dei cantare virginibus, ipsam Virginem Reginam cum cæteris, imò primam inter cæteras esse cantaturam, nemo est, qui ambigat. Puto autem illam, præter illud, quod cum omnibus tantum virginibus ei (vt dixi) commune erit, dulciori quodam, atque elegantiori carmine lætificaturam esse ciuitatem Dei, cuius vtique dulcisonos depromere, vel exprimere modulos, ne ipsarum quidem virginum vlla digna inuenietur, quia meritò ei decantandum seruabitur, quæ sola de partu, & partu diuino gloriatur.* quibus persimilia sunt, quæ idem Sanctus Bernar-

Idem tract. de pass. c. 31.

dus tractatu de Passione cap. 31. scripsit in hæc verba: *Iam si omnes virgines canticum illud cantabunt, nunquid Maria Virgo virginum primiceria non cantabit? cantabit vtique, & tantò iucundius, quantò castior præ cæteris, præbebitque toti choro in cantando exemplum, quas ad virginitatis amorem suo incitauit exemplo.* hactenus D. Bernardus, qui rectè dixit: *In cantando præbebit exemplum*; quia sicut Maria soror Moysis (vt adnotauit Diuus

D. Amb. lib. 1. de Virgin.

Ambrosius libro primo de Virginibus) pudore Virgineo choros duxit, quando demerso Pharaone in mari rubro, cæteris omnibus mulieribus Hebræis egressis post eam cum tympanis, & choris, ipsa

Exod. 13.

præcinebat, dicens: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascensorem proiecit in mare*: ita in cœlo virgines omnes, sicut in terra Mariæ Deiparæ exemplum sequentes, illam, tanquam Princi-

D. Aug. ser. 18. de Sanct.

pem typanistriam, vt vocat eam D. Augustinus sermone 18. de Sanctis, in diuinis laudibus eam sequentur; illud tamen speciale est ei, quod cantantibus alijs Virginibus canticum nouum, ipsa cantat aliud canticum nouum, maius, & mirabilius, quod ei solum modo cãtare competit; canit non solùm, quia Virgo est, quod commune habet cum multis, sed quia fœcunda virgo, seu virgo puerpera, quod in ea singularissimum est: Cantat enim inter matres cãticum virginitatis, & inter virgines canticum fœcunditatis: huiuscemodi autem canticum nouissimum, & inauditum est, & nemo potest cantare illud, nisi illa, quæ virgo manens peperit agnum; non quemcunque, sed Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, cuius carne vescimur, nutrimur, deificamur, & ad resurrectionis immortalitatem tẽdimus, ipso dicente: *Ego sum resurrectio*, &, *Qui manducat hunc panem, viuet in aternum.* Fuit autem tanta Marianæ virginitatis puritas, vt non solùm purissimos quosque viros, ac incontaminatas omnes virgines, verùm & ipsos spiritus Angelicos longè superaret: vt docet Sanctus Antoninus 4. parte, titulo 15. capite 17. §. 4. cuius hæc sunt verba: *In omnibus aliis viatoribus castitas est cum pugna contra fomitem, & cum casu ad minus imprimente veniale, & cum possibilitate cadendi etiam in mortale, exceptis sanctificatis in vtero, & Apostolis Spiritu Sancto repletis, prout dicit Albertus: sed in Beata Maria fuit castitas sine pugna fomitis, & sine casu, & possibilitate cadendi in mortale, vel veniale: nec solùm hominum viatorum, sed etiam Angelorum castitatem excessit: est enim primò multiplicior, quia Angeli solùm eam habent in spiritu, non in corpore, quod non habent, sed Beata Maria in spiritu, & corpore est virgo. Est secundò nobilior, & vtilior, quia Angelis est naturalis, vnde nec meritoria: in Beata autem Maria est gratuita, & meritoria. Est tertiò glorioſior, quia in Angelis quasi necessaria, & sine pugna, in Maria verò voluntaria, & cum victoria.* hucusque Sanctus Antoninus, sed & his addit Diuus Bernardus sermone de Natiuitate Beatæ Virginis, hæc præclara dicens: *Ne steteris inter Angelos Virgo sacra, sublimius aliquid tuo tibi ministerio propinandũ terra sitiens præstolatur.*

I oan. 11. & 6.

S. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 17. §. 4.

Albertus.

D. Bern. ser. de Nat. B. V.

Cum hac autem puritate virginea Angelicam puritatem longè transcendente, tanta in Beata Virgine coniuncta fuit corporis munditia, vt D. Epiphanius (id referente Auctore Pomerij de Beata Virgine parte 3. art. 3.) affirmauerit, etiam in infantia, infantilibus immunditijs eam caruisse. *Mundissima* (inquit) *fuit plusquam credi potest: nunquam enim aliquid fœdi in ea visum est, & cum inuoluebatur in cunis, iuxta morem puerorum, nunquam se maculauit, sed vno semper modo se mundè conseruauit.* hæc D. Epiphanius. Porrò sicut candorem niuis concomitatur fœcunditas: etenim nix super terram sistens, eam fœcundat, & impinguat; nam sua frigiditate poros terræ clausos, compellit ad interiora radicum: vnde per quandam antiperistasim, terram fœcundat, ita candorem Marianæ Virginitatis mira fœcunditas à tempore Angelicæ annunciationis concomitata est: tunc enim inuiolata Virgo permanens, eundem, quem ab æterno Pater in pectore suo genuit, Maria in tempore vtero suo fœliciter concepit; ad quod significādum ipsa se viti comparauit: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Eccles. 24. etenim sicut vitis suauitatem odoris absque sui læsione profert; ita etiam Deipara absq; læsione virgineæ suæ integritatis, Iesum benedictum fructum vētris sui nobis protulit; & quemadmodū vt vitis pulchrum fructum producat, oportet plantatam, & radicatam esse in loco, in quo calor solis reuerberet, puritas aeris adsit, & dulcedo terræ non desit; ita Beata Virgo cum ardens charitatis calor interiora eius penetraret, & sibilus auræ tenuis in illam perflaret, diuinorumque charismatum dulcedine abundaret, non poterat, non instar fœcundæ vitis pulcherrimum producere fructum. Memini (quod præsenti argumento facit) Astyagem somniasse (vt author est Pierius Valerianus lib. 53. verbo Fœlicitas) quòd ex visceribus filiæ suæ (Mandanes) nascebatur vitis quædam, quæ suis palmitibus totam Asiam operiebat, quod postea reipsa impletum fuit in Cyro nepote suo, ex filia sua orto, qui totam Asiam sibi subdidit. Sed altius hoc completum intueor in B. Anna Deiparæ Virginis matre, ex qua ortum habuit Mariana vitis, cuius vnicus dumtaxat palmes. Christus scilicet Dominus, non solùm per totam Asiam, sed per vniuersum terrarum orbem diffusus est, vt testatur Dauid, dicens Psalm. 71. *Dominabitur à mari vsque ad mare, & vsque ad fines orbis terrarum.* Ad eandem etiam fœcūditatem cum virginitate coniunctam comprobandam, B. Virgo storaci se comparauit: *Quasi storax euaporaui habitationem meam.* Eccles. 24. Refert Plinius lib. 24. storacem esse præstantissimum remedium ad impedimenta partus propulsanda. Certè in natura nullum maius impedimentum reperitur ad concipiendum, & pariendum, quàm virginalis integritas; quia tamē, Spiritu sancto cooperante, integra, & inuiolata semper manente B. Mariæ Virginitate, & hoc impedimento non obstante, filium Dei genuit, & parturiuit; meritò storaci se comparauit innatam virtutem habenti partus impedimenta auferendi. Tandem ad hoc idem significandum, nobilis auctor Robertus Holchot super librum Sapientiæ lect. 40. Beatam Virginem ficui comparat, in quam rectè conuenit illud Christi Domini: *Ab arbore autem fici discite parabolam.* S. Isidorus de fico agens, ait: ficum fœcundissimam esse omnium arborum. Vnde non putarem à ratione alienum, ficum à fœcunditate dici, quia, cum reliquæ arbores fructum semel producāt in anno, ficus ter, diuersis temporib. fructum suum germinat. Meritò ergo Beatissima Virgo ficui comparatur, cùm ex diuina virtute tam eximia fuerit eius fœcunditas, vt etiam absque viro fœcundante, sola produxerit fructum omnium optimum, Iesum, naturalem Dei, & ipsius filium, quotidieque tot fructus germinet, quot singulis diebus filios spiritualiter Deo parit. Quod si Plinius de ficu Indica sermonem instituens, affirmat, fructum eius suauissimum, ac dulcissimum esse, nemo

D. Epiphan. Auctor Pomerij de B. Virgine p. 3. art. 3.

Eccles. 24.

Pier. Valer. lib. 53. verb. Fœlicitas.

Psal. 71.

Eccles. 24. Plin. lib. 24.

Rober. Holchot super lib. Sap. lect. 40. Matth. 24. S. Isidorus.

Plinius.

mo ignorat de fructu vētris Mariani dictum esse. *Quàm suauis est Domine spiritus tuus, qui, vt dulcedinem tuam in filios demõstrares, pane suauissimo de cœlo præstito, esurientes reples bonis.* Quòd si idem Plinius subiungit, adeò in admirationem rapere fructum Indicæ ficus illo vescentes, vt pro miraculo à comedentibus reputetur: sanè fideles Mariani vteri fructum degustantes ingenuè fatentur, adeò miraculosum esse, vt pariter sit Deus, & homo; quòd est omnium miraculorum maximum. Ac tandem, sicut testatur D. Isidorus libro 17. Ethymol. cap. 7. tanta esse perhibetur huius fici virtus, vt si ferocissimus taurus ad eam ligetur, continuò ille mansuescat, ac omnem ferocitatem deponat: non secus Dei filio accidit, qui, cùm antea, *Deus vltionum*, nuncuparetur; vnde eius vnico verbo audito, Adam cœpit pauere, & curauit, licèt frustra, à facie eius, cui omnia adsunt se abscondere: postea tamen humanitatis vinculis intra virgineum thalamum alligatus, & constrictus, ita cœpit mansuescere, vt qui antea rugiebat, vt leo: *Leo rugit, quis non pauebit?* iam, vt agnus, & infans vnius diei vagire incipiat:

Vagit infans inter arcta
Conditus præsepia.

Verùm ad idem mysterium significandum mirabilis B. Mariæ fœcunditatis cum virginitate eius coniunctæ, nullum aptius luna reperiri potest symbolum: vtraque enim virginitatis, & fœcunditatis significatio ab humanarum literarum studiosis eidem lunæ attribuitur. Etenim, quia in numismatis Corneliæ Augustæ (vt refert Pierius Valerianus libro 44.) lunæ imagine hæc inscriptio apponitur: *Fœcunditas.* in alijs hæc: *Pudicitia.* In castitatis verò significatione illud præstituitur, quòd in Poetarum fabulis inculcatur, nempe Dianam, præ virginitatis amore, commercia fugisse hominum, & propterea Virginum comitatu septam, siluas venãdo peragrasse. Quare Virgilius, cæteriq; Poetæ, illam appellant *Castam.* Facit quoque ad illud Plinij: *Luna super omnia pura, luceq; plena.* Significatio autem fœcunditatis similiter est congruentissima; sol enim & luna sunt, qui omnia generãt, ac procreant. Cæterùm ad virginitatis significationem, nihil opus est, fabulas accrescere; apud Bernardum enim libro de Passione Domini cap. 31. legimus: *Quis Sanctorum chorus melius lunæ comparatur, quàm B. Virginis, videlicet, propter ipsius candorem, & pulchritudinem.* subditq; *Honorabitur præ cæteris, sicut lunam videmus præ cæteris syderibus præminere.* Deinde, qui attentè lunam inspexerit, haud dubitabit, rectè ab illo fuisse prolatum, qui dixit, lunam margaritarum ideam videri. Cõstat autem margaritas esse aptissimum virginitatis symbolum. Luna igitur innuit virginitatem pariter, ac fœcunditatem, ac proinde Beatissimã Virginem matrem.

Rursus mira B. Virginis fœcunditas in eo etiam elucet, quòd non solùm genitrix sit Dei, sed pariter etiam gratiæ, & misericordiæ mater; ad rem significandam egregiè conducit lunæ symbolum subter mulieris pedes positæ, vt D. Ioanni ostensum fuit; nam inprimis dignitatis matris Dei proprium epithetum est: *Regina cœli*, quod nomen tribuit lunæ Hieremias cap. 7. *Vt faciant placentas Reginæ cœli.* Deinde quòd mulieris pedibus sit subdita, nõ denotat eam, aut victam, aut despectam esse, sed velut Ecclesiæ basim, ac fundamentum, ita supponi. Quare si Apostoli, bases terræ, nuncupantur, Iob 38. vt exponunt D. Hieronymus, & D Gregorius, quantò congruentius Dei mater, Cœlique Regina, dicitur Ecclesiæ basis? præterea Ioannes vidit mulierem luna fulciri, & sole, ac syderibus ordinari, quod nobis innuit lunam, dum mulierem instar basis sustentat, esse etiam fulcrum, ac basim, quo non stellæ ipsæ solùm, sed sol quoq; mulierem circumuestiens quodammodo nitebatur. Hoc

Sap. 16. *Plinius.* *D. Isidor. li. 18. ethymol. c. 7.* *Psalm. 93.* *Genes. 3.* *Amos 3.* *Ex Off Eccl.* *Pier. Valer. lib. 44.* *Virgilius.* *Plinius.* *S. Bernar. li. de Passione Dom. c. 31.* *Apoc. 12.* *Hierem. 7.* *Iob 38.* *D. Hieron.* *D. Greg.* *Apoc 12.*

verò eleganter exprimitur in ea, quòd B. Virgo sit Dei mater: filius enim, & maximè dum in vtero eius delitescit, quodammodo in matre, sicut in basi, columna fulcitur; ideoque & Apostoli, & vniuersa Ecclesia sustentantur in B. Virgine, eò quòd ipsa sit verè Dei mater. Deinde arbitror consultò Beatam Virginem niue locum habitationis delineasse, vt quales vellet eius famulos esse, niuis symbolo insinuaret. Singulare arcanum latet in illis verbis Isaiæ de B. Virgine, dicentis: *Gloria libani data est ei.* *Isaiæ 30.* Duo significat Libanus, vt tradidit Nicolaus de Lyra: significat enim dealbationem, seu candidationem, pariterque filiationem cordis, quæ duo, licèt diuersa videantur, multum tamen per omnem modum inter se cohærent. Etenim licèt omnes creaturæ filiæ Dei sint, vt non obscurè indicant verba Iobi, Deum patrem pluuiæ appellantis; illi tamen solùm, filij cordis Dei esse censentur, qui puritate conscientiæ candidi sunt. Cum ergo Isaias ait: *Gloria Libani data est ei.* hāc honoris gloriam Deum præstitisse B. Virgini indicat, vt non alios filios habeat, quàm filios cordis Dei, quos proinde oportet esse castos, & candidos, cum cor diuinum, fons sit omnis candoris, & puritatis. Vt significaret ergò B. Virgo cupere valdè, eos, qui sibi famulari gloriantur, omninò esse candidos, hoc est, castos, & à peccati læthalis macula alienos, voluit locum domus suæ extruendæ niue delineari; tales B. Virgini placent famuli, quales erant Nazaræi, de quibus Hieremias Thren. cap. 4. *Candidiores Nazaræi eius niue, mitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Sapphiro pulchriores.* vel, vt Septuaginta Interpretes vertunt: *Mundati sunt Nazaræi eius super niuem, splenduerunt super lac, rubuerunt super lapides Sapphiri.* Nazaræi olim erant in maximo honore habiti, quia sacrati Deo erant, & à cæteris hominibus separati: *Nazarenus* enim (vt Origines annotat hic, & vt Symmachus tradit) *segregatum* significat. Horum magna erat abstinentia, & multæ cæremoniæ, vt legimus libri Numerorum, cap. 6. Hi Deo acceptissimi credebantur, & ideò inter Iosephi benedictiones legimus: *Fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi.* Gen. 49. & inter beneficia in Israelem collata Amos c. 2. illos Scriptura reponit, & Iudas 1. Mach. 3. Nazaræorum commiseratione Deum placare conatur. Excellentia ergò horum Nazaræorum Hieremias quadruplici eleganti comparatione commendat, niuis, lactis, eboris, & sapphiri. Primò ait: *Candidiores niue*, abijt in prouerbium: *Niue candidior*; cuius mundities non est alia, quā merus, & impermixtus eius candor: vnde Regius Psaltes desiderans munditiam magnam, Psalmo 50. dixit: *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* Deinde ait: *Nitidiores lacte*, alludit ad pinguedinem lactis, cuius proprium est nitere, & splēdere: Per vocem, *Candidiores*, indicauerat puritatem, nunc addit splendorem, vt significaret Nazaræos non à Deo commendari propter nudum candorem, qualis est corporum malè affectorum, sed ob candorem vitalem, & sanum, qui index est probæ valetudinis, & optimi temperamenti. Quare, nitidiores, idem est, quòd benè curati, pingues, & quasi relucentes, qua phrasi vsus Horatius, dixit:

Me pinguem, & nitidum benè curata cute. Horatius.

Sed non hæc, de qua Horatius, pinguedo erat Nazaræorum, sed illa spiritualis, de qua Dauid: *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.* Psalm. 62. Tertiò addit: *Rubicundiores ebore antiquo*: Græca vox pro ebore antiquo, *gemmam*, ponit, quòd satis cohæret cum Hebræo fonte. Chaldæus exponit: *Rubicundiores aspectu pyropi.* sed Vulgatæ nostræ lectione seruata, sub metaphora antiqui eboris, significat nō fuisse candorem caducum, seu exanguē, sed viuidum, & cum rubore permixtum, qualis est vultus sani, & qualis erat sponsi; de quo Sponsa dixit: *Dilectus meus* Cant. 5.

candi-

Thren. 4.

Origenes. Symmachus.

Nicolaus de Lyra.

Iob 38.

Isaiæ 30.

Num. 6.

Genes. 49. Amos 2. 1. Mach. 3.

Psalm. 50.

candidus, & rubicundus. Vt autem intelligeremus, ruborem hunc non esse facilè euanescentem, instar illius, qui ex verecundia oriri solet, sed constantem; idcircò vsus est comparatione eboris antiqui, quòd licet, cùm nouellum est, cãdidum sit dumtaxat; antiquitate verò, & diuturnitate temporis, ad mixtionem modici ruboris, ex candido fit flauum, & ex flauo tandem, labentibus annis, purpurascit. Quartò denique, *Sapphiro pulchriores*, ac si diceret: quid multa? eorum species non humana, sed cœlestis, & diuina videbatur: quæ factoris, & fabri sui peritiam intuenti, confestim
Psalm. 18. persuadebat; iuxta illud: *Cœli enarrant gloriam Dei.* Sapphirum enim, nemo est, qui ignoret, cœlestem colorem referre: hæc ad sensum literalem huius loci pertinent, nunc ad spiritualem nos conuertamus. Cupit Beata Virgo famulos suos Nazaræos esse, hoc est, segregatos, & sequestratos ab omni eo, quòd sinceræ mentis puritatem deturpare po-
Isaiæ 32. test, iuxta illud Isaiæ 32. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite*
Num. 6. *de medio eius.* Ad quod etiam facit, quòd sicut, quia volebat Deus Nazaræos à vino abstinere, strictè præcepit eis, ne vuas etiam passas comederent, immò, & quod ab ipsis vuarum acinis se temperarent; ne ab acinis ad vuas, ab vuis ad vinum transirent; ita ad præcludendum aditum peccato, oportet etiam ab his, quæ ad illud viam parant, aut cum illo affinitatem, vel cognationem habent, se prorsus arcere; similiter etiam Deus, cùm prohibuisset Iudæis in die Sabbathi cibos parare, simul etiam, ne eo die ignem domi haberent, interdixit; quia habere ignem domi, poterat esse parandi cibos; atque adeò præcepti
Exodi 35. violandi occasio: *Septimus dies erit vobis sanctus, sabbathum est requies Domini, qui fecerit opus in eo, occidetur: non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbathi.* In quem locum Hebræi dicunt, non solùm prohibitum esse accendere ignem die sabbathi, sed, aut ex lapide, aut metallo illum elicere, immò & lampadem fouere. Et quoniam Rabbi Abraham Abenesra sic legem in- *Rabbi Abr. Abenesra.*
terpretabatur; prohiberi quidem succendere ignem ad parandos cibos, non tamen ad calefaciendũ, si vigeret frigus. Alij Rabbini iudicantes liberiorem hãc interpretationem sabbathi, religionem eandem releuare volentes, eundem Rabbi Abenesra hæreticum declararunt, aduersusque eum conscripserunt libellum, Sabbathi personam per prosopopœiam fingentes cõtra Rabbi Abenesra disputantem, quemadmodum refert Abulens. quæstione prima, super ca- *Abulens. q. 1. super c. 35. Exodi.*
put trigesimum quintum Exodi. Similiter Exodi 12. cùm agitur de potestate, *Exod. 12.*
& de septem illis diebus Azymorum, non solum interdicitur, ne vescantur fermentato, sed ne fermentum quoque in domibus habeant: *Primo mense, decimaquarta die mensis ad vesperam comedetis azyma vsque ad diem vigesimamprimam eiusdem mensis ad vesperam, septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus vestris.*

Quo loco Paraphrastes Chaldæus, *Paraphrast. Chald.*
& 70. Interpretes *fermentum*, transtulerunt. Denique Exodi decimo nono. *70. Interpr. Exod 19.*
cùm prohibuisset hominibus montem Syna tangere, præcepit etiam, ne iumẽtum ad montem accederet, quia poterat esse occasio legis violandæ. Hanc eandem ob causam (vt hoc mystice addamus) Ezech. 8 reprehenduntur Sacer- *Ezech. 8.*
dotes, qui stabant ante picturas Idolorum, quæ erant depicta in pariete in circuitu Templi, habens vnusquisque thuribulum in manu sua (ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa Idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum. Et septuaginta viri de senioribus domus Israel stabant antè picturas, & vnusquisque habebat thuribulum in manu sua.) Etenim occasiones peccandi sunt quædam, veluti picturæ

Idolorum, ante quas stat, qui sese peccatorum occasionibus obijcit; & multò magis, qui eis per delectationis, & ipsius fere consensus, quendam velut odorem thurificat. Quantùm verò occasiones peccandi fugiendæ sint, suo exemplo docuit Iob sanctissimus, qui de se loquens ait capite 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine*: in quem locum Glossa: *Visum* (inquit) *sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio.* Vnde meritò Thren. 3. dicitur: *Oculus meus depræd atus est animam meam.* Adnotauit verò acutè in eundem locum Caietanus, Iob, suum hoc propositum, appellasse fœdus, propter firmitatem. *Deliberatum* (inquit) *ac firmatum propositum significat, dicendo: pepigi fœdus; quoniam deliberauit fixo, & immobili proposito, ad instar pangentis fœdus, quod inuiolabile debet esse; ideò enim pacta fiunt, vt non liceat mutare.* Hæc ille. Cupit deinde B. Virgo famulos suos, *Candidiores niue, nitidiores lacte*, hoc est, castitatis virtute conspicuos: nix enim, & lac symbolum sunt castitatis: hæc enim niuea, candida, atque lactea est, vt meritò viæ illæ lacteæ, quæ in cœlo interdum apparet, sit comparāda: & quidem, quòd castitas purissima, & candidissima sit, ex eo luculenter liquet, quòd in sacris eloquijs, *Sanctimonia* vocatur. Diuus Paulus ad Hebræos 12. ait: *Pacem sequamini, & sanctimoniam*; quod loco S. Hieronymus ait: pro castitate positam esse sanctimoniam. Quod etiam confirmat illud 1. Ioan. 3. Nam vbi nostra Vulgata ait: *Qui habet hanc spem in eo, sanctificat se.* D. Augustinus tract. 44 in 1 epist. Ioannis, in hunc modum hæc verba transtulit: *Omnis, qui habet spem in ipso, castificat semetipsum, sicut & ipse castus est.* Quod autem castitas, via illa lactea cœlestis sit, ex eisdem locis planè constat; nam postquam dixit Apostolus: *Pacem habete, & sanctimoniam*, continuò subiunxit: *sine qua nemo videbit Deum.* & postquam D. Ioannes dixerat: *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* confestim subiecit: *Omnis qui habet spem hanc, castificat semetipsum*; quod perinde fuit, ac si diceret: Qui habet spem videndi Deū, debet cum hac spe castitatem coniungere; alioquin non videbit illum. Cupit insuper Beata Virgo alumnos suos, *Rubicundiores ebore antiquo.* hoc est, ita castitati esse addictos, vt si propter castitatem seruandam, per sanguinis effusionem, ad instar eboris antiqui, rubicundos reddi fœliciter contingat, id minimè perhorrescant. Certè sicut candor eboris antiqui vertitur in ruborem, ita vetusta castitas vertitur in martyrium propter illius seruandæ miram difficultatem. Ac tandem, quia cupit B. Virgo adoptiuos eius filios, naturalis filij castimoniam, quoad fieri possit, imitari; Vltimo loco additur: *Sapphiro pulchriores.* Quia, cùm pulchritudo Sapphiri in eo sita sit, quòd cœlestem colorem redolet, & (vt auctor est Plinius libro 37. cap. 9. aureis punctis ita collucet, vt ipsum cœlum stellarum punctis decoratum repræsentare videatur; idcircò, ad significandum, ad eum sublimem castitatis gradum curandum esse ascendere, qui cœlestem imitetur colorem; vltimo loco apposuit: *Sapphiro pulchriores*: cuius coloi cœlestis per imitationem esse perhibetur.

Ad extremum plures alias niuis proprietates, & effectus breuiore stylo percurramus, ne longiores, quàm par est, videamur. Nix propter excellentem, ac interissimam suam innatam albedinem est summè disgregatiua visus, vt auctor est Aristoteles libro de sensu, & sensato, quæ sicut ad oculorum aciem in eam delectabiliter firmandam non allicit, ita Marianæ castitatis candor talis fuisse perhibetur, vt aspectus vultus illius disgregatiuus valdè esset, ad lasciuum amorem neminem intuentium allicies: etenim aliæ fœminæ quantumuis sanctitate

Iob 31. Thren 3. Caietanus. Ad Heb 12. D. Hier in c 47. Ezech. 1 Ioan 3. D. Aug trac. 44 in 1 epist. Ioan. Ad Heb. 12. 1. Ioan 3. Plin. lib. 37. cap. 9. Arist. lib. de sensu, & sensato.

ctitate conſpicuæ, & caſtitate inſignes, ſua pulchritudine inſpicientium animos ad libidinem incitarunt, vt in caſta Suſanna contigit, Daniel 13. & in pudiciſſima Iudith, cuius pulchritudinis aſpectu captus fuit Holophernes: *Sandalia rapuerunt animam eius.* Vnde Theodolus Poeta cecinit:

Daniel 13.
Iudith 10.

Theodolus Poeta.

Fœmineas vires expauit dux Holophernes
Inſignis viduæ veſano captus amore.

At ex aſpectu Mariani vultus (licèt alioquin pulcherrima illa eſſet fœminarū) nullius vnquam intuentis animus ad libidinem fuit accenſus, vt Sanctus Thomas, & D. Bonauētura, & alij Theologi teſtantur in 3. diſt 3. idq; variis modis contingere potuiſſe opinor. Primò, quia (vt ait Nicolaus de Lyra in caput primum Matthæi; ſicut ex vultu Moyſis propter mutuam collocutionem cum Deo, coruſcantes adeò radij egrediebantur, vt non poſſent filij Iſrael in eum oculorum aciem intendere, ita Deiparæ vultus adeò præfulgentes radios emittebat, vt attentis, ac fixis luminibus homines in eam intueri non poſſent. Secundò, nemo ignorat, Ammonem, ſororem ſuam, quam primò ardenter adamauerat, poſtmodum adeò pulchritudinem eius deſpexiſſe, vt odio illam haberet, vt 2. Regum c. 13. legimus. Experientia etiam compertum, ex dæmonis verſutia, & ſuaſione, ſæpè viros pulcherrimas quoque fœminas ita contemnere, vt nec primo concupiſcentiæ motu in eas ferantur; ſic ergò, diuino conſilio factum eſt, vt in B. Virginis pulchritudinem aſpicientes, nullatenus ad libidinem excitarentur, ſed in alia diſtraherentur. Tertiò (vt Sanctus noſter Bernardinus tradit de Euangelio æterno, ſermone ſecundæ feriæ) id potuit oriri ex eo, quòd B. Virginis pulchritudo erat cum ſumma modeſtia coniuncta, iuxta illud Diui Pauli 1. ad Theſſalon. 4. *vt hodie ambuletis ad eos, qui foris ſunt.* Vnde mirabilem honeſtatem in facie, & toto eius corpore prælucentem intuentibus, ad omnem libidinoſam cogitationem aditus præcludebatur.

S. Thom. & D. Bonau. in 3. diſt. 3.
Nic. de Lyr. in c. 1. Matt.

2. Reg. 13.

S. Bernardinus Senenſ. de Euang. æterno ſerm. 2. feriæ.
1. Theſſ. 3.

Ad hęc, ſicut niuis ea natura eſt, vt ſit inſtar ſpongiæ poroſa, atque adeò aquarum cælitus decedentium facilè ſuſceptiua; ita B. Virgo tam copioſam gratiarum imbrem ſuſcepit, vt eius abundantiæ omnis intellectualis creatura particeps facta fuerit, vt D. Bernardus exponens verba illa Mariani Cantici: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, his verbis edixit: *Ecce, intuentis eſt aduerbium, & demonſtrantis; ac ſi dicat: Ecce, iam video, quod futurum ſit de me, quis fructus procedet ex me, quæ, & quanta bona non mihi ſoli, ſed omnibus generationib. prouenient ex me: nam & Angelicarum generationum numerus per meum gemitum integrabitur, & hominum generatio in Adam maledicta per ventris mei fructus benedictionem, ad æternam generationem regenerabitur.*

D Bern. ſuper Magnif.

Accedit, quòd ſicut nix propter ſubtilem, ac mollem ſuam ſubſtantiam, cùm deſcendit, non inſonat, aut perſtrepit, ſed inſenſibiliter de alta aeris regione decidens ſuper faciem terræ adhæret, & æqualiter ſe illi coaptat; ita B. Virgo de excelſo ſolio ſuo ſcelera noſtra reſpiciens, ad nos deſcendit, non in ſtrepitu, aut furore ad illa punienda, ſed in dulcedine, & materna pietate ad nos peccatores in bonum promouendos, ita vt rectè in eam conueniat illud Sapientiæ 6. *Puſillum, & magnum diligit, & æqualiter eſt ei cura de omnibus.*

Sap. 6.

Sed nec ſilentio prætermittam, quòd ſicut nix, feris, & animantibus non pauca nocumenta præſtat, quia eorum tegit pabula, & detegit veſtigia, ad quæ aſpicientes venatores, facilè illa inſectantur, & capiunt; ita Deipara Virgo pro ſingulari ſua virtute, & potentia, dum iuſſos ad ſe trahit, cruentiſſimis dæmonum beſtijs pabulum, quòd auidiùs deſiderabant, ſubtrahit: nam, vt dixit Iob: *Cibus eius eſt electus*: pariterque occulta eorum veſtigia manifeſtat, & detegit,

Habacuc 1.

dum insidias, ac stratagemata, quibus famulos suos deludere, ac vincere satagunt, nota facit, vt ea præcauentes vincant, non vincantur.

Vltimò sicut nix loca lutea, & fœtida tegit, ita Beatissima Virgo, instar ipsius charitatis, de qua D. Paulus ait, quòd operit multitudinem peccatorum, nostrorum tegit turpitudinẽ delictorum, dum eius interuentu, & patrocinio, alba innocẽtiæ stola exornamur, iuxta illud Apocalypsis 3. *Vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ.* Hæc autem vestimẽta duplicia esse Salomon dixit Prouerb. vlt. *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus*; hoc est, virtutibus internis, & externis, his proximum ædificant, illis Deum colunt, cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

1. Pet. 4.

Apoc 3.

Prou. vlt.

HOMILIA II.

In illa verba: Extollens vocem quædam mulier de turba, &c. Fœminarum præconia decantantur, & quæ variis virtutibus, etiam inter Ethnicos mirificè floruerunt, recensentur.

PRobas fœminas laudare, sicut & improbas vituperare à diuini verbi præcone alienum nõ puto: cum & Sancti Patres, præsertim Diuus Hieronymus, Chrysostomus, & Ambrosius, necnon sacra eloquia frequenter id factitarint. Quare sumpta occasione ex laudabili facto huius Euangelicæ mulieris, quæ, viris, Christi laudes, silentibus, immò varijs conuicijs illum lacerantibus, (nam, vt D. Lucas ait: *Quidam illorum dicebant: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia*: alij tentandi illum gratia, miracula ab eo postulabant: *Tentantes, signum de cœlo petebant ab eo*) sola hæc mulier partes Christi agens in eius laudes prorupit. *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti*: non abs re erit, si par pari referens fœminarum præconia decantem.

Lucæ 11.

Ibidem.

Ibidem.

§. 1.

Ab ethymologia nominis, fœminæ laudantur.

VT tamen argumentum hoc altius repetamus, à nominis ethymologia auspicabimur. Etenim licèt argumentum à nominis ethymologia ductum, ad rei excellentiam manifestandam, leue, & futile videatur, reuera tamen magni momenti esse tam in prophanis, quàm in sacris literis lego; nam Aristoteles libro octauo Metaphysicorum docuit: nomina in rerum cognitionem nos ducere. Quare AEgyptij, & Chaldæi rerum nomina cœlitus elapsa existimarunt, tantique habuerunt antiqui Hebræi nomina rerum, vt facta diuturna, ac longa obseruatione, tàm ipsorum nominum, quàm operationum rerum nominatarum scientiam quandam inuenerint, quam vocarunt *Nomandiam*, per quam, & rerum naturas agnoscere, & futuros euentus præsagiri præsumebant. Id tamen verissimum fatemur Catholici, Adamum scientia cœlitus sibi infusa, nomina rebus imposuisse, naturis earum valde accommodata, vt testatur Moyses: *Omne quod vocauit Adam, ipsum est nomen eius.* Hinc Diuus Paulus ex nomine IESVS, Christo Domino imposito colligit excellentiam illius super omnes spiritus Angelicos: *Tanto melior Angelis effectus, quanto excellentius præ illis nomen hæreditauit.* Nomen autem impositum Euæ nemo sanæ mentis negabit excellentius esse, quàm quod Adam sortitus est; nam Adam, *terram*, significat; Eua autem, *vitam*. Igitur ex hoc capite, quantùm vita terram, tãtundem fœmina virum excedit. Deinde (vt taceam nomen Hebraicum, אשרת, mulierem significans, quod ab igne deriuatur; cuius nomenclaturam Deus assumpsit: *Deus noster ignis consumens est*) Tria nomina sunt famosiora, & vulgaria magis. Latinè, *Fœmina*, & *Mulier*.

Aristt. lib. 8. Metaph.

Genesis 2.

Ad Heb. 1.

Ad Heb. 12.

Mulier. Italicè *Donna*; cuius & vsus est apud Hispanos inter nobiles fœminas.

D. Isidor lib. Ethym. Fœmina igitur (vt auctor est D. Isidorus libro Ethymologiarum) dicitur à fœtu, vel (vt alij volunt) à fouendo. Quis autem non videat inter naturales operationes, omnium nobilissimam esse fœtum generare, & eundem fouere, tàm intra, quàm extra maternum vterum? quæ duo speciali ratione fœminis conueniunt, non viris. Rursus, nomen mulieris, quòd à mollitie originem ducit, honorificum est fœminis: nam si mollities illa sit animi, id mansuetam, benignam, & mitem earum conditionem apertè designat. Christus autem

Matth. 5. Dominus, mites animos laudauit: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Si verò mollities illa sit corporis, in earum etiam laudem cedit, quia (vt auctor est Aristoteles) molliores carnes subtiliorem mentem designant. Tandem si nomen *Donna*, quo Italico idiomate fœmina nominatur, parum perscrutari velimus, facilè rei per illud significatæ excellentia nobis innotescit: etenim *Donna*, deriuatur à voce Latina, *Domina*, quod nomen est imperij, & po-

Plut. in vita Lycurgi. tentiæ Regiæ, immò & Plutarchus affirmat in vita Lycurgi, fœminas quadam voce nominari solitas, Dominam significante: & Claudius Cæsar, fœminæ dignitatem non ignorans, frequenter illam appellat dominam; quod vs-

Homer. 3. Odyss. que ad tempora Homeri durauit, cùm libro tertio Odyssææ, loquens de vxore Nestoris, dicat: *Cui domina vxor lectum*

Idem 7. Odiss. *suum strauit.* & libro septimo agens de Alcineo, inquit: *Quem suis ipsa manibus Domina construxerat.* Quid? quod nomen hoc *Donna*, celebre adeò iudicatum est, vt inter Hispanos, nobiles viri, medietatem illius sibi vsurpent, vocantes se, *Don Pedro, Don Diego*, & sic de alijs. Quid autem est *Don*, nisi dimidia pars nominis *Donna*. Ac tandem, si Caballistis credimus, ipsi fatentur nomen Donnę, maiorem conformitatem habere cum celebri illo Dei nomine *Tetragrammaton*, quam nomen viri.

§. 2.

Ex creatione primæ mulieris, laudes fœminarum deducuntur.

QVòd si rem attentè perpendamus, sanè licèt in diuina natura omnes ideæ, & exemplaria creaturarum, sint vnum; virtualem tamen, vt minimum, distinctionem inter illas Theologi omnes agnoscunt: quatenus nobilior creatura per nobiliorem ideā vendicaret præsentari: igitur fœmina cum specie corporea multò pulchrior sit viro, necesse est factam fuisse à Deo, quoad corpus per perfectiorem, & pulchriorem ideam, quàm vir. Quòd si non tātum efficientem, sed materialem causam contemplemur, non solùm æqualitatem fœminæ cum viro, sed excellentiam eius supra illum facilè deprehendemus. Etenim vir factus fuit ex luto terræ, iuxta illud Genes. 2. *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ.* *Genes. 2.* Fœminam autem non ex vili materia luti, sed ex nobili, & forti, qualis fuit costa Adami, primam fœminam efformauit: *Ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* *Ibidem.* Vnde & ipse Adam continuò dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* *Ibidem.* Deinde omnes Philosophi vnanimi cōsensu fatentur, masculinum fœtum quadragesimo die animari, fœmininum verò nonnisi vsque ad octuagesimum: quàm disparitatem, licèt quidam in fœminarum probrum vertere conentur; reuera tamē in earum laudem cedit: nam tā in rebus naturalibus, quàm artificialib' satis cōpertum est, quātò perfectiora sunt opera, tantò longiore tempore perfici: quis enim ignorat plus temporis exigere arborem ad fructus maturos edendos, quàm ad ramos, & folia producēda: nullus etiam artifex est, quātumuis peritus,

qui in fabrefaciendis magni momenti rebus, plus temporis nō insumat, quā in alijs vulgaribus artificiatis. Ad hæc, ex sacra Geneseos historia nouimus, fœminam, vltimum esse opus Dei supremi, omnium rerum opificis, qua producta (vt sacer textus ait) *Requieuit Dominus ab omni opere, quod patrarat.* At secundum Philosophum, *id quod est vltimum in exequutione, est primum in intentione.* Prius igitur, posset dici ab aliquo, ordine intentionis fuit volita fœmina à diuina voluntate, quàm vir.

Genes. 2.

Aristot. 2. Physic.

§. 3.

Ex honore, quem Principes, & Philosophi mulieribus deferunt, earum excellentia innotescit.

ATqui hinc est, quod propter hāc fœminarum excellentiam Principes, & Reges etiam humilis cōditionis fœminis maiorem honorem deferunt, quàm viris. Hispaniarum, & Galliarum Principes consueuere inclinari, & caput detegere, cùm fœminas in via, vel in aula Regia offendunt; quòd genus honoris certum est, nemini virorum sui Regni impendere. Quòd si vera est sententia Aristotelis 8. Ethic. cap. 16. dicentis: *Honor est virtutis præmium, & beneficij:* consequens est aliquid excellentiæ, & beneficentiæ in fœminis agnosci debere, cuius causa sic honorantur à viris. Ille deinde notissimus est honor, quem omnes Respubl. & omnes Magistratus fœminis deferunt, dum sericas, & aureas vestes viris prohibentes, fœminis eas induere permittunt. Tandem Aristoteles, qui in fœminarum maledicentia ferè omnes præcelluit; euidentia tamen veritatis conuictus, multa earum præconia scripsit, quibus illas viris præferre non erubuit. Etenim lib. 1. œconomicæ cap. 3. fœminam viro diligentiorem tradidit, dicens: *Mulier ad sedulitatem optima, at vir deterior,* & cap. 6. fœminam à cura rem familiarem conseruandi super virum commendat, verba eius sunt hæc *Consequitur masculus necessaria, & fœmina conseruat ea*: Quis autem non videat vanum reddi laborem comparandi, si ei non adiungatur sollicita cura conseruandi? Sagaciores insuper fatetur fœminas, libro 6. Ethic. cap. 10. dum inquit: *Sunt fœminæ maribus astutiores*: astutiam verò, seu calliditatem cum prudētia coniunctam esse, vt auctor est idem lib. 6. Ethic. cap. 10. accedit quod idem lib. Physognomiæ ait: *Sunt misericordes, ingeniosæ, & callidæ*: quæ in mille locis cōfirmarunt Plato, & Lycurgus, & quidem ille libro de legibus, dixit: *Fœmineum genus eruditionis, & aliorum studiorum societatem cum virili genere habere debet*, & in libro de Republic. dialogo 7. subiunxit: *Fœminæ non minus, vt viri in Republica virtutum insignibus ornandæ, vt quæ præstantiores natura sunt, principatum gerant æqualiter cum viris.* Lycurgus etiam Platone multò antiquior, eadem ante docuerat; nam libro de legibus dixit: *Fœminis, non minus, quàm viris decorum esse equestrem disciplinam, & gymnasticam ex veteribus narrationibus persuasus sum.* & paulò inferiùs subdit: *Stolidissimè omnium nunc in Regionib. nostris censeo fieri, quòd non omni robore, vnoque consensu mulieres ac viri eadem studia ex animo tractent.*

Arist. 8. Eth. cap. 16.

Idem 1. œc. c. 3.

Idem eod. lib. c. 6.

Idem 6 Eth. c. 10.

Idem ibid.

Idem libro Physogn.

Plato lib. de legib.

Idem de Repub. dial. 7.

Lycurg. lib. de leg. dial. 7.

§. 4.

A fortitudine, & impauido animo, etiam in militia fœminæ laudantur.

NE autem cuipiam videatur paradoxa horum Philosophorum sententia, idcircò de forti, ac intrepido fœminarum animo, nonnulla subijciam. Narrat Lucretia Marinella in discursu de nobilitate, & excellentia fœminarum, mulieres Cursolenses cum manifesto periculo propriæ vitæ integrum exercitum Selim Turcarum Imperatoris potentissimi inuadere non exhorruisse, qui Cursolam vrbem occupare vene-

Lucr. Marin. in discurs. de nobil fœm.

re tentabant : at verò ipsæ lucidissimis armis instar fortissimorum militum, munitæ ita strenuè, ac diligenter bellicis tormentis hostes expugnarunt, vt Vluzale, generali Turcarum duce, cum vniuerso eius exercitu terga vertente, fugam ignominiosè arriperent. Huic victoriæ non est, cur cedat illa, quam Marcia Bronchia fœliciter consequuta est, quæ cum proprium maritum præ timore irruentis belli fugere animaduerteret, ipsa continuò eius arma capessens, ad defensionem vrbis Pisarum, cuius ipsi ciues erāt, intrepido animo properauit, adeoque in profligandis hostibus fortiter se gessit, vt ab ingruenti illo malo patriam suam liberaret. Vnde populus gratitudinis gratia, tanquam patriæ liberatrici, honorificam erexit statuam. Inter mulieres etiam fortes meritò annumeranda venit mater Hircani, quæ cùm ab hostibus capta, varijs cruciatibus afficeretur, vt filio suo obsidionem tollere persuaderet, ipsa nihilo secius, quamuis multis annis confecta, viriliter adeò tormenta sustinuit, vt summis precibus filium deprecaretur ab incœpta obsidione minimè desistere, sed magna animi fortitudine in hostes irruere. Nec silentio prætereunda est mater Clementis Spartarum Regis, quæ cū tradita fuisset Ptolemæo in pignus, illæsum conseruandi fœdus, cum eo initum de non recōciliandis inimicis absque eius consensu; cōscia illa facta, quòd inimici pacem Reipublicæ valdè vtilem filio obtulissent, ipsa ei scripsit, omninò oblatam pacem acceptari nihili faciens, quòd ipsa in potestate Ptolemæi maneret. Sanè, cùm iuxta sententiam Aristot. lib 3. Eth. c. 6 fortitudo sit animi constantia aduersus ea, quæ terrere solent; manifestum est, fœminam hanc magna fortitudine præditam, quæ propriam libertatem, & vitam, publicæ vtilitati posthabuit. Quid dicam de fœminis Archiuis, de quibus historiographi commemorant, quòd cùm Cleomenes Rex Spartarum ingentem Argiuorum multitudinem occidisset: tentans deinde ciuitatem eorum, nomine Argo, per vim occupare; Argiuæ fœminæ supra vrbis mœnia armatæ comparuerunt, quarum horribili aspectu perterritus Cleomenes, non solùm ciuitatem non expugnauit, sed compulsus fuit ab incepto desistens, in fugam se conuertere. Eædem Argiuæ fœminæ à ciuitate sua expulerunt Democratem Regem, qui partem illius, nomine Pamphyliam, tyrannicè occupauerat. Tandem consultò missas facio Monimam Milesiam vxorem Mitridatis, Rosanam, & Statiram eiusdem Mitridatis sorores, Zenobiam Reginam Armeniæ, Cleopatram filiam Ptolemæi Pytonis Regis AEgypti, Sophonisbam filiam Asdrubalis, Dugnam nobilissimam fœminam, Massinissam, Polyxenam filiam Regis Priami, cuius meminit Euripides in Tragœdia, cui nomen Hecuba, Sophroniam, de qua eleganter Tassus libro 2 Poridem, cuius longam mentionem fecit Titus Liuius; nec non fœminas Cambri, à Plutarcho relatas, quæ omnes, partim ne in seruitutem venirent, partim ne honorem amitterent, partim, vt patriam defenderent, non dubitarunt mortem oppetere.

Aristot. 3 Eth. c. 6.

Euripi. in Hecuba.

Tassus lib. 2.

Titus Liu.

Plutarch.

Quòd si bellicosas fœminas in arte militari strenuas valdè recēlere vellem, in longum sanè abiret oratio; nonnullas tamen non præteribo, quæ fortissimos hostes viriliter superarunt; Semyramis Assyriorum Reginæ cuncto orbi satis nota, & explorata est fortitudo, & magnanimitas: nam omissis alijs bellorum certaminibus, in quibus inuictissimi Ducis personam gerens victrix euasit; certè in bello, quod aduersus Scaurobaten Regem Indiæ gessit, animi sui fortitudinem mirificè ostentauit: Etenim ex singulis Imperij sui prouincijs fortiores quosque viros elegit, ex quib. potentissimum exercitum confecit, decies centena millia, & trecenta millia

militum,& ducenta millia equorum habentem. Fecit etiam,vt ex Phœnicia, & Cypro duo millia nauigia aduentarent, quibus omnibus cruentum bellum aduersus Scaurobaten Indiæ Regem iniuit. Semyrami persimilis fuit Victoria, quæ in expugnandis hostibus, & compescenda eorum superbia, insignis adeò fuit, vt matrem exercituum illam compellarent: & meritò quidem; cùm & armis obtinuerit, vt filius,& nepos eius ad imperij culmen ascenderent. His non inferior mihi videtur Thomiris Scytharum Regina,quę cùm contra Regem Cyrum vnicum filium suum misisset, quem ipse occidit, continuò illa nouum instruxit exercitum, & contra Cyrum Regem acriter excandescens, fortiter adeo in eius milites irruit,vt breui tempore non solùm viginti millia Persarum occideret,sed & ipsum Regem Cyrum iugularet; caput autem in vas sanguine plenũ immitteret, hæc verba proferens: *Si sanguinem sitiebas, immersus sanguine es,bibe ad satietatẽ.* Accedit ijs Margarita filia VVoldomarij Suetiæ Regis, quæ contra Albertum Ducem Monopoli bellum gerens non solùm exercitum eius profligauit,sed ipsummet Ducem in seruitutem fiam redegit; & ad maiorem suæ victoriæ gloriam, & splẽdorem,necnõ ipsius hostis deuicti ignominiam, in triumphum, publicè traduxit. Silentio prætereo Amalasuentam Italiæ Reginam, quæ forti,& intrepido animo in Burgundos, & Germanos insurgẽs ab Italia illos expulit, dum acriter Ligauriam infestarent. Prætereo Zenobiam Palmirenorum Reginam, quæ post obitum Odenati viri sui, nõ solum singulari prudentia, & iustitia imperij gubernacula tenuit, sed in variis belli congressibus hostes gloriosè deuicit. Prętereo Ioannam Lotharingam,cuius magnanimitatem in tam tenera ætate Rex Carolus valdè mirabatur; hæc cùm aduersus Regis hostes,iuxta Blesiam prœliaretur,tria millia militũ in frusta concidit,& permulta loca ab hostibus occupata in pristinã libertatem restituit. Prętereo Valascam Bohemorum Reginam, quę excelso adeò animo,& generosa indole prædita erat, vt ægre ferens virum aliquem sibi dominari, aduersus homines ira percita, facta coniuratione cum priuatis fœminis de occidendis, vel relegandis cunctis viris ab eius imperio, bellum aduersus ipsos indixit, eosq; interemit, & instar Amazonarum, ipsa,& reliquæ fœminæ absque virorum consortio per multos annos superstites,Rẽpublicam gubernarũt. Prætereo easdem Amazonas, quas cum Cyrus Rex ingẽti Persarum exercitu debellare tentasset,ab ipsis deuictus, & expugnatus retrocessit. Harum Amazonarum gloriæ mentionem facit Paulus Orosius lib. 1. c. 5. earum multæ fuere Reginæ,& Pãthasilæa credita Martis filia, quæ in Hectoris auxilium,multis Amazonis,velut sæuientibus leænis comitata venit, vt Homerus in Iliade, necnon Virgilius in hæc carmina narrat. *Oros. lib. 1. c. 5.* *Homer. in Iliad.*

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis *Virgilius.*
Panthasilæa furens, medijsque in millibus ardet:
Aurea subnectens,exertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

His Amazonis persimiles fuerunt (vt author est Boterus) fœminę,quę sub imperio Regis Monopotama iacebant; hæ arcus in arma vsurpabant, & in emittẽdis sagittis peritissimæ erant. Prætereo Melitenses fœminas, quæ (vt refert Mãbrin Roseus) dum Mustapha Turca demoliri conaretur Famagostam, incredibili audacia ita aduersus hostes dimicarunt, vt ipse Mustapha stragem magnam suorum animaduertens:dicere compelleretur, bellicosissimos esse illius vrbis ciues. Prætereo Lacedemonas fœminas, de quibus Lactantius scribit, quòd cùm earum ciuitas absque viris esset, eo quòd omnes ad Messenios expugnandos se contulissent,& Messenij è contra ad Lacedæmoniorum ciuitatem expoliãdam *Boterus.* *Mambr. Roseus.* *Lactantius.*

propę-

properassent; ipsæ Lacedæmoniorum fœminæ hostium deuastationi non solùm obstiterunt, sed eorum exercitum profligarunt, & in fugam conuerterunt. Accidit tamen posteà, quòd visa à Lacedæmonibus Messæniorum fraude, continuò regressi contra illos, solùm inuenerunt armatas fœminas, quas ipsi existimantes esse Messænios hostes in illas acriter irruissent, nisi ipsæ arma deponentes, se manifestassent. Vnde in memoriam huius augustissimi facinoris, Lacedæmones celebre ædificarunt templum, Veneri armatæ sacrum esse volẽtes; de quo perbellum Ausonius condidit epigramma. Prætereo tandem Zenobiam ita à natura belligeram (id attestãte Tarcagnota) vt non solùm armatos homines, sed & Leones, Vrsos, Pardos, & alia ferocissima animantia aggredi non exhorreret, sed vinceret, & expugnaret. Prætereo tandem Camillam Reginam Volscorum, cuius fortitudinem Virgil. eleganter in hæc carmina descripsit:

Ausonius.

Tarcagnota.

Virgilius.

Non illa colo, calathisue Mineruæ
Fœmineas assueta manus, sed prælia virgo
Dura pati, cursuq; pedum præuertere ventos
Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Grauia, nec teneras cursu læsisset aristas,
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeri nec tangeret æquora planta.

§. 5.

Ab amore erga patriam, & maritos, & à tutela, quàm eis præstiterunt, fœminæ commendantur.

HAnc fortitudinem sub muliebri forma latentem in defendenda patria, multæ præclaræ fœminæ ostẽtarunt, inter quas non infimum locum obtinet Pisana quædam puella, cuius meminit Comes Ioannes Castilion, & in cuius laudem hoc post obitum eius pulchrum epigramma composuit.

Comes Castilion.

Semianimem in muris mater Pisana puellam
Dum fouet, & tenero pectore vulnus hiat:
Nata tibi hæc (dixit) tædas, atque hos Hymenæos
Hæc defensa tuo mœnia marte dabunt.
Cui virgo, haud alias tædas alioque Hymenæos.
Debuit hæc nobis grata rependere humus.
Hanc ego sola meo seruaui sanguine terram,
Hæc seruata meos terra tegat cineres.
Quòd si iterum ad muros accedet Gallicus hostis,
Pro patria arma iterum ossa hæc, cinisque dabunt.

Narrat Lucretia Marinell in discursu de excellentia fœminarum capite 11. ex varijs auctoribus hæc, quæ nunc apponam memoranda exempla. Cùm ab inimicis obsessi essent Spartani, communi consensu decreuerunt fœminas omnes in Cretam mittere, ne si ipsi in obsidione perirent, illæ ab hostibus inhonestè tractarentur; at fœminę huius decreti conscię factę, ægrè illud ferentes, viriliter restiterunt, ne executioni mandaretur. Quare Archidamia inclyta, ac fortis fœmina arrepto ense euaginato, Senatũ ingressa, acriter Senatores obiurgãs, dixit: Putabatis ne Spartanas fœminas, Spartà ab hostibus occupata, volituras diutiꝰ viuere? illi autẽ stupefacti, decretũ reuocarunt: cõtinuò verò Spartanę fœminę in modũ exercitus congregatę, monẽtes reliquos milites, vt quiescerent, cęperunt fossam conficere, mœnia ciuitatis restaurare, arma præparare, ac tandẽ viriliter dimicãtes, patrię libertatem cõseruarunt. Refert deinde ex AEmilio Probo, quòd cùm Pausaniam, eo quòd infidelis esset patriæ, vt debitas pœnas lueret, Respublica comprehendere curasset; ipse verò in Palladis templum, tanquam in tutissimum asylum confugisset, certò sciens, propter reuerentiam tanti loci minimè fore extrahendum. Ephori decreuerunt, portas illius templi, facto muro, penitus claudere, vt sic fame ibi periret: quòd audiens mater Pausaniæ, amor patriæ illam compulit, vt confestim ipsa calcem, & lapi-

Lucret. Marinel. in discurs. de excell fœmin. c. 11.

lapides ad conficiendum murum asportaret. Adiungit deinde aliud memorabile exemplum. Etenim cùm Latini aduersus Romanos dimicantes præualerent, postulatunt sibi dari certum numerum virginum, cui ignominiosæ petitioni cùm valdè hæsitarent Romani, ob Latinorum potentiam, quid respondere sibi liceret; quædam Romana puella, nomine Tutola, vel (vt alijs placet) Filotis, monuit Senatum, vt pulchtiores ancillas, & seruas perbellè ornatas ad Latinos mitterent, qui parum tunc à ciuitate distabant. Placuit Senatui, & ita factum est: aduenientes autem iam nocte & somno sopitis militibus, Tutola ascēdit in proceram arborem, vbi ardentem flammā versus Romam direxit, vt prædixerat Senatoribus; & continuò milites Romani, qui præparati iam aderant, egressi contra dormientes Latinos, ingentem eorum cateruam occiderunt, & virgines recuperarunt. In cuius rei memoriā Romæ celebre festum fuit, quod Ancillarum vocabant. Ad hæc, quis ignorat in bello AEneæ contra Turnum, fœminas propriam patriam ab hostium incursu defendisse, vt lib. 11. Virgilius cecinit in hæc carmina.

Virg. 11. AEneid.

Ipsæ de muris summo certamine matres
(Monstrat amor verus patriæ) vt videre Camillam
Tela manu intrepidè iaciunt, ac robore duro.
Stipitibus ferrum, sudibusque imitantur obustis
Præcipites, primæque mori pro mœnibus audent.

Ad extremū Iphigenia sciens oraculum dixisse; opus esse, vt ipsa in sacrificiū Dianæ offerretur ad placandam iram, quàm conceperat aduersus Agamemnonem patrem suum, qui contra diuinam legem ceruum occiderat, alioquin patriam eius multis supplicijs esse mulctā dam: ipsa ob amorem patriæ spōte se in sacrificium mactandam Dianæ obtulit. Vnde ipsius hæc sunt carmina in Tragœdia Euripidis, Iphigenia nuncupata.

At illa patri proximè assistens suo — *Euripid in Iphigen in Aulide.*
Hoc elocuta est: ô parens, adsum tibi,
Et hocce corpus pro salute patriæ,
Proque vniuersa Græcia trado, volens,
Vt immolandum hinc ad dicatas numinis
Ducatis aras, quando diuum oracula
Ita canunt: prorsum, quod ad me pertinet,
Et rem geratis bellicam fœliciter,
Lateque vobis præmium victoriæ
Cedat, &c.

Non solùm autem lego fœminas insignes patriæ amatrices, sed ita etiam ardenter maritos fratres, & filios amantes, vt non dubitarint pro illis mortem subire; vt enim dixit Propert.

Verus amor nullum nouit habere modum. — *Propert.*

Notauit hunc fœminarum amorem Aristot. lib. 8. Ethic. dum dixit: *Argumento sunt matres, quæ amando gaudent, reamari non curant, sed satis ipsis videtur, si liberos suos benè agentes inspiciant.* — *Aristot. 8 Eth.* Narrat Tarcagnota in sua hist. (quod huic argumēto mirificè facit) quòd cum Imp. Corradus, ciuitatem nomine Vespergiam, ingenti exercitu obsedisset, ciues mille remedia tētarunt, vt Imperatoris animum pacarent; solùm autem ab eo obtinere potuerunt, vt fœminæ à ciuitate egredi valerent, secum ferentes quicquid humeris portare potuissent: tunc fœminę omnes humeris imponentes, hæc maritum, ista fratrem, illa filium; ijs pignoribus onustæ à ciuitate egressæ sunt, iudicantes (præ amoris magnitudine) nullas pretiosiores gemmas, nullaque ciui gratiosiora monilia ferre potuisse, quàm proprios maritos, fratres, & filios. Narrant in idem varij Historiographi memorandum illud facinus fœminarum Spartanarum: etenim cum earum viros in carcerem detulissent Lacedæmonij, singulis diebus Magistratus adibant, vt saltem liceret eis carcerem ingredi, & cum maritis suis confabulari; quòd cum tandem post multa temporis curricula obtinuisset, hoc stratagemate vsæ sunt, vt maritos ab illa captiuitate eriperent: proprias vestes fœmineas exuētes, cùm

Tarcagn. in sua hist.

viro-

virorum veſtimentis commutarunt, factaque iam nocte, viri fœmineo amictu induti, loco illorum remanentibus vxoribus, liberè è carcere egreſſi ſunt: quod ſingulare amoris, & pietatis genus admirati Lacedęmonij, liberas & impunes, fœminas abire permiſerunt. Ad hæc, cū Rex Darius ad mortem damnaſſet Hitaphernem cum omnibus ſuis familiarib⁹, & conſanguineis, ita vt tota eius proſapia penitus extingueretur; vxor Hitaphernis regiam aulam ingreſſa, gemitibus, & eiulatibus aerem implens, & ſententiæ reuocationem à Rege poſtulans, illud ſolùm à Regis clementia obtinere potuit, vt vnum quemcunque vellet ex damnatis ad mortem, pro libito liberaret; ipſa inter omnes, non maritum, nō filios, ſed fratrem eripere elegit. Quo audito Rex Darius, valdè miratus, & ab ea ſciſcitatus eſt, quare ſpreto marito, ac filijs dimiſſis, fratris vitā cōſeruare voluiſſet? ipſa continuò reſpondit: Domine mi Rex, ſi fratrem amiſero, fratrem alium habere non potero; ſi autem marito, & filijs orbabor, alium maritum, & alios filios obtinere potero. Ac tandem *Liuius.* Titus Liui⁹ commemorat, matrē quandam audientem filium in bello extinctum, ſummo dolore confectam, qui cùm continuò viuus, & incolumis appareret, præ gaudij magnitudine vitam exhalaſſe.

§. 6.

A liberalitate, & magnificentia fœminæ laudantur.

VEnio iam ad fœminarum nō dicam liberalitatem tantùm, ſed magnificentiam: illa enim circa exigua munera ſæpè verſatur; hæc verò non niſi erga magna, Ariſtotele dicente *Ariſt. Ethic.* lib. Ethic. *Magnificentia in ſumptuoſas actiones diffunditur.* Inter magnificentiſſimas fœminas primùm commemoro Semyramim Aſſyriorum Reginam; hæc poſt obitum ſui viri ingentem, ac famoſam Babylonis ciuitatem iuxta Euphratem extruxit, figura quadra, trigintaſeptem milliarium ſpatio amplam, muris circumdatam, latitudinis quingentorum, altitudinis ducentorum cubitorum, vt Herodotus cōmemorat; murorum ma- *Herodotus.* teria lateres erant, quibus variæ figuræ inerant, diuerſis coloribus diſtinctæ, quæ iucundiſſimum ſui aſpectum reddebant. Turres ſuper muros ædificatæ, ducētum quinquaginta fuere, artificum trecentum millia in hac ciuitate fabricanda laborabant, idque tanta celeritate, vt vnius anni ſpacium vltimam manum imponerent. In medio huius ciuitatis erexit Semyramis celeberrimū templum, in cuius ſummitate, propter ingentem eius altitudinem, Aſtrologi Chaldæi conſcendebant, vt aſtrorum, & ſtellarū ortum, & occaſum melius perluſtrare, & ſcrutari poſſent. Deinde in ciuitate, nomine Hecbatana, ſuperbiſſimum condidit Regium Palatium, ſumptuoſumque adeò aquæductum confecit, vt ad eius fabricam opus fuerit cacumen celſiſſimi montis Orontis perforare, aliasq; perplures ciuitates à fundamentis ædificauit, quibus magnificē- tiam ſuam mirificè oſtentauit. Quid commemorabo de magnificentia Artemiſiæ, quæ mortuo viro ſuo Cariæ Rege, famoſum adeò, ac celebre ſepulchrū ei condidit, vt inter ſeptem mundi mirabilia ab auctoribus connumeretur, ei mariti nomen impoſuit, *Mauſolæum* illum vocans; ad eius fabricam venire coegit quatuor centū peritiſſimos marmoris ſculptores: erat latitudinis in circuitu quatuor centum, & vndecim paſſuum; altitudinis verò vigintiquinque cubitorum. Partem ſepulchri Orientalem fabricādam aſſumpſit inſignis ſculptor Scopa, Occidentalem Zocaras, Septentrionalem Briarce, Meridionalem Timothæus. In cacumine huius ſepulchri aderat currus, ſummo artificio affabre factus, quem quatuor marmorei e- *Laertius de Anaxag.* qui ducebant, refertq; Laertius, Anaxa-

goram Philosophum hoc sepulchrum vidisse, ac diuitiarum simulachrum appellasse. Accedit ijs permagnificis fœminis non inferior magnificētia, Cleopatra AEgypti Regina, de qua illud memorabile referunt Historiographi, nemini vnquam donum dedisse (cum tamen permulta frequēter daret) quòd sufficiens non esset ad expensas necessarias, iuxta qualitatem personæ pro toto vitæ suæ curriculo. Narrant etiam; quòd vocata à Marco Antonio, nauigium fabre fecit, cuius puppis ex solido auro erat, vela ex preciosissima purpura, remi ex purissimo argento, qui etiam dum mouebantur sonum emittebant, instar cytharæ, & tibiæ, & aliorum instrumentorum musicorum. Satis etiam omnibus tonsoribus notum est, cœnā adeò splendidam, ac lautum, & opiparum adeò cōuiuium Marco Antonio fecisse, vt duplicem preciosissimam gemmam in pulueres redactam ad bibendum ei appinaret. Quis etiam ignoret liberalitatem, & magnificentiam Reginæ Didonis erga Troianos, quam Virgilius eleganter descripsit in hæc carmina.

Virgilius. *Seu vos Hesperiam magnam Saturniaq; arua,*
Siue Ericis fines, Regemq; optatis Aristem,
Auxilio tutos dimittam, opibusq; iuuabo.
Vultis, & his mecum pariter considere Regnis?
Vrbem, quam statuo, vestra est, subducite naues,
Tros, Tyriusq; mihi nullo discrimine agetur.

Et postea subiunxit in argumentum eiusdem magnificentiæ.

Atq; vtinam Rex ipse Noto compulsus eodem
Afferet Æneas: equidem per littora certos
Dimittam, & Lybiæ illustrare extrema videbo,
Si quibus eiectus siluis, aut vrbibus errat.

§. 7.

A castimoniæ virtute fœminæ commendantur.

PORro si ad castitatem insignium fœminarum me conuertā, tot vetusta etiam Gentilium suppetunt exempla, vt si omnia percensere tentassem, impossibilem prouinciam assumpsissem. Quare nonnulla breuiter percurram. Castitate prefulsit Zenobia Palmirenorum Regina, quę vita functo viro suo, cùm alioquin iuuencula esset, tū pulcherrima, tum ditissima, tum potentissima (totius quippe Oriētis gubernacula possidebat;) quāuis permultos annos superstes manserit, semper tamē pudicitiam suam inuiolatam seruauit, vt vulgari carmine cecinit Petrarcha. Castitate valdè enituit Sophronia nobilis Romana, quæ à Maxentio Imperatore importunè sollicitata, etiā proprio marito consentiente, ipsa constanter adeò dissentijt, vt mortem magis eligeret, quā adulterium. Quid de Lucretia commemorabo? qd de Thebe à Nicanore amata? quid de Penelope Vlyssis vxore? quid de Claudia virgine Vestali? quid de Mica Elienſi? quid de Laura, cuius meminit Petrarcha? quid de Sulpitia, quam refert Titus Liuius? quid de Monima Melissa, quam Rex Mitridates, magna etiam auti copia vincere nō valuit? quid tandem de Lacedęmoniorum, Milesiensium, Thebanorum, & Sabinorum fœminis, quæ non ambegerunt propriam vitam pudicitiæ postponere? Quòd si sacra eloquia consulamus, adsunt castitatis portenta, Rebecca, Susanna, Iudith, Maria soror Moysis; in nouo vero Testamento penè infinitæ Virgines, quæ in tenera etiam ætate atrocissima tormenta, castitatis seruandæ causa, viriliter sustinuerunt. Sed iam ethnicas virgines præteriens, ad sacras, & Christo dicatas me conuerto, quæ non solùm numero, sed & animi fortitudine longè superarunt Vestales etiam virgines, quę inter Ethnicos castimoniæ virtute præcipuè emicuerunt. Illæ enim non morum, sed annorum temporariam pudicitiam (vt adnotauit D. Ambrosius) collatis immunitatibus, & oblato pretio, absque temporis perpetuitate seruabant, quod postquam idem Sanctus Doctor expen-

Petrarcha. Petrarcha. Liuius. D. Amb lib. 3. de virg.

expendisset, subdidit: *Quanto igitur nostræ virgines sunt fortiores, quæ vincunt etiam, quas non vident potestates, quibus non tantùm de carne, & sanguine, sed & de ipso mundi principe, seculique rectore, victoria est.* Immò & Diuus Basilius libro de vera virginitate, eorum fortitudinem commendans, qui propter virginitatem seruandam, varia tormentorum genera subire non exhorruerunt, hæc scripsit: *Cùm ferueret persecutoris immanitas, electæ virginis, propter sponsi fidem, ad illudendum impiis hominibus traditæ, corporibus inuiolatæ durarunt, eò scilicet, cuius gratia id perferebant, impiorum conatus in earum carne initos arguente, & integra earum corpora, non sine prodigio, diuina virtute custodiente.* hæc ille.

D. Basil. lib. de vera vir.

Quarum omnium exēplis, quia plena sunt Martyrologia Vsuardi, Surij, Natalis, necnon Cardinalis Baronij, superuacaneum est ea hoc loco recensere; quarundam tamen virginum, castimoniæ custodiendæ causa, miranda, quæ patrarunt, silentio non præteribo.

Iphigenia virgo, AEthiopum Regis filia 21. Septembris. Hæc à S. Matthæo Apost. baptizata, ab eoque sacro velamine Deo consecrata, nullis precibus, vel minis permoueri potuit, vt Hyrtaco Regis successori, eius nuptias expetenti cōsentiret; quare is Sanctum Matthæum, cuius opera, illa virginitatem Deo vouerat, & in sancto proposito perseuerabat, ad Altare, sacrum mysterium celebrantem, iussit occidi, qua de causa S. Matthæus, ab Hippolyto libro de duodecim Apostolis, ad hoc alludente, victima dicitur virginitatis: deinde Iphigeniæ domum copioso igne incendi fecit, vt eam cum cæteris virginibus concremaret. Verùm S Matthæus cælitus cum Angelo aduenit, ignemque ab ea domo excussit: flamma verò erumpens, Regis palatium consumpsit, Hyrtaco cum filio vix euadēte, & filius quidem à dæmone arreptus, mox interijt; Hirtacus autem morbo elephantiaco percussus, doloris impatiens, mortem sibi ipse consciuit. Iphigenia verò ducentorum, & eò amplius virginum mater existens, sancto fine quieuit; de qua Petrus in Catalogo lib. 8. c. 101.

Hippoly. lib. de 12. Apost.

Petr. in Catal. lib. 8. c. 101.

Augusta virgo, filia Marrucis principis, genere, & opibus insignis, natione, vt ferunt, Germani, Idolorum cultoris, qui inclinato iam Imperio Romano in agro Foroliuiensi non procul à Serrauallo, arcem sibi construxerat; hæc, clàm patre, Christi fidem cum baptismo suscepit, Deoque virginitatem suam dicauit: quo cognito, pater, eam grauiter obiurgat, sed cùm in fide Christi constans persisteret, duo ei dentes euelli, & in carcerem detrudi fecit, deinde inter duas arbores mediam suspendi, ac subiecto igne torqueri iussit, sed nihil læsa, rotā, prominentibus clauis, ad dilacerandum virginis corpus, excogitat, qua per Angelum confracta, capite truncata ad sponsum peruenit, die 27 Martij, eam post mortem Deus multis miraculis illustrem reddidit, cuius vitam describit Surius tom. 7.

Sur. tom. 7.

Virgo quædam memoriæ nostræ (inquit D. Ambrosius libro 1. de virginibus) *nobilis in sæculo, nunc nobilior Deo, cum vrgeretur ad nuptias à parentibus, & propinquis, ad sacrosanctum altare confugit, vbi sacrificium virginitatis offertur, & virginitatis velamen cum precibus sacerdoti petens, sponsum se habere dicebat, cui nemo se comparet, diuitem mundo, potentem imperio, nobilem cælo: silentibus cæteris: vnus abortiuus, quid si (inquit) pater tuus viueret, innuptam te manere pateretur? tum illa: & ideò fortasse defecit, ne quòd impedimentum posset afferre: quòd ille responsum de patre, de se oraculum maturo sui probauit exitio; ita cæteri eadem sibi quippe metuentes fauere cœperunt, qui impedire quærebant.* hæc Diuus Ambrosius.

Ambr. lib. 1. virg.

Maria virgo in Bythinia virili habitu à patre Eugenio in cœnobium adducta, & sub Marini nomine cum eōdē monasticam vitā professa; post multos annos

religiosè traductos, ab Abbate ad monasterij negocia mittebatur, & in quoddam diuersorium cum socijs diuertere solebat. Cumq; filia hospitis à quodam milite violata concepisset, Marinum eius sceleris auctorem fecit, quòd cùm Abbati renunciatum esset, is eum grauiter reprehensum, nec se excusantem, sed errati veniam humiliter precantem, è monasterio eiecit: Ille verò sub dio manebat; cùm autem puella infantem peperisset, puellæ pater illum Marino detulit, qui lacte à pastoribus mendicato, puerum alebat; exacto triennio, multorum fratrum precibus, tandem cum infante admissus est in monasterium ad viliora, & abiectiora monasterij deputatus; quæ omnia mira cum humilitate, & patientia exequebatur, nec modica ei molestia erat in educando infante illo. Denique in sua cella sanctè obijt; quem sepulturæ mandare volentes, inuenerũt esse mulierem. Omnibus igitur veniam petentibus, quòd innocẽtem vexassent, corpus eius in Ecclesia honorificè conditum, miraculis clarere cœpit. Puella, quæ eam infamauerat, à dæmone arrepta, & ad sepulchrum eius adducta, omnem rei veritatem confessa, liberatur. Hæc ex Metaphraste apud Surium tomo 2. die 8. Februarij, quam vocat Mariam: eadem legimus in vitis Patrum libro 1. c. 44. & apud Petrum in Catalogo lib 6. c. 108. qui affirmat eam obijsse 16. Iulij; anno verò 1113. translatum est corpus eius Venetias; cuius meritis nautæ à maris tempestate sunt liberati.

Sur tom. 2. In vitis Patrum lib. 1. c. 44 & apud Petr. in Cat lib. 6. c. 108.

Margaritæ verò virgini AEgyptiacę simile quid cõtigisse narratur. Hæc præclarum quoddam facinus seruandæ virginitatis causa, ei, quod edidit S. Alexius, perquam simile aggressa est, quin etiam maius aliquid est ausa: nuptui enim à parentibus tradita, prima nocte, cùm sponsus propter laborem in choræis ea die susceptum, profundo somno teneretur, ipsa tonsis crinibus, sub viri habitu, se Pelagium appellans, & clanculum in monasterium virorum aufugiens, ab eisque admissa, sanctissimam, & religiosissimam vitam duxit: adeò, vt seniorum consilio, licèt inuitus, monasterio Virginum præficeretur. Verùm falsò in suspicionem vocata, quòd cuidam monialium ianitrici, cuius vterus intumuerat, vitium intulisset, humiliter, & absque excusatione seueram pœnitentiam peregit: in morte tamen agnitus, vt fœmina, omnibus suæ humilitatis, atque patientię exempla reliquit; huius vitam narrat Petrus in Catalogo lib. 9. c. 27.

Petr. in Catal. lib. 9. c. 27.

Theoctistes virgo in Paro insula 10. Nouem. in Martyrol. Rom. cõmemoratur, cuius vita ex Metaphraste extat apud Laurentium Surium tom. 6. Hæc fuit patria Lesbia, quàm in Virginum monasterio ab infantia dedicatam, Arabes Cretenses captiuam abduxerunt, cũ decimumoctauum annum ageret. Cùm autem eam in insula Paro deserta cum alijs captiuis exposuissent, vt singulis pretium, quo se redimerent, præscriberetur, ipsa clam fuga elapsa in siluam se abdidit, vbi vitam perquam similem ei, quàm S. Maria AEgyptiaca in deserto duxit, quinque & triginta annis exegit; ab hominum consortio prorsus seiunctam, lupinis, & herbis, quæ in solitudine nascuntur, vitam sustentãs. Demum cuidam ex Euboea, qui eo, venationis causa, cum alijs venerat, locuta, petijt sibi, anno sequenti sacrosanctam Eucharistiam afferri, qua susceptа migrauit ad Dominum. hæc ex Metaphrasto tomo 6.

Sur. Tom. 6.

Metaphrast. tom. 6.

Euphrosina Alexandrina, die prima Ianuarij. Hæc cùm à patre, cuidam insponsam esset promissa, ne cogeretur nubere, domo, ac parentibus relictis, sub viri habitu, vt securi deliteſceret, sumpto Smaragdi nomine, inter monachos cuiusdam cœnobij, duo de quadraginta annos vitam abstinentia, alijsque pietatis operibus insignem ad obitum vsq; sanctissimè traduxit, & miraculis clara, migra-

migrauit ad Christum; eius vita extat apud Surium prima die Ianuarij.

Surius. Thom. Cantiprat. lib. 2. ap. cap. 29. §. 32.

Memorat Thomas Cantipratensis libro 2. ap cap. 29 §. 32. factum quoddam admirabile cuiusdam virginis Iaquelinæ, sororis nobilissimi Comitis Apuliæ, quòd suo æuo contigisse scribit. Hæc cùm à fratre ad nuptias cogeretur, sub virili habitu fugam arripuit; cumq; fratrem eam insequentem non posset euadere, signo Crucis se muniens ex alta rupe in mare se deiecit: quam frater eiulatu magno, monasterium ei construere pollicitus, frustrà reuocare est conatus: diuina enim virtute, per mare, ac si per aridam ambularet, ad desertas Græciæ siluas peruenit, & sub eodem viri habitu cuidam sanctissimo seni heremitæ, à quo de spiritualibus rebus plenius instrueretur, triennio ministrauit: posteà in Sicilia super quadam arbore, arcto tuguriolo constructo, viro quodam fideli sibi victum ministrante, nouennio latitauit. Demùm Romam, spiritu impellẽte ad Innocentium Tertium venit, eumque de quibusdam admonuit: huius viuendi ratio hæc erat: ter in hebdomada solo pane, & aqua victitabat, super nudam humum sine ceruicali cubabat. hæc ex Thoma Cantipratensi.

Euphemia, nobilis quædam virgo in annis puerilib. castitatem Deo dicauit, sed cùm parens, propter ipsius pulchritudinem, eam, quamuis renitentem, cuidam Comiti desponsasset, ipsa cappellã ingressa, opem Deiparæ inuocans, cultro nasum sibi præcidit, & labia. Quare ab irato patre, cuidam rustico in ancillam tradita, magnis laboribus, & plagis ab eo affligebatur: quæ omnia læto animo ferens, Deo, quòd aliquid pro eo pateretur, gratias agebat. Septennio verò in his expleto, nocte Dominicæ Natiuitatis, familia ad mensam considente, ipsa ad stabulum, laudes Deo redditura, se contulit: vbi Deipara, Angelorum, & Virginum multitudine stipata, immenso fulgore circumfusa, eam ad constantiam est hortata; nasum, & labia ipsi restituit: quòd vbi resciuisset pater eius in loco stabuli, Virginum claustrum construxit, in quo Euphemia breui quieuit in Domino. Hæc in Speculo exemplorum, dist. 9 num. 22.

Spec. exemp. dist. 9 n. 22.

Nec silentio prætereunda est Virginum, ac matronarum Leodiensium intuenda pudicitia, animi inuicta fortitudo, & diuina in eis seruandis prouidentia, quemadmodum testatur Iacobus de Vitriaco Cardinalis in prologo vitæ B. Mariæ de Oegenies ab eo editæ, quæ extat apud Surium tomo 3. *In deuastatione* (inquit) *Leodiensi mulieres, quæ ad sacras ædes confugere non potuere, in flumen se præcipitarunt, potius mori volentes, quàm castitatis iacturam facere: nonnullæ etiam in cloacas insiluerunt, fœtore extingui malentes, quàm perdere virginitatem. Christi tamen benignitate in tanta multitudine, nulla prorsus vel vitæ, vel castitatis accepit detrimentum; vna ex iis sancta muliere in flumine periculosè laborante, duo ex hostibus in nauicula ad eam properarunt, & cùm illam extraxissent, volebant turpiter ea abuti, sed quid fecit casta inter leones, agna inter lupos, columba inter accipitres? maluit iterum in flumen se demergere, quàm corrumpi, itaque desilijt ex naui in vndas, sed cum nauicula illius saltu depressa mergeretur, duo illi mersi perierunt; illa verò absq; vllo corporis, & animæ damno fluuio obsequẽte ad littus emersit:* hæc ille.

Iacob. de Vitriac. Card. in prol. vitæ B. Mariæ. de Oegenies.

Ad hoc quoq; spectat integrum Virginum monasterium in Anglia: cùm enim anno 870. in Scotiam applicuisset Danorum innumera multitudo, Ducibus Hinguar, & Stubba, qui nulli sexui parcentes, magnam Angliæ finibus calamitatem intulere: quòd vbi percrebuisset, Ebba sancta Collinghamensis Cœnobij Abbatissa metuens, ne ipsa cum commissis sibi virginibus ludibrio exponeretur Paganorum, & virginitatem amitteret, vniuersis sororibus ad Capitulum conuocatis exponit, quæ ab illis patrabantur scelera, & periculum, quòd eis imminebat, adiecitque, si cõsilijs suis

acquiescere vellent, se sperare, quòd diuina ope, & Barbarorum rabiem effugere, & virginitatem custodire possent; cui omnes se maternis præceptis obtemperaturas responderunt; at illa, inuicto animo arrepta nouacula nasum proprium cum labro superiori ad dentes vsque præcidens horrendum sui spectaculum cunctis præbuit, quòd & singulæ in se ipsis imitatæ sunt. Cùm autẽ sequenti die hostes illi nequissimi ibi peruenissent, vt sanctimoniales ludibrio haberent, & monasterium incenderent, cernentes Abbatissam, cunctasque sorores ita mutilatas: festinatim recedentes satellitibus suis præceperunt, vt iniecto igne monasterium cum ipsis sanctimonialibus concremarent; sicque virgines illæ sanctissimæ ad martyrij gloriam peruenerunt. hæc ferè ad verbum ex Matthæo VVestimonasterienſi, quem refert Baronius in annalibus tom. 10. ad annum 870. vbi has virgines cultu martyrum ab Ecclesia celebratas defendit, etiamsi seipsas mutilarint; penes Ecclesiam enim iudicium est, an aliquid sancti Spiritus impetu, an verò humana tantùm audacia fiat: vt supra in sancta Pelagia Antiochena ex Augustino primo de Ciuitate Dei capite 26. diximus.

Matthæus VVestimon. & Bar tom. 10. ad annũ 870.

Augustt. 1. de Ciuit. Dei, c. 26.

Hoc ipsum exemplum moniales cœnobij, quòd inter Hierusalem, & Bethleem situm erat, sunt imitatæ. Cùm enim Terra sancta Christianis, qui eam possidebant, à Saracænis fuisset erepta, Soldanus audiens ibi degere virgines forma præstantes, eas violare volebat, igitur cùm iam præforibus esset tyrannus, Abbatissa diuinitus edocta, omnibus si saluam vellent virginitatem, vt suum exemplum sequantur consuluit, quòd se facturas illæ receperunt; at ipsa primitus sibi nasum præcidit, idem & reliquæ sponte effecerunt: quo audito, Soldanus earum prudentiam, & fidei cõstantiam admirans, vehementer probauit. Hæc in itinerario Ditmari, & refertur in magno speculo, distinct. 9. numero 24.

Itinerarium

Ditm. Spec. exempl. dist. 9. nu 24.

Hic adiungere possumus virginis cuiusdam rarum exemplum, quòd narrat Iacobus de Vitriaco Cardinalis. Erat sanctimonialis quædam pulchritudine insignis, à principe, in cuius ditione erat eius monasterium, ardenter concupita; cuius voluntatem cum nec precibus, nec muneribus princeps expugnare posset, denunciat Abbatissæ, nisi illam sibi tradat, vniuersum monasterium igne se crematurum. Quod audiens pudica sanctimonialis, & intelligens, Principem propter oculorum venustatem eam deposcere, ambos sibi oculos euulsit, atque in disco Principi præsentandos dedit, illis verbis: Habeto oculos, quos desiderasti, modò meos cordis oculos intactos, atque illæsos relinquas. Hoc ex Vitriaco, & refertur in Speculo exemplorum distinct 9 num. 23. hoc idem exemplum narrat Vincentius Beluacensis in speculo morali lib. 1 part. 3. dist 96. illudque in Anglia contigisse testatur. Principem verò illum, ait fuisse Ricchardum Angliæ Regem. Verum, ne quis existimet hoc exemplum vnicum, & recens, simile quid aliquot sæculis, antequam Ricchardus, de quo diximus, regnaret in Anglia, de sanctimoniali quadam ex relatione viri fidelis, cùm esset Alexandriæ, se accepisse narrat Sophronius, qui vixit circa annum Domini 610. in Prato spirituali, cap. 60. hæc cùm domi suæ viam solitariam ducens, ieiunijs, vigilijs, ac erogandis eleemosynis vacaret; dum ad Ecclesiam orationis causa se conferret, à quodam procaci adolescente nutibus, & amatorijs verbis, molestiam vsque adeò patiebatur, vt domo pedem non efferre cogeretur. Tandem intelligẽs ab eo se amore ipsius captum propter oculorum eius venustatem, eodem adolescente præsente, sumpto gladio mox sibi oculos eruit. Quod cùm adolescens vidisset, corde compunctus, profectus est in desertum Scythiæ, vbi

Iacob. de Vitriaco Card.

Spec. exemp. dist. 9. n. 23. Vinc Beluacen. in spec. moral lib. 1. part. 3 dist. 96.

Sophron in Prato spirituali c. 6.

sæculo

sæculo renũcians, euasit probatissimus monachus.

Porrò, omnibus his virginibus à me commemoratis, & alijs penè infinitis, quæ (vt ait Diuus Ioannes) *sequuntur agnum quocunque ierit.* exemplum sectandæ virginitatis intemerata Deipara Virgo præbuit, ad eandemque per votum conseruandam exemplo suo excitauit. Vnde D. Hieronymus epistola 22. ad Eustochium, agens de virginitatis custodia, postquam viros nonnullos, qui in veteri lege virgines fuere, commemorauerat, continuò subiunxit, latius virtutem hanc in lege Euangelica, latiq; in fœminas propter Deiparam manasse, verba eius sunt hæc: *Virgo Elias, Eliseus virgo, virgines multi filij prophetarum: Hieremiæ dicitur: & tu, ne accipias vxorem. Inueniebatur ergò in viris tantùm hoc continentiæ bonum, & in doloribus iugiter Eua partu riebat. postquam verò Virgo concepit in vtero, & peperit nobis puerum, cuius principatus in humeros eius, Deum fortem, patrem futuri sæculi; soluta maledictio est: mors per Euam, vita per Mariam; ideoque & diuinus virginitatis donum fluxit in fœminas, quia cœpit à fœmina, & statim, vt filius Dei ingressus est super terram; nouam sibi familiam instituit; vt qui ab Angelis adorabatur in Cœlo, haberet Angelos & in terris: tunc Holophernis caput Iudith continens, amputauit.* hucusque Diuus Hieronymus.

Apoc. c. 13.

D. Hieron. epist. 22. ad Eustoch.

Quoniam verò mulieres maiori quã viri custodia se domi continent, illisque à natura virginale signaculum est tributum; hinc factum est, vt ab ipso Apostolorum tempore, virgines, quę integritatem suam Deo consecrare volebant, tanquam Christi sponsæ, solemni sacri velaminis ritu donari consueuerint, vt videre est apud sanctos Patres; & exemplum habemus in Flauia Domitilla, quæ, vt est in Breuiario Romano die 12. Maij à sancto Clemente Papa sacrum virginitatis velamen accepit, quod à D. Hieronym. epist. 8 vocatur: flammeum virginale: & idipsum, ad imprecationem Pontificis sanctum virginum operit caput; flammeum enim, velum erat rubrum, sic dictum, quod flammas colore imitaretur. quo nuper nuptæ mulieres caput partemque faciei tegebant: eodem modo, virgines, quæ Christo desponsabantur, flammeum virginale accipiebant; nam eas Christi sponsas appellant Tertullianus libro de velandis virginibus capite 10. Innocent. epistola secunda, & alij: ita vt D. Hieronymus epist. 27. matrem virginis Deo consecratæ, Dei sacrum nominare non dubitet. Huius ritus velandi virgines meminit Tertull. lib. cit. & Sanctus Cyprian. de discipl. & habit. virgin. & alij multi: de quo S. Ambrosius ad virginem lapsam: *Sacro* (inquit) *velamine tecta es*, idcoque non nisi certis diebus magna celebritate fiebat, quemadmodum habetur 21. quæst. 1. cap. de votis ex Gelasio epist. ad Episcops per Lucaniam cap. 14. & 15.

Breu. Rom. die 12. Maij.

D Hieron. epist. 8.

Tertull. lib. de veland. virg cap. 10. Innoc. ep. 2. D. Hieron. epist. 27. Tertul ibid. D Cypr. de discip. & habit. virg. D. Ambr.

21. q. 1. c. de votis ex Gelas. Episc. ad Episcop. per Lucaniam, c. 14. & 15.

Addit his Dionysius Carthusianus 1. sententiarum, quæst. 2. Virginum Collegium à Deipara Hierosolymis institutum, quæ sub peculiari illius disciplina degebant. Cùm enim de sapientia, & scientia Deiparę ageret, quibus, dum adhuc inter mortales superstes erat, permultos instruxit, postea subiunxit: *Quotidie quoque tempore opportuno, edocuit felicissimum illud Collegium centum viginti Virginũ, eius obsequio, atq; regimini deputatum.* quòd licet nõnullis creditu difficile visam fuerit, mihi tamen difficultatẽ magnam ingerit; nam si lege veteri complures fœminę ad Templum excubabãt, vt legimus lib. 3. Exod. & 1. Reg. 2. virgines etiam in templo educabãtur, vt tradit D. Ambrosius lib. 1. de Virginib. vbi cùm probaret in testamento veteri aliquot virginitatem coluisse, hæc verba subijcit: *Nam etiam in templo Hierosolymis fuisse legimus virgines deputatas.* locus autem, vbi id legerat, non est alius, quàm ille, qui habetur 2. Machab. cap 3. vbi dicitur: *Virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant*

Carthus. 1. sentent. q. 2.

Exod 3. 1. Reg. 2. D Amb. lib. 1 de virg.

2. Mach. c. 3.

Lyranus. rebant *ad Oniam*; quæ verba licèt Lyranus explicet de virginibus, quę priuatis domibus custodiebantur, D. tamen Hieron. lib. 1 aduers. Iouinianũ, de purissimis Virginibus in Templo habitantib. id intelligit. Si igitur virgines congregatim in lege veteri religiosè educabãtur in templo, nihil certè prohibet, quòd lege gratiæ, quando virginitatis consilium à Christo, Matth. 19 erat iam promulgatum, plures in vnum locum virgines conueniſſe credamus sub Deiparæ magisterio. immò arbitror huius exemplo sanctam Martham, & sanctam Iphigeniam, illam in Gallia, & hanc in Ethiopia Virginum Conuentus extruxisse, vt Surius, & Metaphrastes, alijque historiographi in earum vitis referunt: quibus addo vetustissimum Ignatium martyrem, epist. ad Philip. dicentem: *Saluto congregationem virginum.* quas, quia in communi vitam ducebant, Card. Baron. tom. 1. annal. ad annum Christi 52. affirmat, illas habitasse in Collegijs, seu Congregationibus, quæ erãt, velut apud nos monasteria.

D. Hier. li. 1. aduers. Ioui.

Matth. 19.

Sur. in Metaphrast.

D. Ignat. ep. ad Philipp.

Bar. tom. 1. Annal. ad ann 51.

§. 8.

A prudentia, & sanis consilijs fœminæ laudantur.

PORRÒ, fœminas, quæ prudenti, & maturo consilio maximè enituere, fas non est silentio committere. Certè, inter dotes animi vniuersas, prudentia, cuiuscunque iudicio, valdè splendet; per illam enim homo, quid in rebus arduis, atque magni momenti negotijs, agere debeat, edocetur. Vnde Aristot. lib. 6. Ethic. cap. 6. ait: *Prudentis est benè consulere, & in agendo versatur.* cui addi potest etiam *prudentis est ab incepta actione desistere.* nam non semper prudentia in operando se prodit; verùm nonnunquam in cessando ab operatione apprimè effulget. In hac ergò video pœnè innumeras fœminas mirificè claruisse. Prudentissima fuit Arthemisia Cariæ Regina; hæc auxilio fuit Xersi, obuiam illi veniens, multis nauibus instructa, quem, ne cum desperatis hominib. bellum iniret, vrgentissimis rationibus, & monitis diu consuluit; sentẽtiam namque Arthemisiæ erat, rem protrahere, quoad vsque hostibus alimonia deficeret, de eoque, non metu fracta, verùm Xersis indemnitati, atque bonæ existimationi consulere volens, illum instantissimè monebat; qui cùm aliàs naualia certamina acriter inuasisset, nolens prudenti Reginæ consilio acquiescere, bellum indicens (vt Trogus narrat) infœliciter ab hostibus seruitute mulctatus, occubuit. Verùm, quid dicemus de singulari prudentia Ioannæ Lotharingiæ adolescentulæ, quæ in bello adeò dexterè se gessit, ac prudenter operata est, vt in Regis Caroli ditionem quamplurima loca faciliter redegerit, cuius suasione (Tarcagnota referente) vt coronam realem nanciscereturr, Rhæmos se contulit. Semyramis adeò sapiens, & prudens habebatur, vt Ninus probe suas qualitates agnoscens, nullum negotium ea inconsulta perageret. & Cyrus Asaspiæ prudentiam, ob præclara ipsius gesta perspectam habens, idem præstabat, dumque consilijs eius vtebatur, omnia sibi prosperè, & fœliciter eueniebant. Iulius Cæsar narrat, Gallos nihil vnquam penitus absque mulierum interuentu decernere consueuisse, & adhuc hic mos apud illos viget; eorum fœminarum ingenij perspicacitatem, atque prudentiam magni facientes. Augustus coniugem suam consulere solitus erat, à qua sana, & matura consilia decerpebat, quibus in Regni rebus grauissimis continuò obsecundans, innatam quandam seueritatem deposuit, omnibusque mansuetus, & clemens redditus est. Portia, nonne fuit prudentissima. Cornelia Gracchorum mater, an non prudentiæ, sapientiæ, & eloquentiæ laude præclara extitit? Iustinianus Imperator assiduus erat in consulẽdo fidelem coniugem de rebus

Aristot. 6. Eth. c. 6.

Trogus.

Tarcagnota.

Iul. Cæsar.

rebus Imperij difficillimis, cuius consilijs annuens, illæ exitum fœliciſſimum ſortiebantur. Vnde Aurelius Victor in vita Iuliani Imperatoris ait: *Fœminarum præcepta iuuant maritos.* Quamobrem Germani huius ſententiæ memores, nunquam (vt refert Cornelius Tacitus) niſi prius eorum fœminas conſuluiſſent, arma capiebant, quippe qui virtutum integritatem, qua illæ pollebāt, haudquaquam ignorabant: quo palam fit, mulierem, decus, & gloriam maſculini ſexus exiſtere.

Aurel. Vict. in vita Iuliani.
Tacitus.

Verùm ſub ſilentio prætereunda nō eſt Pompeiana Plotina, quæ prudentia ſua Traiani gloria multis acceſſionibus promota fuit: Lacedæmonij alioquin ſapientes, (vt inquit Paul. Diac. lib. 13) conſilia à ſuis coniugibus extorquebāt, nihilque ipſis inſcijs operabantur. & Athenienſes, fœminarum prudētiam meritò ſuſpicientes, decernebant, vt de negotijs, ac opinionibus vniuerſis à Senatu receptis, ipſæ, ac ſi Senatoria dignitate fulgerent, ſuas ferrent ſententias: Vnde Ariſt. lib. 2 pol. c. 7. de illis loquens, ait: *Multa in Lacedæmoniorum principatu à mulieribus adminiſtrabantur.* Socrates, quāuis celebris eſſet Philoſophus, à Diotima muliere ſapientia, ac prudentia inſigni, ſe multa didiciſſe fatetur. Plutarchus, auctor illuſtris libro nobilium fœminarum tradit, veteres Gallos Annibali amicitiæ fœdere iam copulatos, decretum edidiſſe, quo præcipiebatur, vt nullus (præter Gallicas mulieres) inter Carthaginienſes dijudicare auderet, ſi quando illorum quempiam ab alio iniuria, vel iniuſtitia affici cōtigiſſet. Placida adeò dexterè ſuo ſano conſilio operata eſt, vt cauſa extiterit, ne Ataulphus Gothorum Rex barbaro furore percitus, ac minis elatis, iamiam deſtructionem demoliens, Vrbem Romam deuaſtaret, quin potius eam reſtauraret; quòd ſuæ prudentiæ tributum eſt. Catharina Regis Frācorum mater in conſulendo prudentiſſima euaſit. Arioſtus Gineuram Malateſtam valdè laudat à prudentia. Prudentiæ eximium ſpecimē dedit quędam mulier, quæ ciuitatem Bruſellicam regebat; illorum namque animos, qui magnum militum agmen inſtruentes, à patria deſciuerant, prudentiſſimè ſedauit, quibus poſtmodum reali quadam benignitate condonauit. Eximiam Periaconconaci prudentiam minimè prætermittam, quę ſui Iſmaelis obitu occultato, ſeptem è præcipuis Regni Conſiliarijs ad ſe iuſſit adduci, quos animo, ac prudentia perraros, vt diſſenſiones, & odia inter ipſos orta ad Imperij Perſici conſeruationem, quantocyus deponerent, diu hortata eſt, illud innuens, quòd ſi vnquam antea ſuorum Soldanorum vnionem, & concordiam peroptaſſet, tunc præſertim illius indigere apertiſſimè demonſtrauit: ſignificata Iſmaelis morte, ac Cudabendis abſentia, cui iure hæreditario Regni poſſeſſio debebatur. Quare Regis morte diuulgata, & ipſis inimicitias protrahentibus, Regni iactura imminens dubitabatur: vnde ipſi Soldani, diſſenſionum cauſa, Turcis, ac Tartaris infeſtiſſimis hoſtibus adhærere cogerentur: quamobrem prudentia tantæ fœminæ factum eſt, vt illi inimicitias deponerent, & Regni diſcordias (vt ſcribit Mambrinus Roſſeus) ſimul cum ipſa facili negotio ſedarent. At Semiramis non eſt reticenda, quę à ſuo marito Menone vocata, vix ad agrum perueniens, prudentiſſima cùm eſſet, quo pacto inimicorum arx debellari poſſet, illico indicauit, quæ conſilio huius ſolo æquata eſt. Vnde (vt Tarcagnota narrat) Ninus Aſſyriorum Rex ingenium eius magnoperè ſuſpexit. Tanaquil prudentia ſua effecit, vt Seruius Tullius, poſt Tarquinij mortem, in Regem eligeretur. Quotidie præterea prudentia detegitur, non dicam cuiuſdam Reginæ, aut Dominæ, ſed cuiuslibet modicæ mulierculæ, in domorum, & ſobolum ipſarum diligenti regimine, res familiares, ac facultates, à maribus acquiſitas, ſedulò

Paul. Diac. lib. 13.
Plut. li. nob. fœminarum.
Mambrinus Roſſeus.
Tarcagnota.

conseruare, eas iuxta rerum temperiem, ac ingruentem indigẽtiam summa prudentia distribuendo. Heu vos homines infœlices, & præcipuè Galliam, ac Germaniam incolentes, ni fœminæ facultates seruarent, breuissimo temporis interuallo pauperes, & mendici euaderetis; sed cum de earum prudentia securi sitis, domorum vestrarum curam, & sollicitudinem illis demandare, valdè consentaneum ducitis: quid plura? Galli, nec teruntium (vt ita dicam) coniugibus inconsultis, audent contrectare. Cõsuetudinem illarum regionum narrare consulto prætereo, ne in longum abeat discursus, nempe mulieres negotijs, atq; mercium tractatibus tanta diligẽtia incumbere, vt Italiæ totius peritiori mercatori minimè deferant: indicium sanè perspicacissimi ingenij.

§. 9.

A misericordia, & pietate commendantur fœminæ.

NEgare nõ potest, nisi proteruus, fœminas ad pietatem, & misericordiam viris proniores, & procliuiores esse: quòd vel illud vnum luculenter satis probat; cum volens Deus misericordiam, & pietatem suam commendare, non virorum, sed fœminarum pietati illam comparat: *Nunquid potest mulier obliuisci infantem suum, vt non misereatur? & si illa oblita fuerit, ego non obliuiscar.* Isa. c. 49. lib. Exod. cap. 1. legimus, ex virorum consensu decretum fuisse à Rege, omnes infantes Hebræorum occidi, at fœminę solùm innata sua pietate commotę à necę eos præseruarunt: *Nec fecerunt iuxta præceptum Regis, sed seruauerunt mares.* Exod. c. 1. Exod. c. 2. Quis etiam in dubiũ reuocabit, viros aliquos per ripam maris pertransisse, cum in illud proiectus Moyses in fiscella iacebat, nemo tamen illorum ab aquis eum extrahere tentauit? sola filia Pharaonis id præstitit, quę cum vidisset paruulum vagientem, misertа est eius. Exploratores, quos misit Iosue in Hierusalem, nemini virorum omnium, qui in ea Vrbe commorabantur, se crediderunt, solius fœminæ Rahab nomine fidelitati, & patrocinio se commiserunt: *Ingressi sunt domum Rahab.* Iosue c. 2. 3. Reg. 17. In Sarepta Sydonis, penè innumeri habitabant viri, multis diuitijs affluentes, & tamẽ cùm Elias in eam Vrbem à Deo missus fuit, ad nullum illorum, sed ad solam piam quandam viduã ex Dei mandato diuertit: *Ibi præcepi mulieri viduæ, vt pascat te.* Illa autem ita misericordem pariter, & liberalem erga Eliam se præbuit, vt, quamuis inopia esset ciborum, prius tamen prophetam, quàm se, & domesticos suos cibaret iuxta præceptum illius: *Fac mihi prius, deinde tibi, & filio tuo*, idque sibi volunt verba illa: *Quæ abijt, & fecit iuxta verbum Eliæ, & comedit ipsa, & domus eius.* Certè, cùm Deus voluit, vt Abacuc abiret in Babylonem, vt ferret Danieli in lacu Leonum iacenti cibum, quem messoribus suis parauerat, ille continuò resiliuit, dicẽs: *Domine, Babylonem non noui, & locum nescio.* & quamuis repugnaret, tandem abijt, sed capillis ab Angelo pertractus, portauit eum capillo capitis sui, quòd Hispanè dicitur: (truxole per los cabellos, como forzado.) at mulier illa Sareptana sponte ministrauit Eliæ, ac summa promptitudine cibum ei parauit, iuxta placitum illius. Daniel 13. Canticorum 5. legimus, quòd cum quadam antè egrederetur sponsa quærere sponsum suum, licèt alioquin plures offenderet viros per vias ciuitatis transeuntes, solùm fœminæ sibi compatiẽtes, dixerũt ei: *Qualis est dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?* viri autem non solùm pacificè ei locuti nõ sunt, sed vulnera inflixerunt, & proprio pallio eã expoliauerunt, quid plura? cùm Christus Dominus ex Cruce pendebat, omnes discipuli, vno excepto Ioanne, fugerunt, triplex tamen Maria ei adstitit: & de alijs fœminis, non de viris dicitur, quod plãgebant, & lamentabantur cum. Quòd si Cantic. 5. Ioan. 19.

vir no-

Luc. 23. vir nomine Simon, in consortio Christi Crucem portabat, id non gratis, sed pretio conductus præstitit, vt ait D Matth. Matth. c. 27. *Hunc angariauerunt, vt tolleret Crucem eius.* Tandem (vt paucis multa dicam) cum Ioannes dicat de Filio Dei: Ioann. 1. *In propria venit, & sui eum non receperunt, B Virgo excepit illum in domum suam.* Quare si scisciteris, quis Deum in mundum venientem, hospitio benignè susceperit? dicam; quædam mulier: & si quæras, quis incircumscriptum exigui vētris hospitiolo circumscripsit? dicam; quædam mulier: si interroges: quis iratum Deum aduersus genus humanum, pacatum reddidit? dicā; mulier quædam. Et si petas, quis materno affectu peccatorib. subuenit, & in necessitatibus tum animæ tum corporis constitutis opitulatur? dicā; mulier quædam: ac tandem si à me postules, quis nos peccatores cum Christo reconciliat? dicam: mulier quædā, quę simul est mater, & virgo: mater inquā Dei, & hominum: per eius intercessionem iustificamur, & in adoptionem Filiorū Dei suscipimur.

§. vlt.

A literarum peritia, eloquentia, & eruditione fœminæ commendantur.

AD extremum illud satis mirabile fœminarum præconium in medium proferā, quòd illarum præexcellens eruditio, insignis eloquentia, & multiplicis literaturæ studium valdè sit commendabile. Nonnulli parum in historiarum lectione versati, falsò autumarunt, non extitisse, nec nunc existere fœminas scientijs, & artibus conspicuas; id enim ipsis impossibilitatem quādam redolere videtur; vnde commentantur, Iouem maribus tātùm ingenium, ac intellectum tribuisse, eoque mulieres, licèt eiusdem naturæ, & speciei priuasse. Verùm si illæ eadem anima rationali, qua homo, constant, & persæpè etiam nobiliori; non video, quare easdem artes, & scientias, ad quas homines incumbunt, ipsæ perfectius addiscere non possint? quòd, vt clarius pateat, ad exempla me conferam, inter quæ primam recensebo Amphiclæam, quam Porphyrius in vita Plotini valdè celebrat, asserens, ipsam Plotino magistro, miros in Philosophia progressus fecisse. Scribit quoque Dicearchus, duas ditissimas mulieres diuitias reliquisse, quo melius Platonis doctrinam sequerentur Nicaula AEgypti Regina, doctissima erat, nihilominus tamen, vt certa redderetur de nonnullis rebus difficillimis, & obscuris, Regem Salomonem consultò adijt, adeò desiderium percipiendi secreta, ipsius animum occupauerat. Baptista dignissima Ducis Vrbini coniux valdè excellens euasit in orationibus, & epistolis scribendis, Romam se contulit, vbi non sine vniuscuiusque admiratione, & stupore orationem habuit coram summo Pontifice Pio Secūdo. Hæc iudicio quo pollebat, magno, multis annis summa laude statum illum rexit, & gubernauit. Verùm, quid dicemus de Aspasia, quæ adeò in philosophiæ studijs profecit, vt digna ab omnibus meritò censeretur, quæ magnum Periclem instrueret, & doceret, qui quidē dum loquebatur, fulgura, atque tonitrua emittebat. Quid de Assyotea adijciemus, quæ ab Apuleio, & Plutarcho in libro dogmatum Platonis miris encomijs effertur? hæc præceptorem habuit ipsum Platonem, & magnopere profecit in studijs philosophicis: quare dignè recensetur inter mulieres illustres, & magnificas. At vbi missam facimus Cleubolinam? quæ fuit filia vnius ex septem Græciæ sapientibus, & à Suida, ab Athnæo, & nonnullis alijs magni nominis auctoribus summopere laudatur ab operibus insignibus, quæ scripta reliquit? Vbi Bersanem Alexandri Macedonis vxorē, quæ hymnos pulcherrimos in Neptuni laudem composuit? vbi Corneliam Africani cōiugem, & Gracchorum matrem, quæ epistolas singulari doctrina refertas edidit? Vnde

Porphyr. in vita Plotin.

Dicearchus.

Apuleius. Plutarch. in lib. dogmatū Platonis.

Suidas. Athnæus.

Quintilian. Quintilianus, inquit: *Nam Gracchorum eloquētiæ, multum contuliſſe accepimus Corneliam matrem, cuius doctiſsimus ſermo in poſteros quoque eſt epiſtolis traditus.* Leontia adoleſcētula è Græcia originem ducens in philoſophicis diſciplinis valdè claruit; nec fuit verita contra Theophraſtum eximium philoſophum literis inuehere, quæ res magnam ſibi laudem apud omnes conciliauit. Doctiſſima fuit Daphne filia Tireſcial, quæ libros complures carmine exarauit, quibus (vt affirmat Diodorus Siculus) Homerus in perdocto ſuo poemate vſus eſt. Damones Pythagoræ filia adeò in arte philoſophica profecit, vt à proprio parente nonnulla commentaria ſibi fuerint dicata, & poſt parentis mortem lectoris in ſchola munus palam exercuit. Doctiſſima in arte poetica Demophila cuaſit. ſcripſit nonnulla poemata amatoria, & nonnulla alia in laudem caſtæ Dianæ. Nec ſilentij tegmine obuolui patiar Femonoem; quæ adeò fuit illuſtris, & clara literis, vt Euſebium Cæſariēſem, Lucanum, Statium, Plinium, Strabonem, & alios ipſius meminiſſe meruerit; præterquam quòd Antiſtenes ait, ab ipſa prouerbium illud (velut eius authrice) emanaſſe: *Noſce te ipſum.* Zenobia Palmirenorum Regina (vt ſcribit Pollius Trebollius) linguas omnes, quamuis arduas, & difficiles ſuo ſubtiliſſimo ingenio poſſedit, & rerum Alexandrinarum hiſtorias compendiosè narrauit. Hildega Germana mulier nonne quatuor libros rerum naturalium perdoctè compoſuit? Helena Flauia Auguſta Cœlij Britannorum Regis filia, an non ſcripſit librum de diuina prouidentia; nec non alium de animæ immortalitate, & alios multos, quos breuitati conſulens, prætermitto? Nec ſub ſilentio prætereundam reor Aganicem, quam Plutarchus in libro matrimonialium præceptorum valdè celebrat, quòd ſcientiæ Aſtronomicæ limpidam habuerit cognitionem Sed quorſum Delbora, cuius peritia in ſacris paginis tanta fuit? quorſum Catharina vxor Henrici Octaui Angliæ Regis, quæ opus meditationum ſuper Pſalmos piè æquè ac doctè edidit? Anita dignè quidem memoranda venit, quæ (vt tradit Tutian. in lib. cont. gent.) præclariſſima poemata ſcripta reliquit. Aretaphilæ mentionem facere non pigebit, quàm ob ſuam eloquentiam Nicoſtratus tyrannus matrimonio ſibi copulauit: nec non Erinæ Teiæ, cuius carmina dulcedine, & maieſtate tanta illita eſſe noſcebantur, vt tredecim annos nata (ſi Plinio, Stobæo, & Euſebio credimus) magnum Homerū æquare videretur. Theana excellentiſſima in verſibus Lyricis fuit iudicata. Altera Theana Metapontina, ſeu Creſea extitit, quæ præter inſignia poemata, quæ compoſuit, Commētarium de vi, & vtilitate ſcientiæ, philoſophicæ eleganter edidit. Hipatia Alexādrina Iſidori philoſophi vxor, Aſtronomiæ nonnulla Commentaria compoſuit. Heptachia magni Geometræ Theonis filia adeò in philoſophia claruit, vt Plotino ſucceſſerit, & in gymnaſio, & cathedra eiſdem publicè legerit, & (vt ſcribit Suida) Aſtronomicam ſcientiam percalluit, ac multas alias ſcientias palam profeſſa eſt, fuisque lectionibus magna ſemper diſcipulorum copia libēter intererat Iambes nonne fuit authrix verſus, qui vocatur, Iambic⁹? Diotima philoſophicarum diſciplinarum notitia adeò pollebat, vt Socrates magiſtram eam nuncupare non dubitauerit, imo (vt ait Plat. in Simpl.) lectiones ſuas doctas continuò auſcultabat. Laura Veronenſis Nicolai filia mirabilia ſcripta, ac geſta reliquit, verſus Saphicos compoſuit, epiſtolas, & orationes Græco, atque Latino idiomate ſcripſit. Sapho Lesbia, facultatis poeticæ gloria, quare reticetur? quæ Alcæi, & Steſichoris poetarum tempeſtate floruit: hæc vndecim libros metro Lyrico compoſuit, præter alia epigrammata, elegias, & iambos, auctrixq; fuit verſus Saphici, qui ab ipſa nomen

Diodorus Siculus.
Euſeb. Cæſarienſ.
Lucanus.
Statius.
Plinius.
Strabo.
Antiſtenes.
Pollius Trebollius.
Plutar. lib. matrimonialium præceptorum.
Tutian. lib. cont. gent.
Plinius.
Stobæus.
Euſebius.
Suidas.
Plat in Simplic.

nomen mutuauit, adeoque dulciter, & sapienter cecinit, vt (sicut illa gens delirabatur) cœlos in admirationem adduceret. Vnde ipsi meritò quadrare videntur Fabij Paulini Lectoris publici in Venetorum dominio subiecta meditationum carmina, quæ de Christi cruciatibus inscribuntur:

Fabius Paulinus.

Copia Nestorei cui cedat gloria mellis.
Cedat, & ipse Pater Linus, concedat & Orpheus.
Et qui Thebanas cantando condidit arces.
Parua loquor: cœli hunc, & sydera sæpè loquentem
Obstupuere, suum mira dulcedine captus
Sol tenuit cursum, tenuerunt flumina vēti.
Nec vaga præcipites agitarunt flumina cursus.
Sæpius immotis volucris super aere pennis
Substitit.

Verùm quid dicemus in laudem Triuultiæ pediſſequæ ingenij, & memoriæ dotibus ornatiſſimæ, quæ (ceu naturæ prodigium) ab omnibus ſuſpiciebatur. Hæc orationes Latino idiomate à ſe ſcriptas coram ſummis Pontificib. multoties recitauit: Græcis literis erat imbuta, cumque orationi ab aliquo recitatę adeſſet, quamuis ſemel, totam de verbo ad verbum percipiebat; & ſemel, aut iterum librum aliquem prouoluens, totum memoriæ fœliciter mādabat. Margarita Regis Galliæ ſoror, vxor Regis Nauarræ in ſacris literis verſatiſſima fuit. Martha Proba Britannorum Regina in omnibus artibus liberalibus peritiſſima euaſit. Pynthe ſcripſit librum de temperantia fœminarum. Polla Argentaria Lucani vxor omnes profeſſionis ætatis ſuæ ſuperabat in componēdis carminibus; & cœptos à marito verſus elegan-

Aristoxenes.

ter abſoluit. Thæmiſtoclea (vt Ariſtoxenes ſcribit) fratrem ſuum Pythagoram res multas ingenioſiſſimas docuit. Theſelides Argiua mulier poetica facultate valdè clara extitit. Caſſandra Fidelis doctiſſima erat, publicam Patauij diſceptationem habuit, perdoctumq; librum de ſcientiarum ordine edidit, atque pulcherrimos verſus Lyricos compoſuit. Soſipatra fuit diuinatrix, multiſque ſcientijs prædita vnde homines ſibi perſuadebant, ipſam ab aliquo Deorum doctrina fuiſſe donatam. Praſilla in epigrammatibus componendis multis præcelluit, vt varij ſcriptores, mentionem ipſius honeſtam facientes, luculenter teſtātur. Praxilla Scitionis poetiſſa fuit, quæ in ſuis carminibus Adonidem introducit de eo, quòd in mundo pulchrū, & dignum reliquiſſet, interrogatum: qui reſpondit, ſe reliquiſſe ſolem, cucumeros, & poma. Solaris aſtri meminit, non quia pulchrum ſibi videbatur, ſed quia feruido ſuo calore poma, & cucumeros maturabat. Corinna Thebana in arte poetica Pyndarum Lyricorum carminū principem ſuperauit. extitit & alia Corinna, quæ Ouidij tempore magna poetiſſa fuit habita. Cornificiæ non meminiſſe minimè patiar, quæ epigrammata ſumma eruditione referta, aliaque pulcherrima opera edidit. neque Laſtreniam Mantineam reticebo; nec Ariotheam Fliſiam, quæ hominis veſtibus indutæ (vt Plutarchus ſcribit) Platonem ſequebantur, cuius lectiones nunquam prætermittebant. Thargelia, (vt in vita Periclis idemmet auctor meminit) doctrina philoſophica ſummopere ſplenduit.

Plutarchus.

Idē in vita Periclis.

His adnectere viſum eſt Iſottam Nouarolam Veronenſem, quę ſcientijs philoſophicis ornata erat, philoſophicamque vitam agens, paucis contentabatur. Nicolao, ac Pio ſummis Pontificibus literas miſit, perpetuamque virginitatem ſeruauit. Caſſandra Priami filia, doctrina illuſtris, vaticinio valdè clara extitit. Nec ſilentio prætereunda eſt Claudia Statij Papinij vxor, quæ ob ſcientias, quibus abundabat, ſuæ ætati admirationi fuit: neque Iſtrina Scythiæ Regina, quæ, vt erat Græcæ linguæ peritiſſima, (vt ſcribit Herodotus) Silem filium ſuū inſtruxit, neque Myrthe Autedonia, quę

Herodotus.

Pyndari poetæ celeberrimi magistra fuit. sed neque Rossuita Saxoniæ monacha, quæ complures libros mensa, & soluta oratione scriptos reliquit. Hydria fœmina erat ingenij adeò perspicacis, vt Hercules illi repugnare, nec suis doctis, acceleratisq; responsionibus haud quaquam contradicere vnquam auderet.

Plato in dialogus. Vnde diuinus Plato in quodam suo dialogo illam altè concelebrat. Constantia Alexandri Sfortiæ coniux inter claras fœminas meritò recensetur, hæc, cùm adhuc puerula esset, bonis studijs operam sedulo nauauit, nempè philosophiæ & arti poeticæ. vnde celebris, atque insignis

Politianus. à Politiano prædicata est. Minerua Iouis filia nullo alio nomine in Deorum Catalogum à Poetis adscribitur, nisi ob probas artes, quarum ipsa fuit inuentrix. quare doctrina sua, appellata fuit sapientiæ, scientiæ, prudentiæ, studij, maturitatis, iudicij, legis, omniumque virtutum veneranda Dea; atque idcircò Athenarum vrbs, studiorum mater ab ipsa nomen accepit: Athene namque Mineruam significat. Nouem musæ nil aliud sunt, quàm (vt ait Dyodorus

Dyodorus Siculus. Siculus) adolescentulæ nouem, omni bonarum disciplinarum genere, & præsertim canendi arte ornatissimæ. Clio satyrarum inuentrix fuit. Euterpe tybias adinuenit. Thalia Comœdiarum Dea dicitur. Melpomene tragœdias vsurpauit. Polymnia gestis bellicis præest, Rhetoricæq; auctrix fuit. Erato Geometriæ fuit inuentrix. Terpsicore Dea est poematum. Calliopes epistolarum adinuentrix.

Clemens Alexandrin. Clemens Alexandrinus scribit Arthemisiam quandam fuisse adeò in dialectica scientia versatam, vt Dialectica nominaretur; & Amalasuenta Regina

Didymus Alexandrin. Græcis literis satis erudita fuit. Clemẽs, atque Didymus ambo Alexandrini, Anasstandram, quòd pingendi artem optimè calleret, laudibus extollunt. Denique alias multas memorare possem, nempe Lauram Terracinam poetica facultate clarissimam, nec non Gineuram Veronensem, quæ in scribendis epistolis æqualem neminem habuit: ac demum Manetem Tiresiæ filiam, aliasque complures, quas ne longius, quàm par est, sermo protrahatur, consultò reticere consentaneum duco, Lucretiam tantùm Marinellam Venetam apponens, quæ librum scripsit de nobilitate, & excellentia fœminarum valdè conspicuum, quem, dum hæc Romæ scriberemus, libenti ac iucundo animo perlegimus.

Accedit his Brigitta sancta, quæ nobilem librum suarum reuelationum nobis scriptum reliquit, sancta Catharina Senensis, cuius epistolæ, ac dialogi acumen ingenij, quo pollebat, aperte insinuant. hæc præterea coram Gregorio Vndecimo, atque Vrbano Sexto summis Pontificibus facundè vltra, quàm dici possit, orauit. Diuus Hieronymus *D. Hieron epistolis.* in suis epistolis, Eustochium, & Fabiolam valdè laudat à limpida cognitione, quam sacrarum literarum ipsæ habebant. Anastagia sancti Ioannis Chrysostomi discipula multas literas admiratione dignas scripsit. Hilda Herenida pias multas meditationes scriptas reliquit, librumque contra Agylbertum Parisiensem Saxonum Antistitem præsio mandauit. Hyldergardes virgo vrbis Moguntiæ multos libros in lucem edidit; quare Diuus Bernardus, tunc superstes multas epistolas ad ipsam misit. Catharina Costi Alexandriæ Regis filia disputationem cum philosophis disertissimis iniuit, qui illam idololatriæ adhærere impellebant; illos tamen neruosissimis rationibus Christianæ fidei capaces reddens, ad sua vota facilè traxit. quòd quidem, Dei patrocinio innixa præstitit, quia philosophicis disciplinis, quibus (vt tradit Marcus Philippus cognomento Funestus, in vita ipsius) à teneris (vt Græci aiunt) vnguiculis diligenter incubuit, valde instructa erat.

Marcus Philipp. cognomẽto Funestus in vita S. Cathar.

Ioan-

Ioannam Germanam præterire nullo modo possum, quæ in sacrarum literarum peritia adeò profecerat, vt Romę nullus esset, qui eam æquare valeret. Sibyllæ fœminæ fuerunt omnes doctissimæ, atque spiritu prophetico ditatæ; Sibyllinos libros, magno in pretio, ac reuerentia habitos, perdoctè scripserunt. Prima istarum ideò dicitur Persica, quia in Perside nata fuit, de hac Nicanores ille, qui Alexandri Magni historias contexuit, mentionem facit. Secunda Lybię orta, dicta est Lybica. hæc ab Euripide multum celebratur. Tertia à Delpho originem trahens, Delphica nuncupatur. Quarta Cumæ in Italia nata, Cumana dicitur. Quinta Eritræa fuit, quæ Troiæ incendium multo antè prædixerat, & Apollodorus, quòd Erytres in sua patria nata fuerit apprimè se iactat. Sexta à Samo descendens, Samia est appellata. nōnulli que contendunt, hanc Romuli temporibus vixisse. Septima Amalthea dicitur. Octaua Hellespontica, quæ sub Traiani regimine Cyri temporibus nata est, huius Heraclitus Ponticus meminit. Nona fuit Phrygia. Decima, Tiburtina nuncupata, Tiburis nata est: quæ fœminæ (vt Lactantius affirmat) multa digna prophetarunt.

Nicanores.

Euripides.

Appollodorus.

Heracl. Ponticus.

Lactant.

HOMILIA III.

Euangelicæ illius mulieris in laudem Christi, & Beatæ Virginis, dicentis: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti: præconia multa apponuntur, quibus mira eius religio, fortitudo, & sanctitas cum singulari prudentia coniuncta, innotescit, in illa verba: Quædam mulier de turba dixit: Beatus venter, qui te portauit.

HAEretici antiqui serpentis legitimi partus, inter quem, & Deiparam, & semen illius, & semen Virginis, olim Deus vaticinatus est futura intestina odia: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius.* Genes. 3. impatienter ferentes, Euangelicam hanc mulierem, quam Marcellam fuisse Beatæ Marthæ pedissequā; non pauci Doctores cum nostro Lyrano in caput 10. Lucæ asserere, in ea verba laudis tam matris, quàm prolis prorupisse: *Beatus venter, qui te portauit*: multis conuitijs illam prosequuntur; quanto tamen acrius in illam ij hæretici inuehuntur, tantò nos impensius ab eorum calumnijs illam vindicare, diuino numine auspice, curabimus. Et quidem, omissis opprobrijs, quæ falsi illi, ac importuni criminatores Brentius homilia 101. in Lucam, Sarcerius in caput 11. Lucæ, Lutherus in postilla maiori circa Dominicam tertiam Quadragesimæ, certè Lambertus in commentario huius loci mitius, quàm reliqui se gerens, impudenter dixit, mulierem hanc, non spiritu Dei motam, sed carnis affectu agitatam, verba illa enunciasse: *Affectu* (inquit) *carnis hæc protulisse videtur, quemadmodum & moris est fœminarum, eas fœlices prædicare, quæ filios cæteris honoratiores genuerunt.* Vnde & Caluinus in harmonia sua Euangelica miratur, quòd verbis istis huius fœminæ: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti*: in laudem Christi, & matris vtamur, cum ipse ea refellerit: verba eius sunt hæc: *Mirum papatus stupor, quòd in Mariæ honorem cantillent hæc verba, quibus tam diserte refellitur eorum superstitio: in agendis vero gratijs, mulierculæ vocem decerpunt, omissa correctione*: vocat correctionem verba illa Christi Domini: *Beati, qui audiunt verbum Dei*; quibus perperam autumant, voluisse Christum Dominum insipientem illius mulieris loquelam taxare, & corrigere; sed frustra sanè perfidi hi omnes splendorem huius mulieris obscurare satagunt; quæ verbis suis (audeo dicere) non solùm Christum, & Virginem illustrauit,

Genes. 3.

Lyran. in c. 10. Lucæ.

Brent. hom. 101 in Luc.

Sarcer. in c. 11. Lucæ.

Lutherus in postil. maio. circa Domi. 3 Quadrag.

Lambert in Commen. ad hunc locum.

Caluinus in harmon. Euangelica.

sed totam Ecclesiam illuminauit. Bone Deus, quot caliginosas hæresum tenebras fulgentissima horum verborum face depulit? Quidam temerè effutierunt, verbum diuinum veram carnem non assumpsisse, sed apparentem; alij veram carnem, sed non ex matre desumptam; alij cœleste corpus habuisse; alij, ingenuè fatentes humanam carnem assumpsisse, negabant, id factum fuisse, integra matris virginitate permanente: alij cantus in laudem Dei damnabāt: alij Christi sanctitatem calumniati sunt: hos omnes errores sapienter paucis illis verbis: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti*; mulier hæc confortauit. Et, vt ab hoc vltimo exordiar, sapienter, & luculenter quidem mulier hæc conceptionem Christi, ac natiuitatem commendat; nam si beatus est venter, qui Christum portauit, consequens est, ventrem illum non portasse peccatorem; quomodo enim beatus esset venter, qui filium in peccato concepisset? sanctus igitur fuit Christus à sua conceptione. Præterea, si beata vbera, quæ lactauerūt Christum, eadem de causa non lactauerunt infantem peccatorem, sed sanctum. Sancta ergo fuit eius natiuitas. Obserua etiam, quòd, vt Christi sanctitatem manifestaret; omninò oppositā, & contraria calumniatoribus protulit verba: quem enim illi dæmoniacum, blasphemantes, dicebant, hæc non solùm cum dæmonia eijciebat, sed ab ipsa cōceptione, & natiuitate Sanctum proclamat, adeò vt sua sanctitate matrem suam efficeret beatam, q iæ talem, ac tantùm filium pepererat. Deinde Beatam Virginem Christum concepisse absque viri opera, atque adeò salua virginitate non obscurè mihi indicasse videtur, dum nō commendauit virum, sed matrem eius. hac enim ratione significabat non habuisse patrem, sed matrem solam. Tertullian. in lib. de carne Christi, & libro 4. contra Marchionem, ex verbis huius mulieris, probat Christum verum habuisse corpus, quòd Marchion iste negabat: quandoquidem venter illum concepit, & portauit, & vbera eundem lactauerunt. Beda etiam ex ijsdem verbis, lib. 4 sup. Lucæ cap. 49. probat contra Hæreticos Apollinaristas, qui Christum per Mariā, tanquam per canalem transijsse dicebāt, carnemq ie non ex illa, sed ex Cœlo traxisse; B. Virginem verè Christi matrem esse. verba eius sunt hæc: *Magnæ deuotionis, & fidei hæc mulier ostenditur, quæ Scribis & Phariseis Dominum tentantibus, si mul & blasphemantibus, tanta eius Incarnationem præ omnibus synceritate cognoscit, tanta fiducia confitetur, vt, & præsentium procerum calumniam, & futurorum confundat hæreticorum perfidiam; nam sicut tunc Iudæi, sancti Spiritus opera blasphemando, verum, consubstantialemque Patri, Dei Filium negabant, sic Hæretici posteà negando Mariam semper Virginem, sancti Spiritus obumbrante virtute, nascituro ex humanis membris vnigenito Dei, carnis materiam ministrasse, verum, consubstantialemque matri filium hominis fateri nō debere dixerunt: sed si caro Verbi Dei, secundùm carnem nascentis à carne Virginis matris pronunciatur extranea, sine causa, Venter, qui eam portasset, & vbera, quæ lactassent, beatificarentur*, nec tantùm Eluidianos, Valentinianos, Apollinares, & cæteros confundit hæc mulier, qui Christum è Virgine carnem nō assumpsisse, sed illatam è Cœlo, per eam transegisse dicebant; sed & eos subuertit, qui laudibus eius, & beatitudini obtrectant. An non sic accedit ad Canticum Beatæ Virginis, dicentis: *Beatam me dicent omnes generationes:* cùm beatum illum ventrem prædicat? ecce ergò fidei synceritatem, & religionem huius euangelicę mulieris, dum simul tot hæreses extirpat, & diuinas laudes filio, & matri audacter, & intrepidè decantat.

Tertull. lib. de car. Christi. Idē li. 4. cont. March.

Beda li. 4. in Luc. c. 49.

O Beata Mulier, quæ laudare cœpisti Mariam, implens, quòd ipsa futurum prædixerat: *Ecce enim, ex hoc beatam me dicent omnes generationes:* id est, ex hoc tempore, quo vtero meo Filium Dei cōcepi.

Lauda-

Laudauit quidem Gabriel Mariam, sed in penetralibus. Laudauerat Elisabeth, sed in propria domo, vbi neminem timere poterat; tu verò perfecta in charitate foras misso timore, coram omnib. etiam coram inimicis, ac hostibus acerrimis, Christum, & Mariam laudas cum maximo vitæ discrimine, & quòd posteà Apostoli, & Martyres præstitere, laudantes Christum, & eius Matrem coram inimicis, tu nunc præstas, & ducem te eis præbes, atque magistram. mulier videbaris infirma, sed certè virago es, & typum geris Ecclesiæ, quæ à te edocta, publicè Christum, & Mariam confitetur: tu capita hæresum amputas, quoniã eam dicens, matrem: Christum, verum hominem ostendis; & beatam nuncupans, filium, Deum dicis. de B. Maria autem omnia dixisti, cùm, Dei matrem, eam appellasti.

At multi è contra (proh dolor) erubescunt opera propria Christiani palàm exercere, instar Nicodæmi, qui nocte quærebat Christum, non in die, cùm videri poterat: persimiles isti sunt Gedeõ, qui, Deo illi præcipiente, vt aram Baal penitus demoliretur, timore perterritus, noluit id in die, sed noctis tempore executioni mandare, sic enim ait sacer textus: *Timens domum patris sui, & homines illius Ciuitatis, per diem noluit id facere, sed nocte omnia compleuit.* & 4. Regum 5. postquam Naaman Syrus curatus fuerat ab Hæliseo, confessusque fuerat, non alium verum esse Deum, nisi Deum Israel, ne tamen Regi suo infensus esset, postulauit à Propheta facultatem, vt simul cum Rege, templum ingrediens, posset alterum genu flectere illius idolo. Christus Dominus Lucæ 9. *Qui erubuerit me, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet.* D. Anselmus super cap. 10. epist. ad Rom. docet, meminisse debere Christianos, quòd, quando Christi militiæ nomen dederunt, Crucis signum in fronte suscepere, quæ locus est, & sedes verecundiæ, vt monerentur, nullatenus verecundari debere, publicè profiteri, verbo, & opere se Christianos esse. Quæ omnia mirificè confirmant verba Seraphici nostri Doctoris S Bonauenturæ in cap. 11. Lucæ, quæ, quia pietate pariter, & eruditione plena sunt, hoc loco apponenda censui; sic enim loquitur: *Duplex notatur conditio in persona laudante, scilicet virilitas, & modicitas; virilitas notatur in hoc, quòd vocem extollebat, secundùm illud: Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Hierusalem, exalta, noli timere. Modicitas in hoc, quòd, quædam mulier, non nominata, nec nobilis, sed de turba, vt impleretur illud: Pauper, & inops laudabunt nomen tuum; ex quo apparet, quòd laudator diuini nominis, non debet esse timidus, vt laudare non audeat, nec tumidus, vt laudare erubescat, sed virilis, & humilis. Vnde, cùm quidam ex timore tacerent, quidam blasphemarent ex superbia, & tumore; hæc mulier humilis, & virilis, nec tacuit cum timidis, nec vituperauit cum blasphemis. Vnde in Glossa: Magna fiducia inter blasphemos confitetur Dei filium. ideò poterant sibi dicere illud: O mulier, magna est fides tua, quæ scilicet tantum se fortificauit, cum dicatur: Mulierem fortem quis inueniet? in te verificatum est illud: Fundamenta æterna supra petram solidam, sic mandata Dei in corde mulieris sanctæ.* Hactenus D. Bonauentura. D Bonau. in c. 11. Lucæ. Matth. 15. Prou. 31.

Sed perge iam magnanimitatem, & fortitudinem huius percelebris mulieris manifestare. Vt hæc clarius innotescat, præsupponere oportet, quòd, cùm alioquin Christus Dominus tot portentosa miracula in cõspectu Pharisæorum patrasset, præsertim tamẽ, quòd cœcum, surdum, & mutum à dæmone obsessum sanasset, visum, auditum, & loquelam ei conferens, malignoque spiritu eum eripiens; blasphemiæ nihilominus variacula Pharisæi in eum conijciebant, dicentes: *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Lucæ 11. vt meritò Christus Dominus dicere potuisset illud Psalmi 117. *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* Christo tamen

Iudic. 6.

4. Reg. 5.

Lucæ 9.

D. Anselm. in ca 10. epist. ad Rom.

Lucæ 11.

Psal. 117.

eorum cauillum euidenti illo argumento retundente : *Si Sathanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius, quia dicitis: In Beelzebub eijcere me dæmonia?* Certè tunc, sicut olim Deus suscitauit spiritum Danielis pro Susanna contra iniquos seniores populi, suscitauit & spiritum Euangelicæ huius mulieris contra Pharisæos, ad defensionem Christi, clara voce dicentis : *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Aduertit tamen Euangelista (vt id obiter dicam) mulierem hãc hæc verba protulisse, cùm Christus à calumnia sibi imposita, se lõgè abesse ostẽdebat, *cùm hæc diceret:* quòd diuina eius prouidẽtia factum arbitror, vt ad rem illam, de qua agebat, confirmandam, confessio huius mulieris magis faceret; & quia, cùm ipse prædixisset, à Regina Saba, & à Niniuitis iudicandos esse Iudæos : *Regina Austri surget in iudicio. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam;* Opportunè verba illa laudis accedebant, vt per mulierem illam Iudæi conuincerentur: mira sanè huius mulieris fortitudo ex omni circumstantia detegitur. Primò, à tempore, tunc scilicet, cùm acriter excandescerent in Christum aduersarij. Secundò, à loco, quia publicè in conspectu Scribarum, & Pharisæorum eius laudes intonuit. Tertiò, quia mulier, quæ mollitiem præsefert (fœmineus enim sexus imbecillis, timidus, imò & ignarus est) eis, qui se legis doctores profitebantur, in faciem, viriliter restitit, ac de ignorantia, & de infidelitate eos arguit. Quartò, quia à Pharisæis recens decretum editũ fuerat, vt si quis partes Christi ageret, extra Synagogã fieret. Quintò, quia mulier erat humilis, nulla generis nobilitate conspicua, quæ audaciam, & auctoritatem præstare solet ad liberè loquendum. Vnde Sanctus Euangelista notanter dixit: mulier quædam, vt non vulgò notissimam, nobilem, & potentem eam fuisse putaremus; quare, & addidit, *de turba*, vt amplius inculcaret illius humilem conditionem : sic enim & diuinæ virtutis potentiam commendabiliorem reddidit, dum fragili, ac debili instrumento, aduersariorum petulantiam compescuit: vt enim dixit Apostolus : *Infirma mundi elegit Deus, vt fortia quæque confundat* Magnas quidem victorias Sampson, simul & trophæa reportauit de Philistæis, sed videas, quòd vires illas ingentes in capillis habebat, quæ pars erat imbecillis in corpore, non in brachijs : nam infima mundi elegit Deus, vt magis in suis operibus extollatur, & laudetur; & ideò etiam voluit superbum, & ferocem Holophernem, per brachium imbecillis mulieris interfici, propter quod cum ipsa Iudith intelligeret, Dei viribus id effectum fuisse, ob insignem victoriam canere incepit Deo, & dixit : *Non excelsi gigantes impositurus est se illi, sed Iudith filia Merabi dissoluit eum.* Etiam potuisset Deus populum suum Israeliticum liberare à tyrannide Aman multis vijs, atque modis, sed noluit, nisi vt, Hester intercedente, saluus esset; nec minus voluit tribuere victoriam Sisare duci Barach, nisi mulieri cuidam, nomine Iahel, quæ vxor erat Aber Cineii: in hoc voluit Deus ostẽdere suam mirabilem potentiam. Non dissimiliter nunc ex media hominum multitudine, abiectiorem omnium mulierẽ voluit surgere, quæ non timens iram, & furorem Scribarum, & Pharisæorum, Christum, & matrem eius summis laudibus efferret, & victoriam illius, aduersus dæmonem, quem expulerat, coram omnibus celebraret Mos increbuit antiquus inter varias nationes, vt victoriæ de hostibus partæ à fœminis, singulari fastu, ac suaui concentus melodia celebrarentur, vt de Germanis agens, tradit Cornelius Tacitus : quod idem de Romanis commemorat Cæsar in suis commentarijs lib. 2. apud quos solemne erat, vt cùm ad bellum proficiscebantur, fœminæ à tergo sequentes, clamando dicerent: *Viriliter pugnate, ne in hostium seruitutem, &c.*

Luc. 11. — *Dan. 13.* — *Luc. 11.* — *Ibidem.* — *Matt. 12. & Luc. 11.* — *Iudith 13.* — *Iudith 16.* — *Esther 8.* — *Iudic. 4.* — *Iudic. 15.* — *1. Cor 1.* — *Tac. de hist. Germanorũ.* — *Cæsar in cõment. lib. 2.*

tem & nos redigamur. Quando verò, obtenta victoria, reuertebãtur, eædem fœminæ præibãt; triumphum illorum varijs cantibus, & gesticulationibus celebrantes. Viguit hęc consuetudo non solùm apud Ethnicos homines, sed & fideles etiam; nam, vt sacra Exodi refert historia, Maria soror Moysis, ac multæ aliæ fœminæ eius consortes, quando populus Israel, diuina virtute operante, Ægyptios deuicit, maris fluctibus eos submergentibus, illo postea redeunte, victoriæ gloriam Deo in tympanis canebant vna voce dicentes: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascẽsorem proiecit in mare.* Simile etiam est, quòd libro Regum legimus; nam cũ Dauid funda, & lapide gigãtem Goliath interemit, & proprio gladio caput eius amputauit, Palestinæ fœmine ad triumphum hunc celebrandum, dulcem illum cantum, licèt Sauli molestũ, modulabãtur: *Saul percussit mille, Dauid autẽ decẽ millia.* Hunc ergò antiquum morem, qui in desuetudinem iam abierat, video ab hac Euangelica muliere nunc instaurari. Recentem victoriam tulerat Christus Dominus de dæmone humani generis hoste, cùm illum à corpore, quòd obsidebat, & in quo tanquam propria arce, velut fortis armatus morabatur, imperiosè deturbauit, ac foras expulit. Pharisæi autem, qui aderant, & testes tanti prodigij fuerant, non laudibus, eius victoriam decantarunt, sed gloriam eius potius obscurare studuerunt, dicentes: *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* cuius occasione Christus Dominus aliam de illis reportauit victoriam, iaculum, quòd in ipsum miserunt, in eos retorquens. Vnde, cùm omnes illi geminatæ huius victoriæ laudes silerent, insignis hæc fœmina, maiorum suorum vestigijs insistens, triumphum vtriusq; si non pro dignitate, saltem, quoad potuit, celebrare cœpit, voce alta, & sonora, non mussitans, &, vt vulgus ait, interdentes: *Exclamans quædam mulier,* (ait Euangelista) illa melliflua protulit verba: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti*: Scio quidem D. Paulum ad Timotheum scribentem de muliere dixisse: *Discat in silentio, nec permittenda fidei mysteria edocere, docere autem mulieri non permitto.* Verùm, id Apostolus intellexit, cùm viri adsunt, qui id muneris præstare possunt; illis autem deficientibus, laudabile est, mulierem, & maximè bene instructam, cœlestia mysteria docere, vt sic sexus inferior suppleat id, in quo deficit superior. Vnde, quemadmodum vacua supplere docuit ipsa natura, vt videre est in elementis, quæ ita sunt inter se ordinatè connexa, & colligata, vt deficiente elemento superiori, quòd vacuum supplere possit, inferius confestim occurrens, defectum illius supplet, & vacuum implet, vt in fontibus experimur, quæ ex defectu aeris superioris elemẽti, contra grauitatem suam sursum ascendunt ad vitandum vacuum; ita inpræsentiarum, ne diuinæ laudis vacuum daretur, quòd diligenter vitandum monebat Dauid, cùm dicebat: *Semper laus eius in ore meo.* Vnde cum passionis tempore Apostoli meticulosi, à Christi laudibus cessabant, latro de cruce pendens, illas intonuit, innocentiam eius attestans, & Paradisi Dominum illum confitens. Quando etiam, quotquot illum agnoscebant, & ab ipso multis beneficijs fuerant cumulati, partes tamen eius minimè agebant; tunc sepulchra, & lapides ora sua aperuerunt, monumenta aperta, & petræ scissæ sunt, vt illorum defectũ supplerent, iuxta illud Christi Domini: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Vt impleret ergo sacra hæc mulier diuinę laudis vacuum, à qua cessarãt Pharisæi, alioquin magnalia Christi videntes, ipsa eorum defectum supplens, victoriæ Christi applaudens, in eius, & matris honore canere cœpit: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.*

Exodi 15.

1. Reg. 17.

Ibid. 18.

Luc. 11.

Ibid.

Psalm 33.

Luc. 23.

Matth. 27.

Luc. 19.

Luc. 11.

Ad hæc, singularis sanctitas huius

effulgent, & velut in imagine ad viuum illum exprimente, Christi Domini maiestas, ac singularis sanctitas elucet, & ideò dixit: *Beatus venter, qui te portauit.* In ea etiam oratione Marcellæ, in genere demonstratiuo, vt aiunt Rhetores, mirũ artificium detegitur, quòd cùm alioqn potuisset ab heroicis virtutibus, quę, velut fulgentissimi pyropi, in B. Maria enitebant, illam commẽdare, &, cùm etiam potuisset alias præstantiores virginei illius corporis pariter laudare, vt faciem, oculos, vel caput, vt in suo epithalamio factitat sponsus; solùm tamen vbera, & ventrem eius commendat. Consultò sanè id fecit, vt inde mira B. Virginis excellentia deprehendatur: nam si venter, qui in alijs fœminis, sedes est corporis, & impuros fœtus concipiendi officina, in qua horrendum illud peccati originalis monstrum efformatur, in B. Virgine idẽ venter tanta puritate, & sanctitate clarus enitebat, vt beatus, compellari mereatur: *Beatus vẽter, qui te portauit.* Id proculdubio excellentiam raram B. Virginis mirificè commendat. Videtur sanè mihi Marcella hoc laudationis genꝰ ex libr. Iudith didicisse: nam sicut ibi facer textus, vt mirã Iudith pulchritudinem magis extolleret, dixit, sola eius calceamenta Holophernis animum in eius amorem rapuisse: *Sandalia eius rapuerunt oculos eius.* Quasi diceret: Si tanta erat pedum illius elegantia, vt decore suo, intuẽtis Holophernis cor ad amorem eius alliceret: quantò maior credi debet, & ad amorem conciliãdum potentior, mira vultus illius pulchritudo, & totius corporis venustas? ita Marcella hunc philosophandi modum imitata, vẽtrem B. Virginis commendauit, vt inde inferremus, quòd si ille tanta commendatione dignus est, infigniora incomparabiliter encomia meretur eius anima, in qua Christum Dominum per excellentissimam gratiam conceperat. Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Lucæ 11. *Cant. 4.* *Lucæ 11.* *Iudith 16.*

HOMILIA IV.

Eiusdem Euangelicæ mulieris, nec non Virginei Deiparæ vẽtris encomia exordimur, in eadem verba: Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit: Beatus venter, qui te portauit, vbi præcipua epitheta, quibus Sancti Patres Beatæ Mariæ vterum exornarũt, cum alijs multis à nobis excogitatis, apponuntur.

EVthymius nobilis auctor, versans propòsita verba, dixit de hac muliere: *Aliè in eius animum Christi sermo descenderat: hæc enim, cùm alioquin plebeia esset, cùm in media fuerit turba, & ratione sexus minus doctrinæ, & mysteriorum capax, sapientibus, & iurisperitis non credentibus, ipsa, Christi verbo, quòd prædicabat, libenter annuens, diuini seminis in cor eius iacti, vberrimum illum fructum reddidit: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Seminauerat quidem Christus Dominus diuini verbi sui semen in cor Pharisæorum, & in cor huius mulieris; illud tamen inter vtrumque fuit discriminis, quòd semen iactum in cor Pharisæorum cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauerunt illud; semen verò iactum in cor huius mulieris, cecidit in terram bonam, & ortum, fecit fructum centuplum, adeò, vt S. Euangelista dicat, non contentam hanc Euangelicam mulierem, submissa voce, laudes Christi protulisse, alta voce eas decantasse: *Extollens vocem quædam mulier*, quod sanè pium, ac feruidum eius affectum, viuacissimamque fidem apertè indicat, quę in talem clamorem erupit, & ex intimis animi sensibus loquens, maxima contentione Christi præconia euulgabat, calumniatorum Christi, qui aderant, iacula in se conijcienda non pertimescens, vt quæ sibi dictum putasset illud Isaiæ capite quadrage-

Euthym. in ead. verba Luc. 11. *Ioann. 8.* *Lucæ 11.*

Isaiæ 40. drageſimo: *Exalta in fortitudine vocem tuã, exalta, noli timere.* Vnde meritò de ea dicere licet illud Ruth capite tertio : *Scit omnis Iſrael, mulierem fortem te eſſe virtute,* *Ruth 3.*
Machab. 8. & illud Machabæorum cap. octauo : *Fœmineæ cogitationi maſculinum animum ingeſſit.* Immò, & laus Iudith delata, capite decimoquarto, meritò ei deferri poteſt: *Iudith 14.* *Vna mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Nabuchodonoſor Regis.* Etenim nihil metuens acerrimos, qui aderant, Chriſti hoſtes, varijs maledictis illum afficientes, liberè loquitur, intrepidè vocem exaltat, & impudentia illorum ora obtundit: *Pſalm 62.* *Obſtructum eſt os loquentium iniqua.* *Lucæ 11.* Pſalmus 62. voce alta intonans : *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti.* Quòd perinde fuit, ac ſi clarius diceret: Calumniantur iſti tibi, ô bone Ieſu, teque in Beelzebub dæmonia eijcere prædicant, ſed ego te tanta benedictione donatum, & tam beatum eſſe duco, vt & beatam cenſeam matrem tuam. Ex fermento Phariſaico, ex deprauato mentis oculo prodijt hæc malignorum impoſtura: ego verò, quantumuis ipſi de numero, & poteſtate glorientur, pauci eos facio, imò nec ipſa, quamuis mulier aduerſari illis vereor, vt quæ facilè intelligam, quantum in te blaſphement. Tam apertiſſimę ſunt tuę ſanctitatis, & auctoritatis argumẽta, vt impudentes iudicẽ, qui tibi tam temerè obſtrepent. His ſanè apertè mulier hæc Hebræa confuſionem fecit in facie Phariſæorum, ac de illis gloriosè victoriã reportauit. Quantò autem humilior, & abiectior eſt, quæ reportat ex hoſte triumphum, tantò maiore confuſionis opprobrio fuerunt aſtantes Phariſæi deturpati, ac tantò magis Dux militiæ noſter Chriſtus in Euangelica hac muliere iucundiùs delectatus; & glorioſius exaltatus fuit: maximè quòd per illam vocem extollentem: *Lucæ 11.* *Beatus venter, qui te portauit* : Multi alij exemplo eius commoti ſunt, ſimilia verba proferre : nam, vt docet Diuus Auguſtinus tractatu decimo, non vnius mulieris dumtaxat illa vox fuit, ſed multorum. Verba eius ſunt hæc : *Cùm Dominus in turba admirabilis videretur, faciens ſigna, & prodigia, & oſtendens, quid lateret in carne, admiratæ quædam animæ dixerunt: fælix venter, qui te portauit.* Vnde facilè mihi perſuadeo, mulierem hanc typum geſſiſſe Eccleſiæ Catholicæ, quia ſicut illa coram hoſtibus Chriſti non erubuit illum confiteri, ita in Eccleſia Catholica, quantumcumque perſtrepant hæretici, nunquam veræ fidei confeſſio deficiet, vt rectè proſequitur Diuus Auguſtinus; nam verſans illa verba, Pſalm. 108. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque: hęc pulchra ſcripſit : *Ex ore ſuo quippe dicit : quia vnitas corporis loquitur, in cuius membris etiam illi deputantur, qui defecerunt ad horam negando, ſed pœnitendo poſtea reuixerunt; vel etiam martyrij, quam perdiderunt palmam, reparata confeſſione ſumpſerunt; non igitur; vſque valde, vel (ſicut quidam Codices habent:) non vſquequaque, id eſt, non omninò ex ore Petri, in quo erat typus Eccleſiæ, verbum veritatis ablatum eſt, qui etſi ad horam negauit, timore turbatus, tamen flendo eſt reparatus, & confitendo eſt poſteà coronatus. Totum itaque corpus Chriſti loquitur, id eſt, Eccleſiæ ſanctæ vniuerſitas, in quo toto corpore, ſiue quia negantibus plurimis, remanſerunt fortes, qui vſque ad mortem pro veritate certarunt, ſiue, quia ex his, qui negauerunt, multi reparati ſunt, non eſt ablatum ex eius ore verbum veritatis vſque valde.* Hæc Diuus Auguſtinus: ſed firmius aliud, quàm Auguſtini teſtimonium habemus: nam veritas ipſa, Matthæi 16. dixit : *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Nam ſiue per portas, intelligamus peccata mortifera, quæ meritò Inferorum portæ nuncupantur, cùm hæc ſola aditum parent ad Inferos : hæc non poſſunt adeò contra Eccleſiam inualeſcere, vt omninò ex ea deficiant iuſti: Nam cum Eccleſia Catholica ſit ſancta, (vt ſymbolum Nicænum docet:) *Et vnam ſanctam, & Apoſtolicam Eccleſiam.*

D. Auguſtin. tract. 10. in Lucam.

D. Aug. in Pſal. 108.

Matth. 16.

Symb. Nicænum.

Et vera sanctitas non sit sola fides absque gratia, quæ fideles, consortes Dei facit, consequens est, quamdiu Ecclesia durauerit, semper in illa futuros esse homines iustos, & sanctos. Si verò per portas intelligamus hæreses, & schismata, certè nec hæc ita prævalere poterunt, vt Ecclesiam sanctam omninò polluant; vt enim legimus 24. quæst. 1. c. arrecta. *Hæc sancta, & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur; nec hæreticis nouitatib. depraũdata succubuit, sed vt in exordio normam fidei Christianæ percepit, ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus illibata fide hactenus manet.* Non ergo deterreamur, si audierimus: *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Nam nunquam deerunt, qui è contra dicant: *Beatus venter, qui te portauit.*

24. q. 1. cap. arrecta.

Luce 11.

Ibidem.

Verùm hæc verba exordiamur iam, si placet, pro viribus illustrare. Sanè si Apostolus Paulus ad Hebræos 1. Dei virtutem, & excellentiam exaltare cupiens, de eo dixit: *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Ac si diceret: omnipotentiæ suę virtute, omnia quæcunque sunt, conseruat: non potest non magna Beatæ Virginis laus esse, vt ventre suo portet eum, qui portat omnia verbo virtutis suæ. Vnde sanctus Gregorius Taumaturgus oratione de annunciatione, hoc tantum prodigium admiratus dixit: *Sola ferens eum, qui verbo portat omnia.* Equidem, si Beata Virgo portat omnia portantem, etiam & ipsa portat omnia: quidam Poetarum dixit:

Ad Heb 1.

Gregor. Taumaturg. ora. de Annũcia.

Non omnis fert omnia tellus.

Quædam enim fert frumentum, alia arbores, alia legumina, alia auri, & argenti metalla. Verbum autem Dei tam fœcundæ virtutis esse perhibetur, vt solo suo imperio omnia gignat; venter verò Beatæ Virginis tali fœcunditate diuinitus præditus fuit, vt gigneret omnia gignentem, per quod illam mirabilem cum æterno Patre sympathiã obtinuit, vt cum illo licuerit ei Verbo diuino dicere: *Ego hodie genui te.* Deinde, illud obseruatione dignum est in verbis huius euangelicę mulieris, non appellasse Mariam Beatam, quia à Deo acceperit, sed quia Deo dederit: *Beatus* (ait) *venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti*: Sanè Deipara Virgo diuino spiritu afflata, cùm illam sui laudem protulit, beatam esse dicendam à futuris generationibus, rationem subiungens, non dixit, quia ipsa Deo aliquid dederat, sed quia magna à Deo acceperat: *Ecce enim, ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est.* At hæc mulier plenè aliam excellentiorem laudem Beatæ Mariæ detulit: beatam illam appellando, quia Deo dederat, non quia à Deo acceperat, licet alioquin id, quod dabat, accepisset: nam, vt D. Paulus dixit: *Meminisse oportet verbi Domini Iesu, quia beatius est magis dare, quàm accipere.* Quare necesse est, beatissimam esse Mariam, quæ plus omnibus Deo dedit, atque adeò plura ab eo recepit: sicut Regina Saba plura dedit Salomoni: plurima verò ab eo donata suscepit, sed hoc interest inter ea, quæ B. Maria ei præstitit, quòd iusti aliqua Deo tribuunt, non quia ipse in se ea suscipiat, sed quia eius conspectui offerunt dona, quibus tamen Deus non vtitur, quia, vt dixit Dauid: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Maria autem, quamuis plura huiusmodi munera Deo dederit, instar aliorum iustorum, aliqua tamen dedit, quæ Deus in se suscepit; qui enim bonorum nostrorum, non eget, eguit, licèt volũtariè humanitate, vt opus redemptionis perficeret, hanc verò à B. Maria accepit, & sibi in vnitate suppositi copulauit: *Beatus ergò venter, qui te portauit.* Eguit etiam lacte in cibum, & infantiæ suæ alimentum, vt canit Ecclesia Catholica in officio Natiuitatis,

Psal. 2.

Luce 11.

Luce 1.

3. Reg. 10.

Psalm. 15.

Luce 11.

Paruoque lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.

In hymno laudũ Natiuit. Domini.

Et hoc

Luc. 11. Et hoc suscepit à Virgine Maria: *Beata ergo vbera, quæ suxisti.*

Hanc B. Virginis miram excellētiam contemplans S. Methodius oratione in hypopantē Domini: hęc huic argumento valdè consentanea scripsit: *Tu Deo alioquin nunquam indigo carnem, quam non habebat, dedisti, quo, inquam, hac ratione omnipotes, id quod esse dignatus est, homo videlicet, verè appareret, quid hoc illustrius, quidue sublimius, qui Cœlum, & terram implet, cuius præterea sunt omnia, quæcunque mouentur, atque subsistunt, is tui factus est indigus.*

Methodius ora. in hypopāte Domini.

Ad hæc, meritò mulier hæc Deiparæ Virginis ventrem beatum appellauit: nam beatus idem est, quòd fœlix, quæ autem maior fœlicitas ventris fœminei excogitari potest, quàm vt simul fœcūditate, & virginitate sit præditus? Sanctus Iob de dæmone sermonem faciens, inquit, cap. 40. *Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius.* Super quę verba D. Gregorius asserit, in viris concupiscentiam sedem habere in lumbis, in fœminis verò in vmbilico ventris: illa autem est virgineæ B. Marię puritatis excellentia, quod venter, qui in reliquis fœminis sedes est veneris, & impudicitiæ, in ipsa sit omnis castitatis, & pudicitiæ fons, & cùm alioquin omnes fœminæ absque præcisione impudici vmbilici nascantur, vt Ezechiel dixit cap. 16. *Quando nata es, non est præcisus vmbilicus tuus.* Beata autem Virgo ita pura, ac pudica ab instanti suæ conceptionis extitit, & in ea perseuerauit, vt nūquam eguerit turpis vmbilici præcisione, quo semper caruit. Vnde Guilielmus in sigillo Mariæ, postquam dixerat ex D. Gregorij Papæ doctrina, seminarium libidinis viris in lumbis, fœminis verò esse in vmbilico, subdit hæc verba: *At verò illa Virgo, quæ Dei filium procreauit, partus huius nouitatis ab initio præparata, & singulari benedictione præuenta, in sua carne nunquam potuit calorem illum venereum experiri; ab initio enim, ne seminando secundùm carnem Dei filio esset minus idonea, innatus ille fomes concupiscentiæ in carne eius virtute diuina funditus extinctus est. Itaque non sicut aliis fœminis in vmbilico illi fuit seminarium luxuriæ, cùm tamen in vmbilico eius fuerit semen illud Abrahæ, quòd Apostolus præclarè commendans, cùm de filio Dei loqueretur: nūquam (inquit) Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit non sicut aliis fœminis, illi fœminæ in vmbilico fuit seminarium luxuriæ, id est, genitalis ille liquor calore concupiscentiali exinde resoluendus, & deriuandus, sed seminarium vitæ, id est, beatum illud semen Abrahæ, calore Spiritus sancti exinde resoluendum, atque eo ipso à Filio Dei in vnitatem personæ suæ pro salute humani generis assumendum.* Hæc ille. Sponsus autem, vt eximiam hanc B. Virg. puritatem cum fœcunditate coniunctam ostenderet, dixit ei: *Vmbilicus tuus, sicut crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus, sicut acerus tritici vallatus liliis.* Expostulat hic locus, vt duplicem hanc metaphoram crateris, & acerui, in laudem B. Virgin. mysticè exponamus cum Ruperto, Alano, Gulielmo, & Hailgrino in cap. 3. Cant. & cum Honorio in sigillo B. Mariæ; imò & cum D. Ambr. de Instit. virg. cap. 14. Comparat primùm vterum virgineum B. Mariæ, crateri, ad significandam eximiam eius puritatem; quia crater, vel patera est, vel quoddam ingentis calicis genus ad bibendum. Quis autem ignorat, nihil mundius, & purius ab omnibus exquiri, etiam agrestibus hominibus, quàm vas, vnde potum hauriant, aut patera, per quam vinum, aut aquam bibāt? Comparauit autem consultò pudicum illum vterum non crateri argenteo, vel aureo, quem aurifex metallo elaborauit, sed crateri tornatili; quia vasa torno confecta facilius elaborātur, vt hac metaphora significaret, Beat. Virg. absque omni difficultate, vtpote sine omni illecebra, & absque omni carnis angustia illibatam suam virginitatem conseruasse; quod & verba sequentia: *Nunquam indigens poculis*, luculentius explicant. nam

Iob 40.

D. Gregor. in hæc verba.

Exech. 16.

Guilielm. in sigill. Mariæ.

Cant. 7.

Rupertus. Alanus. Gulielmus. Hailgrinus. Honor in sigillo B. Mariæ. D. Amb. de instit. virginum c. 14.

Cant. 7.

quid aliud est, vmbilicum non indigere poculis, nisi per appetitum libidinis viri complexum non sitire? Ad quod sanè alludūt B. Virg. verba, cùm dixit: *Quomodo fiet istud, quoniā virum non cognosco*: quasi diceret; quia viri complexum nunquam desideraui, imò propositum firmum, & votum habeo nunquam illum desiderādi: quod adeò verum arbitror, vt quod ad B. Virg. attinebat, nisi virginitatem eius tutam fore promisisset Angelus, non dubito ipsam non electuram fuisse Dei matrem esse, nisi aliud Deum velle intellexisset; cuius non leue indiciū est, nunquam consensum suum præbuisse, vt mater Dei fieret, quousque ab Angelo expressè audiuit: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quamobrem, vt Spiritus S. manifestaret eandem B. Virg. mirabilem puritatem, eam etiam appellauit: *Puteum aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Vt verò arcana, quæ in hoc loco latent, detegamus, obseruare oportebit morem fuisse certo tempore apud Hebræos, iudicum tribunalia iuxta puteos aquarum sita habere: nam si accusatus innocens probabatur hac cæremonia vtebātur, vt continuò se aqua ablueret in argumentum suæ innocentiæ; si autem tanquam reus condemnabatur, aquā effundebant, significare volentes, culpam eius adeò esse manifestam, vt nulla excusationis aqua ab ea se emūdare posset; ad quem ritum alludūt verba lib. 1. Reg. c. 7 *Iudicauit Samuel populum in Maspha, & effuderunt aquam multam*, quia scil. conuicti fuerant rei è Samuele de delicto suo. Vocans ergò sponsus B. Virgin. puteum aquarum viuentium; significare voluit, tantam fuisse eius puritatem, vt non solùm in se munda esset, sed ad aliorum emundationem mille modis iuuet. In eo autem, quod ait, aquas illius putei descēdere impetu de Libano, aliud clauditur mysterium, ad quod referendum, prænoscere oportet, aquas illas, quæ descendebāt de monte Libani, à Iordane deriuari, qui è duobus fontibus, qui in vertice montis Libani erant, oriebatur. Obseruare etiam opus est, Christum Dominū Iordanis aquas sanctificasse, vt sacri baptismatis aquis, quibus fidelium animę erant ablueadæ, mirabilem virtutē impertiret. Vt ergò Spiritus S. significaret, talem, ac tantam esse puritatem B. Virg. vt non solùm ipsa in se pura, & immaculata semper permanserit, sed & alijs puritatem, sua intercessione conferret; ideò consultò comparat eam puteo aquarum Iordanis, cuius aquas Deus emundauit, & sanctificauit, ad abstergendas peccatorum maculas. Vnde Gulielmus egregius Cantic. interpres, sup. hunc locum ait B. Virgini. *De te fluxit fons hortorum; per te venit baptisma fidelium, & puteus aquarum viuentium, id est, Christus: & hæc cum magno impetu de Libano fluūt, quia cum magna abundantia S. Spiritus de candore tuæ castitatis, & sanctitatis exundarunt.* Quòd autem ait: *Aquarum viuentium*: ad differentiam aquarum statiuarum dixit, quę facilè putrescunt, & fœtorem emittunt; vel dicamus cum Hailgrino in cap. 4. Cantic. *Beata Maria propter inscrutabilem profunditatem gratiarum, quæ in ipsa congesta sunt, dicitur puteus aquarum, non simpliciter, sed viuentium, hoc est, salientium in vitam æternam.* Hæ fluunt cum impetu, quia illi resistere non valent aduersarij nostri, dæmones, & hæretici fluunt de Libano, hoc est, ab ipsa B. Virgine, quæ de se Ecclesiast. 2. dicit: *Ego quasi Libanus non incisus, vaporaui habitationem meam.*

Lucæ 1.

Ibidem.

Cant. 4.

1. Reg. 7.

Guliel. in c. 4. Cant.

Cant. 4.

Hailgr. in c. 4. Cant.

Eccl. 2.

Verùm ad id, vnde non nihil digressi sumus, reuertamur: postquam sponsus sub metaphora crateris, virginei ventris puritatem commēdauerat, continuò sub eleganti metaphora acerui tritici lilijs vallati, miram eiusdem vēteris fœcunditatem admissi exprimit: *Vēter tuus, sicut acerus tritici vallatus liliis.* Etenim præter quam, quòd venter prægnans, propter tumorem, quem latens proles causat, persimilis esse videtur aceruo tritici, certè frumenti aceruus, symbolum est fœ-

Cant. 4.

est fœcūditatis: à frumenti enim copia annus dicitur fertilis, licèt alioquin aliarum frugum sit inopia; à penuria verò frumēti, sterilis dicitur annus, quamuis aliàs fructus arborum abundè suppetant. Quod autem addit: *vallatus liliis*: licèt quidam, propter candorem liliorum, id ad virgineam illius sacri ventris puritatem referant, mihi tamen nō omninò probatur, quia iam sub metaphora Crateris, eximiam illius puritatem, ac munditiam declarauerat. Ego quidem arbitror, ad eandem virginei ventris fœcunditatem magis astruendam, liliorum vocabulo aceruum circumdedisse, quia inter omnes plantas nulla lilio fœcundior, cum vna sola illius planta in terra sata totam areolam lilijs impleat.

Ibidem.

Deinde ex eo etiam liquet, quam congrua sit virginei ventris comparatio cū aceruo tritici, cùm verè ille genuerit Christum Dominum, frumentum electorum, ac cœlestem panem, quo fideles cibamur in vitam æternam. Ego *Ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, non morietur in æternum.* Quòd autem quibusdam difficultatem ingerit, illud est; quomodo venter B. Virginis aceruo comparetur, qui multa grana continet, cū alioquin Christus Dominus vnico grani frumento se comparauerit: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Respondet Honorius in cap. 7. Canticorum: in ventre B. Virginis iacuisse vnigenitum Dei incarnatum, qui licèt sit vnicum granum, quia est vnus Christus, simul tamen est aceruus, quia in eo cumulatur fidelium populus. Quā expositionem videtur mihi mutuasse ex D. Ambrosio de Instit. Virg cap. 13. asserente, Christum Dominum vnicum granum frumenti in Cruce mortuum fructum attulisse, & sic electos omnes, veluti aceruum tritici ex Christi passione multiplicatum in vtero Beatissimę Virginis, tanquam eius spirituales filios

Ioan. 6.

Ioan. 12.

Honor. in c. 7. Cant.

D. Ambr. de Instit. Virg. cap. 13.

fuisse contentos, ad eum certè modum, quo in vtero Rebeccæ in duobus geminis Iacob, & Esau; duo Populi fuere. Vnde & D. Epiphanius sermone de laudib. Deiparæ dixit: *Ipsa est ager minimè cultus, quæ verbum, velut granum frumenti suscipiens, etiam manipulum geminauit.* Manipulus autem hic electorum est multitudo, respectu quorum Apostolus ad Romanos 8. vocauit Christum: *Primogenitum in multis fratribus.* Ex quibus omnibus palam fit, Christum, & nos, vnam habere communem omnibus matrem, sanctam Mariam, quia, cùm Christum, tanquam Filium nauralem vtero suo genuit, nos etiam in eodem spiritu aliter concepit, & portauit; atque in filios suos charissimos adoptauit. Etenim quemadmodū filia Regis Pharaonis adoptauit infantulum Moysen iuxta aquas, ita B. Virgo baptizatos, seu pœnitentes, & in aquis lachrymarū vagientes, assumit in filios, & nutriri per Angelos facit. Et quanquam mulieres ex præscripto Principis alios in filios suos adoptare valeant: Beatissima Deipara non tantùm habet præscriptum, sed etiam mandatum adoptandi à principe Christo, quando ei dixit: *Mulier ecce filius tuus.* Vnde: *Ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Non dixit, Ioannes: sed discipulus, quod est nomen commune, vt ad quemlibet hominem, qui est Christi discipulus illa verba, dicta in sensu spirituali, intelligamus, vt omnes sciant, Beatam Virginem sibi datam in matrem. Nam si Debora nuncupatur mater Israel propter defensionem, & protectionem illi populo impensam; quantò magis prudentissima hęc Virgo, quæ sub vmbra alarum suarum nos protegit, & defendit, mater totī populi Christiani iure optimo debet nuncupari?

Gen. 25. D. Epiphan. ser. de laud. Deiparæ.

Ad Rom. 8.

Exodi 2.

Ioan 19.

Iudic. 5.

Ad hæc, mulier illa diuisio spiritu afflata, ita paucis verbis penè infinita B. Virginis encomia perstrinxit, vt si omnia, quæ in sacris eloquijs, & à sanctis Patribus hucusque scripta, & dicta sunt,

cum illis conferantur, nihil sanè excellentiùs de B. Virgine dixisse comperiemus, quàm mulier illa protulit, dum B. Mariam, diuersis verbis, matrem Christi ingenuè professa est, dicens: *Beatus venter, qui te portauit.* Sicut enim, quæcunque magnalia de supremo omnium numine, vniuersi opifice, omnium creatore, gubernatore, & conseruatore dicuntur, excedere nequaquam possunt illa, quæ suprema Dei appellatio in se claudit, cũ reuera illa omnia in virtute complectatur, & plura alia soli diuinæ ipsius menti reseruata, quæ sola illum comprehendit; ita, quæcunque præconia à primordijs Ecclesiæ Catholicæ vsque in finem sæculi in Ecclesia militanti, & per totam æternitatem in triumphanti proferentur, omnia illa, & pleraque alia, quæ *nemo nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare*; Matris, seu Genetricis Dei celsissima, & honoratissima omnium appellatio in se vna complectitur: non ergò frustra dixi, neminem maiore illa laude B. Virginem exornasse, quam hæc mulier, dum dixit: *Beatus venter, qui te portauit.* Tetigit enim originem, ac fœcundam illam venam, vnde omnia cœlestia charismata, diuina beneficia, ac portentosa priuilegia B. Virgini diuinitus collata, ortum habuere. A peccato originali præseruata fuit, quia in matrem Dei præelecta erat. Plena fuit gratia, quia ex proprio sanguine cõceptura erat filium Dei. Virgo fuit immaculata, & mater simul fœcunda, quia Deum in vtero portauit. Corpus eius post mortem omnis corruptionis expers fuit, quia indecens erat, viscera, in quibus Verbum diuinũ carnem induerat, à vermibus dilacerari, aut in puluerem redigi. Exaltata tandem fuit super choros Angelorum, quia infra famulos Regis collocari tanti tãtę maternitatis dignitas non patiebatur. Meritò ergo hæc Euangelica mulier, vt paucis Mariana multa encomia complecteretur, omnem eius fœlicitatem ad ventrem, & vbera retulit, diuino spiritu agnoscens, nec Deum fuisse tantùm illi collaturum gratiæ, nisi prius filij sui dignam matrem illã efficere decreuisset, nec Mariam tam fœlicem futuram fore, nisi verbum diuinum ex vtero eius carnem hypostaticę vnionis vinculo sibi vniendam assumpsisset.

Lucæ 11.

Matth. 11.

Lucæ 11.

Ad extremum antiqui Eccles. Patres, tot, ac tam præclaris testimonijs, illustrissimisque epithetis virgineum Beatę Mariæ vterum, velut candidissimis, ac fragrantissimis lilijs cumularunt, vt nec possim, nec debeam saltem selectiora quædam his, quæ hucusque dixi non attexere. D. Epiphanius serm. de laud. B. Mariæ: *Beata* (inquit) *ouis, quæ peperit agnum Christum, iuuenca nunquam iugum experta, quæ vitulum genuit: fidei mensa intellectualis, quæ panem vitæ mundo suppeditauit, clibanus intellectualis, qui ignem, & panem vitæ calidum mundo in esum attulit.* Epiphanius item in hæresim Manichæorũ scribit, Manichæos panem, tanquam à Deo malo creatum auersari cũ his execrationib. *Maledicti qui te seminauit, qui collegit, qui pinsuit, qui coxit*; sed nos, cùm de pane vitę differimus, quid aliud dicamus, quàm benedictam terram, è qua collectus est? Beatus igitur venter Virginis, qui eum portauit, vbera quoque, quæ suxit.

D. Epiph ser. de laud. B. Mariæ.

Idem in hæresim Manichæorum.

Chrysippus Hierosol. sermo. de Deipara ait: *Virgam Iesse semper virentem, quæ humano generi vitam pro fructu attulit, omni quidem tempore, beatam prædicare, admirari, & laudibus extollere conuenit.* D. Bonauentura in Lucam: *Nec verò mirum est, si matris Dei ventrem beatum dicit, in quo & ille, & ex quo formam humanam accepit.* Sap. 7. *In ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore.* Vnde in laudem B. Virginis dicitur Cantic 7. *Venter tuus, acerus tritici*; quia Christus erat granũ frumenti, secundùm quod dicit D. Ioannes cap. 12. & hoc tritico fuit venter eius impletus, & ideò beatus propter tria priuilegia, quia, vt dicit D. Bernardus fuit sine corruptione fœcunda, sine grauedine grauida, & sine dolore puerpera. Isai. 66.

Chrysip. ser. de Deip.

D. Bonau. in Lucam.

Sapient. 7.

Cant. 7.

Ioan. 12.

D. Bernard.

Isai. 66. Isai. 66. *Quis audiuit vnquam tale? & quis huic simile?* siue propter tria miracula. Primum est, coniunctio infinitè distantium: Deus enim ibi factus est homo, creator creatura, immensus paruus, Verbum infans, æternus temporalis. Secundum miraculum est, quia qui fecit ventrem, factus est in ventre, vnde dicitur: Psalm. 86. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* & post: *Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus.* De hoc potest exponi illud Eccl. 43. Eccles. 43. *Vas admirabile opus excelsi.* Tertium miraculum, quia continet omnia, qui continetur in ventre, & ille ibi capitur, quem totus non capit orbis. Vnde In off. B. M. cantat Ecclesia Catholica: *Quem quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.*

S. Th. Dom. 4. Quadrag. S. Thomas in suis serm. Dominicalibus, Dominica 4. Quadrag. hæc sapienter, & eruditè scripsit in illa verba: *Beatus venter, qui te portauit. Nota, quòd venter B Virginis dicitur beatus, propter sex. Primò, quia portauit eum, qui in seipso summè beatus* 1. Tim. 6. *est.* 1. Tim. 6. *Beatus, & solus potens Rex Regum. Secundò, propter magnam affinitatem, quam habuit cum beatissima Trinitate: fuit enim filia patris, mater filij, sponsa, & habitaculum Spiritus sancti, ac totius Trinitatis nobile Triclinium. Tertiò, quia concepit sine corruptione, portauit sine labore, & peperit sine* Lucæ 1. *dolore. de his Lucæ 1. Spiritus sanctus superueniet in te; & ideò concipies sine corruptione: Et virtus Altissimi obumbrabit tibi: & ideò portabis sine labore: Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei: & ideò paries sine dolore. Quartò, quia portauit pre-* Num. 20. *tium redemptionis. Num. 20. Domine aperi thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ, vt satiati, cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos. Quintò, quia habuit selectiora de omni statu, de statu Virginum, integritatem, de statu coniugatorum fœcunditatē, de statu continentium castitatem.* Hactenus D. Thomas Aquinas.

Ruper lib. 3. in Cantica. Rupertus libro 3. in Cantica, sub metaphora lectuli Salomonis de virgineo ventre hæc loquitur: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Quis enim est (inquit Rupertus) lectus Salomonis, qui inter nos, & Dominum pacem composuit, nisi ille, in quo diuina natura humanā sibi naturam coniunxit? & quis ille est, nisi uterus tuus, ô dilecta dilecti, uterus virginalis? Ibi namque diuinitas verbi Dei, verbum Dei sese concluſit, & humanam naturam de tua carne formatam sibimet in vnitate personæ inseparabiliter coniunxit: & ecce sponsus, id est, carnem nostram cum anima rationali habens Deus, sponsus, inquam, Deus, & homo Christus, sicut canimus in Psalmo: Et ipse tanquam sponsus procedens de tha-* Psalm. 18. *lamo suo. Patres verò illi antiqui erant viri fortissimi, verè tenentes gladios, & ad bella doctissimi, nondum enim processerat sponsus de thalamo suo, & adhuc laborabat diabolus per satellites suos Reges Ægyptios, Reges Assyrios, Persicos, Græcos, laborabat, inquam, & laborauerat diabolus, antiquus hostis, obsistere volens Dei proposito, ne impleretur proximo, ac collocaretur hic lectus, siue thalamus, ne esset, vnde nasceretur hæc beata, & dilecta Vir-* Psalm. 18. *go, de cuius utero procedere oportebat dilectū, tanquam sponsum de thalamo suo. Isti erant timores nocturni, quos dicit hoc modo: Vniuscuiusque ensis super femur suum propter timo-* Cantic. 3. *res nocturnos. Hinc verè ad bella doctissimi, quia cur bellarent, causam præ oculis habebant huiusmodi.* Hæc Rupertus Abbas.

Guaric. Abb. ser. 1. de Annunciat. Guaricus Abbas sermone 1. de Annunciatione B Mariæ sic loquitur: *Quàm beatus igitur venter eburneus, vnde caro eburnea sumpta est Redemptoris, pretium animarum, miraculum, solium summæ maiestatis, thronusque potestatis, cibus vitæ immortalis, medicina peccati, restitutio sanitatis; quotquot* Lucæ 6. *(inquit) tangebant eum, sanabantur à languoribus suis; nam virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Beatus igitur venter, qui te, Domine Iesu, portauit, fœlix castitas uteri virginalis, quæ huic operi materiam ministrauit. fœlix prorsus, fratres mei, nitor illius eboris, id est, candor castitatis, cui nec aurum mundanæ sapientiæ, nec argentum eloquentiæ, nec gemmam alicuius excellentis gratiæ nostri præfert electio Salomonis. si modo tamen castitas hu-*

 militate

Luc. 1. militate commendetur, quia humilitatem ancillæ suæ respexit Dominus proinde namque Salomon, cum in carmine amoris castitatem prædicaret, Virginis seu sponsæ videlicet, seu sponsi; quia quorum spiritus vnus, & caro vna, in plerisque etiam laus vna, vt castitatem illius adornatam, nostramque adornandam etiam a-

Canticor. 5. lijs virtutibus doceret, ait: Venter eius eburneus, distinctus sapphiris. Vt autem noueris, quia castitas, aliarum virtutum seu gratiarum sit receptaculum, apothecæ aromaticæ, seu vnguentariæ nostri Salomonis non nisi domus eburneæ sunt, sicut Dauid in illo epithalamio cecinit, quod inscriptio tituli: Canticum pro dilecto, desponso Ecclesiæ accipiendum ostendit:

Psal 44. Myrrha (inquit) & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo. Hæc ille.

Petrus Damianus ser. de Annunc. B. Petrus Damianus serm. de Annunciat. Deiparæ sic locutus est: Locum voluptatis, verum B. Mariæ intelligo, in quo cumulauit omnes deliciasdeliciarum Dominus, de cuius delitijs Spiritus sanctus admiratorio sermone in amoris Cantico sic eructat: Quæ est

Canticor. 8. ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens? Numquid in Angelis voluptatem habet altissimus, in quibus ipse reperit prauitatem? numquid in constellatione, vel scintillatione stellarum, quarum aliæ conuertuntur in sanguinem, aliæ cadunt de Cælo, aliæ in tenebras obscurantur? nunquid Dominus voluptatem habet in aere, vel igne, vel ventis? nequaquam; quia

3. Reg. 19. non igne Dominus, non in commotione Dominus, non in Spiritu Dominus: si verax est ille, qui curru igneo, & equis igneis est assumptus in Cælum, nunquid in aquis, vbi fuens, & tortuosus Leuiathan immoratur, aut in terra, quæ sub maledicto Adæ spinas emittit, & tribulos? non est locus voluptatis, nisi verum B. Virginis, ex hoc egrediatur humanitate, quia vestitus cilicio nostræ mortalitatis visibilis humanis oculis apparuit, & de Virgine virgam, de libera autem, generationis lineam faciens, diuinitatis hamum inuasit, quem carne operuit virginali, vt draco magnus illectus ad carnem, ferrum diuini numinis subsentiret. Hæc ille.

D. Bernardus serm. 3 super Salue Regina. Propter maternam dignitatem variis metaphoris Beatam Virginem exornat in hæc verba: Non solum Cælum, & firmamentum Domina rerum intelligitur, sed alijs nominibus conuenienter appellatur, & rerum vocabulis designatur ipsa, Tabernaculum Dei, Templum, Domus, Atrium, Cubiculum, Thalamus, Sponsa, Filia, Arca diluuij, Arca testamenti, Vrna aurea manna continens, Virga Aaron, Vellus Gedeonis, Porta Ezechielis, Ciuitas Dei. Cælum, Terra, Sol, Luna, Stella matutina, Aurora, Lucerna, Tuba, Mons, Fons, Hortus, Lilium conuallium, Desertum. Ipsa est terra promissionis, lacte, & melle manans, Stella maris, Nauis quoque, Via in mari, Sagena, Vinea, Ager, Area, Horreum, Stabulum, & Præsepe subiugale, Apotheca, Aula, Turris, Castra, Acies, Populus, Regnum, Sacerdotium, Ouis, Pascua, Paradisus, Palma, Rosa, Fluuius, Portus, Columba, Columna, Vestis, Margarita, Candelabrum, Mensa, Corona, Sceptrum, Panis, Oleum, Vinum, Arbor, Virga, Cedrus, Cypressus, Platanus, Libanus, Cynamomum, Balsamum, Myrrha, Thus, Oliua, Nardus, Crocus, Fistula, Calamus, Storax. Soror, & Mater est; & vt breuiter concludam, de hac, & ob hanc, & propter hanc totus Mundus factus est; & hæc gratia Dei plena est, & per hanc homo redemptus est, Verbum Dei Caro factum est, Luc. 1. Deus humilis, Homo sublimis. Hæc D. Bernardus.

Sophronius serm. de assumpt. Virg. Sophronius sermone de assumptione Deiparæ hæc profert: Verè hortus delitiarum, in quo consita sunt vniuersa florum genera, & odoramenta virtutum, sicque conclusus, vt nesciat violari, neque corrumpi vllis insidiarum fraudibus fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis, ex quo fons vitæ manat, in cuius lumine omnes videbimus lumen, quia Ioann. 8. iuxta D. Ioannem: ipse est, qui illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Ciuius profectò emissio veri supernorum Ciuium omnium est Paradisus. Hactenus ille.

D Damasc. orat 1 de dormit. Beatæ Virg. Diuus Ioannes Damascenus oratione 1. de dormitione B. V. loquens cum Deipara hæc dicit: Tabernaculum Abrahæ te apertissi-

apertißimè indicabat: etenim Verbo diuino in ventre tuo, tanquam Tabernaculo habitanti, humana natura subcinericium panem, hoc est, sui primitias ex puris suis sanguinibus obtulit, à diuino igne quodammodo coctas, panemque effectas: atque in diuina ipsius persona existentes, & ad veram corporis animati anima rationali, atque intellectuali substantiam venientes. Et idem oratione 1. de Natiuitate B. Virg *Cedat (inquit) illud spiritus tabernaculum, quod Moyses in deserto expretiosa atque omnis generis materia construxit, atque etiam ante istud patris Abrahami tabernaculum, viuo, & ratione prædito Dei tabernaculo: hoc enim non actionis dumtaxat, ac potentiæ diuinæ conceptaculum fuit, verùm, & essentiæ, ratione ipsiusmet personæ Filij, ac Dei.* Sic Diuus Ioannes Damascenus

Idem orat. 1. de Natiuita. B. Virg.

Luc. 10.

His omnes addimus nos, Christum Dominum dixisse *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Si ergo Apostolorum oculi, qui Verbum diuinum incarnatum imbecilli tunc præditi fide, intuebantur, & non integro quadriennio familiares Christi fuerunt, & tamen ab ipso beati vocantur, cur non beati oculi Virginis Mariæ, qui Mundi lucem, & Verbum carnem factum, illumque speciosum præ filijs hominum, ante alios primùm spectauere, simulque per omnes ætatis illius progressus incredibili cum voluptate, & fide nunquam dubia spectando, sese oblectauere? Pari ratione, cur non rectè profiteamur: Beatæ aures, quas Maria plus, quàm Regina Saba, nõ dicam ad Regem Salomonem, sed ad ipsam Dei sapientiam, sed ad iustitiæ Doctorem, & magistrum vnum Christum priuatim & publicè audiendum, cupidissimas attulit, & porrexit? nullus vt illum vel attentius, vel lætius vel vtilius de summis illis differentem mysterijs vel interrogasse, vel auscultasse videatur? Cur non beatas quoque Virginis Deiparæ manus appellemus, quæ tot annis tanta cum animi suauitate de verbo vitæ contrectauerunt? Manus (inquam) quæ huic diuinissimo infanti, puero, adolescenti in victu, atque vestitu noctes ac dies materna quæuis officia fidissimè præstiterunt? Cur non beatos pedes etiam agnoscamus, quos Dei amor, Christi cura, & obedientiæ lex ad longas, difficiles, & sacras illas peregrinationes frequenter extraxit? pedes (inquam) quos ad Christi vestigia tum insequenda, tum reuisenda ante, & post filium in Cælos assumptum, libenter exercuit, ac defatigauit? Cur demum beata non fateamur oscula, quæ dilecta dilecto in charitate non ficta toties, & tam reuerenter delibauit? quæ à nato vicissim amanter accepit, cum talem filium talis mater in sinu amplecteretur: & tam dulce dulci de collo penderet onus, quod eadem parens, & nutrix, & gerula manibus circumferret, gestaret in vlnis, foueret in gremio; ac sæpenumero blandissimè demulceret? quem verò demulceret? Lilium conuallium, Israelis gloriam, lumen gentium, delicias orbis terrarum, suum cor, suum thesaurum, suum decus, suum solatium, suum præsidium vnicum. Certè Methildi sanctæ virgini, lib. 1. gratiæ spiritualis, hoc reuelauit Deus, sæpenumero vsu veniſſè, vt beata Maria suum infantulum in gremio foueret, suumque caput illius capiti suauissimè applicaret, ita verò factum esse, vt filij caput, & faciem profusis amoris lachrymis irrigaret: hunc verò sermonem matri eo tempore familiarem, vsitatumque fuisse, vt cõpellans filium diceret: *O salus & gaudium animæ meæ.*

Lib. 1. gratiæ spiritualis.

Beatus venter tuus, ô Deipara Virgo, beatus locus, in quo qui genitus erat ab æterno in vtero Patris, temporaliter fuit conceptus in vtero matris. Beatus liber candidus, in quo Verbum Dei scriptum fuit, non alio quam purpurei sui sanguinis atramento. Beatus venter, qui fuit mensura, ad quam se colligens immensus Dei filius, paruitati eius se coaptauit. Beatus venter, qui prælum fuit, in

quo imago illa inuisibilis Dei maiestatis veram sumpsit imaginem hominis, non amissa illa, quæ erat Dei. Beatus vē er, in quo miraculum illud omnium miraculorum maximum patratum est, Ioan. 1. cùm *Verbum caro factum est*. Beatus venter, qui mystica theca fuit, in qua thesaurus sapientiæ, & scientiæ Dei seruatus fuit. Beatus venter, qui fuit conchilium, in quo, pretiosa corporis Christi margarita, cœlo irrorante, fuit procreata. Beatus venter, in quo, velut olim in vrna, diuinum manna latuit. Beatus vēter, qui domicilium fuit regale Regis cœlorum. Lectulus verè Salomonis, ac thalamus, in quo triplex sponsalitium celebratum fuit, Verbi diuini cum humanitate, Christi cum Ecclesia, Spiritus sancti cum Maria. Beatus venter, in quo factus est cœlestis panis, quo fideles cibamur, & reficimur. Beatus venter, cœlo ipso capacior: siquidem capere potuit, *quem Cœli cœlorum capere non possunt.* In off. Beatæ Mariæ. Beatus venter, qui paradisus fuit secundi hominis de cœlo cœlestis. Beatus vēter, qui ager fuit fœcundus adeò, vt pro fructu proferret ipsum Deum. Beatus venter, qui portat omnia portantem verbo virtutis suæ. Beatus venter, ex quo, velut ex arce, filius Dei humanæ carnis armis munitus, humani generis hostem debellauit, & spolia eius tulit. Beatus venter, qui officina fuit, ex qua Rex gloriæ purpuram carnis humanæ, Mariani sanguinis cocco tinctam assumpsit. Beatus venter, ex quo Deus, qui non erat homo, prodijt filius hominis, vt Christus Dominus sæpè se vocauit, quæ appellatio nemini, nisi ipsi conuenire potest; quia reliqui sunt filij hominum: vtpote ex viro, & fœmina procreati. Christus autem solus est filius hominis; quia non ex viro, sed ex sola B. Virgine, Spiritu sancto cooperante, genitus fuit. Beatus venter, qui Bethleemitica illa fuit cisterna, à Dauide ardenter desiderata, ex qua immortalitatis poculum cunctis viuentibus emanauit. Beatus venter, qui terra virginea fuit, de qua dictum: *Veritas de terra orta est.* Psal. 84. Beatus venter, qui Deum peregrinantem, quando *Venit in propria, & sui eum non receperunt,* Ioan. 1. hospitio excepit. Beatus venter, qui hortus fuit conclusus, & fons signatus sigillo sanctissimæ Trinitatis. Beatus vēter, qui pretium fuit nostræ redemptionis, & commune ærarium extruxit, ad humani generis inopiam subleuandam. Beatus venter, qui factus est magnum, ac percelebre Deitatis templum, sacrarium Spiritus sancti, fulgentissimum diuinæ Triadis triclinium. Beatus venter, qui chara Dei ciuitas fuit, aula cœlestis, ferculum Salomonis, fons lucis, altare summi sacerdotis. Beatus venter, qui cœlum fuit animatum, solem iustitiæ continens. Beatus venter, qui & beatum filium concepit, & Angelorum, & hominum beatitudinem genuit. Ac tandem, quia non solum difficile, sed impossibile iudico, huius Mariani ventris laudes exhaurire, Salomone dicente: *Quis inuestigabit omnia secreta ventris?* Eccl. 1. finem dicendi facio, cum muliere illa Euangelica: *Beatus venter, qui te portauit.* Lucæ 11. Beatus ille venter intactus, immaculatus, sanctus, illibatus, impollutus, Seraphinisque purior. Beatus venter ille mundissimus, qui immortalitatis aditum reserauit, vniuersum orbem locupletauit, ac diuinæ gratiæ benedictionibus repleuit. Beatus venter, per quem peccatores veniam, iusti gratiam, Angeli lætitiam, filius Dei humanæ carnis substantiam, totaque Trinitas gloriam percepit. Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum.

Amen.

HOMILIA V.

Celsissimæ dignitatis Matris Dei præclara multa encomia proferimus, in illa verba: Beatus venter, qui te portauit. Lucæ cap. 11.

MAternitatis Dei sublimissimam dignitatem contemplans D. Thom. 3. part. quæst. 27. art. 1. ad 1. dixit: *Hic titulus* (scilicet matris Dei) *vt admirabilis est, ita admirabiles sanctimoniæ vniuersæ diuitias postulat;* has copiosè adeò diuina munificentia in B. Virginem effudit, vt D. Bernardus dubitet, an Beatissima Virgo, diuino alioquin lumine præ omnibus alijs, copiosissimè illustrata, plenè dignitatem hanc agnouerit. etenim homilia 4 super Missus, ait: *Quid est: Et virtus Altissimi obumbrabit tibi? qui potest capere, capiat: quis enim (excepta fortassis illa, quæ hoc sola in se fœlicissimè meruit experiri) id intellectu capere, vel ratione discernere possit?* Ecce, fortassis; dixit, dubitat ergo. At D. Augustinus indubitanter, & absque hæsitatione affirmat, Dei genitricis dignitatem ab ipsa etiam Dei parente non plenè agnitam fuisse. *Audacter pronuncio, quòd nec ipsa plenè explicare potuit, quod capere potuit.* Vnde Andreas Cretensis oratione 1. de dormit B. Virg. à solo Deo dignam laudem ei posse deferri putat: *Quam* (inquit) *Dei tãtum est laudare pro dignitate.* Quare cùm nihil pro dignitate laudari queat, quòd pro dignitate prius non agnoscitur, cõsequens est, nullam creaturam, etiam Angelicam, dignitatem Dei Parentis plenè commendare posse, cùm nullus plenè, & comprehensiuè illam agnoscat: ad id namque oporteret, Deum ipsum incomprehensibilem comprehendere, cuius ipsa Beatissima Virgo mater est. Quamobrem D. Anselmus libro de excellentia B. Virg. capite 2. postquam dixerat, dignitatem Matris Dei omnia quæcunque (præter ipsum Deum) excellentia, & dignitate transcendere, solùm nobis præbet facilitatem, illam syncerè contemplandi, & religiosè ruminandi verba eius sunt hæc: *Hoc solùm de sancta Virgine prædicari, quòd Dei Mater est, excedit omnem altitudinem, quæ posit Deum dici, vel cogitari potest, & altissimum quid habet ad contemplandum, & ruminandum mens humana. Hanc ergo altitudinem, & nos altius contemplemur, & ruminemus; nam tametsi comprehendere non sit datum, ruminare non est negatum.* hactenus D. Anselmus.

D. Tho. 3. p. q 27. art. 1. ad 1.

D. Bern. ho. 4 super Missus est.

D. Aug. sup. Magnif. to. 9

Andr. Cret. ora. 1. de dor. B. Virg.

D. Anselm. lib. de excell. B. Virg. c. 2.

Primò, tanquam principium satis notum, & exploratum, omnes etiam Philosophi, solo lumine rationis illustrati agnouerunt, quanto aliquid cõiunctius est Deo, omnis bonitatis, & perfectionis perenni fonti, tantò perfectiùs, & excellentiùs iudicari. Si ergò ostenderim, Beatissima Virgine Dei parente nihil inter puras creaturas Deo coniunctiùs, aut arctiori vinculo cum eo copulatum concipi, aut excogitari posse, planè innotescet, Dei Genitricis dignitatem, lõgè omnem aliam dignitatem transcendere. Strictissimo sanè vnionis vinculo coniuncta sunt anima, & corpus; mors tamen illud soluit, animam à corpore diuidens; imò & amor potens est, suo modo, hanc separationem facere, vt Salomon Cantic. 8. dixit: *Fortis est, vt mors, dilectio;* quia sicut mors animam disiungit à corpore, ita, iuxta sententiam philosophi: *Amantis anima plus est, vbi amat, quàm vbi animat.* ecce separationem animę per affectum à proprio corpore, quia adeo sæpè efferbuit, vt (id experientia non semel comprobante) reipsa amanti animam abstulerit. Arctissima esse perhibetur coniunctio propriæ passionis cum subiecto, vt Philosophi docent; exempli gratia: Risibilitas cum homine, nihilominus tamẽ in dubium vertitur, an possit separari passio à subiecto, quibusdam affirmantibus, alijs verò negãtibus. Vnde vtraque pars in opinionem abijt. Deinde vnionis hypostaticæ Ver-

Cant. c. 8.

Aristot.

bi diuini cum humanitate, licèt sit tanta arctitudo, vt in morte Christi, separata anima à corpore, verbum tamen diuinum nūquam fuerit separatum ab eis; nihilominus tamen, communis est (nemine dissentiente) Theologorum sententia, Verbum diuinum de potentia eius absoluta dimittere posse humanitatem, coniunctionis vinculum cum illa penitus soluens, ac tandem nullius mēte concipi potest intimior, & arctior cōiunctio, quàm ea, quæ propter summam Dei simplicitatem inter eius attributa ad inuicem comparata, vel cum ipsa natura diuina fides Catholica in Deo nostro agnoscit; nihilo secius tamen, mens non solùm Angelica, sed & humana intelligentia, & ratione illa diuidit; misecordiam à iustitia præscindens, & nudam essentiam considerans absque attributis, & personis, immò in diuina substantia illud genus diuisionis inuenitur, vt licèt intellectus, & volūtas sint eadem simplicissima entitas, re vera secundùm fidem Catholicam, voluntate non generet Deus, sed intellectu, nec intellectu spiret, sed voluntate. Coniunctio autem matris cum filio, seu maternitatis cum filiatione tanta esse agnoscitur, vt neque cogitatione hæc ab illa diuidi, aut quoquo modo secerni possit. Cùm ergò Beatissima Virgo ad eam dignitatem ascenderit, vt *theotocos* sit, hoc est, *Dei mater*, vt sacrum Cōcilium Ephesinum contra Nestorij impietatem acerrimè defendit, catholiceque definiuit: consequens est, tantam esse cum Deo Beatæ Virginis coniunctionem, vt quatenus mater est, neque cogitatione separari quoquomodo possit ab ipso Deo, ad quod sanè respiciens Sanctus Bernardus homilia 6. super Missus est, hæc præclara verba tanti Patris ingenio digna protulit: *Cùm Deus sit cum omnibus Sanctis propter concordiam voluntatis, specialiter tamen cum Maria, cum qua vtique tanta ei consensio, & coniunctio fuit, vt illius non solùm voluntatem, sed etiam carnem sibi coniungeret, ac si de sua, Virginisque substantia vnum Christum efficeret, vel potius vnus Christus fieret, qui, etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus Virginis esset, nec duo filij, sed vnus vtriusque filius.* hæc Diuus Bernardus. Sed & Ouidius in suis epistolis, matrem illam introducit, filium suum vocantem, propter summam cum eo coniunctionem, viscera sua:

Cum ea me coram siluas inimicus in altas; *Ouidius.*
Viscera montanis ferret edenda lupis.

Secundò; dignitatem Dei parentis id valdè commēdabilem rem reddit, quòd Filius Dei vterum eius ingrediendi ardentissimo desiderio flagrarit, vt his verbis adnotauit B. Andreas Cretensis oratione 2. de dormitione Deiparæ: *Tu es terra, quæ es verè desiderabilis. Rex enim desideranit gloriam tuæ pulchritudinis, & amauit diuitias tuæ virginitatis, & in te habitauit:* Desiderium hoc contemplans S. Augustinus sermone 17. de Natiuitate Domini, quædam verba adeò mysterijs grauida protulit, vt singula sua expositione indigeant: etenim ad B. Virginem, antequam consensum præberet ad acceptandam Dei Matris amplissimam dignitatem, in hunc modum in persona Gabrielis loquitur: *Vsque quo moraris, ô Virgo, nuncium festinantem? intuere Dominum Deum, in Cœli me vestibulo sustinentem.* Obserua quæso, vocasse se, nuncium festinantem: sed quid quæso, opus est, ô Gabriel, tanta festinatione in peragendo negotio tanti momenti? pedetentim res tanta pertractanda est, Deus ipse per plusquam quinq; millia annorum propter summam rei grauitatem, quasi illud maturans, distulit; & nuncius illius festinā er vult rem tantam peragi? nuncium festinantem: sanè Gabriel, probè agnouerat ardens Domini sui desiderium, quo tenebatur, virgineum thalamum ingrediendi; & ideo, tanquam fidelis nuncius, quātum potest, assensum ad ingressum eius accelerare satagit. Deinde subdit D. Augustinus in perso-

Conc. Ephes. cont. Nestor.

D. Bern. ho. 6 sup. Missus est.

B. And. Cret. orat. 2. de dorm. Beatæ Virg.

S. Aug. ser. 17. de Natiuit. Domini.

na An-

ra Angeli: *Intuere Deum, in Cœlime vestibulo sustinentem*; non dixit, Deum sustinere, aut expectare illum in sede Regiæ maiestatis, aut solio gloriæ suæ, sed in vestibulo Cœli, ad fores sui palatij; qua loquendi phrasi manifestius expressit ardorem diuini desiderij in virgineum thalamum ingrediendi; etenim, cùm quispiam ardenter aduentum alicuius desiderat, impatiens desiderium ad fores domus illum properare compellit, si forsan, quem desiderat aduentantem, citius videat, vt fecisse legimus matrem Tobiæ iunioris, quæ præ magnitudine desiderij videndi filium suum, ad fastigium montis conscendebat: *Anna autem ascendebat quotidie super culmen montis; vnde prospicere poterat de longinquo.* Huius etiam ardentis Dei desiderij illud euidentissimum argumentum est, quòd exhibito à Beata Virgine consensu, nec per momentum, ingressum in matris vterum distulit, vt egregiè obseruauit Diuus Augustinus: *Nec mora reuertitur nuncius, & nuptialem thronum ingreditur Christus*; ô mirabilis, & inauditus huius desiderij ardor. Nouerat Dominus, antequam in materno vtero fœtus concipiatur, per quadraginta dies, iuxta ordinem naturæ in masculis disponi materiam; ipse tamen præ magnitudine desiderij Beatæ virginis ventrem introeundi, supremi sui dominij auctoritate vtens, naturæ iura violans, quadraginta dies non expectat, sed in vnico temporis momento, quo nulla breuior duratio excogitari potest, in vtero Beatæ Virginis corpus sibi coaptat, animam ei infundit, & vtrinque vnionis hypostaticæ vinculo sibi copulat. Vnde D. Ioannes Damascenus libro tertio fidei Orthodoxæ capite 2. dixit: *Non ita vt paulatim, tacitisque incrementis figura corporis absolueretur, sed vno, eodemque momento perficeretur*; hoc idem filij Dei desiderium non obscurè probat, frequens, quem voluit, antequam homo fieret, de mysterio Incarnationis in vtero Virgineo celebrando, habere, sermo. Quæ enim ardenter desiderantur, frequenter in ore versari placet. Per Isaiam dixerat: *Ecce Virgo concipiet*; per Hieremiam: *Nouum creauit Dominus super terram, mulier circumdabit virum*; per Michæam: *Et tu Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es; ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel*; immò & per Oseam obstinatis Iudæis in Christum credere renuentibus, tantæ obdurationis supplicium eis præsagiens, Incarnationis suæ ex Virgine meminit; & per illam puniendos fore prædixit. Nam vbi noster vulgatus interpres legit: *Væ eis, cùm recesserò ab eis*; originale Hebræum habet: *Væ eis, cùm incarnatus fuero ab eis.* Ne autem cuipiam hæc lectio commentitia videatur, parumque cohærere vulgatæ lectioni, legat, quæ in commentario huius loci in hæc verba scripsit noster doctissimus Lyranus: *Sciendum, quod iste est vnus de passibus Scripturæ veteris testamenti corruptis à Iudæis*, secundùm quod dicit Frater Raymundus in Hebraica lingua valdè peritus: ad cuius intellectum, sciendum, quòd sic in Hebræo habetur: *quia etiam væ eis, Besuri de eis.* Hebræi verò habent duplicem literam, scilicet, *Samech*, & *Sin*, in sono, & charactere differentes: quando verò *Besuri* per literam *Samech* scribitur, significat, *in recessu meo*; quando verò describitur per *Sin*, significat, *Incarnationem meam*; hic autem scribitur per *Sin*; & ideò hæc est vera litera: *quia etiam: væ eis incarnatio mea de eis*: assumpsit enim Deus carnem de Iudæis, & ex hoc secutum est, *væ eis*, quia pro maiori parte fuerunt incredeli, & persecutores Christi, & in vindictam mortis eius per Romanos trucidati, & captiuati fuerunt. Hæc ille: quam intelligentiam à calumnijs quorundam Hebræorum eruditè ibidem vindicat. Hoc tandem Dei desiderium, ardens amor erga Beatam Virginem, quo diuinum pectus æstuabat, vehementius inflammabat. Refert Horatius,

Tobiæ 10.

D. Aug. ser. 17 de Natiu. Domini.

D. Io. Dam. lib. 3 fid Orthod c. 20.

Oseæ 9.

Lyranus in Oseam c. 9.

F. Raymũd.

Briſein ſeruam pulchritudine ſua fortiſſimum Achillem captiuaſſe:

Horatius. *Serua Briſeis niueo calore nouit Achillem.*

Quis fortis Achilles, niſi Verbum diuinum, quod fortiſſimum eſt brachium Dei: *& brachium Domini, cui reuelatum eſt?* *Iſaiæ 53.* hic ergò fortis Achilles captus fuit amore pulchritudinis, ac miræ ſanctitatis ſeruæ, & ancillæ illius, quæ in medio exaltationis ſuæ, dum mater Dei efficeretur, dum dignitate matris Dei inuitaretur: *Ecce ancilla Domini*, humiliter dixit. *Lucæ 1.* Vehemens igitur iſte amor Dei erga Beatam Virginem magis, ac magis Dei deſiderium excitabat, ſacrum illum thalamum ingrediendi.

Tertiò, dignitatem, & excellentiam matris Dei ex eo non parum exaltari arbitror, quòd ipſemet Filius Dei conſubſtantialis Patri gloriatur, naturalem filium eſſe tantæ matris, vt non obſcurè indicant verba Diui Matthæi cap. 1. dicentis: *De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* *Matth. c. 1.* Inter omnia Dei nomina nullum glorioſius, ac maiore veneratione dignius, quàm nomen, *Ieſus*, iudicauit *Ad Philip. 2.* D. Paulus, dum ad Philippen. 2. in nullo alio nomine dixit, quàm in nomine Ieſu flecti omne genu tam cœleſtium, quàm terreſtrium, & infernorum. Voluit ergò Dominus, cùm à ſacro Euangeliſta dicitur natus ex Virgine illuſtriori, ac glorioſiori ſuo nomine nũcupari, vt hac ratione ſignificaret, ſe filium tantæ matris gloriari. Certè, cùm contingit, principem aliquem humilem, & abiectam matrem habere, ſemper illam reticeri cupit, nec aliquã eius fieri mentionem vellet: quando tamen illam nobili genere natam, varijsque animi dotibus conſpicuam omnes norunt, mirum in modum gloriatur, talem fortitum fuiſſe matrem. Cùm ergò videamus, Chriſtum Dominum principem pacis, voluiſſe à ſacris hiſtoriographis natum ex Virgine prædicari; manifeſtè relinquitur, glorioſum ſibi iudicaſſe, filium eſſe tantæ matris. Vnde, & in principio Geneſis voluit nominari ſexum, ſeu ſemen mulieris: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ſemen tuum, & ſemen illius.* *Geneſis 3.* vbi (vt id obiter dicam) Rupertus libro 3 de Trinit. cap. 19. verſans hunc locum, ſcitè adnotauit, ſolum Chriſtum ita eſſe ſemen, ſeu filium mulieris, vt nõ etiam ſit ſemen viri; & ideò, non abſq; myſterio, voluiſſe Dominum ſemen mulieris nuncupari. In Euangelico tandem eloquio millies voluit, Filium hominis nominari: quòd idem prorſus eſt, quòd filium Virginis appellari; quinimò & æternus Pater ſibi valdè honorificum putat, Beatam Virginem proprij filij ſui naturalis veram eſſe matrem, vt non obſcurè mihi indicare videtur Lucæ 1. illa verba: *Ideoque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* *Lucæ 1.* Poterat ſanè veraciſſimè B. Virgini dicere Angelus: *Quòd naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius tuus:* *Ibidem.* at conſultò id omittens, dixit: *Vocabitur Filius Dei:* vt ſignificaret, ad illud ſanctitatis, & perfectionis culmen Beatam Virginem attigiſſe, vt æterno Patri pergratum ſit, filium Virginis, filium Dei & eſſe, & nominari: hoc perpendens D. Anſelmus lib. de Excellentia Virginis cap. 3. ſapienter valdè dixit: *Intendat mens humana, & contempletur, videat, & miretur: vnum filium conſubſtãtialem ſibi Deus Pater genuit, hunc ſibi vnicum, & omnibus modis æqualem, non paſſus eſt remanere ſolummodo ſuum, ſed eum ipſum in rei veritate eſſe Beatæ Mariæ vnicum, & naturalem filium.* *D. Anſel. lib. de excellen. Virg. c. 3.*

Quartò, Regius Propheta Pſalm. 86. poſtquam dixerat de B. Virgine ſub Ciuitatis metaphora: *Gloriosa dicta ſunt de te Ciuitas Dei:* *Pſalm. 86.* inter alia, illud, tãquam glorioſius apponit: *& homo natus eſt in ea.* *Ibid.* Poſſet quiſpiam meritò Dauidem interrogare, ſi cupiebat Beatæ Virginis maieſtatem, & excellentiam commendare; vt quid non dixit: *Et Deus natus eſt in ea?* hoc enim palam in maiorem B. Virginis cederet gloriam, cùm per ſe notum ſit, maiorem dignitatem præſeferre maternitatem

nitatem Dei, quàm hominis. Huic interrogationi illud occurrit respondendum, Dauidem consultò eo loco contẽtum fuisse dicere: *& homo natꝰ est in ea*: nã si ore proferret: *Deus natus est in ea*, timebat, ne inde ansam nonnulli arriperent existimandi, Beatam Virginem Deum esse, cùm Deum pareret: & ideò ad hanc falsam existimationem propulsandam, consultò non dixit: *& Deus natus est in ea*. Ecce tanta est Dei matris dignitas, vt oporteat ipsos etiam Prophetas cautè loqui, ne Beatæ Virgini Deitatem deferentes, in errorem inducerentur. Atque huc facit, quòd D. Epiphanius, explicans illa verba Christi pendẽtis in Cruce: *Mulier: ecce filius tuus*; hæret in verbo illo, *Mulier*: quare, non potius mater, maximè tempore illo, quo maiore egebat consolatione sacratissima Virgo? verbum autem illud, *mulier*, siccum, aridum, & asperum videtur. Respondet S. Epiphanius, consultò id fecisse Christum, ne, si matrem eam vocasset, quam posteà Dei matrem esse manifestãdum, & prædicandam erat; quispiam eam ob id, & propter eximiam eius sanctitatem, & perfectionem, Deitatem aliquam esse putaret, aut Seraphinum aliquem carne velatum; quare tunc in articulo mortis constitutus, relinquere voluit testatum, eam, non Deam esse, sed mulierem: *Mulier, ecce filius tuus*.

D. Epiphan.

Ioan. 19.

Ibidem.

Quintò, præexcellentem adeò dignitatem matris Dei esse reor, vt in nullo diuinorum operum magna Dei omnipotentia magis effulgeat, quàm in eo, quòd Beata Virgo facta fuerit mater Dei. Vnde ipsa Deipara in Cantico suo cecinit: *Fecit mihi magna, qui potens est*. Nemo sanè ignorat, Deum in opere creationis valdè suam omnipotentiam manifestasse, cùm ex nihilo tam Cœlum, quàm terram, tam Angelicam naturam, quàm humanam effecerit: nemo inficiatur, in opere iustificationis maximè innotescere diuinam omnipotentiam, cùm filius perditionis in filium Dei transferatur: *Translati estis à morte ad vitam*. In opere etiam glorificationis, diuinam omnipotentiam mirificè ostentari tam notum, vt approbatione non indigeat. At multò mirabilius, & glorioſius illa in maternitate Dei præfulget; quia in illis omnibus, quantum valeat Dei virtus, & potentia, in creaturis innotescit; at, cùm Beatam Virginem Dei matrem fecit, quòd neutiquam præstare poterat, nisi ipse ex ea carnem assumeret; manifestauit, quantum possit diuinæ virtutis eius potentia erga seipsum operari, quòd certè nunquam expertus fuerat, quousque Beatam Virginem in matrem accepit. tunc enim experientia ipsa didicit (si ita fas est loqui) eò pertingere potuisse omnipotentiam suam, vt spiritum faceret carnem: *Et verbum caro factum est*: & Deum hominem constitueret: *Et homo factus est*: & qui substantia est increata, & inoperata, sit opus manuum suarum. Certè artifices, quantumcumque primi, ac peritissimi regia palatia Mosaico, Dorico, aut Corinthio labore quamuis construãt, se tamen ipsos construere non possunt, nec fieri opus manuum suarum; hoc enim diuinæ Dei omnipotentiæ est reseruatum, qui cum sit omnium Creator, potuit fieri Creatura, atque adeò se ipsum hominem effingere, & formare, terminando dependentiam naturæ humanæ (vt loquuntur Theologi) ac supplendo in Christo per suam suppositalitatem vicem suppositi humani, quo nullum excellentius opus diuina valuit operari virtus, ob quam potissimã causam in eo conficiendo, comparatur figulo, Hieremiæ capite decimo octauo. *Descendi in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam; & dissipatum est vas, quòd ipse faciebat è luto, manibus suis, conuersusque fecit illud, vas alterum, sicut placuerat in oculis eius*. In quo typo hominis lapsus, & instauratio exprimitur. Verè enim homo, quem Deus è luto formauerat, vas erat fictile, quòd tam citò fra-

Lucæ 1.

1. Ioan. 3.

Ioan. 1.

In Symbolo Nicæno.

Hierem. cap. 18.

ctum est, vt adhuc voluente rota, fractū
Ibidem. fuisse videatur. Idcirco enim dicitur: *Faciebat opus suum super rotam, & dissipatum est*; verùm, eo facto, figulus alterum vas, longè pulchrius, Christum videlicet efformauit, in quo genus humanum in primo Adam dissipatum, rursus, tanquam in secundo, instauraretur. Ratio verò similitudinis, præter alia, colligitur ex figuli descriptione, quæ commemoratur Ecclesiast. 38. *Figulus sedens ad opus suum, conuertens pedibus suis rotam, qui in sollicitudine positus est semper propter opus suum, & in numero est omnis operatio eius*; (aliàs legitur numerata) *in brachio suo formabit lutum, & ante pedes suos curuabis virtutem suam.* Vbi notanda sunt postrema illa verba, *curuabit virtutem suam*; quasi enim necesse fuit, vt omnipotentiam suam Deus vsque ad vltimum exerceret, & quasi curuaret, & flecteret, vt ad tantum opus efficiendum pertingeret, ac difficultate curuatam fuisse, quemadmodùm figulus flectit fortitudinem suam incuruando se deorsum ad perfectionem operis.

Ecclesi. 38.

Sextò, inter pleraque alia, quæ maiestatem, & excellentiam matris Dei ostētant, illud supra modum mirabile est, quòd ad conceptionem Filij Dei naturam humanam inducentis, nulla creatura, nisi sola B. Virgo propriam, & veram causalitatem, aut physicum concursum ad illam exhibuerit. Quare verba illa D. Matthæi: *De qua natus est Iesus*; de sola ipsa verificantur, quia ex sola illa, & in illa (Spiritu sancto cooperante) Filius Dei humanam carnem inducit. Atque hinc est, quòd si vera est sententia eorum, qui dixerunt, quòd cum sola B. Virgo causalitatem exercuerit ad conceptionem, & formationem Christi Domini, & Christus verè sit Deus, consequens sit, vt sicut ipsa verè est Genitrix Dei, ita in eodem sensu veraciter sit causa Dei: etenim, cum omnis, qui temporaliter necessariò generat, causet, & causare sit ratio superior ad generare, & in eo essentialiter inclusa, manifestè

Matthæi 1.

efficitur, vt in quo sensu veraciter dicitur de B. Virgine, quod genuit Deum, in eodem verè enuncietur, quòd causarit Deum; & quidem, cum arbor verè sit causa sui fructus, & Christus Dominus verè & propriè sit fructus virginei vteri, iuxta verba Elisabeth: *Benedictus fructus ventris tui.* Luc. 1 consequens est, vt B. Vir. fuerit causa huius fructus; &, cum rursus, talis fructus verè sit Deus, consequens etiam est propter cōmunicationem idiomatum, vt verè Deipara dicatur causa Dei. Vnde sicut sensus primæ propositionis, non est, quòd genuerit Deum, in quantum Deum tæduplicatiuè, sed specificatiuè, Deum hominem (vt Scholasticis Theologorum terminis vtar) ita & sensus secundæ propositionis est, quòd causauerit Deum, non in quantum Deum, sed Deum hominem. O stupendam, & ineffabilem B. Mariæ, Dei parentis dignitatem, vt, cum alioquin Deus sit prima, & vniuersalissima omnium causarum, à quo omnes pendēt in esse, & operari: *in ipso enim viuimus, mouemur & sumus* (vt ait D. Paulus) ipse voluerit ab ea dependere in generari, nec alia carne indui, quàm per veram generationem, & propriam causalitatē à B. Virgine exhibita. Vnde ob tantum portentum, in admirationem raptus D. Anselmus orat. ad B. Virg ingeniosè dixit: *Mirares, inquam, sublimi contemplor Mariā locatam: omnis natura à Deo est orta, & omnis Dei natura ex Virgine.* In ore omnium versatur illud in vita Aristotelis philosophorum principis, quòd, cum Deum esse agnouisset ex eo, quòd necessarium iudicaret dari vnam primā causam, à qua omnes causæ penderent, & illa à nulla, ne alioquin in Scyllam, seu Charybdim incideret, instante iam sibi morte, in illam vocem prorupit: *Causa causarum miserere mei.* Si igitur Aristoteles iudicauit, & meritò magnam dignitatem, ac excellentiam Dei redolere esse causā causarum creaturarum, quæ facilè pereunt, & in nihilum ab eo redigi possunt,

Exemplum.

Luc. 1.

Ioan. 17.

D. Anselm. orat. ad B. Virginem.

Celius Rodiginius.

Psalm. 33. sunt, Dauide dicente Psal. 33 *Auferes Spiritum eorum, & deficient* quam excellentiam, quæso, quam dignitatem, quem honoris splendorem B Virgini Deiparenti deferret Aristoteles, si agnouisset, illam causam esse non causarum secundarum, sed ipsius primæ causæ, cui ipse dicebat. *Causa causarum miserere meit* Arbitror certè ipsum lapsurum in eum errorem, in quem ingenuè fassus est incidisset D Dionysius Areopagita, quando primò Beatam Virginem vidit, qui nisi fidei Catholicæ veritas ei obstitisset, Deitatis cultum ei deferret. Dixi tamen consultò, & notanter à principio, si vera est eorum sententia, qui dicunt, in eodem sensu, in quo B. Virgo dicitur Mater Dei, posse etiam dici, causam Dei; hoc enim non omnes Theologi concedunt, tum quia cum dicitur: Mater Dei, in ipso nomine Matris determinatur humana generatio, per quam Deus factus homo ex B. Virgine processit, nomen autem causæ non determinat productionem. Vnde si beata Virgo diceretur causa Dei, Deus denominaretur causatus, & effectus: quæ enunciationes sunt falsæ, quia simpliciter non est factus, sed est factº homo. Ac tandem, quia cuiuscunq; rei, respectu cuius creatura habet causalitatem, Deus etiam est causa illius, atq; adeò si B Vir. esset causa Dei, Deus esset causa Dei, quod absurditatem præsefert, sed hoc hic definire non est huius loci.

Septimò accedit ad honoris cumulũ dignitatis Matris Dei, quod voluerit Dominus ex eius consensu pendere salutem humani generis, ac liberationem eius à seruitute Sathanæ. Etenim, cum tota nostra salus, ac libertas sita fuerit in Incarnatione Verbi diuini, & hanc non aliter fieri, quàm dependenter à cõsensu B. Virginis, Dominus decreuisset; consequens est, humani generis salutem, & libertatem à B. Virginis consensu dependisse. Portò Deum B. Virginis consensum expectasse ad sumendam carnem in eius vtero, his præclaris verbis edocuit doctissimus Guliel. in c. 4. Cantic. vbi exponens verba illa: *Fauus distillans labia tua*, hæc scripsit: *Deus misit Gabrielem ad Beatam Virginem, vt ei mysterium Incarnationis, & Redemptionis panderet, atque eius consensum flagitaret: nolebat enim omnipotens carnem sumere ex ipsa, non dante ipsa sicut sumpserat de dormiente, & non dante Adam, vnde formauit Euam. Ad futuræ matris excellentiam non tantum ex ipsa carnem sumere, sed etiam ab ipsa, volebat; Video propter B. Virginis consensum dulcissimum dicitur Cantic. 4. Fauus distillans labia eius.* hæc ille. *Verba autem, quibus assensum præbuit, nemo ignorat illa fuisse: Fiat mihi secundùm verbum tuum.* In quibus illud obseruatione dignũ arbitror, quòd cum alioquin Moyses rerum creationes enarrans, postquam dixerat: *Fiat lux*, continuò subiunxit: *Et facta est lux.* Et postquam dixit, *Fiat firmamentum.* absq; mora subiecit: *Et fecit Deus firmamentum.* Ac tandem, postquam dixerat, *Congregentur aquæ, quæ sub Cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida*, confestim subdit: *Et factum est ita.* Euangelista tamen referens fiat B Virginis, silentio præterijt factum esse illius; nunquam dixit: factum est: ita sanè mysterio vacare nõ potest, quòd cum sacer Euangelista in exordio suæ Euangelicæ lectionis ex professo enarrandam assumpserit Incarnationem Verbi diuini, & conceptionem eius in vtero virgineo, promissionem Angeli expressè proponat. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*: consensum deinde huic promissioni à B. Virg. exhibitum, & acceptionem eius palam testatur verba B. Virginis recitans: *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, effectum tamen omninò præterijt: Verbum re ipsa carnem assumpsisse, & Deum hominem factum non exprimit, nec factum aliquod illi fiat respondisse cõmemorat. Et quidem, si decebat testificari in creatione mundi ad fiat Dei factum esse fuisse cõsecutum, decentius multò videbatur, ad fiat B. Virginis in restauratione eiusdem

Guilielm. in c. 4. Cant.

Cant. 4.

Genes. 1.

Genes. 1.

Luce 1.

Ibidem.

Ibidem.

mundi factum esse, illius non reticuisse, sed palam illud exprimere. Ego sanè libenter auditem doctiores me nodum huius difficultatis soluentes: arbitror quidem, nisi mea me fallit opinio, quòd cùm iam in populo Dei satis peruulgata essent vaticinia verbi diuini incarnationem, & conceptionem eius prænunciantia, nihilque aliud ad eorum impletionem, cùm iam tempus aduentus Filij Dei accessisset, quàm B. Virginis cōsensus desideraretur, superuacaneum putauit sacer Euangelista, enarrato B. Virginis cōsensu, per illa verba exhibito: *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, factum esse illius, commemorare, cùm per se notum esset, Deum suæ promissioni non defuturum. Quòd si cuipiam videatur, etiam per se manifestum esse, efficax Dei fiat, habiturum esse suum factum esse non diffiteor; nihilo secius tamen Moyses nō contētus dicere: fiat Dei: adiecit, factum esse: *Fiat lux, & facta est lux.* Alia ergo videtur ratio illius præteritionis assignāda: mihi certè non alia detegitur, nisi quòd Deus tanti habuit fiat B. Virginis, vt illud magis honorari voluerit, quàm suum proprium fiat: volēs, fideles agnoscere, adeò tam mirabili efficacitate, ac tam potenti virtute cœlitus præditum fuisse fiat B. Virginis, quòd exhibuit ad Incarnationem Verbi diuini, vt etiam, Euangelista factum esse eius prętereunte, indubitanter credat, in eius vtero tunc Verbum carnem factum esse; meritoq; mihi videtur, voluisse Deum talem deferri honorem huic B. Virginis fiat, quia si rem altius perpendamus, præstātius, & excellentius, ac multò nobis vtilius, quam fiat Dei in rerum creatione sapienter iudicādum est. Etenim ad fiat Dei: *Mundus per ipsum factus est*: ad fiat autem B. Virginis: *Verbum caro factum est.* Ad fiat Dei homo factus est in animam viuentem per vnionem corporis cum anima; ad fiat verò B. Virginis Deus factus est homo per vnionem Verbi cum humana carne. quòd si tantò nobilius est fiat: quantò res per illud facta nobilior, & præstantior esse perhibetur; quia vt commune fert Philosophorum axioma: actiones specificantur à terminis, & ab eis perfectionem suam sumunt: consequens est, tantò nobilius, debita proportione seruata, censeri debere: fiat B. Virginis, quàm fiat Dei, quantò nobilius est Conceptio Christi ex B. Virgine, quàm productio primi hominis ex limo terræ. Vnde quemadmodum D. Paulus epist. ad Roman. dixit: *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, nam ex rerum creatione ad notitiam omnipotentię diuinę; ex pulchritudine, & perfectione vniuersi ad agnitionem diuinæ bonitatis: ex regimine tandē, & gubernatione totius ordinis ad cognitionē diuinę sapientię ascēdimus; ita congruè satis de B. Virgine licet nobis dicere: *Inuisibilia eius per ea, quæ facta sunt ab illa, intellecta conspiciuntur.* cùm per illam, & ex illa Deus factus sit homo.

Luce 1. — Genes. 1. — D. Paul ep. ad Roman. — Ibid.

Octauò, illud dignitatem Beatę Matris Dei sublimem luculenter satis commōstrat quod, excepta dignitate Filij Dei naturalis, quæ propria est Christi Domini; omnem tam angelicam, quàm humanam dignitatem longè transcendit, vt B. Petrus Damian. his verbis elegāter edixit sermone de Assumptione B. Mariæ: *In illa inaccessibili luce perlucens sic vtrorumque spirituum, id est, hominum, & Angelorum hebetat dignitatem, vt in comparatione B. Virginis, nec possint, nec debeant apparere.* Certè Deus in Ecclesia se gessisse mihi videtur, sicut Rex in Regia sua, qui munera, & officia domus suæ inter familiares distribuit: hunc enim præpositum maximum Aulæ facit, illum Camerarium, hunc thesaurarium, illum à Cōsilijs: sed omnes istos famulos, & ministros appellamus; sic Deus noster munera, & officia Ecclesiæ suę suis familiaribus impertiuit, vti Apostolus asserit ad Ephes. 4. *Et ipse (scilicet Dominus) dedit quosdam Apostolos, quosdā autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & do-*

B. Pet Dam. ser. de assum. B. Mariæ. — Ad Ephes 4.

Ioan. 1. — Ibidem.

& doctores. Magna munera hæc, & dignitates eximiæ, Apostolum, vel Prophetã esse, vel Euangelistam &c. sed ad quem finem hæc subdit Apostolus: *In opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* in opus ministerij: ergo ministri omnes isti? ita est; quid enim existimas Apostolos esse, nisi Euangelicos nuncios, propter eos missos, qui hæreditatem capiunt salutis? Vnde illorum quidam 2. ad Corinth. 5. dixit: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante, per nos obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Legati ergo, & Nuncij Christi, Apostoli sunt. quid verò prophetæ? à secretis Christi. quare prophetæ vox est: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* & illa Dauid Psal. 50. *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* quid Doctores & Prędicatores nisi famulos facis, vt vocant, Dauid dicente: *Lucerna pedibus meis verbũ tuum?* quid martyres, nisi milites, ac duces exercitus Christiani, qui ob defensionem fidei, & amorem Christi sanguinem, & vitam ipsam tradiderunt? Quid Virgines, nisi famulas regiæ cælestis: *Damas del palatio de Dios?* Quid autem omnes isti, nisi famuli, ac ministri Domus Dei? *in opus* (inquit) *ministerij, in ædificationem corporis Christi:* immo, quid Angeli sint, dicat Apostolus: *Omnes* (inquit) *sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Vnde præclarè, vt assolet D. Bernard. hom. 1 super missus est, explicans illa verba Luc. 2. *Fili, quid fecisti nobis sic?* inquit: *Quis hoc audiat Angelorum? sufficit eis & pro magno habent, quòd cum sint spiritus ex conditione, & gratia, facti, & vocati, Angeli sunt, teste Dauide: qui facit* (inquit) *Angelos suos spiritus. Maria verò matrem se agnoscens, maiestatem illam, cui ipsi cum reuerentia seruiunt, cum fiducia suum nuncupat filium.* Omnes igitur huiusmodi dignitates sublimes esse non nego; ad ministros autem pertinere assero. dignitas verò matris Dei, quatenus talis non ministrantis, sed dominantis est; mater enim Regis in aula Regia, non famula, sed hera, non ancilla, sed Regina est; sic Christi Domini mater in regia illius domo Regina est, & Domina, cuius dominium in eo planè Christi dominium superat, quòd ille subditas solum habet sibi creaturas, & super illas solum dominatur; at B. Maria subditum sibi habet Deum (vt D. Lucas testatur) *subditus erat illis,* & tanquam mater filio dominabatur, immo non solum sibi illum subditum fecit, sed & sponso suo Iosepho. Vnde D. Bernard prædicto loco subiecit: *Ille, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus, & potestates obediũt; subditus erat Mariæ, nec tantum Mariæ, sed etiam Iosepho propter Mariam.* Ecce tanta est dignitas Matris Dei, tanta maiestas, tanta sui principatus virtus, vt quia Ioseph sponsus Beatæ Virg. erat, ipsum Deum subditum sibi habeat.

Ad extremum, finem dicendi facio, illud honoris decantatis à me hucusque Marianis encomijs adijciens, quòd licet tanta sit magnitudo, ac sublimitas dignitatis Matris Dei, totque ac tam portentosa sint diuina charismata illi annexa, B. tamen Virgo omnium istorum pariter, & ipsius maternitatis Dei, si non ex condigno (vt loquuntur Theologi) saltem de congruo, se dignissimam exhibuit, & illa cælitus sibi dari meruit, vt perlepidè cecinit Sybilla Hellespontica, vel Troiana, vt author est Hercules de oraculis Syllabarum

Dum meditor, quandam vidi decorare puellam;
Eximio castam quæ se seruaret honore:
Munera digna suo, & diuino numine visa;
Quæ sobolem multo pareret splendore micantem.

Vnde, & D. Io Damascenus orat. 1. de Natiuit B. Virg. dixit, dignam fuisse B. Virginem, filium habere Creatorem; quæ sola Creatore digna erat. Sicut autem B. Virgo propter dignitatem Matris Dei, mutuata nobilitate à prole sua, omnium creaturarum nobilissima esse perhibe-

Ibidem.
2. ad Corin. 5.
Isaiæ 24.
Psalm 50.
Psal. 118.
Ad Ephes. 4.
Hebr. 1.
D. Bernard. hom. 1 sup. missus est.
Lucæ 2.
Psal. 103.
Lucæ 2.
D. Bernard. loco præcit.
Hercul. de orac. Sybil. D. Io. Damascen. orat. 1. de natiu. B. Virg.

perhibetur; ita stemmata quæ vulgus, *arma*, vocat, & nobilitaris insignia sunt, omnium stemmata nobilitate, & splendore longo interuallo superat, B. Petro Damiano dicente: *Hæc per clarissimam sobolem, omnem humani stemmatis excedit nobilitatē* Imperatorum aquila biceps, hoc est, duplici capite constans, glorioſius censetur stemma; at Deiparæ Virginis generesior alia biceps aquila, stēma esse perhibetur, Christus scil. Dominus ex duplici natura constans in vnitate suppositi, vna diuina, per quam est imago Patris; alia humana, per quam est persimilis matri. Quòd si Imperatorum stēma est aquila, quæ in splendentem solem oculorum aciem figit, beatæ Virg. certè stemma est ipse Sol Iustitiæ, *qui illuminat omnē hominem venientē in hunc mundū*; nube tamen humanitatis ita obtect⁹, & inuolutus, vt manib⁹ tangi potuerit, vt D. Ioannes testatur c. 1. *Et manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ*. Si Imperatorū stemma regia Aquila est, aurea corona cinctum habet caput in signum regiæ auctoritatis, & regalis Imperij, certè beatæ Virginis stemma, ille est, de quo Daniel. 2. dixit: *Ipse transfert Regna atq; constituit*: & D. Ioan. in sua Apoc. *Regem Regū, & Dominum Dominantium*, illum nuncupauit Quod si Imperatorū stēma, perspicacissima aquila est, vno capite versus orientem, alio vers⁹ occidentem respiciens, stemma Deiparæ Virginis est, qui sedem habēs in Cœlo, terra scabellū est pedum illius: Isaia dicente cap. 61. *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*. Ac tandem, si Imperatorum stēma, aquila est, manibus suis regium scutum sustentans, stemma B. Virg est ille, qui tribus digitis appendit molem terræ. Cum ergo Dei matris dignitas ex tam multiplici capite præcellat, omnis mater ei cedat. Eua iusti Abelis mater, cedat Sara mater obedientis Isaach, cedat Rebecca mater Iacob, cœlestia contemplantis, cedat Anna mater Samuelis, diuinitus multa prophetantis, cedat Bersabea mater sapientissimi Salomonis, quia *pluſquam Salomon hic*: vt cedat mater Octauiani Augusti, vniuersi orbis Domini, de quo Diuus Lucas c. 2 ait: *exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*; cedat tandem Olimpias Alexandri illius mater, de quo sacra eloquia testantur, siluisse terram in conspectu eius. quia licet singuli istorum omnium magnanimitate, fortitudine, obedientia, animi generositate, immo & sanctitate, alijsque naturalibus, vel supernaturalibus animi, & corporis dotibus conspicui fuerint, omnes tamen homines fuerunt, atque adeo fragiles, labiles, & lapsi. Beata autem Virgo filium habet, non purum hominem, sed pariter Deum, & hominem, cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

B. Pet. Dam. Ser de Nat. B. Virg.

Ioan. 1.

Ioann. c. 1.

Daniel. 2.

Apoc. 19.

Isaia c. 61.

Matth. c. 12.

Lucæ c. 2.

1. Mach 11.

HOMILIA VI.

Prosequimur idem argumentum ex septem insignibus matribus, quarum diuina eloquia meminere, excellentiam Dei Matris deprehendentes in eadem verba, Beatus venter, qui te portauit.

IN sacris historijs reperio, Beatam Virginem Mariam octies appellari *matrem*, bis nempè in Cana Galilæa, & sub Cruce. Ne fortè mulier parcius propter sexum leuiter signandum; mater verò multoties dicta, propter partum seriò notandum. Partum autem non communi ratione, sed supra omnem naturæ ordinem, enixū; propter quem & illa, mater matrum, inter omnes mulieres, & matres benedicta censetur. Produc in hoc Orbis theatrum septem illas veteris æui matres, quæ olim, cum fuissent steriles, ex certa, specialique Dei benignitate parentes euaserunt. Nulla earum octies nuncupatur mater; Maria consecuta est. Puritatem

Ioan. 2. & 19.

tem vitæ desideras? nulla sanctior: dignitatem quæris? nulla honorificentior: parturiendi & pariendi modos? nulla præter insuetum. Sara à Petro celebrata, quia obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans: Rebecca laudata, quia in hospites munifica, & camelis ipsius potum præbens: Rachel, quia pudica, facie decora, & venusto aspectu: mater Sampsonis, quia religiosa, nec vinum, nec siceram bibens, nec immundum quidquam contingens; sed Deo libamina offerens: Anna Helcanæ, quia deuota, multiplicans preces coram Domino, & vota ei pendens: Ruth Moabythis (nam & hæc, nonnisi Domino dante, concepit) quia gentis, & sui Dei gentilis zelotypa sequax, non secuta iuuenes pauperes, seu diuites, diceret: *Populus tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus*, facta exemplum virtutis in Ephrata, tulit celebre nomen in Bethleem. Postremam habeo Ioannis parentem Elisabetham, quæ cum marito ambo iusti ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela. Vigilabant hæ septem, ventre steriles, mente fœcundæ. Tamen, comparatione B. Mariæ, aurum illarum arena est exigua, aqueæ limpiditatis claritas, siue in Dei cultum, siue in proximi beneficium promptitudo, guttula est citulæ ad immensum Oceanum meritorum octauæ matris. *Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias*: Maria verò supergressa est vniuersas. Saram prædicas ex obedientia? Quid mirum, lege tenebatur, naturæ conditione astringebatur, & vxor marito, vt fœmina viro subiecta. Maria in purificatione ex lex legi paret, & paret prompta, parer cœca: prompta post illum diem lege præscriptum, nec horam moratur, quo ferebat spiritus, non quo Moyses cogebat: gradiebatur cœca, cum nonnullo probro suo, cum probro filij sui; quasi nõ ex Spiritu sancto superueniente concepisset filiũ; quasi non ex virtute Altissimi inumbrante peperisset. Rebeccæ munificentiam laudas? non magna pronubo, & camelis nonnisi aquam effudit Quanta hæc Mariæ, quæ orbi viso propter virtutem, inuiso propter flagitium, bonis, & malis solem suum oriri fecit: quæ illum, heu ignotis prædonibus dedit, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi: quæ salutare Dei, paratum ante faciem omnium populorum, quæ lumen accensum ad reuelationem gentium, & gloriam plebis suæ Israel, etiam ante vultum eorum, qui, velut iumenta, cõputruerant in stercoribus suis, abiecit, vt quæ contemplari in adspectabilem Moysen potuissent, fascijs inuoluit, & texit. Venit hora, cùm vinum quoque miraculo ex aqua factum propinabit: ve è, vt possit appellari: *Fons Hortorum, Puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano* verior ensemes, id est, fõs solis: positus è regione ascensus Adommin, id est, Dominorum, posita ad ascensum mortalitatis nostræ ad immortalem, pauperis ad ditem, carnis ad Verbum, hominis ad Deum, in cuius profundo ascendit homo ad cor illud altumque Altissimi Filium, Dei virtutem, & Dei sapientiam, & exaltatus est Deus; simul in vnum diues, & pauper. Rachelem miraris venustam aspectu, & facie decoram? pudoris ostro tinueras genas? aqua perenni? qua non euanido? Iacob accedit, se fratrem prodit, vocem in fletu eleuat, eleuat & manus. Illa virgunculain publico coram pastoribus, in peregrini neque ex vultu, neque ex moribus, neque ex litteris cogniti amplexus, & oscula ruit; nam Iacob *adaquato grege, osculatus est eam*; insignem verecundiam, columbinum osculum, proditorem parentis sui. Respice mihi Mariam primogenitam pudoris filiam: Angelus stellato decorus lumine, Nazarethanam visitat, familiaris, sæpè olim visus ex consilijs, sed illa cœlesti conuersatione intus, & in cute notus,

1. Petri 3. Genes. 23.
Genes. 29.
Iudicum 13.
1. Reg. 1.
Ruth 1.
Ruth 4.
Lucæ 1.
Prouerb. 31.
Lucæ 2.
Ioann. 2.
Cantic. 4.
Psalm. 63.
Genes. 29.
Lucæ 1.

contubernalis Dei Saluatoris, non hominis corruptoris nuncius; in penetralibus solam ipse vnicus reperit diuinos conceptus, non humanos, illibatos, non temerantes, ei vouet partus, turbatur illa, hærer, vultum roseum demittit, verecundiæ velum oppandit: virum, complexus viriles ignoro, respuo, horreo. Lilium ego inter spinas illi deuotum, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ: lilium spinoso sæpe continentiæ occlusum, liliū puritate candens, sed verecundia russatum. quis coccus, aut vermiculus hoc lilium rubens adæquet? bonum aspectum genæ tuæ, ô Maria: *Sicut fragmen mali punici absque eo, quod intrinsecus latet,* vt fragmen pomi coronati, & intus granorum, & extimi corticis rubore gratum; ita facies tua illa decora, & intus modesta cogitatione, & extra verecunda turbatione omnibus probatur. Sampsonis mater abstemia, & religiosa, a quis pota, munda ab immundis, liba offerens Deo; myrrhata manus, abstinentia, & hinc Dei timoris, & exinde concupiscentiæ compressæ, vel quasi enecatæ, instar hœdi, vel magis odoratæ hostiæ myrrham spirans. Quid hæc odoramēta ad Marianum odorem? quæ vt primū surrexit, vt dilecto suo apperiret voluntatis suæ scilicet sensum, & assensum; hanc petreo cultro adhuc in vtero materno concisam, aris diuinis intulit, & ex illata, prorsus q; cælesti ardore exusta, corpus quoque ipsum, Adami portionē compressit ne amplius, immo, ne vnquā cruore differet à carne obesa, vel infusa: *Manus,* ait, *meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima* Quantum perfusæ manus myrrha à stillantibus myrrham, eamque probatissimam absunt? Anna Samuelis propter orationis studium, & votorum fidem, Deo gratam fuisse scio: frequens in illis, in hoc fidelis fuerat, ne maledicta diceretur in Populo. Rursus commodato iterum acceperat filium, commodato iterum tradit Deo Maria. Si contemplationis orationumque assiduum studium desideras, etiam sensibus oppressis à summo, Dei excubias agebat. Vnde ait: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Si voti stabilitatem requiris, non mutuo, non commodato se vnigenam offert seipsam: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum;* & suum vnigenum: Is enim *factus est Patri obediens vsque ad mortem* Moabitis Ruth illa spicilega, in aceto tingens panem, sequax gentis suę, & Dei sui, ideo exemplum virtutis Ephrateis mulieribus facta suo commodo, fecit, apud exteros vaga, apud suos domestica, ab illis despecta, ab his suscepta; sequax Dei Maria, non propter ea, quæ Dei, sed propter ipsum amorē Dei: *Quid,* aiebat, *à te in cælo, quid à te volui super terram? Deus cordis mei, Deus pars mea, Deus in æternum, ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Quamobrem vidimus Mariam *sicut purpuram Regis, iunctam canalibus,* illi semper etiam dum in morte, velut fasciculus eleuatus, Crucis ligno triturare tur, etiam dum gladio illo doloris tacta, Christallinam bucellam felle, & aceto tinctam aspiceret, & in immensum cruciata doleret, adstitricem, & Comitem.

Elisabetha huic sponte cedit. Hanc enim, cum in suis ædibus primum apparuisse dignatione, non conditione visitans noua nouam matrem, quasi mēte mota stupuit, & præ stupore vix loquebatur mirabunda. *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Ad me mater Domini ad matrem serui? mater verbi ad matrem infantis? Regina orbis ad suam ancillam? ô te beatam, quæ credidisti, ô te benè fortunatam, quæ tam fælicem partum concepisti. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Vt hic speciosus forma præ filijs hominum, & diues præ omnibus comparticipibus suis; sic & tu speciosior inter filias Hierusalem, diues inter omnes post participes tuas. Virgines etiam ipsæ, quæ se immaculatas, sponso nostro

Cantic. 4.

Cantic. 1.

1. Reg. 1.

Ibidem.

Cantic. 3.

Luce. 1.

Ad Phil. 2.

Ruth 1.

Psal 72.

Cantic. 7.

Ibidem.

Luce 1.

Ibidem.

nostro cœlesti sacrauerunt post te, non penes te, absit dictu, ante te: offerentur, vt ancillæ, vt pedissequæ, defluentia in humum vestimenta sua, variarum scilicet virtutum texturam colligentes, &
Cant. 1. dicentes: *Trahe nos post te, in odorem vnguentorum tuorum curremus.* qualem mihi hanc mulierem? qualem hanc matrem?
Apoc. 12. *Mulier amicta sole*, solari gratiarum, & meritorum splendore irradiatum lumẽ stellarum obumbrans; mater omnium matrum, quæ ceu sidera vnquam orbi illuxerũt, diffusè participatam gratiam illarum, velut impressa corona implexa, duodecim stellis distincta, sed nexu inusitato connexa, in suo vertice altissimo retinens. Cedit huic lumen variantis lunæ illarum, quæ ad tempus testimonia illustres, matrimonij labe suũ splendorem fuscarunt: hoc myrrhino peruncta liquore, his pigmentis, & aromatib. delibuta, hoc non mundo, sed cœlo muliebri ornata nostra Esther Maria dignam se fecit, quæ est mater vnigeniti Dei. O beatum ventrem, qui portauit omnia portantem; ô beata vbera, quæ lactauerunt omnia pascentem: *Cui aliquãdo Angelorum dixit: filius meus es tu, ego hodie genui te?* cui aliquando matrum dixit: mater mea es tu, ego enim processi ex te? Soli Mariæ hoc datum, cui tantarum gratiarum esse capacem soli est cõcessum. Suffecerit Saræ, Rebeccæ, Racheli, Ruth, Patriarchas, Duces & Reges; alijs verò Prophetas genuisse, hæc Regẽ Regum, & Dominum dominantium, qui non solum ad suscitandas fœces Israel, & ad Israel reliquias conuertendas, sed in lucem gentium datus est.
Ad Heb. 1.

A partu suo celebri, honoratæ fuere illæ steriles apud plebem suam, hæc honorificata super omnes illas: hæc honorificentia populi nostri, mater honorificata, honorificata ab Archang. qui illam
Iudith 15. poplite flexo adorans, salutat: *Aue gratia plena, Dominus tecũ, benedicta tu in mulieribus.*
Lucæ 1. Honorificata à militia cœlestis exercitus, qui vocibus altissimis in sublimè elati, laudes eius, & filij decantabant: *Gloria in excelsis Deo.* Honorificata à Regibus, qui ab Oriente venientes, & in terram procidẽtes, matrem, & filium adorarunt. Honorificata à filio, qui in medio Doctorum declinans: *Descendit cum eis in Nazareth, eratq; subditus illis.* Et dum prouectioris esset ætatis, ad eius preces, aquam in vinum conuertit. Magis ab eodem honorificata, quàm olim Bethsabea à Salomone, quando penes se iussit ei thronum collocari, & quicquid luberet, postulare. Nam hæc Regina adstitit à dextris Iesu filij in vestitu deaurato, circumdata varietate: illiante omnes creaturas proxima, nec nisi gradu vnico à sublimitate, & dignitate eius seiuncta. Proinde si dignitatem officij attendis, nulla veterum honorificentior.
Luc. 2. *Matth.* 2. *Luc.* 2. *Ioan.* 2. 3. *Reg.* 2. *Psalm* 44.

Porrò si modos parturiendi, & pariẽdi peruestigas, illæ septem steriles consueto naturæ ordine matres euaserunt; hæc insueto: antequam enim parturisset, peperit, virgo manens, & absque dolore peperit filium, filium autem Dei, patri consubstantialem.

Atque, vt ad trophæum B. Virginis super illas inclytas matres, redeam, quis ita mentis inops, neget, B. Mariam à filio suo super omnia, quæ ab illo creata sunt, honore euectam esse? si id, vt Deus pro suæ maiestatis infinitate efficere potuit, &, vt homo pro clementia sua voluit? vt legislator, propter exemplum debuit? Vt matrem ergò Dei honoremus Beatam Mariam super alias omnes vnam, sed longè minus, quàm vnum illum Deum, Dei, & huius matris filium.

Tria tamen tempora narrant Euangelistæ, quibus humanitus rem æstimãti videretur opportunum fuisse, vt Mariam Christus matrem appellaret: in tẽplo, cùm dolorem suum mater exposuisset: in nuptijs, cùm vini inopiam filio declarasset: sub cruce, dum sola morienti adstitisset. Sed si ex fide syncera hæc perpendas, peropportunè etiam tunc à
Luc. 2. *Ioan.* 2. *Ioan.* 19.

matris nomine abstinuit. In templo quidem humana mater non agnoscitur, vt cœlestis pater placetur, atque, vt scias, vbi Dei causa agitur, humanos affectus seponendos esse; ille, qui extra templum in domo materna, non tantum, vt filius parentibus, sed, vt mancipium sponte dominis subiectus est, in domo Dei paterna sic agit, tanquam necessitudinem sanguinis ignoraret. In nuptijs quoque, quoniam, diuina potentia, miraculum patraturus erat, vt se Patris æterni filium doceret, quod præsentes ignorabant, maluit Beatam Mariam mulierem, quàm matrem appellare, ne nihil præ aliarum matrum filijs peculiare habere videretur, simul vt intelligeretur, quòd matrem haberet in terris, non, vt cæteris hominibus, necessitatis, sed electionis, ac gratiæ fuisse. Quòd autem, ne in cruce quidem, nomine blandissimo matris vsus sit; id fecisse arbitror pijssimum filium, ne amabilissimũ matris nomen, in tam acerbo filij casu, maternum pectus vulneraret. Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VII.

Eadem verba: Beatus venter, qui te portauit, elucidamus, internam Beatæ Virginis puritatem, varijs Canticorum locis explicatis, illustrantes, nonnullaq; virginei ventris encomia subijcientes.

Luc. 11. SAcra illa Euangelica mulier, cuius meminit D. Lucas cap. 11. diuino spiritu mentem eius irradiante, qui linguas etiam infantium facit disertas, licèt alioquin abiectæ conditionis, & in Dialecticæ, ac Theologiæ studio minimè versata esset, in vtraque non mediocrem progressum fecisse palam ostendit. Nam dum ait: *Beatus venter, qui te portauit*, Theologiæ non ignaram se declarauit, Christum verum hominem confitendo: Dialecticæ verò non expertem apertè commonstrauit, argumento à minori ad maius in Beatę Virginis laudem vtens. Nam si beatus est Virginis venter, cùm alioquin hic in reliquis fœminis corruptionis, & infœlicitatis scaturigo esse soleat, manifestè relinquitur, Virginei corporis reliqua etiam membra beata esse prædicanda. Sanè si quis domum Principis alicuius ingrediens, viliora vasa ad humilia ministeria destinata, argentea esse videret, continuò inde inferret, calices, & pateras, ac similia alia vasa, multò excellentiora, & pretiosiora esse. Vnde libro 3. Regũm cap. 7. legimus, in templo Salomonis, candelabra, forcipes, immò & portarum clauos ex purissimo confectos auro: ex quo facilè colligere licebat, Cherubinos, & altare, quòd Sancta Sanctorum nominabatur, pulchriora, & pretiosiora esse. Similiter etiam 1. Paralipom. 9. dicitur, scabellum eius aurum esse: ex quo facilè coniectari potest, patinas, & alia, quæ regiæ eius mensæ inseruiebant, multò æstimabiliora esse Si igitur fœlix, & beatus fuit venter Virginis, beatum fuit etiam caput, beati oculi, beatæ genæ, beata labia, beatum collum, & beata tandem illius sacri, ac virginei corporis membra cuncta. Verùm, quia hæc omnia ad corporalem pulchritudinem, quę communis est ethnicis, & fidelibus; iustis, & iniustis conueniunt; ad spiritualem Beatæ Virginis pulchritudinem me conuertunt; illa omnia in sensu mystico explicabo, secutus in hoc doctissimũ Rupertum libro 3. in Cant. cap. 4. vbi explicans illa verba: *Quàm pulchra es amica mea, oculi tui columbarum*; in septem B. Virginis membris, septem eius virtutes adumbrari docet, quæ pulchram reddunt sponsam: quia sicut pulchritudo corporis ex apta membrorum compagine cum quadam coloris suauitate oritur; ita pulchritudo animæ, ex virtutum inter se continentium nexu, & varietate,

3. Reg. 7.

1. Paral. 9.

Ruper. lib. 3. in Cant. c. 4.

tate, quam rubicunda charitas omnibus virtutibus aſpergit, proficiſcitur. Verba Ruperti ſunt hæc: *O pulchritudo admirabilis, quam ſic admiratur, & collaudat pulcherrimus auctor pulchritudinis. Septem præconiis conſideranit oculos, capillos, dentes, labia, genas, collum, & vbera, & pro ſingulis dilectis, ſingula decantauit dignæ collaudationis capitula: laudatur in oculis ſimplicitas, in capillis cogitationum tuarum munditia, in dentibus innocentia, in labiis doctrina, in genis verecundia, in collo humilitas, in vberibus tuis admiranda cum fœcunditate virginitas.* Hæc Rupertus. Quæ ſingula fuſius ipſe explicando proſequitur. Vt autem interna tantæ matris pulchritudo clarius innoteſcat, Plinius lib. 35. cap. 10. docet, ſummam picturæ ſubtilitatem cerni in extremis illius lineis: *Corpora enim (inquit) pingere, & media rerum, eſt quidem magni operis, ſed in quo multi gloriam tulerint: extremam corporum facere, & deſinentis picturæ modum includere, rarum in ſucceſſu artis inuenitur; ambire enim debet ſe extremitas ipſa, & ſic deſinere, vt promittat alia poſt ſe, oſtendatque etiam, quæ occultat.* Quo genere pingendi vſa mihi videtur mulier hæc Euangelica, quæ dum ſolum ait, virginis ventrem, & viſcera eſſe beata, ſimul alia, quæ occultat, beata etiam eſſe oſtendit. Sic ergò Deus ſupremus rerum opifex mirabilem ſuæ ſapientiæ artem in matre ſua mirabiliter commẽdans, illam extremis in Virgine lineis ducendis mirificè demonſtrauit. Etenim, cùm omnia in Virgine ſint ſumma, & ad extremum perfectionis puræ creaturæ cõmunicatę perueniant, certè, quamcunque eius prærogatiuam, aut excellentiam conſideres, ex ea, tanquam ex vltima linea facilè intelliges, innumeras alias occultari, tanquam ex ambiente ſe extremitate, & multa alia poſt ſe quodammodo promittente. Verum, vt hanc miram internam Mariæ pulchritudinem magis explicemus, in memoriam reuocare oportet verba illa Cãtic. cap 6. *Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Magna eſt inter Doctores concertatio de appellatione hac, quam Spiritus S. tribuit virgini: nam S. Theodoretus in Commentario huius loci, Aquila ibidem, & D. Ambroſius lib. de obitu Valentiniani legunt: *Sulamitis*, quòd idem eſt, quod *pacifica*. Septuaginta Interpretes, Aponius, Iuſtus, Orgelitanus, Alanus, Aquinus, Rupertus, D. Anſelmus ſuper eundem locum, necnon D. Bernardus ſerm. 3. de annunciatione, vertunt: *Sunamitis*: quod idem pollet, quòd: *Dormiens*, vt docet D. Hieronymus de nominibus Hebraicis: Symmachus autem ex originali Hebræo tranſtulit: *Reuertere ſpoliata*. Quibus ſanè tribus appellationibus, pacificè dormientis, & ſpoliatæ, eximiam Beatæ Virginis internam pulchritudinem Spiritus ſanctus mirificè detexit. Nam ſi pacifica, ergò non deſideratur in illa, beatitudo illa, de qua Chriſtus Dominus: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Si ſpoliata: ergò, euangelicam Chriſti paupertatem imitata, temporalibus omnibus bonis ſe expolians, melius, quàm Apoſtoli proferre potuiſſet: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Si tandem dormiens: quis non videat, ſomnum altiſſimæ contemplationis, quo mens B. Virginis iugiter abſorptam verius, quàm Dauid intonare poſſet: *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* Hæc tamen, licèt internam Virginis pulchritudinem ſingulariter manifeſtent, ſequentia pariter verba illam luculentius oſtendunt. nam vbi vulgata noſtra legit: *Reuertere, vt intueamur te.* Septuaginta Interpretes vertunt: *Vt videamus in te*: Ecce ſilent, quidnam in illa eſſet videndum, quia id propter eximiam eius pulchritudinem ineffabile adeò eſſe autumabant, vt nullis poſſet verbis exprimi, aut ſubtili quãrumcunque calamo ſcribi. Cæterùm, illud excellentius multò ſpiritualem Beatæ Virginis pulchritudinem oſtentat, quòd ipſa inter omnes puras creaturas, omnium ſimillima

Plin. lib. 35. cap. 10.

Cant. c. 6.

D. Teod. in Commẽ. huius loci Cantic. 6.
Aquila ibid.
D. Amb. lib. de obitu Valentiniani.
Lxx.
Aponius.
Iuſtus.
Orgelitan.
Alanus.
Aquinus.
Rupertus.
D. Anſel ſuper eundem locum.
D. Ber. ſer. 30 de annunt.
D. Hier. de nomin. Heb.
Symmac ex originali Hebr.
S. Matth c. 5.
D. Marc. 10.
Pſalm. 40.
LXX.

Deo inueniatur, quòd ſub inuolucris illorum verborum, Exod. 37 *Fecit Beſeleel arcam*, delineatum inuenio; nam, vt tradunt Hebraicæ linguæ periti, cum *be*, idem ſit, quod, *in*, & *ſel*, idem, quod *vmbra*, & *el*, idem quod *Deus*: perinde fuit, ac ſi dixiſſet, fecit in vmbra Dei arcam. Conſultò miſſum facio, quòd, olim amicus, qui à latere amici nunquam recedebat, vmbra vocabatur, vt auctor eſt M. Tullius libro 8. Epiſtolarum dicens: *Hominem amentem, & miſerum eſſe, qui nec vmbram quidem viderit.* Quaſi diceret: infœlicem illum iudicandum, qui nullum ſibi adeſſe amicum experitur: conſultò, (inquam) id prætereo; licèt hinc arctiſſimam Beatiſſimæ Virginis cum Deo amicitiam facilè poſſem aſtruere, quæ à latere Chriſti ab ortu ſuo, vſque ad vltimum vitæ halitum, Ioanne dicente, cap. 19. *Stabat iuxta Crucem Maria mater Ieſu*, nunquam diſceſſit. Solùm ergò in eo vim facio, quòd, ſicut vmbra eſt expreſſa quædam corporis imago, quæ varia illius membra refert, ita tanta eſt Beatæ Virginis pulchritudo, vt ſublimius, & excellentius, quàm totius ſimul creaturarum cœtus illam exprimat; & quemadmodum vmbra, & corpus ita inter ſe cõuincta ſunt, vt in puncto, quo deſinit corpus, ibidem incipiat deſinere vmbra; ita Chriſtus Dominus adeò conuinctus fuit ſacratiſſimæ Virgini, vt quodammodo in quandam identitatem cum illa coniunctio hæc redegerit, propriam matris ſubſtantiam aſſumens, vt proprium ex ea corpus ſibi efformaret. Ac tandem, quemadmodum vmbra, quamuis corpora multa interponantur, inter ipſam tamen, & corpus, cuius eſt vmbra, non patitur medium aliquod; ſic inter Deiparam Virginem, quæ vera Dei vmbra fuit, & ipſum Deum, nihil prorſus vnquam mediauerit. Sanè nullus Sanctorum gloriari poteſt, ita Deo coniunctum fuiſſe, vt nihil vnquam mediauerit, diuidens, & ſeparans eum à Deo, cùm omnes peccato originali fuerint infecti animam à diuina amicitia longè arcente. Nemo etiam Sanctorum eſt, inter quem, & Deum non mediauerit aliquis affectus ſaltem peccati venialis; quòd licet Dei amicitiam non ſoluat, ab eius tamen familiaritate diuidit, amicitiæ feruorem intepidans. Beatæ autem Virginis ſanctitas, ac ſpiritualis pulchritudo adeò creuit, vt inſtar vmbræ, nihil vnquam permiſerit etiam minutiſſimũ puluiſculum peccati venialis inter Deũ, & ipſam quoquomodo interponi. Vnde D. Ambroſius epiſt. 5. dixit: *Claudat ſua ora perfidia, obmuteſcat, nec matrem Domini aliquo audeat temerare conuicio.* Et D. Bonauentura in 3 diſtinct. 3. p. 1. ar. 1. quæſt. 1. inquit: *Congruebat, aduocatam generis humani, vt nullum haberet peccatum; congruebat, vt Virgo ita vinceret diabolum, vt nec ei ſuccumberet ad modicum: congruum etiam fuit, vt ſic eſſet immaculata mente, ſicut intemerata carne.* Tandem eò peruenit ſpiritualis pulchritudo B. Virginis, vt Deus ipſe, qui eſt ipſa pulchritudo, per eſſentiam, amore illius caperetur. Vnde, vbi Cant. 1. noſtra vulgata legit: *Recti diligũt te.* Septuaginta Interpretes tranſtulerũt: *Rectitudo dilexit te.* Quæ verba, vt Græci Patres affirmant, ſunt adoleſcentularum, quę videntes ſponſum, prę magnitudine amoris ſponſæ, deliquium pati, dixerunt ei, ſiue per inuidiam, vt quidam opinantur, ſiue per congratulationem, vt mihi magis arridet, *Rectitudo dilexit te*: ac ſi dicerent: ô te fœlicem, & beatam, cùm Deus, qui eſt ipſa rectitudo per eſſentiam, & cuius de pulchritudine iudicium fallax eſſe non poteſt, amore pulchritudinis ardeat. Quamuis autem commune ſit omnibus iuſtis, vt infuſa ſibi pulchritudine, Deum in amorem ſuum alliciant: in eo tamen B. Virginis pulchritudo omnem aliam tranſcendit, vt propter illam ſoli Virgini dictum ſit ab ſponſo, Canticorum 6. *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.* Quo loco Hebræorum expoſitiones, & verſiones ex originali Hebræo deprom-

Exod. c. 37.

M. Tull. lib. 8 epiſt.

Ioan. c. 19.

D. Ambroſ. epiſt. 5.

D. Bonau. in 3 diſt. 3 1. p. art. 1. q 1.

Cantic. 1.

70. Interp.

Cantic. 6.

depromptas, maximè obseruandas censeo. Etenim Rabbi Abraham sic ea interpretatur: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi fortiores fuerunt me, præualuerunt mihi, & abstulerunt mihi dominium meum.* Quibus verbis indicat, Deum conspecta spirituali B. Virginis pulchritudine, tam ardenti inflammatum amore, vt quasi deliquium mentis pateretur, & dominium sui quodammodo amitteret, totũ se Virgini tradens, ac totũ se Mariæ esse confitẽs. Atq; hinc est, quòd ad eandem Marianæ pulchritudinis excellentiã cõmendãdam, duplici vtitur sponsus metaphora; nam Cant. 1. postquam appellauerat sponsam: *Pulcherrimam inter mulieres*, subiecit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea*: id est, ad literam: In curribus Pharaonis euertendis persimilis fuisti fortissimo meo equitatui. Quæ similitudo, licèt prima facie ab instituto laudandi pulchritudinem sponsæ aliena videatur, quia nihil commune pulchritudo cum equitatu habet; aptissima tamen est ad explicandam B. Virginis pulchritudinem, quæ tanta esse perhibetur, vt inuincibilem Deum expugnaret. Sicut enim in bello equitatus fortissimus, acerrimus esse solet ad certamen, ita virtutes omnes, ac prærogatiuæ virginis à charitate, quasi duce instructæ erant, veluti quidam equestris exercitus ad ipsius etiam Dei animum per amorem vincendum potentissimus. Vnde rectè dixit Virgilius eclog. 6.

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

Cui consonat illud:

Militat omnis amans: & habet sua castra cupido.

Deinde Cant. 7. ad explicandam eandem Mariæ spiritualis pulchritudinis excellentiam, dixit sponsus: *Quàm pulchra, & quàm decora carissima in deliciis? statura tua assimilata est palmæ.* Qua similitudine apertè significauit, Beatam Virginem inter omnes puras fœminas palmam præferre pulchritudinis, quia tãto reliquas omnes pulchritudine excellit, quantò palma proceritate cunctas superat arbores. Accedit, quòd sicut palmæ folium speciem refert gladij, ac propterea tot armetur gladijs, quot foliis vestitur, ita Beata Virgo quot virtutibus exornabatur, ex quibus mira in ea consurgebat pulchritudo, tot quasi acutissimis, & acerrimis gladijs diuinum cor transfigebat, vt ipse sponsus fatetur: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum*, &c. Rabbi verò Salomon in hunc modum transfert illa verba: *Auerte oculos tuos, quia ipsi me superbire fecerunt.* Cui translationi mihi consentire videtur nostra editio vulgata, dum legit: *Quia ipsi me auolare fecerunt.* Nam qui volant, se in altum extollunt, & in sublime instar superbientium feruntur. Ecce miram, ac stupendam Marianæ pulchritudinis excellentiam, quæ eo peruenit, vt Deus ipse eximiam, quàm Virgini inciderat pulchritudinem, obseruans, de magnitudine suæ potentiæ glorietur, ac iactabundus, de virtute sua efferri, & quodammodo superbire videatur, quòd tanta pulchritudine præditam Virginem suæ omnipotentiæ penicillus depingere, ac efformare valuerit. Atque hinc est, quòd sancti Patres, eximiam Virginis pulchritudinem admirantes, præclara multa de ea nobis contestata relinquere, quorum quædam non grauabor hic apponere. D. Bernardus homilia 3. super missus est, meritò, (inquit:)

Concupiuit Rex decorem Virginis: fecerat enim quidquid longè antea præmonita fuerat à patre suo Dauid dicente sibi: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populũ tuum, & domum patris tui. Et si hoc feceris; concupiscet Rex decorem tuum, audiuit quippe, & vidit, non vt quidam, qui audientes, non audiunt, & videntes non intelligunt, sed audinit, & credidit, vidit, & intellexit, atque inclinauit aurem suam ad obedientiam, & cor suũ ad disciplinam, & oblita est populum suum, & domum patris sui; quia, nec populum suum augere prolis successione, nec domum patris sui relin-

Rabbi Abr. — Cant. 1. — Vir. ecl. 6. — Cant. 1. — Cant. 7. — Cant. 1. — Rabbi Salomon. — Cantic. ibid. — B. Ber. hom. 3. sup. missus est. — Psalm. 44.

relinquere curauit hæredem; sed quicquid honoris in populo, quicquid de paterna domo rerum terrenarum habere potuisset, omnia arbitrata est, vt stercora, vt Christum lucrifaceret, nec se fefellit ea intentio, quando, & Christum sibi filium vendicauit, nec propositum pudicitiæ violauit. Hæc Diuus Bernardus, &c.

Diuus Augustinus sermon. 6 de tempore, de Deipara in hunc modum loquitur: *Videamus, quæ est illa Virgo tam sancta, ad quam Spiritus sanctus venire dignatus est, quæ tam speciosa, quam Dominus elegit sponsam, quæ tam cupiosa, cuius generationem totus orbis excipiat, quæ tam casta, vt posit Virgo esse post partum? hæc est immaculata concubitu, fœcunda partu Virgo, & casta perpetuò: hæc est sponsa Christi, gentium magistra.* Sic D. Augustinus, &c.

D. Aug. ser. 6. de temp.

His adnectam pulchrum discursum sapientissimi Idiotæ, in hoc sapientior, quòd præ humilitatis amore, humile hoc nomen sibi imposuit. Hic in libro contẽplationis B. Virginis hæc scripsit, per quæ spiritualis B. Virginis pulchritudo egregiè describitur: verba eius sunt hæc: [Speciositas tua, beatissima Virgo Maria, designatur per septemplicem speciem, quæ in sacra Scriptura inuenitur: est namque species oliuæ, de qua scribitur: quasi oliua speciosa in campis. Est species columbæ, de qua canitur: Vidi speciosam, sicut columbam: est species Libani, de qua dicitur: Species eius, vt Libani: est species Cœli, de qua legitur: species Cœli cum visione glorię est species ignis in nocte, de qua scribitur: operiebat tabernaculum, quasi species ignis. est species arcus, de qua scribitur: vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum; valdè enim speciosus est. est etiam species Solis, de qua scribitur: est enim speciosior Sole. Species oliuæ consistit inter cætera, in viroris amœnitate; sic tua species, ô beatissima Virgo Maria, consistit inter alia, in fidei sinceritate, & sicut viror pariferæ oliuæ delectat oculum corporis, sic fides tua, quæ pacem inter Deum, & hominem reperit, delectat oculum mentis. Species columbæ consistit in simplicitate, pulchritudine oculorum, colorum mutatione, & varietate circa collum; sic tua species, ô beatissima Virgo Maria, consistit in humilitate, pulchritudine sanctarum cogitationum, & doctrinæ varietate, quæ in collo intelligitur, qa doctrix fuisti Doctorum, & magistra Apostolorum. Vnde & beatus Lucas, cui inter cæteros Euangelistas, descriptio dominicæ incarnationis attribuitur, Euangelij seriem à te, Maria, didicisse traditur. Species Libani consistit in continua virgultorum fœcunditate, & delectabilium florũ candore, & significat, ô glorioſissima Virgo Maria, candorem tuæ fœcundæ virginitatis: quia tu es, de qua dicitur: egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiesceret super eũ spiritus Domini. De tua autẽ supereminẽti virginitate iustè dici potest, quòd scribitur: pulchritudinem candoris eius admirabatur oculus, species cœli est in visione gloriæ, & significat in te, sanctissima virgine Maria, cõtemplationis sublimitatem, de qua scribitur: *Species mulieris exhilarat speciem viri.* Per quod intelligere quis possit, altitudinem contemplationis acceptam esse, & placentem in conspectu diuinæ pulchritudinis. Species ignis consistit in ardore, & splẽdore, in te autem, ô beatissima Virgo Maria, fuit ignis charitatis ardens, & splendens ante Deum, & nos miseros peccatores protegens; & sicut tu, Regina Virginum nominaris, sic charitas illa tua Regina virtutum appellatur, quia virtutis nomen amittit, quæ charitati non famulatur. Arcus cœlestis fit ex radijs solis in humida nube, & significat incarnationem filij tui superbenedicti in te: tunc enim sol iustitiæ, qui est splendor Patris, ingressurus in mundum, ascendit super nubem leuem, id est, sibi vniuit mundissimam carnem sine põdere peccati, quòd factum est in tua carne, in tuo virgi-

Idiota in li. contemplationis B.V.

virginali vtero, & sic facta est visibilis imago solis iustitiæ, cum profusionis gratiarum plenitudine, vt sit visibilis imago solis, cùm sit arcus, sed nonnisi in die profusionis pluuiæ. Species solis cōsistit in splendentium radiorum emissione, & significat in te, aduocata nostra, virgine Maria, largam gratiæ effusionem in omnes, qui ad te se conuertūt; quæ es sole speciosior, & emissione gratiarum fœcundior. Tua ergò species, virgo Maria, in corporis castitate, in cōscientiæ puritate, in exteriori conuersatione, & in diuinorum contemplatione consistit. Munda igitur cor meum immūdum, & inquinatum, ô pijssima Virgo Maria, & tuis precibus mihi obtine speciem spiritualem, per quam in seruitio tuo, & superbenedicti filij tui placeam tibi in vitam sempiternā.] Amen. Hucusque Idiota.

Porrò, nos aliter philosophantes, ex his, quę de corporalibus B. Virginis mēbris spōsus edixit, mysticè illa interpretātes iuxta morem sanctorum Patrum, spiritualem Virginis pulchritudinem deprehendemus. Et quidem in primis sponsus ad caput sponsæ respiciens, in hunc modum eius pulchritudinem laudauit. Cant. 4. *Capilli tui, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de monte Galaad*: duplicem hic tangit comparationem. Nam primò, caput confert monti Galaad, qui amœnus erat aspectu, varijsq; speciebus aromaticis suauissimum odorem emittens, per quem Christus Dominus aptè significatur, qui vt dixit Isaias c. 2. *Mons est in vertice montium*. &, vt ait D. Paulus ad Ephes. 1. *Caput Ecclesiæ ipsum dedit*. Significatio autem Galaad, quòd *acervus testimonij* interpretatur, rectè in Christū conuenit, cùm in eum totius legis veteres figuræ, ac testimonia coaceruentur, & super eundem Sancti homines, & viui lapides: in ædificium Ecclesiæ sint coaceruati; & vt quidam fidelium Poetarum in persona Christi cecinit:

Semper ero testis in cœli sede fidelis,
Spem veniæ genti tribuens peccata fatenti.
Insuper & vitæ dans pascua semper opimæ.

Cant. c. 4.

Isaiæ c. 2.

Ad Eph. c. 1.

Capilli verò, qui descēdunt ex hoc capite, cogitationes erāt B. Virginis, quas in Christum caput suum crebrò dirigebat; mente enim ascendebat, & descendebat per hunc montem instar Angelorū, qui ascendebant, & descendebant per scalam, quam vidit Iacob, ascēdebat, cogitans de illo: *In principio erat Verbum*: & descendebat per eundem, cotemplans illud Ioan. 1. *Et Verbum caro factum est*. Ascēdebat in sinum paternum, vbi *Verbum erat apud Deum*, & descendebat in proprium vterum maternū, vbi Verbum erat apud nos; *& habitauit in nobis*. Quòd autem huiusmodi capillos cogitationum comparet sponsus capreis de monte Galaad, illa ratio in promptu est, quòd Galaaditicæ capreæ nigræ erāt, aut subrufæ, quòd geminam cogitationū B. Virginis laudem indicat. Nam niger color obscuritatem significat illarum cogitationum, quæ propter eximiam earum perfectionem, soli Deo innotescebāt; alij verò incomprehensibiles erant, ad quod alludēs Sanctus Theodoretus explicans illud Cant. 5. *Comæ eius sicut latæ palmarum, nigræ quasi corvus*: inquit: *Dicuntur comæ eius nigræ, vt per profundum, & obscurum colorem, abdita, & inaccessa incarnationis eius ratio declaretur*. Subrufo etiam colore dicūtur prædicti capilli B. Virginis cogitationū, quia sub rufo charitatis colore, qui ardens est, & quodammodo aureus, mirificè erant ornati. Vnde, quemadmodum excrescentibus in fœmina capillis, solet interdum totum eius corpus cooperiri, ita cōtemplari licet B. Virginem aureis suis cogitationibus, & flauis charitatis affectibus totam coopertam, vt iam non aurea tantum, sed veluti aurum ipsum splenderet, ac rutilaret. Quare ad hoc innuendum, vbi vulgatus interpres Cant. 2. legit: *Ne euigilare faciatis dilectam*: Septuaginta interpretes transtulerunt: *Ne euigilare faciatis dilectionem, siue amorem*. Quò manifestè indicare voluerunt,

Cant. 5. D. Theod. in c. 5. Cant.

Cant. c. 2.

tanta Beatam Virginem charitate ardere, vt, non tam amans, aut diligens, quàm amor ipse, ac dilectio esse videretur, &c.

Deinde sponsus ad pulchritudinem oculorum B Virginis se conuertens, inquit: *Oculi tui ficut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis, &c.* Guielmus in Commentario huius loci pulchrè dixit: *His piscinis assimilantur oculi piæ matris: nam plena erat oculis, & vtique multò plenior, quàm quodlibet illorum quatuor animalium, de quibus scriptum est, quòd in circuitu, & intus plena sunt oculis. Plena* (inquam) *erat oculis prouidentiæ, sine intermissione prouidendo bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus. Planè hos oculos eius nullius vnquam vel tenuis carnalis illecebræ puluis fuscauit, nullius vel modicus æmulationis, siue iracundiæ motus turbauit: sed ad instar aquæ viuæ, puri semper, ac perlucidi fuere, quia nihil in se turbulentum habebāt.* Hæc ille. Alanus autem super eūdem locum huic Guilielmi expositioni, duplicem aliam apponit; prima est, quam ex doctrina Ruperti in cap. 7. Cant. depromit, vt propterea oculos Beatæ Virginis piscinis Hesebon, quæ aquarum copiam emittebāt, cōparauerit, quia lachrymarum fluenta frequenter ex eis, præcipuè post filij sui ascensionem prodibant, adeò vt melius, quàm Dauid dicere potuisset illud Psalm. 41. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Vel certè, quia crebrò ante mortem, & post mortem Christi, acerbissimos eius dolores attenta mente perpendens, copiosus lachrymarum imber ex virgineis oculis decidebat: id, quòd maximè congruit significationi, Hesebon, quod interpretatur, *Cingulum mœroris*; qa mœror ille ob Christi passionem, vndiq; cingebat animam B. Virginis. Secundam iam expositionem accipe: duplicem laudem sponsus in prædictis verbis, Marianis oculis tribuit; nam & comparat illos piscinis Hesebon, & de ijsdem ait: *quòd astant portæ filiæ multitudinis, piscinæ, seu stagna,* vt vertunt septuaginta; quia hoc habent speciale, vt eorum aquæ summa claritate, & serenitate gaudeant. Ideò sponsus eis comparat Virginis oculos, qui diuinis splendoribus illustrati, secretissima Dei arcana limpidissima cognitione perspiciebant, ac diuinitùs confortati, omnis perturbationis expertes, miram serenitatem præseferebant, vt serenissimam Reginam Mariam decebat. Tanquam quidpiam mirabile, maris quietem, & serenitatem commemorans Poetarum princeps ait:

Nuper me in littore vidi,
Cùm placidum ventis esset mare.

At, post trāquillitatem illam, subitò successit tempestas: nec enim vnquam maris serenitas stabilis est, sed facilè in tēpestatem commutatur: serenitas autem oculorum B. Virginis, non variabilis, sed in media insurgente mortis filij sui tempestate, firma semper, & perseuerans extitit. Secundam sponsi laudem, quam Mariæ oculis adhibet, continent verba sequentia: *Quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Quibus viscera misericordiæ B. Virginis apertè indicauit: nam sicut piscinæ illæ aderant iuxta portas Vrbis, ad quas tunc moris erat, varia negotia peragendi causa, magnam hominum multitudinem tam nobilium, quàm ignobiliū confluere; ita misericordes oculi B. Virginis, quos in Cantico Salue Regina, Ecclesia Catholica petit ad se conuerti: *Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte;* materno charitatis affectu in petitiones suorum famulorum, semper intēti sunt ad eorum miseriam subleuandam, & instar aquilæ, quæ quantumcunque altiùs euolet, à filijs, quos in nido reliquit, oculos non auertit, ita ipsa, licet ad supremi Cœli cacumen euolarit, oculi tamen eius semper in pauperes respiciunt, qui misericordiæ eius, & magnificentiæ se committunt: & vtiliùs, quàm Absalon, qui venientibus ad portas vsque ad osculū blandiebatur; confugientes ad se singu-

Cant. c. 7.

Guilielm. in commēt. huius loci Cantic. 7.

Alan. super eundem locū Guiliel. exposit. duplicē aliā apponit: prima est de prompta ex doctri. Rup. in c. 7. Cant.

Psalm. 41.

Secunda expositio Alani.

LXX. Interp.

Ecclesia Catholi. in Cāt. Salue Regina.

2. Reg. c. 15.

singulari benevolentia susceptit, & amplectitur, &c.

Porrò, post commendationem oculorum, ad genarum laudem descendit sponsus, dicens: sicut fragmen mali punici: ita genæ tuæ; quia metaphora verecundiam in B. Virgine commendat; nam sicut cortex mali punici rubeus est, ita verecundiæ rubor Virginum vultus exornare debet: & sicut cortex mali punici durus est, & virtutem stringendi habet, & per illam granorum suauitatem, quæ suo sinu continet, nutrit, ita dura continentium flagellis, & ieiunijs confecta vita, pudicitiæ, & castitatis custos est fidelissima. Vnde D. Ambrosius lib. 3. de virginibus, ponderans, quomodo Rebecca, cùm primùm à longè videret vultum sponsi, continuò faciem suam cooperuit, vt legimus Genes. cap. 24. (sic ait:) *In virginibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem. An verò mediocre pudoris exemplum est, quòd Rebecca, cùm veniret ad nuptias, sponsumq; vidisset, velamen accepit? hæc vtique pulchra virgo non decori timuit, sed pudori.* Hæc ille. quibus addo, si Rebecca faciem suam velabat, proprio viro ad eam accedente, quid quæso putas facturam, si alienus aduenisset? Certè non solùm velamen, sed & fugam arriperet; vt enim dixit Tertullianus in libro de cultu fœminarum: *Qui præsumit, minus veretur, minus præcauet, plus periclitatur, timor fundamentum salutis est.* Ruperti sententia non est prætermittenda, dum in commentario huius loci ait: *O verè laudabilis verecundia, vbi est intus conscientia munda, & foris est facies verecunda; nam vbi est aliquid, quo mens erubescat, non adeò laudabilè est, si conspectam faciem rubor perfundat.* Ab hac ergò verecundia, & pudore sponsus laudat B. Virginem, quam non obscurè significauit Diuus Lucas, dum ait: turbatā fuisse in sermone Angeli, cùm filium concepturam ei prædixit: vnde rectè D. Bernard. serm. super signū magnū, dixit: *An verò quis putat, quòd hac verecundia caruerit gratia, quæ gratia plena fuit? verecunda fuit Maria, ex Euangelio id probamus; vbi enim aliquando loquax? vbi præsumptuosa fuisse videtur? foris stabat, quærens loqui filio, nec materna auctoritate, aut sermonem interrupit, aut in habitationem irruit, in qua filium loquebatur.* Addo his, genas B. Virginis, malo punico rubenti comparari, quia & rubere in facie propter opprobria passionis, & mortis filij sui neutiquam erubuit. Vnde Beda hūc locum explicans, dixit: *Malum punicum, quia rosei coloris est, passionis dominicæ mysterium adumbrat.* Hunc igitur colorem beatissima Virgo in faciem habens de filio flagellato, & ex turpi patibulo suspenso, tantum abest, vt confunderetur, vt ruborem, & confusionem, tanquam gloriam, & mirum sui nominis meritò reputaret, vtque probè agnosceret, ob merita passionis filij sui ab omnibus gētibus beatam fore prædicandam, iuxta eius vaticinium, Lucæ 1. *Beatam me dicēt omnes generationes, &c.*

D. Amb lib. 3. de virgin.

Gen. c. 24.

Tertull in li. de cultu fœminarum.

Ruper. in illud Gen. 24.

D. Lucæ 1.

Bern. ser. super signum magnum.

Beda in illud Cant. 4.

Lucæ 1.

Pergit postmodum sponsus, & labia B. Virginis laudans ait: *Sicut vitta coccinea, labia tua; & eloquium dulce.* Hunc locum ita eruditè, & ingeniosè doctissimus Guilielmus exposuit in commentario huius loci, vt nefas esse putem præclara eius verba præterire. Etenim silentium eius, ac prudentiam in labijs suis diffusam commendans, sic loquitur: *Parum est, si dicam, in ore eius non esse inuentum mendacium, cùm ab ore eius nec verbum quidem sonuerit otiosum; nec enim vel leuiter in Verbi mater verbo poterat offendere. Vir pollutum labiis, ego sum* (ait Isaias) *& subdit causam: in medio Populi polluta labia habentis ego habito. eximium, & singulare fuit Mariæ, in medio talis populi habitare, & labia prorsus impolluta seruare, habitans inter peccatores, tam perfectam ori suo posuit custodiā, vt nec leuiter delinqueret in lingua sua, nonne hæc labia sunt vittæ similia? sicut enim vitta fluentes capillos stringit, ita se labia eius perdiscretè censuram silentij stringebant, ne quod ex eis verbum inordinatum, vel inutile effluere t lingua eius, æquè, vt aliorum, in vdo erat,*

Cant. c. 4.

Guilielm. in commen. huius loci Cāt. 4.

Isaiæ c. 6.

sed non vt aliorum lingua labebatur, quia discretionis vitta constricta, nonnisi vtilia, & vtiliter loquebatur: diffusa hæc erat gratia in labiis eius; quare non poterat non eloquium eius esse dulce: non tantum sibi cauebat à noxiis, & inutilibus verbis, sed etiam ab vtilib. cùm taceret melius proferendis. quis vnquam tam dulci fuit eloquio, quàm mater dulcedinis? si ex abundantia cordis os loquitur, quid poterat cor dulcedine redundans, eructare, nisi verbum dulce? quid poterat nubes illa dulcedine grauida, stillare, nisi dulcedinem, nisi mel, & fauum? sed cur vittæ coccineæ labia similia? per rubentem coccum passio dominica significatur; itaque sicut vitta coccinea, labia eius; quoniam tum etiam, cum patientem cerneret filium, silentij districtionem non remisit: adeò vt nec tam acerbus materni affectus dolor eiulatum, vel clamorem fœmineum, vel vocem vllam animi fracti indicem extorqueret. Viderat filium, sicut agnus coram tondente obmutescit, non aperientem in passione os suum, filio compatiens, mater stabat iuxta crucem, doloris acerbitatem sacro silentio premens; antea labia eius, vt vitta, fuerunt: tunc autem reuera vittæ coccineæ simillima fuere. Spiritus sanctus testatur, tempus esse loquendi, & tempus tacendi: tempore tacendi, labia eius fuere, sicut vitta coccinea, sed tempore loquēdi, sicut mel dulce fluebat eloquium eius: tempus erat tacendi, filio tacitè cruciatus perferente: tempus loquendi fuit, postquam idem filius triumphator ab inferis remeauit, sed quid tum locuta fuerit, tacent sacræ litteræ, vt meditetur pietas cogitantis, quod exprimere nequit ratio differentis. Hæc eruditè satis Guilielmus.

Beda. Cuius vltimæ interpretationi consentit expositio Bedæ in eundem locum asserentis, labia B. Virginis vittæ purpureæ, seu coccineæ aptè comparari, quoniam Virgo sermones suos purpurei sanguinis in passione Christi effusi, memoria tingere solebat, & veluti coccineos reddere; adumbrari autem passionem Christi per filum coccineū, perspicuum est ex Iosue 2. cùm Raab meretrix ex fenestra funem appendit coccineum, ad cuius cōspectum sibi, domuique suæ parceretur, vt in eum locum Origenes perdoctè obseruauit. Quòd autem sponsus subdit: *Et eloquium suum dulce*, mihi rectè explicari videtur per verba eiusdem sponsi in eodem capite, labia Beatæ Virginis comparantis fauo non sterili, aut parco nectaris, sed fœcundo, & vberi mel copiosum distillanti: *Fauus distillans labia tua sponsa, mel, & lac sub lingua tua.* Quæ verba planè videtur mihi dicta B. Virgini, cùm proxima erat melliflua illa verba pronunciare, quæ ad verbi diuini incarnationem desiderabantur: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*: Cùm enim Dei filius suspirijs, & clamoribus antiquorū Patrum annuere vellet, qui iam pænè vsque ad raucedinem vocem exaltārāt: *Excita Domine potentiam tuam, & veni ad saluandum nos.* Cùm inquam ipse iam excitaret potentiam suam, vt exiret à Patre, & veniret in mundum, non vt iudicaret mundum, sed, vt saluaretur mundus per eum, cœlestem nuncium ad virginem misit, in cuius vtero ipse incarnandus erat; vt ad id eius consensum, & cooperationem efflagitaret: nolebat enim omnipotēs carnem sumere ex ipsa, non sponte, dante ipsa; sicut ad formandam Euam sumpsit de dormiente Adā, ipso non dante, aut cooperante. Voluit namque Deus, ad maiorem Beatæ Virginis excellentiam, quòd incarnatio verbi diuini, & consequenter generis humani, penderet à consensu Virginis; quia tamen volebat, hunc consensum verbis exprimi, contemplor Angelum enixè à Virgine illum deprecantem in hæc verba: illa diffide, dabis illi de te, quòd in salutem omnium expendatur, credis, scio, sed quia non sufficit credere, quia *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, oportet, vt fidem hanc ore exprimas, maximè quod Verbum sine tuo verbo carnem sumere recusat. Dic ergò cito, quòd dictura es, quia tempus loquendi est, non tempus

Iosue 2.

Origenes. Cant. 4.

Ibidem.

Luca 1.

Psal. 79.

Ioan. 1.

Luca 1.

Genesis 2.

Hebræo.

Eccl. 3. tempus tacendi: noli tuo silentio salutem humani generis suspendere, ecce ex ore tuo pendent in cœlis Angeli, hominum amatores; sancti Patriarchæ ex limbo, in quo detinentur, expectant verbum tuum quasi imbrem serotinum, Iob. 24. imo omnis creatura ingemiscit, & parturit Rom. 8. vsque adhuc sub expectatione verbi dulcissimi, instar mellis ex fauo oris tui distillandi: adhuc labia tua sunt, sicut mel in faui cera delitescens: fac, vt sint fauus distillans. Tunc labia Beatæ Virginis distillare cœperunt mel dulcissimum illorum verborum, quòd erat sub lingua Virginis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Ad hoc ergò significandum, postquam dixerat Cant. 4. sponsus Virgini: *sicut vitta coccinea, labia tua*, continuò subiunxit: *& eloquium tuum dulce.*

Rursus pulchritudinem colli suę spōsæ intuens, singulari turris metaphora in hæc verba illud commendauit, Cant. Ibidem. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* vel, vt alij transferunt, *omnes alatæ fortium*: scio quosdam interpretes per collum B. Virginis intelligere eius intercessionē, per quam, sicut per collum à Christo capite, diuina præsidia, ac cœlestia munera in nos transfunduntur. Nec me latet, alios expositores, per collum Virginis intelligere eius obediētiam. Etenim proprium obedientis est, collum subijcere ad obedientiæ iugum suscipiendum. Noui etiam alios Doctores per collum Beatæ Virginis intelligere eius fortitudinem, quia collum, membrum est omnium robustissimum, vtpotè ex ossibus, neruis, & cartilaginibus compactum. His tamen omnibus expositionibus consultò omissis, ne quæ latiùs alibi disseruimus, nunc repetamus; opinor, per collum Virginis congruè accipi eius charitatem: nam sicut, id proprium colli est, vt sit vinculum, & nexus corporis cum capite, ita charitas, quàm Apostolus vocat ad Colos. 3. *vinculum perfectionis*: Ad Coloss. 3. *super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, corpus mysticum cum capite suo Christo vnit, & copulat. Sicut autem collum est supra totum corpus, & immediatius capiti, quàm illud; ita charitas B. Virginis omnem puræ creaturæ charitatem superat, & nulla charitate Christi secundùm perfectionem immediatior est. Cùm autem addit: *Mille clypei pendent ex ea*, reli- Cant. 4. quas virtutes intellexit, quæ à charitate pendent, quibus Christiani milites ad prælium armantur, implentes illud D. Pauli ad Ephes. 6. *Induite vos armaturam* Ad Ephes. 6. *Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* Quot enim sunt virtutes in iusto, tot existima clypeos, ac tot bellica tormēta ad hostium defensionem, & offensionem. Quod autem ex charitate pendeāt virtutes reliquæ, luculenter docuit D. Paulus, dum 1. ad Corinth. 13. dixit: *Cha-* 1. ad Cor. 13. *ritas patiens est, benigna est, non cogitat malum, non æmulatur.* Ac tādem merito charitas tum etiam comparatur: *Sicut Turris* Cant. 4. *Dauid collum tuum.* Quia sicut capta arce, & diruta turri, facilè Vrbs expugnatur, ita charitate deperdita, Ciuitas animæ facili negotio ab hoste occupatur. Propugnacula verò, quibus turris hæc defenditur, opera sunt in charitate facta, quorum exercitium si ab hostibus impediatur, neutiquam turris ab illis eam inuadentibus, liberari poterit, &c.

Tandem cœlestis spōsus, virgineum Mariæ ventrem pariter, & fœcundum intuens, aceruo tritici præclarè illum comparauit, Cant. 7. *Venter tuus, sicut ace-* Cant. 7. *rum tritici, vallatus liliis.* Hic sanè non oportet in laudem B. Virginis ad spiritualem ventrem voluntatis illius, quo innumera desideria sancta concipiebat, & totidem merita pariebat, confugere, cùm proposita verba aptè in corporalem Virginis ventrem conueniant. Etenim ex purissimo sanguine, quem beatissima Virgo vtero suo, tanquam vera mater, subministrauit Spiritu sancto, ad

temporalē verbi diuini conceptionem, formatus fuit aceruus ille membrorum corporis Christi, quod frumentum fuit electorum: laborabat fame orbis vniuersus, & panem paruuli petebant, & nō erat, qui frangeret eis. Cuius rei figuram gessit AEgyptꝰ, dum tempore Pharaonis, & Ioſephi grauiſsima fame laborabat. Parauit Deus horreum frumēti vberrimum, atque ampliſsimum, vterum nempè integerrimum beatiſsimæ Virginis, cunctis hominibus vſque ad ſaturitatem ſufficientiſsimum; quod apertè indicat, eximiam B. Virginis fœcunditatem; cùm fructum protulerit æqualem illi, quem fœcundiſsimus æterni Patris venter ab æterno peperit. Vnde quidam ad B. Virginem illa verba Prouerbiorum referunt dicta: *De fructu oris viri Dei replebitur vēter eius*; fructus oris Dei, eius filius eſt, ipſo dicente: *Ex ore Altiſſimi prodiui.* Hoc ergò fructu replebatur venter beatæ Virginis: quod autem addit: *Vallatus liliis*, Virginitatem Marianæ fœcunditatis indiuiduam comitem denotat. Etenim lilium virgineæ puritatis ſymbolum eſſe meminit Propertius libro quarto, eleg. quarta, dum ait: virginem Veſtalem Tarpæiam Dijs ſuis ſolitam fuiſſe, ad ſuam virginitatem profitendam, lilia in ſacrificio offerre.

Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis.

Quin & Diuus Hieronymus in Pſalm. 44. cuius inſcriptio eſt iuxta Hebraicam lectionem: *Super lilia, vel pro liliis*, ipſe intelligit virgines. Quæ inſcriptio ſatis mihi videtur conſentiens ei, quam vulgatus interpres eidem Pſalmo apponit: *Pro his, qui commutabuntur.* Nam virgines videntur commutari in Angelos. Vnde ipſe D. Hieronymus teſtatur, Pſalmi illius expoſitionem ad Beatam Virginē præcipuè direxiſſe, eò quod in inſcriptione eius inueniſſet: *Flores liliorum*, quæ virginitatis ſunt ſymbola? quod idem non obſcurè delineatum cerno in columnis æreis, quas Salomon 3. Reg. 7. fieri præcepit ante veſtibulum templi, ſuper quarum ſummitatem nihil aliud appoſuit, quam lilia, ad ſignificandum caſtitatem, per candida lilia ſignificatam; tanti ponderis eſſe propter eius difficultatem, vt opus ſit ad illam ſuſtentandam fortiſſimis æris columnis, hoc eſt, firmiſſimis diuinæ gratiæ præſidijs, quod & nomina ipſarum columnarum non obſcurè indicabant; quarum vna Iachin, altera verò Booz nominabatur; vtraque autem vox fortitudinem ſignificat. Quid plura? id ipſum etiam lilij arbuſculum manifeſtat, per illud virginitatem ſignificari; tum quia candidiſſimos flores profert, tum quia poſtulat eſſe intactum: nam ſi manibus contingatur, & contrectetur, præterquam, quòd marceſcit, quod commune eſt alijs floribus, fragrantem ſuum odorem amittit, quòd proprium eſſe Virginum, nemo eſt, qui non videat. Quia ergo Beata Virgo ſemper intacta fuit, nullum alium tactum, quàm illum Spiritus ſancti ſentiens, de quo ipſa: venter meus intumuit ad tactum eius; idcircò meritò virgineus Beatæ Mariæ venter liliis decoratur. Quòd autem lilia ait vallare illum; planè ſignificat, quòd ſicut ciuitate benè circumdata, ſtrenuiſſimisq; militibus vndique vallata, hoſtis eam ingredi non poteſt, ita B. Virgo tot pudicitiæ, & puritatis lilijs vndique tam anima, quàm corpore, tam mēte, quàm ſenſu circumdata erat, vt nec minutiſſimus alicuius impuritatis puluiſculus eam ſubintrare quiuerit. Vnde piè noſter S. Bernardus Buſten. hunc eundem locum Cant. verſans 7. parte Marial. ſermon. quinto de parturitione Mariæ parte 2. inquit: *Vallatus* (ait) *quia venter eius liliis puritatis, & munditiæ vndique fuit circumdatus, ita, quòd hoſtis in eius cor nunquam intrare potuit, nec aliquam impuritatem immittere valuit: nam intus inueniebat lilium puritatis, extra lilium caſtitatis, ſurſum lilium contemplationis, à dextris lilium temperantiæ, à ſiniſtris lilium patientiæ, ali-*

Genes. 41.

Prouerb. 18.

Eccleſ. 24.

Propert. lib. 4. eleg. 4.

D. Hieron. in Pſalm. 44.

Titulus Pſal. 44.

3. Reg. 7.

S. Bernar. in illud Cant. 4 7 par. Marial. ſerm. 5 de partur. Mariæ par. 2.

tiæ; ante, lilium prouidentiæ de futuris, retrò, lilium iustitiæ de præteritis, &c. Vel dicamus aliter: lilia, quæ circumdant virgineum ventrem esse sacras virgines, Diuo Ambrosio dicente libro de institutione Virginum, capite decimoquinto. *Christi lilia sunt specialiter sacræ virgines, quarum est splendida, & immaculata virginitas. Etenim virgineus ille venter, principium fuit, & origo, immò & perennis fons, vnde efficacissimo Deiparæ exemplo, omnium Virginum chori dimanarunt.* Vel tandem, dicamus, si placet, per aceruum tritici, & lilia, materna misericordiæ viscera, quibus Beata Virgo clientulos suos fouet, aperiè adumbrari: nam in præsenti vita, tanquam nauis institoris de longè portans panem suum, frumentum corporis Christi, quo cibemur, & alamur, nobis subministrat: in futura verò, lilij conditionem illam omnibus notissimã imitatur; etenim à terra præcisum nonociatur, sed innata sua virtute nititur complicatos flores, qui nondum eruperant, explicare, vt & candorem suum ostentent, & odorem emittant; ita Deipara Virgo, quamuis alioquin à terra iam præcisa, vtpotè in Cælum iam assumpta, & cum filio conregnans, suorum non immemor, illos inde fouet, & auxilia multa impertitur, quibus suffulti, & suauissimum exemplaris vitæ odorem emittunt, ac innocentiæ suę candorem in Dei gloriã ostentant, iuxta illud: *Vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est.* Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Amb lib. de inst it. Virg. cap. 15.

Matth. 5.

HOMILIA VIII.

Deiparam Virginem diuinæ gratiæ miraculum, ac beatum eius Ventrem miraculorum officinam esse apertè commonstramus, in illa eadem verba: Beatus venter, qui te portauit.

PRimus, qui mihi videtur, Deiparam Virginem, miraculum appellasse, Ioannes est dilectus Christi Domini discipulus, & eiusdem Virginis filius singulariter adoptiuus, dum Apocal. 12. vocauit illam magnum signum: *Signum magnum apparuit in Cælo, mulier amicta Sole.* Signum enim in sacra Scriptura pro miraculo, & prodigio frequenter vsurpatur. Vnde Dauid Psalm. 134. ait: *Misit signa, & prodigia in medio tui Ægypte.* Et Actorum 5. *Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe.* In hac ergò acceptione vocauit D. Ioannes beatam Virginem, *signum magnum*, id est, grande miraculum. Et quidem, si vera est Theologorum sententia, qui cum D. Thoma 1. part. quæst. 103. artic. 7. & in disputatis quæst. de potentia, docent, miraculum duo importare, & quod sit aliquid superans totam facultatem naturæ, & quod sit rarum, non frequens. Iure optimo Deipara Virgo, stupendum miraculum censeri debet, cùm, & dignitas matris Dei, & supernaturalia diuinitus ei infusa charismata totam naturæ faculta em longè transcendant: & in eo, quòd pariter sit mater, & virgo, ita rara, & vnica esse perhibeatur, vt in hoc genere phœnix sit, ac sine exẽplo, ad quod respiciens sponsus dixit. *Vna est columba mea, vna est amica mea.* & Ecclesia Catholica canit: *Tu sola sine exemplo placuisti Domino nostro Iesu Christo.* Optimo etiam iure appellari potest, Deipara miraculum, quia, sicut datur miraculum comparatione ope-

Apoc. 12.

Psalm. 134.

Actor. 5.

D. Tho 1. p. q. 103. art. 7. & in disp. q. de potent.

Cant. 6.

rum naturæ, eò quòd naturalem rerum ordinem excedit; ita B. Virgo comparatione operum gratiæ miraculum cēsenda est, quia in genere sanctitatis fuit supra totum communem ordinem gratiæ: adeò vt plus gratiæ, aut gloriæ sola ipsa obtinuerit, quàm omnes Sancti, & Angeli simul, vt testatur D. Bernardus, qui postquam dixerat, B. Virginem adumbrari per Reginam Esther, quam adamauit Rex super omnes mulieres, & posuit diadema super caput eius; subiecit hæc verba: *Istud est diadema speciei, & gloriæ corona, qua B. Virgo super Angelos coronatur, vt intra Trinitatis gloriam ipsa sola amplius sit erecta, ac plus sanctissimæ Trinitatis diligat gloriam, cupiat, sentiat, ac fruatur, quàm omnis alia pura creatura simul sumpta.* Sed, vt vetustiores alij Patres stupēdam, ac ineffabilem B. Virginis sanctitatem altiùs considerantes, miraculum, illam nuncupārunt. S. Ignatius in Epistola ad Ioannem, appellat eam *Cœleste* (si fas est dicere) *prodigium, & sacratissimum spectaculum.* Et S. Ephræm in oratione de Deipara, sic eam salutat. *Aue præstantissimum vniuersi orbis miraculum.* D. Epiphan. verò oratione de Deipara: *O Virgo* (inquit) *sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti: stupendum enim est miraculum in Cœlis: mulier amicta Sole: stupendum miraculum in Cœlis: mulier gestās lucem in vlnis: stupendum miraculum in Cœlis: alter thronus cherubicus: stupendum miraculum in Cœlis: mulieris filius, qui, & ipsius, & seculorum est pater: stupendum miraculum in Cœlis: thalamus Virginis habens filium Dei: Deum sponsum, Christum, stupendum miraculum in Cœlis: Dominus Angelorum, infans B. Virginis effectus est.* Hæc Epiphan. D. Ioannes Damasc. orat. 1 de natiuit. de Deipara agens: *O miraculum* (inquit) *omnium miraculorum maximè nouū: mulier Seraphinis sublimior effecta est, Deus visus est paulò minus ab Angelis minoratus: fileat sapientissimus Salomon, nec iam, nihil sub Sole nouum esse affirmet.* Hæc ille, & meritò, quia Hieremias 31. dixit: *Creabit Dominus nouum super terram, mulier circundabit virum.* Quare, per nullam puram creaturam, imò nec per omnes simul sumptas, magis nobis innotescere arbitror diuina attributa, quàm per solam B. Virginēm; nam si de sapientiæ Dei thesauro, quem in Deipara exornāda Deus ostēdit, agamus, ipsa Virgo sub typo domus, columnis septem suffultæ, in plenitudine nimirum septem donorum Spiritus sancti, singulariter à Dei sapientia, non in aliorum vsum, sed sibi peculiariter ædificatę, pronūciatur Prouerb. 9. *Sapientia* (inquit) *ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Quod de B. Virgine exponit Petrus Damianus orat. 2. de natiuit. Virginis. D. Bernardus serm. 9. Ex paruis, & D. Bonauentura in speculo B. Virginis, cap. 6. De potentia verò, & bonitate Dei, quæ in B. Virgine præcipuè relucent, virgo ipsa, quamuis humillima Spiritu sancti impulsu in ea verba prorupit: quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. à potentia, & sanctitate Deum circumscribens, ac si diceret: quæ in me magna conspicitis, peculiariter proficiscuntur ab eo, qui summam omnipotentiam, & sanctitatem, seu bonitatem in me ostendere voluit. & rursus in Psal. 47. (qui tot° de Virgine sub typo fundationis Hierusalem agit) omnipotentia, ac bonitas Dei (quem propterea magnum, & laudabilem vocat) in B. Virgin. prædicatur. *Magnus* (inquit) *Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri.* B. Virgo enim ex D. Ioannis Damasc. orat. 1. de dormit. Virgin. *Ciuitas est Dei, & quidem Dei nostri, quia mater est filij Dei, qui ob susceptam ex B. Virgine humanitatem, peculiari ratione Deus noster dicitur* Quòd etiam confirmat id, quod sequitur: Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam. Deus duplicem habet domum, Ecclesiam militantem, & Ecclesiam triumphantem: tunc autem dicit Dauid, valdè cognoscendum esse Deum, cùm Beatam Virginem in Ecclesia militanti in matrem, & in triumphanti in cœli Reginam suscipiet:

D. Bern. to. 1. conci. 61. art. 3 c. 3.

S. Ignat. in epist. ad Ioann.

S Eph. orat. de Deipar.

D Epiph. ora. de Deipara.

D Ioan. Damasc. orat. 1. de natiu.

Hier. 31.

Prou. 9.

B Pet. Dam. ora. 2. de natiu. Virg.

D. Bernard. serm 9.

D. Bonau. in spec. B. Virg. c. 6.

Psal. 47.

D. Io. Dam. orat. 1 de dor mit. Virg.

pient: atque ad hęc respicientes Sancti Patres, sæpè maiestatem, & gloriam Dei per B. Virginem nobis maximè innotescere inculcant. Etenim D Bonauent. in speculo B. Virginis cap. 7. inquit: *Opus Domini mirabile est Maria, de quo dicitur in Ecclesiastico: Vas admirabile, opus excelsi; verè opus mirabile, quia nusquam inuenietur simile. Vnde de hoc dicitur: Non est factum tale opus in vniuersis regnis, non in regno cœlestiũ, nec terrestrium, nec infernorum: hoc enim opus plenum est Dominicæ gloriæ, quia supra omnẽ puram creaturam resultat, & relucet plenissimè in B. Maria. Nam præter assumptam à Verbo naturam, nullum est opus, nulla creatura, in qua tanta diuinæ gloriæ materia reluceat, sicut in Maria.* & infra: *Plena est tota Maria, relucente in se plenissimè diuina gloria.* Hæc ille. Petrus Chrysologus sermone 140. *Quantus* (inquit) *sit Deus, satis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animũ non miratur, pauet cœlum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, & vna puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt pacem terris, cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cœlestibus, parentelam ipsius Dei cũ carne commercium, pro ipsa domus exigat pensionem pro ipsius veteri mercede conquirat, & impleat illud Prophetæ: Ecce hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris.* Ita S. Chrysolog⁹. Consonat his reuelatio S. Brigittæ sermone Angelico, c. 5. dum ait: *Mundo creato adhuc vnus minor mundus Virgo Maria coram Deo, cum omni venustate nondum creatus est, à quo maior gloria Deo, & Angelis maior lætitia, atque omni homini eius bonitate frui volenti maior vtilitas, quam de hoc maiore mundo prouenire debebat.* Ac tandẽ noster Galathin⁹ li. 7. de arcanis Catholicæ veritatis c. 19. reddens rationem cur B. Virginẽ Hieremias c. 17. vocauerit: *Soliũ gloriæ Dei*, ait: *Quia sicut sedes ornata, ac regio more parata, sedentis magnificentiã, ac maiestatẽ indicat: ita Deus in B. Virgine ostensurus erat gloriã suã, & claritatem.* Quare licet reuera ad illi⁹ sanctitatis culmen B. Virgo peruenerit, vt soli Deo cognoscenda reseruetur, iuxta illud Eccles. *Ipse creauit illã in Spiritu sancto, vidit, dinumerauit, & mensus est.* illud tamen solùm pro corporis nostri tenuitate de illius eximia sanctitate, & dignitate cognoscimus, quòd ipsa incomparabiliter magis Dei gloriam, maiestatem, & reliqua attributa nobis manifestat, quàm totus simul creaturarum cœtus. Et quid quæso non manifestet, cùm agnoscamus, illã post Christum in æterna prædestinatione primum locum obtinere, atque adeò nõ solùm à Deo electam, sed prælectam; antiquis Patribus cœlitus promissam; mysticis præfiguratam miraculis, Propheticis vaticinijs prænunciatam, Sybillarum oraculis honorificè prædicatam, Dei beneficio ex sterilibus parentibus ortam, qui ex voto nascituram prolem Deo dicauerant; ab Angelo natiuitatem eius prædictam, ex quadruplici generosa stirpe, Patriarchali, Prophetali, Sacerdotali, ac Regia progenitam, ab originali peccato singulari priuilegio præseruatam, à puncto suæ immaculatæ Conceptionis ita in gratia confirmatam, vt ex suppositione illius, nõ solùm mortaliter, sed nec venialiter potuerit peccare: fomitem semper extinctum habuerit, nunquam sæuientem membrorum legem, vel inferioris partis rebellionem senserit, rationis vsum ab exordio suæ Conceptionis acceperit, votum virginitatis ex tunc Deo nuncupauerit, ab eo instanti mereri inceperit, meritum etiam dormiendo non interruperit, omnibus non solum virtutibus tam Theologicis, quàm moralibus, sed & cunctis gratijs gratis datis à suæ creationis primordijs fuerit exornata, trinula in templo Deo ex voto consecrata, ibique sanctissimè educata, infans absque humano adiutorio in templo ascẽderit, ex diuina ordinatione miraculo confirmata, sponsam acceperit; gratia plena ab Spiritu sancto obumbrata, & fœcundata, filium Dei conceperit, quem cœli capere non poterant, suo gremio porta-

Dion. Bonau. in spec. B. Virg. c. 7.

Petrus Chrys. serm. 140.

In reuel. S. Brigittæ sermone Angelico c. 5.

Galat. lib. 7. de arcanis Cath. verit. cap. 18.

Hierem. 17.

Eccles. 1.

portarit: atque adeò ad culmen dignitatis matris Dei euecta fuerit, simul mater, & virgo perpetua, & omnium virginum primiceria extiterit, prægnantium tœdium non senserit, filium suum absq; dolore in partu, immò cum mira dulcedine ediderit, consuetudine, & familiaritate Christi per triginta tres annos vsa fuerit; morti illius constans, summo pariter mœrore confecta iuxta Crucem adstiterit, ad humani generis reparationem singulariter fuerit cooperata, prima viderit Christum resurgentem, & præ cunctis de Christi resurrectione gauisa, gloriosæ ascensioni filij sui præsens, pre reliquis alijs, quando nubes abduxit eum ab oculis Apostolorum, vsq; in cacumen Empyrei cœli ascendentem prospexerit, tāquam Apostolorum magistra, varia ex diuinorum mysteriorū ærario arcana panderit, dum superstes erat in hac mortali vita, templa suo nomine dicata agnouerit, febri diuini amoris æstuans interierit: Apostolorum manib. fuerit sepulturæ tradita; in gloriam super dilectum filium suum innitens conscenderit, & à dextris filij sui constituta, super omnes puras creaturas sedem habeat, aliaque pænè infinita mirabilia, quæ Deiparam Virginem exornant, vt etiam succincta eorum enarratio longum vltra modum expóscat sermonem. Vnde rectè quidam Christianorum Poetarum dixit:

Maiores, pluresq; tibi debentur honores.
Sed quos non hominum, mensue, liberue capit.

Cum ergò in Beatam Virginem tot, ac tam stupenda miracula in vnum confluxerint, iure optimo Sancti Patres, miraculum, vno ore nuncupant: nonnulli tamen non contenti, gratiæ miraculum illam appellasse, eandem etiam vocant miraculorum officinam. Etenim S. Andreas Hierosolymitanus sermone in salutatione Deiparæ, Verbi officinam. Arnoldus Carnotensis tractatu de laudib. Mariæ, Spiritus sancti officinam. Diuus verò Ioannes Damascenus oratione I. de Natiuitate Mariæ, miraculorum officinam illam dixit. Certè summus ille miraculorum opifex Deus, cum sparsis per totum orbem terrarum miraculis, tanquam propriæ potentiæ suæ præconibus, videretur sibi adhuc non plenè suam ostentasse potentiam; tandem, vt faciendi miracula mirabilem artem, ac singularem virtutem suam commendabiliorem redderet, sacratissimam Virginem extraxit, quæ non solùm portentosum miraculum, sed & miraculorum officina esset, ex qua inaudita miracula prodirent, quæ tam terram, quàm cœlum stupefacerent. Equidem tot, ac tam innumera in solum Incarnationis Verbi diuini mysterium in vtero B. Virginis celebratum, confluxere miracula, vt vel hoc solum nomine, iure optimo, virgineus venter, miraculorum officina nuncupari debeat. Vnde Isai. 10. ineffabile Incarnationis mysterium, consummatio, & abbreuiatio dicitur mirabilium operum Dei, vt præclarè Sancti Doctores expendunt, quorum nonnulla selecta testimonia hoc loco inserere non grauabor, cùm copiosè ea, quæ in Verbi Diuini Incarnatione ex Beata Virgine admiratione digna sunt, recenseant.

S. And. Hierosol. in salut. Deip.
Arnol. Carn. trac. 1. de laudib. Mariæ.
D. Io. Dam. or. 1. de Nat. Mariæ.
Isa. 10.

Sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus oratione in Annunciatione Beatæ Virginis: *Tunc (inquit) factum est mysterium, quod in hodiernum vsque diem manet mysterium, neque vnquam mysterium esse desinet: tunc creatura vidit, quòd antea visum est nunquam, nempe olem, quæ suæ matris erat parens: infantem, qui genitricem ætate antecedebat, puerum sæculis omnibus, quæ ante effluxerant, antiquiorem.* Et rursum introducit Deiparam filium suum, Deum hominem in vna persona admirantem, & cum eo ita loquentem: *Ecquid igitur tecum disceptabo, lacte ne enutriam, an verò, vt Deum colam? vt mater curabo, an verò, vt ancilla adorabo? vt filium amplexu fouebo, an verò, vt Deum supplex inuocabo? lac ne porri-*

S. Basil. ora. in Annun. B. Virg.

porrigam, an verò thy mamma offeram? & quod hoc magnum, & abditum est miraculum? Cœlum tibi thronus est, & sinus meus te complexus est: totus his præsto es, qui in inferno degũt, neque vnquam tamen ab iis abes, qui in supernis viuunt; nec enim localis fuit tua illa descensio, sed diuina quædam submissio, & condescensio; celebro proinde tuam clementiam, sed non inuestigo tuam œconomiam: tale namque mysterium per illum patratum est, quale nulla prorsus lingua, aut cogitatio assequi potest. Sic ille.

Diuus Ioannes Damascenus orat. 1. de Natiuitate, diuinam verbi Incarnationem, miraculorum omnium caput, & Deiparam Virginem, miraculorum officinam, appellat: quærens enim, cur Virgo mater ex Anna sterili orta sit: *Quoniam* (inquit) *oportebat, vt ad id, quòd solùm sub sole nouum erat, ac miraculorum omnium caput, via per miracula sterneretur, ac paulatim ab humilioribus ad sublimiora progressus fuerat.* & infrà, cùm Deiparæ vterum, quòd Christum peperisset, & vbera, quòd eundem lactassent, beata pronunciasset, exclamat in hæc verba: *O miraculorum miracula, & rerum admirandarum res maximè admirandæ.* Et rursum, miracula in Incarnatione recensens: *O quot* (inquit) *miraculorum, & cuiusmodi fœderum hæc filiola, hic sterilitatis fœtus officina extitit, diuinitatis nimirum, & humanitatis, passionis, & impassibilitatis, vitæ, ac mortis, vt, scilicet in omnibus rebus, id quod inferius erat, à præstantiore vinceretur*: Hæc ille. Et iterum ad Deiparam sermonem dirigens, alia admirabilia recensèt: *Sanè* (inquit) *res omnes conditas dignitate antecelluisti, ex te enim sola summus illi opifex partem assumpsit, hoc est, massæ nostræ primitias: caro ipsius ex carne tua, & sanguis ex sanguine tuo, & lac è mammillis tuis suxit Deus, & labia tua Dei labiis vnita sunt. O miracula mentis captum, atque orationis facultatem excedentia.* Hucusque D. Ioannes Damascenus.

D. Io. Dam. oratio. 1. de Natiu.

D. Bernardus homil. 2. super Missus est, mellifluo suo eloquio, miracula, quę cùm Verbum caro factum in vtero virgineo, tanquam in miraculorum officina peracta sunt, pulchrè commemorat: is enim enarrans illud Hierem. 31. *Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum. Verò* (inquit) *ad conceptum, partumque virginalem, si fortè inter plurima noua, ac mira, quæ ibi profectò inspicit, qui diligenter inquirit, etiam hanc, quam de Propheta protuli, reperiam nouitatem. Porrò ibi agnoscitur longitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana, ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens: videas si attendas potẽtiam regi sapientiam instrui, virtutem sustẽtari, Deum denique lactantem, sed Angelos reficientem; vagientem, sed miseros consolantem: videas, si attendas, tristari lætitiam, pauere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari, sed quòd non minus mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificãs, pauor confortans, passio saluãs, mors viuificãs, infirmitas roborans, & inter hæc nouã fœminã agnosce virũ circumdãtem, cùm Mariã videas, virum approbatum à Deo, Iesum suo vtero circumplectentem; vir igitur erat Iesus, necdum etiam natus, sed sapientia, non ætate, animi vigore, non viribus corporis, maturitate sensuum, non corpulentia membrorum,* & infrà: *Fœmina circumdans virum, iuxta Isaiam, Virgo est concipiens Deum: vides quàm stupendum sit hoc vnum de Beata Virgine, & in Virgine factum miraculum, quod tot miracula præuenerunt?* Hæc Diuus Bernardus.

Hierem. 31. D. Bern. homil. 2. super Missus est.

His consonat S. Bernardinus serm. 4. de vigil. Natiu. Domini, qui cùm enumerasset quædam Dei opera naturalia, solis nimirum ortum, & occasum, terræ fœcunditatem, temporum vicissitudines, quæ magna ab eo vocantur miracula, sed consuetudine viluerunt; subijcit de admirabilibus operibus in Incarnatione, ex illo Isaiæ 36. *Innoua signa, & immuta mirabilia. O noua* (inquit) *miracula, conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore, mutata est in Virgine nostra maledictio Euæ, peperit enim filium sine dolore, mutata*

Isaiæ 36. D. Bernardi. ser. 4 in vigil. Nat. Domini.

est in benedictionem, sicut prædictum est per Angelum Gabrielem: Benedicta tu in mulieribus; nec solum sine pudore conceptus, & sine dolore partus, sed & mater est sine corruptione. O verè nouitas inaudita. Virgo peperit, & post partum inuiolata permansit; iam securus expecto promissam mihi gloriam incorruptionis in carne mea, quandoquidem cõseruata per eum est incorruptio etiam in matre sua. & infrà: *Crescunt miracula, multiplicantur diuitiæ, thesaurus aperitur; quæ generat, & mater, & Virgo est, qui generatur Deus, & homo est.* Hæc D. Bernardinus. Et sanè maius miraculum fuit, ex D. Ambr. de instit. Virg. c. 7. & Theophylacto, Christum de Virgine nasci, quàm eum à mortuis resurgere: illud enim fuit singulare in Deipara, mortuorum autem plurimi resuscitati legũtur; ideò Ecclesia Catholica ad Virginem Deiparam ait:

Tu quæ genuisti
Natura mirante tuum sanctum genitorem,
Virgo prius, ac posterius.

D Iren. lib. 3 aduers. hæres. c. 18.

Sed iam alios audiamus vetustiores Patres. S. Irenæus lib. 3. aduers. hæres. c. 18. *Vnus* (inquit) *Christus Iesus Dominus noster veniens per vniuersam dispositionem, & omnia in semetipso recapitulans: in omnibus autem est & homo plasmatio Dei, & hominis; ergò in semetipso recapitulatus est inuisibilis, & visibilis factus, & incomprehẽsibilis factus comprehensibilis, & impassibilis, passibilis, & Verbum homo vniuersa in semetipsum recapitulans, vti, sicut insuper cœlestibus, & spiritualibus, & inuisibilibus princeps est Verbum Dei, sic & in visibilibus, & corporalibus principatum habeat, in semetipsum primatũ assumens, & apponens semetipsum caput Ecclesiæ, vniuersa attrahat ad semetipsum apto in tempore.* Sic D. Irenæus.

D Cyprianus sermone 3. de natiu.

D Cyprianus serm 3. de natiuitate. *O Domine* (inquit) *quàm admirabile est nomẽ tuum! verè tu es Deus, qui facis mirabilia: non modo mundi huius staturam admiror, non stabilitatem terræ, cùm eam complectatur volubile firmamentum, non singulos dies, non lunæ defectum, & incrementum, non solem semper integrum, & laborem eius perpetuum, nõ temporum vicissitudines, in quibus quædam arent, quædam virent, & quæ mortua modò videntur, deinceps reuiuiscunt; miror Deum in vtero Virginis, miror omnipotentem in cunabulis, miror quomodo Verbo Dei caro adhæserit, quomodo incorporeus Deus corporis nostri tegumentum induerit, miror in hac dispensatione tanti dispendia temporis, & tam lentos processus ad obedientiam Saluatoris in breui poterat patrari negotium. & poterat tantus labor abbreuiari ad solum Christi Verbum, sicut factus mundus, & disposita cuncta ad eius imperium: sed elementario mundo dignior est rationabilis homo, quòd ex eo, quòd in eius seruitium facta sunt omnia, facilè creditur in cæteris quocumque modo aliquæ satisfaciunt rationes, hic solus me complectitur stupor, & cum Habacuc cano: Consideraui opera tua, & expaui: miror ieiunium, miror tentationes, miror omnipotentem in sepulchro iacentem, miror occisum, & resurgentem. Hæc sunt noua mira, quæ prædixerat Hieremias Nouum fecit Dominus super terram mulier circumdabit virum, opus suum faciet, & peregrinum opus eius, ab eo Iesus Christus heri, & hodie ante Luciferum genitus, initium Carnis sumpsit ex Beata Virgine, quem Cœli Cœlorum non capiunt, qui implens omnia, cùm sit in omnibus, ab his tamen non capitur, nec tenetur. Nouum est, & inauditum, quòd in materni angustia vteri circumdedit intra se fragilis caro virtutem Altissimi, & ordinem rerum, cursumque naturæ mutauit sapientia Dei, & vbique diuinitas dilatata, plenitudinem sui vasa infundens exiguo, sic est circundata muliebri vtero; vt vniuersa ambiret, implens omnia, excedens cuncta, intra se omnia continens, extra vniuersa complectens. quem nos paruulum, propheta nuncupat virum: insinuans, ei nunquam defuisse virtutem, sed semper virilis ætatis assuisse fortitudinem, quem infantilis infirmitas occultabat: opus igitur fecit, quòd creauerat, saluans, quòd perierat, ad vitam reuocans, quod mortuum erat, sed peregrinum opus fecit in Deo, quòd Verbum factum est caro, quòd factus est visibilis, & comprehensibilis, & mortalis; & peregrinum à maiestate, puer lugens vbera, panniculis inuolutus, & sustineus*

stinens conuicia, Filius Dei in patibulo constitutus. Hæc D Cyprianus.

Sophron. ser. de assumpt. Sophronius sermone de assumptione citans locum illū Hier. 31. Nouum creauit Dominus super terram: *Verè* (inquit) *nouum, & omnium nouitatum superueniens nouitas virtutum, quando Deus (quem ferre non potest mundus, neque videre aliquis, vt viuere possit) sic ingressus est hospitium Virginis, vt corporis claustrum nesciret, sicque gestatus, vt totus Deus in eo esset, & sic exiuit inde, vt esset, sicut Ezechiel fatetur, porta omninò clausa.* hæc ille: *Sanctus Leo serm. 2. de natiuit. Aduenientibus* (inquit) *temporibus, quæ redemptioni hominum fuerant præstituta, ingreditur hæc infima Iesus Christus Dominus noster de cœlesti sede descendens, & à paterna gloria non recedens, nouo ordine, noua natiuitate generatus: nouo ordine, quia inuisibilis in suis, visibilis factus est in nostris, incomprehensibilis voluit comprehendi; ante tempora manens, esse cœpit ex tempore, vniuersitatis Dominus seruilem formam obumbrata maiestatis dignitate suscepit, impassibilis Deus nō dedignatus est homo esse passibilis, & immortalis mortis legibus subiacere. Noua autem natiuitate genitus, est conceptus à Virgine, natus ex Virgine, sine paternæ carnis concupiscentia, sine maternæ integritatis iniuria.*

S. Leo ser. 2. de natiuit.

Hildeph. lib. de virg. Deipara c. 11. hæc S. Leo Hildephonsus libro de Virginitate Deiparę c. 11. Christi conceptionem omni miraculo mirabiliorem, omni opere potentiorem, omniq; signo, ac prodigio angustiorē appellat: & meritò quidem, quia, cùm beatissima Virgo esset præstantissimum orbis miraculum, non poterat non eius conceptio, & partus esse miraculosus. Vnde & ipse Christus eius proles, fatetur, se ex vtero Virginis prodijsse, factus prodigiosum miraculum tāquam prodigium factus sum multis, vel (vt vertit Cardinalis Caietanus ex Hebręo Miraculum factꝰ sum multis. Cùm ergò Christus Dominus summum, & maximum omniū miraculorum sit, imò solus per antonomasiam, & per excellentiam, miraculi appellationem mereatur, & ex immaculato Beatæ Virginis Mariæ vtero, tāquam ex officina, vbi formatus fuit, prodierit, nemo sanæ mentis inficiabitur, Deiparam Virginem, excellentissimam quādam miraculorum officinam esse, imò & miraculorum abyssum, vt ingeniosè dixit Diuus Ioannes Damascenus, innuens, in Deiparæ Virginis vtero, tanquam in abysso, multa latere miracula, ad quæ penetranda, propter summam eorum profunditatem, tam humanæ, quàm angelicæ intelligentię, aditus omninò præcluditur. Andreas Cretensis oratione prima de dormit. Beatæ Virginis, præclarè dixit: quam Dei tantum est laudare pro dignitate, qui quas nouit rationes, in ea tot fecit miracula.

Card. Caiet. ex Hebræo.

D. Ioan. Damascenus.

And. Cretē. ora. 1. de dor. B. Virg.

Ad extremum, quod & mirabilius multò videri debet, ipsi etiam ethnici homines, immo & Turcarum princeps Mahomethus in Alcorano Azoar 31. non dubitauit, perillustri miraculi nomenclatura Deiparam Virginem exornare, sic enim ait: *Deus illam filiumq; suū manifestum gentibus miraculum posuit.* In quibus verbis primo obseruo, vocasse illam absolutè miraculum, non limitans illam ad miraculum in hoc, vel illo genere: olim Aristoteles philosophorum princeps propter raram, ac limpidissimam rerum naturalium cognitionem, miraculum naturæ fuit cognominatus. Beatam autem Virginem nō vocat ethnicus ille miraculum naturæ, sed miraculum absolutè, vt significaret, illam non solum in ordine naturæ, sed & in ordine gratiæ miraculosam, ac prodigiosam semper extitisse. Secundò obseruo, vocasse illam miraculum, nō occultum, sed manifestum gentibus; quādoque contingit, ad preces alicuius sanctorum effusas infirmum repēte in pristinam restitui sanitatem: propter varias tamen, quæ occurrunt, dubitandi rationes, in quæstionem vertitur, fuerit sanitas illa, miraculosa necne? tunc certè miraculum illud dicitur occultū,

De Alcorano Azoar 31.

non clarè patens: quando autem post manifestam alicuius mortem, quisp am ad vitam reuocatur, illud manifestum fuisse miraculum omnes proclamant. Hoc igitur interest discrimen inter beatam Virginem, & reliquos sanctos, quòd illorum mirabilia multa in quæstionem vertuntur: quæ verò propria beatæ Virginis sunt, & dignitati matris Dei consentanea esse perhibentur, non oportet in discep a ionem, & controuersiam illa trahere, sicut specialiter D. Augustinus de peccatis agens, dixit:

D. August lib de nat. & grat. c 36. *Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, volo habere quæstionem* quòd ea sanè ratione dixit, quia iudicabat per se manifestum, in Matrem Dei cadere peccatum non potu sse. Tertiò, obseruo dixisse, beatam Virginem fuisse miraculum manifestum gentibus, quia reuera non vni, vel alteri nationi, sed omnibus illis indiscriminatim, ad quos miræ sanctitatis eius notitia peruenit, supra modum mirandam se exhibere consueuit. Experientia nouimus, singulis Regionibus singula q ędam esse mirabilia, quæ licet illis communia sint, & non rara, alijs tamen pretiosa, & singularia habentur. Vnde lacus, cuius aqua nocturno tempore ebibita nocet, diurno verò nihil lædit, sed salubris est, vt cecinit Ouidius libro Metamorph.

Ouid li. Metamorph. *Est lacus Arcadiæ pheneum dixere priores:*
Ambiguis suspectum aquis, quas nocte timeto:
Nocte potæ nocent, sine noxa in luce bibuntur.

Hic, inquam, lacus incolis illius regionis communis, & familiaris est, alienigenis verò rarus, ac mirabilis. Plinius libro decimonono, capit primo, & Strabo libro decimo referunt, quoddam lini genus, quod viuum vocitant, ignem missum non concremari, sed potius purificari: nobis certè rem mirabilem narrant, Cretensibus verò rem satis tritam dicunt, apud quos frequens est illud lini genus. Similiter Flauius Iosephus in sua historia flumen quoddam scribit ea proprietate præditum, vt nonnisi in die Sabbathi fluat; vnde Sabbathinum flumen appellatum est: quia cum reliquis hebdomadę diebus alueus eius aquarum fluxu careat, solo die Sabbathi illæ defluunt: nos illud miraculum naturæ appellamus. habitantibus verò in ea regione nihil prorsus admirationis infert. Deinde Plinius libro 6. natur. histor. capite trigesimo secundo, tradit in India, quam olim Embrion, vt ipse vocat, nunc verò vulgari sermone Hiero appellatur, communem, ac frequentem esse arborem quandam talis naturæ, vt cùm regio illa fluminibus, fontibus, lacubus, & puteis penitus careat, illa certis temporibus, instar fœcundissimę nubis, tantam aquæ copiam effundit, vt defectum fluminum, & fontium, non solùm ad hominum vsum, sed ad brutorum quoque animantium potum abundè suppleat. Certè nobis hoc mirabile, & inauditum est, illis verò adeò frequens, vt ex consuetudine viluerit, nihilque rem tam stupendam iam miren ur. Hoc igitur, vt in Beatam Virginem conuertamus, illud singulare est in beatissima Virgine, quòd omn bus gentibus, omnibus nationibus, omn,bus tam cœlestibus, quàm terrestribus incolis mirabilis sit, omnes rara, & eximia eius sanctitas, ac suprema matris Dei dignitas in admirationem, & stuporem rapiat, cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum.
Amen.

Plin. lib 19 cap 1. Strabo li. 10

Flauius Iosephus in sua hist.

Plib. lib. 6. natur. histor. cap 32.



HOMI-

HOMILIA IX.

Virgineum Deiparæ ventrem bonorum omnium scaturiginem esse, atque idcò meritò dici beatum: variis animi conceptionibus palam fit, in eadem verba: Beatus venter, qui te portauit.

INter pleraque alia Virginis Deiparæ præconia, illud nō solùm admiratione, sed stupore dignum esse reor, quòd cùm alioquin humanus vēter fons sit, innumera mala, grauiaque peccata scaturiens: E contra tamen Marianus venter omnium bonorum sit fœcundissimus fons, vberrimaque scaturigo. Humanum ventrem ita Ægyptij execrabantur, vt auctor est Plutarchus libro de sepulchro, & refert Lælius lib. 13. cap. 25. vt à mortuorum corporibus ventrem eximerent, tanquam peccatorum omnium (vt ipsi dicebant) causam. Verùm ad hanc veritatem comprobandam, non opus habemus ab ethnicis testimonium emendicare, cùm plura, eaq; manifestissima, sacra eloquia nobis suppeditent. Dauid enim Psalm. 50. in hunc modum à Deo veniam deprecabatur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, quasi diceret: ne mireris Domine, quòd in peccata actualia *p*lapsus fuerim, cum peccato originali infectum conceperit me mater mea, quod fomitem ad peccādum in me induxit: & Psalm. 72. maternum vēterem officinam esse fatetur errorum: *Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa.* Beatæ autem Virginis venter tanta puritate, & sanctitate enituit, vt proles in eo concepta non solùm peccatum originale non cōtraxerit, vtpote, qui naturalis Dei Filius erat, sed ipsius mortis destructor, & peccati peremptor esset. Verùm oculatius contemplemur, quod, quàm pereximia, atque magnifica bona ex Mariano vētre, velut ex perenni fonte, ad nos emanārint, non enim absque causa absponso vocatur Cant. 4. *Fons hortorum, & puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* quia illis iusti, quasi cœlestis Regis Horti amœnissimi, ac regio cultu, manuque consiti, vberrimè irrigantur, ac fœcundantur: & quoniam triplex potissimum est aquæ vsus, videlicet ad extinguendam sitim, ad abluendas sordes, ad irrigandam, & fœcundādam terram; sanè Marianus venter, tanquam fons viuus, aquam illam viuentem, Christum Dominum ex se protulit, in nostram omnium vtilitatem illum effundens, per quem concupiscentiæ nostræ ardens sitis refrigeratur, criminum maculæ absterguntur, & cordis nostri sterilis terra, quæ instar fœni aruerat, vt loquitur Dauid Psalm. 101. ad germinandos bonorum desideriorum flores, ac sanctorum operum producendos fructus, fœcundatur. Quòd si, cùm sponsus Beatam Virginem appellat, Puteum aquarum viuentium: sub nomine aquæ Spiritus sanctus intelligatur, vt Christus Dominus intellexit illis verbis Ioan. 7 *Qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eo, aptè etiam B. Virgo puteus aquarum viuentium nuncupatur, cum ipsa, non solùm habitaculum sit Filij Dei, sed sacrarium Spiritus sancti: vt verbis D. Bernard. vtar sermone 4. de assumpt. triplexque ille effectus refrigerandi, lauandi, & rigandi proprius sit Spiritus sancti. Vnde Ecclesia Catholica canit:

Dulcis hospes animæ,
Dulce refrigerium.
Ecce refrigerat,
Laua quod est sordidum.
Ecce maculas abluit,
Riga quod est aridum.
Ecce infœcundam cordis nostri tellurē

Plutarch. li. de sepulchro. *Lælius li. 13. c. 25.* *Psalm. 50.* *Psalm. 72.* *Cant. 4.* *Psal. 101.* *Ioan. 7.* *D. Bern. ser. 4. de assum.*

diuinæ suæ gratiæ imbre irrigat: quis ergo pleno ore non Virginis ventrem beatum vocitet?

Deinde B. Virgo vtero suo Christum portans, monti meritò solet comparari, quia præterquam, quòd prefigurata fuit per montem, de quo Dauid dixit Psal. 67. *In quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* præterquam etiam quod D. Ioannes Damascenus oratione 1. de dormit. Virginis appellat eam, montem pinguem, S. Gregorius montem in vertice montium eam nuncupat, quia super Angelorum choros meritorum verticem erexit. Ac tandem præterquam quòd iuxta Danielis vaticinium cap. 2. mons est, ex quo sine manibus abscissus est lapis, Christus scilicet Dominus, qui sine viri opera, ac sine obstetricis adiutrice manu in vtero Beatæ Virginis carnem induit, & ex eo per natiuitatem producit, vt exponunt S. Irenæus lib. 3. contr. hæres. cap. 28. Iustinus martyr in Dialogo cum Triphone, & Epiphanius serm. de laude B. Virginis, quorum expositioni consonat explicatio D. Hieronymi epistola 22. vbi animaduertit, ideò lapidem illum dici abscissum de monte sine manibus, quia manus accipiuntur pro opere nuptiarum, iuxta illud Cantic. 2. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* lapis autem hic, qui à D. Petro epistola 1. cap. 2. vocatur pretiosus, & angularis, Christus est, cui omne spirituale ædificium innititur, & qui contriuit statuam illam Nabuchodonosoris, quatuor præcipuos gentilium Monarchias, Chaldæorum, Persarum, Græcorum, atque Romanorum significabat; præter hæc, inquam, Beata Maria, humanam, diuinamque prolem vtero gestans, rectè monti comparatur in sacris eloquijs, & à sanctis Patribus, quia mōs, lingua Hebræa dicitur, Hara, quòd idem valet, quòd prægnans, quia verè mons propter tumorem, non solùm figuram prægnantis præsefert, sed quia multis bonis grauidus, & fœcundus, abundanter illa ad humanum vsum suppeditat arbores producit, quarum quædam ad ignem conficiendum, quædam ad ædificia construenda, quædam ad imagines sculpendas, quædam ad fructus edendos conducunt: herbarum genera diuersa germinat, quæ pecoribus, & alijs animantibus in pabulum deseruiunt: fontales aquas ex se scaturit ad fœcundandas valles, durissimos lapides gignit ad basilicas condendas, & ad arces, & mœnia ciuitatum in sublime erigenda: immò, quandoque argenti, & auri mineralia intra sua viscera maturat, quibus homines locupletantur: ac tandem, vt dixit Dauid Psalm. 103. *Montes excelsi cerui, petra refugium herinaceis.* vel (vt Hebræum originale habet) petra refugium leporibus. Quis iam igitur ex his non videat, rectè Virginem prægnantem, montem nuncupari, non solum propter vterum tantò plus intumescentem, quantò infans Christus secundum corpulentam substantiam in virgineo eius vtero magis crescebat? Sed quia ex ea, tanquam ex monte prodijt arbor vitæ, non fructus corruptibiles ferens, sed immortalitatem conferēs; ex ea prodijt fons gratiæ salientis in vitam æternam, ex ea prodijt lapis, qui tametsi iniustè reprobatus fuerit, factus tamen est postea in caput anguli; ex ea prodiuit aurum, & argentum diuinitatis, & humanitatis, omni argento, & auro Arabiæ incomparabiliter pretiosius, ex quibus diuinum electrum Christi Domini erat compositum: ex ea prodijt, non fœnum iumentis, non gramen pecoribus, non herba reliquis animantibus, sed frumentum electorum, quo Ecclesiæ horrea adeò plena, ac redundantia sunt, vt pænè infinitis ex illo vescentibus, nec fuerint vnquam exhausta, nec imminuta, vt cecinit Diuus Thomas:

Sumit vnus, sumunt mille,
Quantum isti, tantum ille,
Nec sumptus consumitur. D. Thom.

Ac tan-

Psalm 67. *Io. Damasc. ora. 1. de dormit. Virg.* *S. Gregor.* *Dan. c. 12.* *Iræn. libro 3. contr. hæres. c. 28.* *Iustin. mart. Dialog. cum Triphone.* *Epiph ser. de laud. Virg.* *Cant. 2.* *1. Pet. 2.* *Psalm. 103.*

Ac tandem si timidis ceruis mons refugium esse solet; mons Virgo pietatis, ad quam in occurrentibus necessitatibus confidenter confugere licet: nam, vt rectè dixit Sanctus Bonauentura in Litanijs Beatæ Virginis: *Mammilla est orphanorum, & consolatio afflictorum.* quòd probè agnoscens Diuus Bernardus sermone super signum magnum, inquit: *Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suauis est, omnibus offerens lac, & lanam.* quis ergo beatum non fateatur Virginis ventrem tantorum bonorum feracem?

S. Bonau. in Litanijs B. Virg.

D. Bernard. ser. super signū magnū.

Ad hæc, sicut nullum deterius malum Mundo accidere potuit, quàm amissio gratiæ diuinæ, ita nullum excellentius bonum ei contingere potuit, quà recuperatio, & restauratio eiusdem: sicut autem amissionis gratiæ, & iustitiæ originalis, causa fuit intemperatus venter primorum parentum, vetitam dulcis pomi escam gulosè appetens, ita restaurationis amissæ gratia, & diuinæ amicitiæ, temperatus pariter, & immaculatus Beatæ Virginis venter auctorem gratiæ Christum concipiens principium fuit, & origo. Explicemus hoc, si placet, drachmæ perditæ, & inuentæ parabola.

Luc. 15. 4. *Quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eam?* persimilis mihi videtur Deipara Virgo huic mulieri: nam si rem altius contemplemur, ipsa & lucernam accendit, & euertit domum, & drachmam perditam inuenit. Reminiscamini (obsecro) per Adæ peccatum amissam fuisse olim precioſam illam gratiæ diuinæ drachmam. ille per spatium nongentorum triginta annorum semper quæsiuit hanc drachmam, si forsan resarcire posset iacturam à se factam, nunquam tamen eam posteris suis inuenire potuit. Abraham eandem, vt inueniret, accendit lucernam Circumcisionis, exijt è propria patria, nec illam potuit inuenire. A Moyse vsque ad Christum diuersi Patriarchæ, & Prophetæ figurarum, visionum, prophetiarumque lucerna iugiter quæsierunt hanc drachmam, nec inuenire potuerunt. Moyses sexcentorum decem & trium præceptorum lucernam accendit vt inueniret, & non inuenit: omnes sancti Patres veteris testamenti deplorabant perditionem illius drachmæ, & quòd non possent illam inuenire. Veniens autem in hunc mundum sacra illa mulier mulierum decus, diligenter accendit lucernam Verbi Incarnati, posuit flammam diuinitatis in vas suę humanitatis, & euertit domum quando effecit, vt immortalis ex vtero suo mortalis prodiret, æternus temporalis, Creator creatura, incomprehensibilis comprehensus, Deus homo, & homo Deus: euertit domum, quando Verbum fecit mutum, longitudinem breuem, latitudinem angustam, altitudinem humilem, & demissam, profunditatem planam Euertit domum, quando edidit lucem non lucentem, immensum infantulum corpore cõtentum, fontem aquarum, sitientem, & panem esurientem: postquam autem Virgo sanctissima sic euertit domum, totius mundi gratiæ drachmam inuenit. In Nazareth, Angelo ei dicente: Inuenisti gratiam apud Deum, non tamen illam inuenit sibi solum, sed omnibus, quæ Saluatorem omnium, vberrimum fontem gratiæ vtero suo concipiebat: quis quæso id considerans, negabit beatum Virginis ventrem?

Præterea, Marianus venter fuit velut minutissima arx, ex qua prodijt, qui Sathan infestissimum humani generis hostem viriliter debellauit, & vires eius confregit; cuius tanti beneficij beato illo Mariæ vẽtri necesse est debitores nos esse ingenuè fateamur Iob capite 40. dixit Dominus: *An extrahere poßis Leuiathan, hamo? & func ligabis linguam eius?* *Iob 40.*

quasi dicat, nequaquam id præstare poteris hamo, & funè humanæ industriæ, sed Verbi diuini virtute, in vtero Virginis Incarnati: nam, vt D. Gregorius dixit libro 33. moralium cap. 10. *In hamo Incarnationis Dominicæ cœtus iste ad omnium hominum mortem inhians, vitam pænè omnium vorans, captus est: in Christo enim erat humanitas tanquam esca, quæ ad se deuoratorem duceret, & erat ibi diuinitas, tempore passionis latens, cuius aculeus mordentem cœtum tenuit, & perforauit: dum enim ipse Christo mortem iniustè appetijt, nos, quos quasi iustè tenebat, amisit* Ita D. Gregorius. Addit etiam idem sanctus Doctor, cap. 12. *Huic hamo lineam non defuisse, antiquorum nimirum Patrum propaginem: cùm enim dicitur: Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, & cæteri successores vsq; ad Beatam Mariam Virginem desponsatam describuntur, quasi quædam linea torquetur, in cuius extremo, incarnatus Dominus, id est, hamus intelligeretur, qui ad mortem cœti istius in hac aquarum profunditate caliginosa, mira est dispositione suspensus.*

Greg. lib. 33. moral. c. 10.

D. Greg. li. 33 moral. c. 12.

Quam autem aptè hamo metaphora rei præsenti congruat, ex eo apertè liquet, quòd, sicut hamus ferreus est, ne à pisce consumi possit, esca verò, quæ illi apponitur, vermis esse solet; ita diuinitas Christi, instar ferri inuincibilis est, caro verò Christi, quæ veluti esca fuit, huic sit composita hamo, quando in vtero B. Virginis, *Verbum caro factum est*, vermis erat, vt in persona Christi dixit Dauid: *Ego sum vermis*: quod in sua conceptione, & passione satis vtique innotuit: nam sicut vermis, vt adnotauit D. Ambrosius in Psalm 21. absq; commixtione sexuum ex terra, & solis influentia gignitur, ita & caro Christi ex sola Maria, terra virginea, Spiritu sancto cooperante, concepta fuit, & quemadmodum vermis absque vlla commiseratione conculcatur, & interimitur; ita depositio omnis pietatis sensu, caro Christi Domini in passione fuit conculcata, ac turpissimæ morti sæuissimè addicta; & quemadmodum vermis crudeliter vexatus non stridet, ita & Christus in passione, sicut agnus coram tondente se obmutuit; & vt ait Diuus Petrus, *cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur.* Et quemadmodum etiam, sicut vermis, quamuis tenerrimus, durissima perfodit ligna, & in minutissimos pulueres redigit, ita Christus Dominus durissimas dæmonis vires atrriuit, ac de tyrannis Fidei persecutoribus triumphauit, vt præclarè adumbratum obseruaui in Dauide 2. Regum cap 23 vbi postquam de eo dicitur fuisse quasi tenerrimus ligni vermiculus; statim subdit sacer Textus: *ipse interfecit octingentos impetu vno.* Verùm hãc victoriam non solùm Christus obtinuit in bello cruento suæ passionis, sed etiam in vtero Beatæ Virginis, dum carne eius tanquam verme sit composita diuinitatis hamo, mirabili industria fuit captus magnus ille Leuiathas, quod, ne ex meo marte asserere videar, sacris Scripturis id comprobabo. Etenim D. Paulus ad Hebræos cap. 10. loquens de Christo, recens in vtero Beatæ Virginis concepto, inquit: *Ingrediens mundum, dicit, hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi: ecce venio.* & continuò subiungit: *in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi.* Ecce apertè ait, de potestate diaboli ereptos sanctificasse per holocaustum illud, quod in vtero Beatæ Virginis delitescens, Deo Patri obtulit. Vnde paulò post Incarnationem, hãc infantis Christi victoriam decantans, inquit: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mẽte cordis sui; deposuit potentes de sede.* Quæ verba intelligens D. Bernardus de victoria, quam Christus intra virgineum vterum latens, de immundis spiritibus in nostræ salutis beneficium tulerat, hęc præclara scripsit sermone 2. de Pentec. *Christus substãtialiter Virginis vtero illapsus; de Spiritu sancto conceptus est, vt conceptionẽ nostram*

1. Pet. 2.

Ad Heb. 10.

D. Bern. ser. 2. de Pentec.

nostram mundaret, quam spiritus malus, si non fecerat, tamen infecerat, vt non esset etiam in vtero vita ipsius otiosa, dum nouem mensibus piargat vulnus antiquum, & scrutans, vt dicitur, vsque ad imam putredinem virulentam, vt sanitas sempiterna succederet; & tunc iam operabatur salutem nostram in medio terræ, in vtero videlicet Beatæ Virginis Mariæ Hæc D. Bernardus. Atque hinc est, quod cùm Christus in vtero B. Virginis assuefactus dæmonem expugnare, cùm primum ex sacro illo thalamo, in Bethleemitico hospitiolo natus prodijt, confestim Sathanæ spolia detrahere cœpit, iuxta Isaiæ 8. vaticinium prædicentis, *Isaiæ c 8.* nomen illius futurum esse: *accelera spolia detrahere, festina prædari.* Primum spo- *D. Irenæus.* lium, vt adnotauit D. Irenæus fuit Ioan. Baptista, ad quem Christus Dominus in ferculo Mariani vteri delatus venit in montana Iudææ, vt serpentem peccati originalis, quo dæmon infantulum Ioannem sub potestate sua tenebat, foras eijceret. Vnde in signum expiati peccati, continuò cœpit præ gaudio infans Ioannes in vtero matris tripudiare, & Christum in actionem gratiarum adorauit: vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in *Lucæ 1.* gaudio in vtero meo, Lucę cap. 1. Secundum spolium, fuerunt tres Reges Magi, quos ab idolorum cultu ad sui adora- *D. Aug. serm.* tionem pertraxit, vt docuit D. Augusti- *32. de temp.* nus sermone 32. de tempore, dicens: Debellaturus Christus vniuersum Orbem, & spolia, id est, Magos, qui spolia dicuntur Samariæ, & aurum ab eis, quod est virtus Damasci, abstulit in hac terra, & nondum loquens per linguam, locutus est per stellam. Tertium spolium Christi infantis, innocentes pueri fuere, vt sanctus Cyprianus sermone de innocẽtibus tradit, nec non D. Augustinus lib. 3. de symbolo ad Catechumenos cap. 4. *S. Ignat. ser.* vbi ait: *Christus, qui in præsepio iacet, thro-* *de Innocen.* *num Herodis terret, & agit per eum nescien-* *D. Aug. lib.* *tes causas suas, & à captiuitate diaboli ani-* *3. de symb.* *mas liberat, suscepit filios inimicorum in numerum adeptatorum; nec pauca putanda sunt ad catech.* *hæc fuisse spolia, aut exigua horum infantium cap. 4.* *præda; etenim, quatuordecim millia fuisse testatur monologium Græcorum, & canon missæ Æthyopum, vt habetur in tomo 6. bibliothecæ Sanctorum Patrum.*

Ad hæc nemo ignorat, Christũ Dominum infantulum, manibus B. Virginis in AEgyptum inductum, simulacra Idolorum euertisse, vt prædixerat Isaias cap. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem* *Isai c. 19.* *leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulacra Ægypti à facie eius.* Quę verba, licèt D. Hieronymus libro 7. in *D. Hier. lib.* Isaiam, de ingressu Christi in AEgyptũ *7. in Isa.* huius mundi, super nubem leuem Beatę Virginis, nullo peccato pondere prægrauatam interpretetur, tamen de peculiari idolorum ruina illa exponunt D. Athanasius libro de Incarnatione Verbi, Origenes homilia 3. in diuersis, necnon Eusebius libro 3. de demonstratione Euangelica, cap. 20. vbi inquit: *Dæmo-* *D. Athan. li.* *nes praui incolentes Ægyptum per multa sæ-* *de Incarnat.* *cula in simulacris latitantes, animasq; Ægy-* *verbi.* *ptiorum omni superstitionis errori addicentes,* *Orig. hom. 3.* *cùm sensissent nouam quandam diuinamque* *Euseb. lib. 3.* *virtutem ad se accessisse; illico commoti sunt.* *de demonst.* Nec solùm tunc Christus infantulus si- *euang. c. 20.* mulacra AEgypti corruere compulit, sed & desertis AEgypti talem, ac tam fœcundam impertiuit benedictionem, vt ex illis pænè innumera sanctorum virorum examina prodierint. Quibus rectè congruere puto illud Isaiæ 35. *Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit soli-* *Isaiæ 35.* *tudo, & florebit quasi lilium.* Vnde D. Ioannes Chrysostomus homilia 8. in cap. 2. *D. Io. Chry-* Matth. dixit, tunc desertum commu- *sost. hom. 8.* tatum fuisse in locũ ipso Paradiso præ- *in c. 2. Matt.* stantiorem: *Si quis nunc* (inquit) *ad Ægypti veniat solitudines, Paradiso prorsus omnõ istam videbit heremum digniorem.* Ecce, quàm innumera bona virgineus B. Mariæ venter, Christum concipiens, nobis peperit: meritò ergo propterea beatus nuncupari debet, &c.

Cæterũ, vt hæc ad mores nostros in-

formandos conuertamus; mementote, quæso, quod D Iacobus Apostolus in
D Iacob. in sua Cathol. epist. sua Catholica epistola dixerit: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus, deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò, cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Nonne videtis claram, & pernicioſam oppoſitionem? Virgo namque Deum, & hominem, plenum gratiæ, & veritatis concepit: nos verò per concupiſcentiam concipimus malum. Virgo eundem filium Dei, remanes ipſa Virgo, mundo peperit, nos ex conceptu malo per plenum conſenſum parturimus tandem peccatum. Virgo per ſuum partum ſalutem vniuerſo attulit mundo, & perpetuam vitam; nos ex noſtro pernicioſo partu mortem nobis ipſis afferimus, & niſi corrigamur; in æternam incidimꝰ mortem. Hoc lamentabatur Iſaias, dicens:
Iſai. c. 59. *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem, ova aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt; qui comederit de ouis eorum, morietur, & quod fotum eſt, erumpet in regulum.* Quæſo ſingulas has diuinas diſcutiamꝰ metaphoras. Conceperunt (inquit) laborem; nam quiſq; peccator labores patitur maximos in concipiendo, & perpetrando peccato. Vult quis, verbi g. adulterari? quot difficultates, quot pericula ſubit? quot ſuſpectiones, quot obſeruationes, quot diſcrimina ingreditur? periclitantur in eo ſtatim facultas, honor, fama, vita ipſa, dicant experti: ſubdit deinde, pepererunt iniquitatem, ſanè per plenum conſenſum, in ipſum peccatum incidunt: quare partus non fuit violentus, ſed voluntarius: quomodo verò infelicem hunc partum in lucem edãt, explicat ſtatim: *Ova aſpidum ruperunt, telas araneæ texuerunt.* Quemadmodum enim vipera, maternum exulcerando vẽtrem, & matri necem inferendo, naſcitur, ita peccatum corrodit, & lacerat animæ viſcera, æternam inferens illi mortem; & ſicut araneæ ſeſe euiſcerant, tenues illas, ac futiles texendo telas, ad capiendas muſcas ſolùm aptas; ita miſeri peccatores ſeſe euiſcerant, cuncta per peccatum diſſipando animi bona, virtutes, opera, merita, gratiam, vitam, & gloriam in futurum. Quòd ſi inquiras, vt quid tot ſumptus, & expẽſæ? non certè ob aliud, quàm vt temporalium bonorum, diuitiarum, & voluptatum muſcas apprehẽdant, quod autem poſtea ſubiungit: *Qui verò comederit de ouis eorũ, morietur*, idem eſt, ac ſi diceret: qui peccatis iam palam commiſſis, ad ſimilia patranda peccata prauo ſuo exemplo alios prouocat, infœlici morte morietur; ac tandem cùm dicit: *Quod fotum eſt, erumpet in regulum*, perinde ſuit, ac ſi dixiſſet: cùm peccatũ in longam conſuetudinem abierit, permultos trahet, inſtar reguli ſui ſequaces. Satagite ergò, fratres mei dilectiſſimi, à prauis cogitationibus vos abſtinere, ſanctis cogitationibus imbui, ac bona deſideria ſemper animo concipere, quouſque formetur Chriſtus in vobis, vt Paulinis verbis loquar. Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA X.

Beata Virgo Chriſtum Dominum ventre ſuo deferens, mulieri Euangelicæ, tria ſata farinæ commiſcenti, clibano; quo Euchariſtiæ panis formatur, ac ferculo Salomonis, illum nobis deferẽti comparatur, in illa eadem verba: Beatus venter, qui te portauit.

D Bern. ſer. 2. de Natal. Chriſti Domini. IVVS Bernardus ſermone 2. de Natali Chriſti Domini, docet Deiparam Virginẽ egregiè adumbrari per fœminam illam Euangelicam, quæ acceptum fermentum abſcondit in farinæ ſatis tribus, habetq; fundamentum hæc comparatio in eo, quod Chriſtus Dei filius in vna perſona Verbi, triplicem habuit ſubſtantiam, nimi-

ium

rum diuinam, & substantiam animæ rationalis; substantiam item corporis, vt ex D. Augustino 13. de Trinitate c. 12. docet S. Thomas 3. p. q. 1. art. 1. quorum fermentatio, seu vnio admirabilis absque naturarum confusione, in eius vtero est celebrata: ibi enim Deus homo factus est, id quod fuit, permansit, & quod non erat, assumpsit, nō commixtionem passus, neq; diuisionem. Verùm audiamus ipsum D. Bernardum loco citato, vbi loquens de vnione admirabili Verbi eterni cum anima, & carne: *Hæc sunt* (inquit) *Euangelica illa fata farinæ, quæ pariter fermentatur, vt sit panis Angelorum, quem manducet homo, cor hominis confirmans fœlix mulier, benedicta in mulieribus, in cuius castis visceribus superueniente igne Sancti Spiritus coctus est panis iste: fœlix inquam mulier, quæ in hæc tria fata immisit fidei suæ fermentum; siquidem fide concepit, fide peperit; nec mireris, quod fide eius mediāte, vnitum dixerim verbum carni, quandoquidem & carnem ipsam de eius carne sumpsit. Sanè nec hoc quidem præsenti expositioni obuiare potest, quod de cœlestis Regni dicitur similitudine: neque enim indignum videtur, si cœlorum regnum fidei Mariæ comparatur, qua & reparatur.* Hactenus D. Bernardus. Hæc est etiam illa mulier, quæ Prouerb. 31. facta est quasi nauis institoris, de longe, id est, de cœlis, per vitæ huius pelagus, portans panem suum: illud enim, *de longe*, distantiam inter verbum Dei, & humanam naturam, quam sibi hypostaticè vniuit in vtero huius benedictæ mulieris, apprimè significat: rectè verò panem hūc, vocat suum, quia sola, absque viri opera illum concepit, quem apud Bethlehem, quæ domus panis interpretatur, per partum suum virgineum, tanquam ex naui in omnium vtilitatem exposuit, quo in sanctissima Eucharistia pascimur, nutrimur, ac vires ad laborandum in Domini vinea acquirimus, & ad confligendum cum nostris hostibus reficimur, iuxta illud Psal. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.*

D. Aug. 13. de Trin c. 12.
S. Tho. 3 p. q. 1. art. 1.
Prou. 31.
Psal. 22.

Sanctus autem Epiphanius sermone de laudibus Deiparæ, ad eandem sermonem dirigens, clibano eam comparat in hæc verba: *Aue clibanus intellectualis, qui ignem, & panem vitæ calidum mundo in esum attulit, de quo Saluator mundi Christus ait: accipite, & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Est* (charissimi) *virtutibus plena mensa virginea, optimis quibuscunque cibis abundās, quibus terra fruatur.* Nemo ignorat, Christum Dominum frumenti granum se vocasse. Vnde D. Ambrosius de instit. Virginum ca. 14. dixit: granum mortuum plurimum fructum attulit; & hoc quidem granum omnes homines perpetua cœlestium munerum esca saturauit, dicente Dauide: *Cibauit eos ex adipe frumenti*, sane hoc frumenti granum cadens in terram virginei vteri, formam carnis ex B. Virgine assumens, factus est cibus panis, quo in Eucharistiæ sacramento alimur, & nutrimur. Quare D. Ioannes Damascenus orat. 1. de dormit. B. Virg. vocat eam; mensam, ex qua ille panis vitę, ac cœlestis ille nullis agricolæ manibus excultus fructus, corporeo modo pullulauit: & mox loquēs cum B. Virgine, inquit: *Nam tabernaculum Abrahæ te apertissimè indicabat: etenim verbo Domino in ventre tuo, tanquam tabernaculo, habitanti, humana natura subcinericium panem, hoc est, sui primitias ex tuis puris sanguinibus obtulit, à diuino igne quodammodo coctas, panemque effectus, atque in diuina ipsius persona existentes, & ad veram corporis animati, anima rationali, atque intellectuali, substantiam venientes.* Quoniam autem diuinissimum Eucharistiæ sacramētum sub speciebus non tantum panis, sed etiam vini in vltima Cœna à Christo Domino est institutum, iuxta illud Zachariæ capite nono. Quid bonum, & quid pulchrum eius, nonne frumentum electorum, & vinum germinans Virgines (licet sub vnaquaque specie totus Christus contineatur) ad vtramque speciem exprimendam, Cant. 7. in Beatæ Virginis

S. Epiph. ser. de laud. Deiparæ.
Damasc. 1. de dorm. B. Virg.
Cant. 7.

vtero non tantum triticum, (vt diximus) sed etiam vinum contineri affirmatur. *Vmbilicus* (inquit) *tuus, sicut Crater tornatilis, nunquam indigens poculis*, de quo D. Ambrosius de instit. virg. cap. 14. *Vere* (inquit) *alius ille Mariæ crater tornatilis, in quo erat sapientia, quæ miscuit in cratere vinum suum; indeficientem cognitionis piæ gratiam, diuinitatis suæ plenitudine administrans, in quo Beatæ Virginis vtero, simul acervus tritici, & lilij floris gratia germinabat; quoniam & granum tritici generabat, & lilium.* Atque huc facit, quòd vbi nostra vulgata legit Prouerb. 9. *Sapientiam ædificasse sibi domum, & immolasse victimas*, septuaginta interpretes hæc verba subiecerunt: *Miscuit in cratere vinum suum*: quo non obscurè significarunt de vtero Beatæ Virginis prodijsse, tanquam ex cratere, Christi sanguinem, qui sub speciebus vini in Eucharistia nobis propinandus exhibetur. Quam intelligentiam docuit me D. Cyprianus libro secundo, epistola tertia, vbi locum hunc prouer. legit iuxta à me allatam septuaginta interpretationem, ac de dominico sacrificio, in quo sub speciebus panis, & vini Christus immolatur, luculenter exponit. Assimilatur verò Beatæ Virginis venter satis conuenienter crateri, quia crater vas est capacissimum, quo in libationibus, & solemnioribus epulis veteres vtebantur, Poetarum Principe dicente 1. AEni. *Crateres magnos statuunt, & vina coronant.* Fuit autem virgineus beatæ Mariæ venter cœlesti hoc sanguinis Christi vino plenus, adeò vt quantumcunque ex eo hauriatur, exhauriri nequit, quia, quoties sacerdos vinum consecrat, ea est verborum eius efficacia, vt toties sanguis Christi in Incarnatione ex Beatę Virginis visceribus acceptus credatur, quoties sub speciebus vini aduenit. Quod autem ait, tornatilem esse craterem, eandem capacitatem virginei vteri per rotunditatem significatam, quæ omnium est figura capacissima, apertè ostendit. Vnde canit Ecclesia Catholica: *Quem Cœli Cœlorum capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Tornatilis etiam fuit Deipara ex Alano in cap. 7. Cantic. quia sine angulo, & ruga, sine acceptione personarum, omnibus, quòd est in se, salutem propinat; significat etiam in externa conuersatione, eam omnino leuigatam ac mundam fuisse: poculorum autem nomine id, quod in poculis continetur, per methonimiam accipi debet, sicuti apud Poetam. *Poculaque inuentis Acheloca miscuit vuis.* In his poculis vinum illud germinans virgines, & cor hominis lætificans continetur, seu, quod idem est, in illis cõtinetur mixtum, vt ex Septuaginta legit Diu. Ambrosius loco citato. Hebraicè enim habetur *Mazeg*, quod est vinum aqua mistum; nam ex sacro Cõcilio Tridentino sess. 22. capite 7. Christus in vltima cœna aquam vino miscuisse creditur, & ideò in Missa idem ex Ecclesiæ præcepto faciendum præscribitur. Illud porrò, *nunquam indigens poculis*, id est, semper plenus poculis, copiam indeficientem ostendit, qua omnibus sitientibus abundè hoc vinum exhibetur, nec vnquam exhauritur, quod singulare, & admirabile est in venerabili Eucharistiæ sacramento: quantumcunque enim sumatur, nunquam absumitur, iuxta illud, quod canit Ecclesia:

Sumit vnus, sumunt mille,
Quantum isti, tantum ille,
Nec sumptus consumitur.

Et S. Andreas Apostolus AEgeæ Procõsuli: *Ego* (inquit) *omnipotenti Deo immolo quotidiè immaculatum agnum in altari, cuius carnes, postea quam omnis populus credentium manducauerit, agnus, qui immolatus est, integer perseuerat, & viuus.* Hinc D. Bernardinus Senen. tomo 1. serm. 61. artic. 1. cap. 10. probat ex Beata Virgine totam Ecclesiam militantem ornari, ac decorari: *Quoniam* (inquit) *de carne Virginis benedictæ, & in parte corporis eius excisa consistit, perficitur, & terminatur totum decus, ac pondus*

Cyp. libro 2. epist. 3.

Virg. 1. Æn.

Alan. c 7. in Cant.

Conc. Trid.

S. Bernardi. ser. 61. art. 1. c. 10.

pondus Sacramẽtorum Ecclesiæ. Certum enim est, quod omnis institutio sacramentorum, & omnia alia sacramenta tanquam in vltimum finem, & ad illud sacramentum omnium sacramentorum excellentissimum, quod est Eucharistia, ordinatur, quæ quidem conficitur, & consecratur, dum panis in corpus Christi conuertitur. Hæc Sanctus Bernardinus, qui addit, carnem illam de Beata Virgine decisam, ita nobilitatam, & tanto vinculo vnitam verbo Dei, vt in Christi morte separari potuerit à propria forma, id est, ab anima, non tamen à Verbo.

Exod. 25. *Leuit. 24.* Ad hæc, mensa panum propositionis, Exodi cap. 25. quam sacer textus vocauit Leuit. cap. 24. mẽsam puritissimam, Beatam Virginem adumbrat; tum quia maiore puritate, quàm mensa illa nitebat, tum quia, sicut illa duplici cingebatur corona, ita Deipara Virgo duplici fulgentissima corona, aurea scilicet, & aureola, hoc est, gloria essentiali, ac accidentali, præ omnibus alijs fuit donata. In hac mensa repositus est panis viuus nostris necessitatibus propositus, qui de cœlo descendit. Super panes verò ponebatur diuino iussu thus lucidissimum, quod Christi diuinitatem, in cuius honorem adoleri solet, significabat. Ideò Deipara Virgo à Patribus, mẽsa panum propositionis dicitur, quam Methodius in hypopante vocat, *Altare animatum panis vitæ*, id est, sanctissimæ Eucharistiæ. D. Epiphanius sermone de *D. Epiphan.* laudibus Beatæ Virginis, eam dicit: *Fidei mensam intellectualem, quæ panem vitæ nobis suppeditauit.* Diuus Georgius Nicomediensis oratione de oblatione Virginis: *Mensam, quæ portat vitam, in qua vitæ nostræ panis propositus, ambrosia pauit eos, qui illius fuerunt participes.* Quoniam verò contra nostrorum hostium sæuitiam tantum præsidij nobis est repositum in Christi corpore percipiendo, quod in sacrosancta Eucharistia continetur, & de hac Deiparæ mensa fuit desumptum, idcircò meritò Dauid de ea Psalmo 22. pronunciat: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Neque enim panis hic supersubstantialis Eucharistiæ in Deipara Virgine, tanquam in mensa fuit solùm asseruatus, verùm etiam ex eius substantia Sancti Spiritus opera fuit confectus. Vnde meritò ei accommodare possumus verba illa Prouerbiorum cap. 9. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Licèt enim sacramentum illud sit panis & vinum diuinæ sapientiæ, hoc est, corpus & sanguis Christi, Verbo hypostaticè vnita; nihilominus tamen est etiam panis suus, id est, Virginis Deiparæ, quia de ipsius sanguinibus acceptus, & in suis visceribus conceptus est, similiter & vinum, quod miscuit ipsa. Vnde Ecclesiast. cap. 24. illa ait: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.* Inuitantur enim à beata Virgine illi, qui eam concupiscunt, qui scilicet peculiari reuerentia, & affectu eam prosequuntur, & à generationibus meis implemini, id est, à filio meo, quem genui, explete vestrum desiderium in sanctissima Eucharistia, per quam tot bona in Ecclesia Dei communicantur. Quare ardenti fame, ac magno desiderio huius cœlestis cibi diligenter oportet præparemur, & disponamur, ad illum dignè sumendum. Etenim, vt ipsa beata Virgo in suo Cantico monuit: *Esurientes impleuit bonis;* vt sic ex eo repromissum fructum reportemus; & vt verbis vtar Diui Leonis sermone primo de passione, in id, quod sumimus, transeamus. Vnde meritò D. Ioannes Chrysostomus in sua Liturgia, ante sumptionem Eucharistiæ, huius beatæ Virginis opem implorat, vt dignè communicet: hæc enim verba in quadam oratione recitanda præscribit: *Intercessione immaculatæ Dominæ nostræ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ dignum me fac, vt sine condemnatione accipiam immaculatum tuum donum in remissionem peccatorum in vitam æternam.* Ita D. Ioannes Chrysostomus. Qui igitur erga Beatam

Psalm. 22. *Prou. 9.* *Eccl. 24.* *Lucæ 1.* *S. Io. Chrys.*

Virginem peculiari amore flagrant, ad excitandum, & acuendum ex hac etiam parte erga Beatam Virginem deuotionis sensum, cùm ad sanctissimam Eucharistiam percipiendam accedunt, cogitare debent in Christi corpore, quòd sumunt, esse substantiam illam, quæ fuerat Beatæ Virginis, ex qua Christi corpus formatum, & postea ex eiusdem Virginis substantia auctum, quandiu etiam post natiuitatem matris lacte nutritum fuit, quę substantia olim Virginis, nunc hypostaticè est vnita verbo Dei, & sic etiam Beatæ Virgini gratias agant, ex qua tantorum bonorum vbertas ad nos emanauit. Si enim Ioſephum filium Iacob Patriarchæ, Geneſis cap. 41. vt triticum huic mortali mundo perneceſſarium in futurum ſterilitatis ſeptēnium conſeruandum curaret, Pharao in tātam dignitatem euexit, vt ſupra omnes eum conſtituerit, eique ſuum annulum, ſtolam byſſinam, & torquem aureum dederit, atque ſuper currum ſuum aſcendere fecerit, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent, & Præpoſitum eſſe ſcirent vniuerſæ terræ AEgypti; nec quicquam abſque Ioſeph imperio fieri voluerit, eumque lingua AEgyptiaca, Saluatorem mundi appellarit; quanto quæſo magis Virgini Deiparæ debitorem vniuerſus orbis ſe fateri tenebitur, quæ panem vitæ, qui de cœlo deſcendit, quo à morte æterna liberamur: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Ioann. cap. 6. non in ſolum ſeptennium, ſed in omnem ætatem, nec vni tantum AEgypto, ſed nationibus omnibus in Eccleſia perpetuo permanſurum: *Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſæculi*, ex puriſſimo ſuo ſanguine concepit, & lacte poſtea nutriuit, vt meritò Deus eam de mundo optimè meritam in tantam ſublimârit dignitatem, vt vni Deo ſit ſecunda, dominamque mundi, & diſpēſatricem diuinarum gratiarum eam conſtituerit. Quare Beatus Laurentius Iuſtinianus ſermone de Natiuit. Beatæ Virginis agens de ſanctiſſimo Chriſti corpore, quod in Euchariſtię ſacramento nobis proponitur. *Hoc* (inquit) *manna, quod in vtero Beatæ Mariæ repoſitum, tibique expoſitum, atque appoſitum, gratiam contemplare, quæ tale excepit munus, talemque genuit prolem, quæ te corporis ſui manna reficeret, inebriaret cruore, paſſione redimeret, morte ſaluaret.* Hucuſque B Laurentius Iuſtinianus. B. Laur. Iuſtinianus.

Genesis 41.

Ioann. 6.

Ad extremum beatæ Virginis vēter, non ſolum fuit clibanus huius cœleſtis panis, quo fideles veſcimur, ſed & vehiculum (vt loquitur Diuus Gregorius Nicomedienſis oratione de oblatione Virginis) quo nobis illum aſportauit: facta quidem *quaſi nauis inſtitoris, de longe portans panem ſuum*: ſed nobiliori alio vehiculo, quàm ſit nauis, comparauit illam Salomon Canticorum cap. 3. vocans eam ferculum Regium: *Ferculum fecit ſibi de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum.* Quem locum de beata Virgine aptè intelligi, teſtantur Andreas Cretenſis oratione ſecunda de dormitione Virg. Sanctus Antoninus quarta parte, titulo decimoquinto, capite quadrageſimoquarto, §. 7. Honorius in ſigillo, & Guilielmus in cap. 3 Canticorum; & meritò quidem Deipara Virgo huic Salomonis ferculo comparatur, quàm verus Salomon Chriſtus, ſapientia Patris, & pax noſtra fecit ſibi, hoc eſt, in proprium vſum conſtruxit, vt in eius corde ſpiritualiter, corporaliter autem in eius vtero, atque vlnis digniſſimis geſtaretur. Ligna verò Libani, ex quibus ferculum illud conſtabat, erant, ex Gloſſa interlineari, fortia, celſa, ſpecioſa, odorifera, imputribilia, atque candida, & his quidem lignis, ſingulares, heroicæ, atque eximiæ Deiparę Virginis virtutes, quarum aliquas in cap. 21. attingemus, quibus eius ſpiritualis ſtructura conſtabat, ſignificantur. Beatæ enim Virginis virtutes erāt ad omnem hoſtium impetum ſuſtinendum, & reprimendum, fortes S. Antonin.

proce-

proceritate sua Cœlo proximę, spirituali pulchritudine decoræ, ad sui dilectionem, vel ipsum Deum, qui concupiuit speciem eius, suauiter allicientes, boni exempli odore fragrantes, contra omnem saniem, atque putredinem diuinitus ita munitæ, vt essent prorsus inaccessibiles. Denique puritate sua, atque candore omnibus conspicuæ, & illustres. Columnæ autem argenteæ, quibus ferculum innitebatur, meritò septē illæ credendæ sunt, quas diuina sapientia excidit, cùm domum sibi ædificauit, Prouerb. 9. quæ septem dona Spiritus sancti instar argenti nitidissima clarè adumbrant, quibus ab Spiritu sancto mouemur ad opera virtutis promptius exercenda, vt docet D. Thom. 1. secundæ quæst. 68. art. 1. Huius ferculi reclinatorium fuit aureum, scilicet Deiparæ vterus, qui regio decore, plusquā auro fulgebat, in quo per nouem menses Christus Iesus est reclinatus: fuit etiam ascēsus eius purpureus, quoniam ad altissimam in Cœlis sedem ascendit non absque laboribus, & pressuris; nam præterquam, quòd iuxta D. Simeonis vaticinium, acerbi doloris gladius, ob filij sui mortem, animam eius transuerberauit; certè D. Bonauentura in meditationib. vitæ Christi, cap. 3 ex quadam reuelatione refert, nullam gratiam, donum, vel virtutem B. Virginem obtinuisse absque magno labore, afflictione, & lachrymis, excepta gratia, qua primum in vtero matris Annæ fuit sanctificata. Denique ascensus purpureus indicat regiam B. Mariæ dignitatem, cuius insigne est purpura: quod autem subdit, media charitate constrauit, propter filias Hierusalem, affectum charitatis, & misericordiæ, quo cœlestem hunc panem vtero suo nobis de cœlo detulit, & in quotidianum cibum præbet, apertè significat. Vnde D. Bernardus sermone primo de assumptione dixit: Nemo dubitare potest, omninò in affectum charitatis trāsisse Beatæ Mariæ viscera, in quib. ipsa, quæ ex Deo est charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit; præcipuè tamen ergà filias Hierusalem, eos nimirum, qui ad cœlestem Hierusalem affectu, & desiderio aspirant; hi enim aptiores sunt ad manducādum Eucharistiam, panem, cuius proprius effectus est, in vitæ æternæ immortalitatem vescentes illos seruare. Quod si quispiam huic interpretationi obijciat, Salomonem in præcitato loco Canticorum non dicere, ferculo illo portari nobis panem, sed gestari Regem potius; id eandem interpretationē astruit, cùm reuera, ipse Rex Christus sit ipse panis, ipso dicente: *Ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendi.* Vnde & Ecclesia Catholica in Inuitatorio officij corporis Christi exorditur in hæc verba: *Christum Regem adoremus dominantem gentibus, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem* Ecce Rex ipse, pinguis est cibus, ac cœlestis panis ad reficiendas animas; quòd sanè (vt id obiter dicam) ardentem Iesu Christi erga nos charitatem apertissimè commonstrat. Vnde non infimæ notæ Doctores per charitatem in eo loco, ipsum Regem Salomonem in media ferculi parte residentem, accipiendum putant, qui figuratè, & amatorio more appellatur charitas propter eam, quam filijs Hierusalem se illis communicando exhibet: fauetque huic intelligentiæ, quòd alia versio habet, & medium tenet ipse accensus: quod verò addatur: propter filias Hierusalem manifestè ostendit, voluisse portari in sacro virginei vteri ferculo ad conciliandum sibi amorem fidelium, cœlesti sui corporis panem illis prouidens: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum.

Amen.

HOMILIA XI.

Virgo Deipara vtero suo Dei filium gestians Arcæ fœderis, seu testimonij, ex antiquorum Patrum doctrina appositè satis comparatur, in qua similitudine varia B. Virginis encomia delitescunt, &c.

VNiuersi Ecclesiæ Patres Beatam Virginem Arcæ nomenclatura frequenter exornant; nam, vt omittam Diuum Epiphanium sermone de Deipara, Andream Cretensem, Gregorium Nicomediensem oratione de oblatione Deiparæ, Ildephonsum sermone de assumptione, D. Bernard sermone de B. Virgine tom 2. Anton. 4. part. tit. 15. capite 2. D. Bernardinum Senensem tomo 3. sermone 11. art. 1. capite 3. qui omnes, quandoque arcam legalem, quandoque arcam animatam, quandoque arcam sanctificationis B. Virginem vocitant. Apud D. Ioannem Chrysostomum in Liturgia hæc lego: *Omnium Deus incarnatur in te, sacrosancta Arca, vt dixit iustus Dauid.* alludit sine dubio ad verba illa regij vatis Psalm. 131. *Surge Domine in requiem tuam, tu, & Arca sanctificationis tuæ.* apud D Laurentium Iustinianum sermone de natiuitate B. Virg hæc etiam reperio: *An non Maria, testamenti Arca veriſsima diuinis manibus fabricata, auro vestita mundissimo, virtutum gemmis ornata, atque imputribilibus lignis spiritualiter facta testamenti Arca, tabulas, frondentem virgam, & suauissimum in se manna continuit?* Accedit Esichius presbyter Hierosolymitanus homilia 2. de Deipara, vbi loquens cum Christo, ait: *Si tu es gemma, & illa est Arca.* immò Billius eruditus, D. Ioann. Damascen. schol. orat. 1. de natiuitat. affirmat, in veteri lege ea præcipuè ratione Arcam fœderis in magno honore habitam, quòd Virginis sanctissimæ Messiæ Matris figuram ac typum gereret; quam autem ad amussim vetus illa Arca beatam Virginem adumbrauerit, ex his, quæ de illa sacra commemorant eloquia, præsertim Exodi 25. neruosè (ni fallor) comprobauimus, &c. *Exod. 25.*

D. Epip. ser. de Deipara. And. Cretē. Greg. Nico. orat de obl. Deipa. Ildephon ser de assumpt. D. Bern ser. de B. Virg. tom 2. Antonin. 4. part. tit. 15. cap 2. D. Bern. Sen. to. 3 ser. 11. art. 1 c. 3. Io Chrysost. in Lyturg. Psal. 131. Laur Iust in serm de nat. B. Virg. Esich presb. Hieroso. homil. 2 de Deipara. Billius orat. 1. de natiu.

Et quidem in primis inter ea, quæ in Templo ad Dei cultum spectabant, omnium primo, vt notat Beda libro primo de tabernaculo cap. 4. iussa est fieri à Domino Arca; & inter omnia etiam tēpli suppellectilia, vt mēsam panum propositionis, Candelabrum Aureum, Altare thymiamatis, & pleraque alia his similia, Arca testamenti Principem sedem obtinebat, vtpote, quæ collocata erat in sancta sanctorum: hæc duo in beata Virgine prælucent, nam sicut Arca Fœderis, prius quàm reliqua fuit fabricata, ita Beata Virgo inter omnes puras creaturas fuit prima omnium prædestinata, vt ex verbis Salomonis prouerb. 8. in persona Virginis dicentis: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequā quicquam faceret, ab æterno ordinata sum,* perspicuum fit: etenim per vias, opera Dei intelligi, apertè testatur Dauid: nā postquam dixerat Psalm. 144. *Iustus Dominus in omnibus viis suis,* exponens, quænam essent illæ viæ, continuò subiunxit: *Et sanctus in omnibus operibus suis.* Vnde Diuus Gregorius libro 32. moral cap. 18. ait: *Quid vias Dei, nisi eius actiones accipimus, de quibus propheta dicit: non enim viæ meæ sicut viæ vestræ.* Cùm ergò ait, à Deo in initio viarum suarum fuisse possessam, & ante reliquas creaturas factam, apertè significabat, inter omnes puras creaturas primum locum habuisse in æterna prædestinatione, & certè, cū Christus Dominus fuerit primus omnium prædestinatorum, & reuera non fuerit prædestinatus præcisè vt homo, sed, vt Filius hominis, atque adeò, vt habiturus matrem, in cuius vtero carnem assumeret; consequens est, Beatam Virginem inclusam, & inuolutam fuisse in præ- *Bed. lib. 1. de tabern. c. 4.* *Prouer. 8.* *Psal. 144.* *D. Greg. lib. 32. mor. c. 18.* *Isa. 55.* *Prou. 8.*

prædestinatione Christi Domini, & ideò inter puras creaturas primam simpliciter fuisse omnium prædestinatorũ; potiorem etiam locum deberi illi tam in Ecclesia militanti, quàm in triumphanti, vel sola Dei matris dignitas, quę omnem dignitatem transcendit, satis vtique probat. Vnde D. Bernardus dixit sermone primo, de assumpt. *Nec in terris locum dignior vteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in Cœlis regali solio, quo Mariam hodie Mariæ Filius sublimauit.*

Bern. ser. 1. de assumpt.

Arca Fœderis fabricata erat ex lignis Sethim imputribilibus: id in B. Virgine minimè desideratur; nam præterquam propter excellentem confirmationem eius in gratia, omnia diuina charismata diuinitus ei infusa, corruptioni non erant obnoxia, quia virtutes omnes in ea erant inamissibiles, certè etiam putredini, aut rubigini leuissimæ etiam culpæ subiacere non poterat, quicquid hæretici oblatrent, quibus illud D. Ambrosij eloquium epist. 5. in edit. Rom. congruit: *Claudat sua ora perfidia, obmutescat, nec matrem Domini aliquo audeat temerare conuicio.* Quare rectè D. Bonauentura in 3. distinct. 3. part. 1. art. 1 quæst. 1. dixit: *Congruebat aduocatam generis humani, vt nullum haberet peccatum, cõgruebat, vt Virgo ita vinceret Diabolum, vt nec ei succumberet ad modicum, congruum etiam fuit, vt sic esset immaculata mẽte, sicut intemerata carne.* Fuit tandem B. Virgo instar ligni Sethim, imò plusquam illud incorruptibilis, cùm putredo humanæ conditioni in pœnam peccati data: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* in eam irruere non sit ausa. Vnde noster Galatinus libro 7. de arcanis cap. 4. & 12. ait: *Per ligna imputribilia, ex quibus constabat Arca, significabatur, immaculatũ B. Virginis corpus nunquam visurum corruptionem.* Imò si vera est quorundam medicorum sententia asserentium, ita benè complexionata fuisse quædam corpora humana, vt etiam humata longo tempore incorrupta fuerint seruata, non est difficile intelligere, quomodo etiã absque miraculo incorruptum manserit in sepulchro corpus Deiparæ, cùm egregia adeò complexione fuerit præditum, vt nunquam in morbum inciderit. Vnde Sophronius in epistola Synodica, quæ habetur in 6. Synodo act. 11. dixit: *Beatæ Virginis corpus ab omni contagione fuisse liberum.* idque facilè mihi persuadeo ex similitudine, quam habuit cum Christo. Sanè Christus omni morbo semper caruit propter egregiam eius complexionem, ac mirabilem temperantiam, vt expresè testatur D. Basilius in regul. breuior. interrogat. 177. D. Athanasius lib. de Incarnatione Verbi, S. Thom. 3. par. q. 14. art. 4. cuius doctrina bene edoctus, Cardinalis Caietanus to. 2. opuscul. cap. 13. de spasmo B. Virginis. hæc scripsit: *Dissonum rationi est, Beatam Virginem ægritudinem aliquã passam esse, quia similis debet credi Filio per omnia, quantum fas est.*

Genesis 3.

Galatin. lib. 7. de Arcan. cap. 4. & 12.

Sophron. in epist. Synod. quæ habetur in 6. Synod. act 11.

D. Basil. in reg. breuior. interrog 177

D. Athan. li. de Incarnat. Verb. S. Th. 3. part. q. 14. art. 4.

Caiet. to. 2. opusc. c. 13. de spasm. B. Virg.

Arca Fœderis auro mundissimo intus, & foris erat exornata, quod præter vitam intus contemplatiuam, & foris actiuam, in quibus Deipara mirificè prefulsit; duo præcipuè adumbrat, quæ B. Virginis excellentiam mirum in modũ commendant. Primum, ardentem Virginis charitatem, qua Deum intus, & proximos foris prosequebatur, & quidẽ, etsi D. Augustinus lib. 9. confessionum cap. 1. diceret: *Sagittaueras tu Domine cor meum charitate tua:* quibus quæso amoris sagittis putamus transfixum cor B. Mariæ, audiamus D. Bernardum serm. 19. in Cantico: *Sagitta electa est amor Christi, quæ Mariæ animam non modò confixit, sed etiam pertransiuit, vt nullam in pectore virginali particulam amore vacuam relinqueret, sed toto corde, & tota anima, tota virtute diligeret.* Vnde S. Thomas ex Hugone, opusc. 8. hæc maximè obseruanda scripsit: *Quia in corde Beatæ Virginis amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideò in carne mirabilia faciebat, in tãtum, quòd de ea nasceretur Deus, & homo*: quia tamen hæc charitas B. Virginis non solùm interius ad Deum,

D. Augustin. lib 9 confes. cap. 1.

D. Bern. ser. 19. in Cant.

S. Thom. ex Hug. opus. 8.

sed exterius ad proximos extendebatur,
3. Reg. 10. ideò ad id significandum 3. Regum 10. legimus, thronum Salomonis eburneū
Et Exod. 25. vestitum esse auro fuluo nimis, & Exodi 25. legimus, coccum bis tinctum, cuius vsus frequens erat in cortinis tabernaculi: libro tandem Apocalypsis idipsam planè significat mulier illa, quam
Apoc. 12. vidit D Ioannes amictam sole, omnes calefacientem, & splēdorem ac calorem suum in omnes liberaliter effundētem: ad quod respiciens D Bernard. serm. su-
Bern. sermo super signum magnum. per signum magnum dixit: *Candidissimus, sed & calidissimus huius mulieris amictus, cuius splendore omnia tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea, non dico tenebrosum sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut feruentissimum liceat suspicari.* Secundo arbitror aurum illud in cerius, & exterius Arcæ, adumbrasse eximiam beatæ Virginis sanctitatem, qua interno cultu Deum venerabatur, & suo exemplo alios exterius ędificabit: hac enim ratione iuxta sententiam D. Bonauenturę Cinamomo, & Balsamo comparatur Eccles.
D. Bonau. in spe. B. Mariæ Virg. 24 *Odor (inquit) ille Mariæ fuit sicut Cinamomum in cortice conuersationis, sicut balsamum interius in vnctione deuotionis.* hæc ille. Verùm, & balsami odor, ac suaueolētia sanctitatis Deiparæ, fragrantiam indicat, qua ad currendum post Christum
Eccl. 24. Cant. 1. excitat, iuxta illud Cant. 1. *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Vnde, & ibi-
Eccl. 6. dem Eccles. 6. in persona Deiparæ ait: *Sicut balsamum aromatizans, odorem dedi,* qua in re, illud peculiare in balsamo oleo obseruādum censui, quòd virtutem quāndam masculam, & fortem habeat, quòd præclaram, ac præcellentem Deiparæ virtutem, nō mollem, aut effœminatam significat. Balsamum quidam, veluti nobile, ac generosum, reliqs vnguentis prestans, viris adhiberi solebat, fœminis verò magis congruebat amomum Assyrium, aliaque id genus delicata vnguenta, quibus Reges Assyriorū, quorum notissimus est luxus, vtebātur, idque satis exprimit Martialis lib. 4 epigram 54.

Balsama me cupiunt, hæc sunt vnguenta virorum. Mart. lib. 4. epigr. 54.
Delicias Nini vos redolete nurus.

Secūdò balsamum olim vni Iudææ, nulli prætereà religioni erat concessum, quod non tantum Plinius, sed etiam Plinius. Iustinus lib. 36. Strabo lib. 16. Solinus c. 36. Iustin. li. 36. affirmant. nam ex Iosepho libro 8. anti- Strabo li. 16. quit. cap. 6. fertur, Regina Saba balsami Solin c. 36. radicem Salomoni dono dedisse, & ideò Ioseph lib. 8. in sola Iudæa reperiri, vt propterea ex- cap. 6. Plinio loco citato, Pompeius deuicta Iudæa, balsami arbusculam in triumpho duxerit, & Vespasiani Imperatoris iterum ipsam, Romam Iudæa vastata, attulerant, quo tempore Iudæi, ne in potestatem Romanorum venirent, eam prius excidere sunt conati, vt diximus ex Plinio, nisi Romani armis eam seruassent. Quare Virgil. in 2. Georg. referens Plin. ibid. suas cuique regioni datas arbores, sic de balsamo cecinit:

Diuisæ arboribus patriæ: sola India nigrum Virg. 2. Geor.
Fert ebanum: solis est thurea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaque, & baccas semper frondentis Acanthi?

At verò circa Christi Domini aduētum videtur balsami frutex multis in locis propagatus nam Dioscorides, qui circa Dioscorid. Christi tempora claruit, & Auicenna in Burch. in de- AEgypto eam nasci testantur, quibus script. terræ consentit Burchardus in descriptione sanctæ par. 2. Terræ sanctæ part. 2. cap. 4. vbi inter He- c. 4. liopolim, & Babyloniam medio ferè loco à se visum refert hortū balsami, qui Auicenna. nisi irrigetur aqua ex fonte, in quo Deipara, dum in AEgypto maneret, fila lauit, fructum minimè edit. Solinus et Solin. lib. 6. iam lib. 6. ait: Balsami lucos, deuicta Iudea, ita propagatos, vt iam lętissimi colles sudent balsama. Strabo libro 17. tra- Strabo li. 17. dit, siluestre balsamū oriri in maritimis Sabæorum; & Pausanias lib. 9 in Ara- Pausan. li. 9. bia, balsami arbores ponit, ac tandem ex India Occidentali nos testes sumus, magnam

gnam balsami copiam asportari: hoc autem quis non videat, quàm aptè in Deiparā conueniat, cùm alioquin prius vni solum nota Iudeæ, diuulgata verò euangelica illa virtute, Verbum diuinum humanam carnem in eius vtero assumpsisse, eximiæ sanctitatis eius odor omnes recreat Ecclesiæ fideles, exemploq; suo ad Christo inseruiendum mirum in modum eos conciliat. Licèt autem non semel contingat, balsamum admixtione olei, vel mellis vitiari. Beata autem Virgo, vtpote omnis maculæ semper expers, purum balsamum fuit absque alicuius imperfectionis mixtione. Vnde ipsa ait: *Quasi balsamum non mixtum odorem.* Eccles. 24. super quæ verba sanctus Doctor Bonauentura in speculo B. Virginis cap. 5. dixit: *Balsamum misceri solet melle, vel oleo, sed certè balsamum Spiritus S. in B. Maria non fuit mixtum, quia nec melle carnalitatis, & mundanæ consolationis, nec oleo vanæ laudis, & adulationis fuit vitiatū, sed vera, & pura B. Maria gratia fuit.* Neque silentio præteribo, quod Pausanias in ethic. lib. 9. scribit, in Arabia plurimas viperas sub balsami arboribus commorantes, venenum amittere ex balsami pastu, & ob id earum morsus nihil veneni inferre: hoc sanè mihi ob oculos ponit præsidium Deiparæ Virginis, quę mystica est balsami arbor; ita enim in dæmonibus, per serpentes significatis, venenum eorum supprimit, vt diuersarum suggestionum morsus, quibus illi Deiparæ famulos inficere satagunt, nihil prorsus eis noceant.

Eccl. 24. — S. Bonau in spec. B. Mar. Vir. c. 5. — Pausan. in ethic. lib. 9.

Arca fœderis operiebatur propitiatorio, seu oraculo de auro mundissimo, &, vt Exodi 25. dicitur, cùm Deus inde cum Moyse loqueretur, oracula, seu diuina sua responsa dabat, ac populo se propitium exhibebat. Vnde & Saul, vt habetur 1. Reg. 14. consulere volens diuinum oraculum, sacerdoti dicebat: applica arcam Dei; ita Deus per beatā Virginem, tanquam per propitiatorium vniuersæ terræ, vt loquitur S. Ephræm, oratione de laud. B. Virg. seu commu-nem reconciliatorium, vt eam appellat B. Andreas Cretensis oratione 2. de dormit. Deiparæ: *Precibus nostris misericorditer annuens, respondet, & per illam, tanquam per aduocatricem orationes nostras exaudit.* Quare S. Bonauentura in speculo beatæ Virginis cap 8. dixit: *Maria fidelissima mediatrix salutis, veluti fidelissima columba inter sumnum Noe, & Mundum spirituali diluuio submersum. Eua autem, veluti eorum in diluuio infidelissima mediatrix fuit perditionis.* Sed altius D. Anselmus, cuius verba refert D. Antonius 4. p. 15. cap 14. §. 7. dum ait: *Hæc est figurata in illa prudentissima muliere Thecuite. 3. Reg. 14 quæ, ita sapienter aduocauit apud Regem Dauid in causa Absolonis, vani, superbi, & fratricidæ, exulis facti propter tātum scelus à Hierusalem, quod induxit patrem Dauid ad misericordiam erga filium, & ab exilio reuocandum; sic ergo Virgo Maria pro mundo rebelli ipsi Deo, & occisore fratris sui, id est, animi sui, propter quod exul constituitur à suprema Hierusalem, ita aduocat, & interpellat, vt Deum Patrem placet, & vniuersum ad pœnitentiam, & ad gloriam inducat.*

S. Ephræm orat. de laud. B. M. V. — Andr. Cret. oratio. 2. de dorm. Deip. — Bona. in spe. B. V. cap. 8. — Anselm. relatum à D. Anton. 4 p. tit. 15. c. 14 §. 7. — 3. Reg. 14.

Exodi 25. — 1. Reg. 14.

Atque ad hanc beatæ Virginis efficacem intercessionem respiciens S. Thomas opusculo octauo, cùm probasset, B. Virginem plenam esse gratia, primo in anima, secundò, quoad redundantiam in corpus, tertiò probat, quoad effusionem in nos; verba eius sunt hæc: *Tertiò plena fuit gratia non solum in se, sed quantum ad refugium in omnes homines. Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum, sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, tunc esset maximum, & hoc est in Christo, & in B. Virgine; nam in omni periculo. etenim Cantic. 4. Mille clipei, id est, remedia contra pericula, pendent ex ea.*

S. Tho. opuscul. 8. — Cant. 4.

Erant in Arca fœderis duo Cherubini aurei portatiles, qui ex vtraque parte oraculi versis vultibus se mutuo aspicientes, expansis alis vtrumque latus

propitiatorij tegebant. quidam volunt per hos Cherubinos, qui, vt D. Hieronymus interpretatur in cap. 10. Ezechiel. *plenitudinem scientiæ sonant*, profundissimam Beatissimæ Virginis sapientiam denotari, in qua adeò excelluit, vt S. Bernardus serm. super signum magnũ, non dubitauit dicere: *Maria iure sole perhibetur amicta, quæ profundissimam diuinæ sapientiæ, vltra quàm credi potest, penetrauit abyssum, vt quãtum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Et quidem, si dilectus discipulus Ioannes in vltima cœna sub pectus Domini recumbens, fluenta Euangelij de ipso sacro Dominici pectoris fonte potauit, vt in eius festo canit Ecclesia; quanto maiora diuinæ sapientiæ arcana hausisse credenda est Deipara, quæ non ad breue tempus vnius cœnæ, sed per nouem integros mẽses Christum in vtero gestauit, & toto tempore eius infantiæ, gremio, & manibus suis baiulauit, ac per triginta, & tres annos eius doctrina mirificè fuit imbuta. Verum, ego cum nostro Nicolao Lyrano in moral exposit. Exo. c. 25. arbitror, per Cherubinos illos arcam concomitantes; assistentiam Angelorum B. Virgini, tam in Ecclesia militanti, quàm triumphanti semper adsistentium, adumbrari. Et quidem in infantia ei adstitisse non vnum, vt reliquis infantib⁹, sed plures, his verbis testatur D. Ioannes Damascenus orat. 1. de Natiuit. B. V. *O sanctissima filia, quæ materni vberis lacte aleris, & ab Angelis vndique cingeris.* Quod autẽ hi Angeli essent, audi B. Gregorium Nicomedien. sem. oratione de oblatione Deiparæ, vbi, postquam narrauerat B. Virgini in templo, cum triennis esset, degenti, cibũ ab Angelis deferri solitum, subijcit: *Oportebat non vnum solum ei seruire Angelum, sed decies mille millia eam stipare.* Et S. Hieronymus in libro de Natiuitate Mariæ tom. 9. loquens de vita à B. Virgine in templo tradu&ta, inquit: *Quotidie ab Angelis frequentabatur, quotidie diuina visione fruebatur, quæ eam à malis omnibus custodiebat, & bonis omnibus redundare faciebat.* In cœlesti autem patria Angelos specialiter assistere B. Virgini ad eum modum, quo aulici regij assistunt Reginæ, nõ obscurè illud indicat, quod Ioan. Apo. ait, septem spiritus vid sse, qui assistebant throno Dei, per quem B. Virginem adumbrari, quæ veri, ac pacifici Salomonis thronus fuit, clarè patet, vt testantur sancti Patres, S. Augustinus, Epiphanius, Athanasius, immò & D. Iacobus Apost. ad quod respiciens illuminatus Mayron serm. de creat. animæ B. Virg. dixit: *Priuilegium huius stellæ maris est, quod habet septiformitatem in ambitu, quia septem stellæ notabiles voluuntur circa eam, ideo eius regio dicitur Septentrionalis: ita, & mater Domini dicitur habere septem Angelos notabiles, qui assistunt eius throno, de quorum numero est B. Raphael, vt dicitur in Tobia.* Ne autem, quispiam dicat, illuminatum doctorem ex marte suo hoc excogitasse, attendat quæso, id ipsum reuelatum fuisse beato nostro Amadeo. nam, vt legimus 3. p. Chronicorum seraphici nostri Patris S. Francisci lib. 6. cap. 30. B. Amadeus cum in primo raptu cælestem curiã vidisset, audiuit Gabrielem hæc sibi dicentem: *Septem Angelos sumus, qnigenitricem Dei nostri veneramur, alios omnes vestri generis præcedimus.* Quod, & confirmãt antiquæ, ac peruetustæ quædam imagines. Etenim Venetijs apud sanctum Marcum, imago septem Angelorum virgas manu præferẽtium, Mosayco opere affabre facta, ita est constituta, vt stantes Angeli B. Virginem circumstent, idem quoque in celebri, & antiqua imagine Deiparæ in monte Virginis cernitur, quæ septem est circumcincta Angelis: quod idem etiam videre est in imagine S. Mariæ Angelorum Romæ in thermis Diocletianis, quæ in supremo altari colitur, & non solum illi septem Angeli, sed & reliqui omnes angelici spiritus, B. Virginem semper collaudantes, ante conspectum eius singulari cum reuerentia adstant;

Bern ser. super signum magnum.

Sancta mater Eccl. in offi. S. Ioan.

Nicol. Lyra. in moral exposi. Exo. 25.

Ioan. Dam. orat. 1. de natiu. B. Mariæ Virg.

Greg. Nicom. orat. de obl. Deiparæ.

Hier. in lib. de Nat. Mariæ tom. 9.

D. Hier. in c. 10. Ezech.

Apoc. 4.

S. Augustin.
S. Epiphan.
Athanas.
Iacob. Apo.
Doct. Mayr. ser. de crea. animæ Beat. Mariæ Virg.

Tob. 3. 5. 6. 10. 12.

Reuelatio facta Amadeo, vt refertur in 3 p. Chron. S. Francisci lib. 6 c. 3.

stant; vt his verbis dixit S. Bonauent. in Comment. cantici: Te Deum laudamus:

Bona. in Cāt. Te Deū laudamus.

Tibi omnes Angeli, & Archangeli, tibi Throni, & principatus fideliter deseruiunt; tibi omnes Potestates & omnes Virtutes Cœli Cœlorum, & vniuersæ Dominationes obediunt, tibi omnes Chori, tibi Cherubim, & Seraphim assistunt, tibi omnis Angelica creatura incessabili voce proclamat sancta, sancta, sancta Maria, Dei genitrix, mater, & Virgo. Ac tādem noster S. Bernardin. Senensis to. 1. cōcio. 61. artic. 1. cap. 6. ait: *Tot creaturæ seruiunt*

Bernard. Senensis to. 1. concio. 61. art. 1. c. 6.

gloriosæ Virgini Mariæ; quot seruiunt Trinitati, siue spirituales, vt Angeli, siue rationales, vt homines, siue corporales, vt cæli, & elemēta, omnia hæc sunt diuino imperio subiugata, & gloriosæ Virgini subiecta, immo & ille, qui filius Dei est, Virgini benedictæ matri famulabatur in terra. Hæc ille: adeò autem Angeli omnes B. Virgini assistentes, eius regio imperio obsequentes se exhibent, & in mandatis eius exequendis tam sedulos, ac diligētes, vt in reuelationibus S. Brigittæ in sermone Angelico, quem quidam Angelorum ex Dei præcepto eidem dictauit c. 20. hæc verba legamus:

In reuelat. S. Brigit in ser. angel. c. 20.

Angeli post modum obedientes Beatæ Virgini effecti sunt, quod omnes inferni pœnas libentius sustinerent, quàm aliquibus suis præceptis in aliquo contradicere.

Arca fœderis manna continebat, virgam Aaronis, & tabulas legis: quòd mirificè adumbrat B. Virginem, quæ Christum Dominum per hæc tria adamussim significatum, per nouem menses portauit. Etenim corpus Christi, manna dulcissimum est, quo vescimur, & nutrimur in Eucharistiæ sacramento, Tabulę legis, tres animæ Christi potentiæ, in quibus omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi erant, vt loquitur

Ad Coloss. 2.

D. Paulus ad Colossenses 2. Virga quæ dominij symbolum semper fuit, aptè exprimit diuinitatem eius, vel aliter dicamus, intra Virginei vteri arcam delituisse Christum Dominum rectè per virgam Aaronicam adumbrari propter regalem, ac pontificiam eius potestatem ad quem respiciens Dauid Psalmo 109. dixit: *Virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* Manna autem in arca inclusum pariter cum virga, lenitatem Christi Domini cum virga potestatis eius coniunctam esse demonstrat. Etenim dulcedo mannæ seueritate virgæ temperatur, & quidem vtrumque est valde necessariū in Principe. nam cū boni, & mali sub eius degant dominio, virga opus est propter malos, manna propter bonos. Vnde ad idipsum significandum Dauid, virgam, & baculum simul coniunxit Psalm. 22. dicens, *virga tua, & baculus tuus, ipsa me cōsolata sunt.* Tabulæ tandem legis, quæ in arca aderant, præterquam quod eundem Christum, sapientiam Patris, ac supremum legislatorem aptè denotant, qui tam veteris, quàm nouæ legis auctor extitit; etenim illæ posteriores tabulæ in arca repositæ, typum gesserant legis nouæ, cùm priores, quæ fractæ fuerant, legem veterem aliquando abolendam designassent, vt adnotârunt D Augustinus, & D Ambrosius: ad quod alludens D Paulus 2. ad Corinth. 3. dixit: *Epistola estis Christi, ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis.* Præter hoc (inquam) in eisdem tabulis significatur Christus Dominus, quatenus perfectus legis obseruator, q. exactissimè Dei voluntatem impleuit iuxta illud Psal. 39. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Atque hoc est illud imperium super humeros eius constitutum, cuius meminit Isaias: nam vbi cap. 9. vulgatus interpres legit: *Factus est principatus super humerum eius*, Paraphrastes Chaldæus transtulit: *Suscepit legem super se, vt seruaret eam.*

Psal. 109.

Psalm. 22.

D. August. & Amb. of.

2. Corinth. 3.

Psalm. 39.

Isa. 9.

Vulg. interpres.

Paraphrast. Chald.

Possumus etiam aliter hæc tria interpretati, ad virtutes B. Virginis illa referentes; manna enim Deiparę misericordiā ducissimam egregiè significat, quæ in nos maternæ pietatis viscera exhibens,

bens, Dei flagella vel penitus auertit, vel magna ex parte mitigat. Tabulæ legis, diuina mandata seruandi studium, quo B. Virgo flagrabat, commodè denotant: quæ melius fanè, quam Dauid, canere potuisset illud Psalmi 30. *Deum meum volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Virga deniq; regiam potestatem, ac dominium designat, quo à filio cunctis est prælata creaturis.

Psalm. 30.

Tandem Arcæ fœderis inerat corona aurea, quæ circumdabat illam. Certè, cum corona aurea regium insigne sit, luculèter satis indicat, B. Virginem Reginā esse Cœli, & terræ. Vnde S. Ephrem orat de B. V. vocat illam *Dominam, Principem, atque Reginam præstantissimam, & perquam benedictā Dominarum Dominā purissimam.* Imò S. Antoninus 4. par. tit. 15. c. 22. § 9. B. Mariam appellat *Imperatricem, & Monarcham mundi*; rationem autem, ob quam B. Virgini debita sit regia dignitas, reddidit S. Augustinus serm. 35. de sanctis in hæc verba: *Sufficere debet naturæ humanæ, hanc verè fateri Reginam Cælorum pro eo, quòd Regem peperit Angelorum.* Meminit eiusdem rationis sanct. Petrus Chrysologus serm. 142. dum inquit: *Maria Hebræo sermone, Latinè Domina, nuncupatur nasci, & vocari Dominam, ipsa sui germinis, id est, Christi filij fecit, & impetrauit auctoritas.* Verùm Deiparæ Virgini non solum fuit imposita regia corona, regali eius dignitati debita, sed & multiplex alia. Sanctus Thomas in 4. distinct. 49. q. 5. art. 5. quæstiuncula 1. & 3. loquens de coronis, quas aureolas vocant Theologi, hæc scripsit: *Est priuilegiatum quoddam præmium, respondens priuilegiatæ victoriæ circa opera perfectionis, in quibus homo maximè Christo conformatur secūdùm perfectam victoriam. Porrò aureola tribus hominum statibus, Virginibus scilicet, Doctoribus, & Martyribus tribuitur, & sanè in eadem aureolæ specie iuxta meritorum ex parte ipsius operis; ob quæ aureola excellentior vni, quàm alteri confertur.* Hactenus Diuus Thomas, ex quibus palam fit, aureolas, quibus Deipara exornatur, reliquis omnium aliorum beatorum præstantiores, ac rutilātiores esse. Sanè eo illustrior virginitatis corona Deiparæ debebatur, quo eius virginitas in eo præ cæteris emicuit, quòd cùm aliorum omnium virginitas sterilis sit, nullum fœtum producens, illius tamen fœcunda fuit, humanam pariter, & diuinam prolem concipiens, & pariens: ad quod significandum Eccl. c. 24. in persona ipsius Virginis ait: *Flores mei, fructus honoris, & honestatis.* Certè in arboribus flores non sunt pariter & fructus, sed floribus decidentibus, fructus succedunt: non sic autem in B. Virgine: flos enim symbolum est virginitatis, fructus verò fœcunditatis. cùm ergò flores Deiparæ fructus honoris, & honestatis sint, planè significatur virginitas eius fœcūda, & fœcunditas virginea singulari aureolæ præmio digna, sicut & singularis est, instar phœnicis, copulatio virginitatis cum fœcunditate. Accedit, quòd, præter hanc præcellentem virginitatis aureolam B. Virgo fructum continētiæ centesimum, qui virginibus deputatus est, obtinuit Matth. 13. *Alia ceciderant in terram bonam, & dabant fructum, aliud centesimum, & aliud sexagesimum.* Primus conuenit virginib secundus viduis, & alijs se continentibus, tertius coniugatis, ad alienam non accedentibus, vt vnanimi sententia interpretantur Patres, D. Cyprianus, Athanasius, D. Thom. S. Antoninus, necnon S. Hieronymus multis in locis, præsertim tamen in apologia aduersus Iouinianum, vbi ex arte numerandi per digitos, hoc ipsum perdoctè confirmat, quod & Marianus Victorinus in notis ad illum locum D. Hieronymi ex Beda eruditè explicat. Est autem fructus iste cēteſimus præmium quoddam accidentale, nō solum ab aurea, sed & ab aureola distinctum; quatenus, vt docet S. Thom præcitato loco, quispiam à carnali vita in quādam vitam spiritualem per continentiam transit, ratione cuius speciale gaudium præ cæteris virgines exhila-

Ecclus. 24.

Matth. 13.

D. Cypr. Athan. S. Anton. Hieron. in apolog. aduersus Iouinia. Marian. Victor. in notis ad illum locum. D. Hieron. ex Beda. S. Thom. loco citato.

S. Ephræm orat. de B. V.

Ant. 4. p. ti. 15. c. 22. § 9.

Aug. ser. 35. de Sanctis.

Petr. Chryso. serm. 142.

S. Tho. in 4. dist. 49. q. 5. ar. 4. quæstiunc. 1. & 3.

exhilarat, eo quod propter Christum, omnem prorsus veneream, etiam licitam spreuerint voluptatem. Ex quo apertè liquet, fructum hunc centesimum longè in Deipara præstantiorem fuisse, quàm in reliquis virginibus: quippè, quæ propter suam, plusquam angelicam puritatem, ac raram sanctimoniam, tota spiritualis, & in Deum transformata, omnes virgines longè superet.

Deinde Deiparam Doctorum aureola donatam fuisse, dubitari non potest: hæc enim confertur propter victoriam, qua quis non solum à se, sed à cordibus aliorū, doctrinæ lumine tenebras fugat, ac dæmonum illas immittentem longè propulsat; nec opus est, vt id faciat per publicam prædicationem, sed satis est, etiam si priuatim doctrinam fidei communicet, vt docet S. Thom. in 4. dist. 49. q. 5. ar. 5. ad 5. B. autem Virgo non solum docuit vulgares homines, sed Apostolos ipsos Ecclesiæ archimagistros, vt S. Brigitta in suis reuelationibus in serm. Angelico cap. 19. his verbis testatum reliquit: *Ascēdente Filio ad suum Regnum, Virgo Maria in hoc mundo ad bonorum consolationem, & errantium correctionem remanere permissa est: erat enim magistra Apostolorum, Confortatrix Martyrum, doctrix Confessorum, clarissimum speculum Virginum, consolatrix Viduarum, in coniugio viuētium saluberrima monitrix, atque omnium in fide Catholica perfectissima roboratrix. Apostolis namque ad se venientibus, omnia, quæ de suo filio perfectè nō nouerant, rauelabat, & rationabiliter declarabat. Martyres quoq; ad tribulationes pro Christi nomine sufferēdas animabat.* Quare eruditus auctor Supplementi Gabriel in 4. dist. 49. q. 4. art. 3. dub. 2. sanè dixit: *B. Virginem Doctorum aureola reliquis aliis præstātiori esse coronatam, quoniam non solum vulgarium hominum, sed & Apostolorum, & magnorum Theologorum doctrix fuit, ac Ecclesiæ Rectores, Patres, & magistros sua sapientia illuminauit.*

S. Tho. in 4. dist. 49. q. 5. art. 5. ad 5.

Brig. in reuelat. in serm. Ang. c. 19.

Auctor Supplem. Gab. in 4. dist. 49. q. 4. art. 3. dub. 2.

Rursus, Deiparam Martyrum Coronam meruisse, præter Hieronymum, Idelphonsum, Bernardum, Anselmum, & B. Brigittam, qui pleno ore Mariam martyrem appellant; id probat D. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 24. auctor Supplementi, Gabriel in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 3. dub. 2. Viguerius in suis Constitutionibus c. 14. § 3. vers. secundo. Salmeron tomo 10. tractat 51. nosque ex professo copiosè id ostendimus lib. 12. Quare pauca quædam, quæ ibi omisi, nunc apponam. Certè, quod attinet ad essentialem coronam Martyri debitam, nulla ratione dubitari potest, illam meruisse; nam si de sancto Martino Ecclesia Catholica in eius officio canit: *O sanctissima anima, quam, etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrij non amisit*; multò certius est, Dei genitricem illam non amisisse. De accidentali corona, quam aureolam vocant Theologi, licèt nonnulli dubitārint, arbitror illa non caruisse, quia, vt Diuus Anselmus præcitato loco dixit: *Beata Virgo in passione Christi verè interijsset præ magnitudine doloris, nisi ab eo præseruata esset.* Præseruatio verò, sicut non abstulit meritum, ita nec præmium; immò hoc vberius suscepisse credendum est, tum quia, sicut amore Christi omnes martyres superabat, ita & dolore compassionis omnibus illis acrius angebatur: tum quia cruciatus martyrum breues fuerunt; interni autem beatæ Virginis dolores ob Christi mortem, animam eius grauiter sauciantes, & per redundantiam corpus affligentes, valdè prolixi, ac longissimi fuerunt, cùm à tempore consensus in matrem Dei, quem per illa verba præstitit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*, Lucæ 1. futuræ passionis acerba memoria ancipiti doloris gladio continuò transuerberauit vsq; ad vltimum vitæ halitum, vt his verbis eleganter tradit Rupertus in caput primum Canticor. *Nolite solam attendere re horam, vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab improbis comprehensum, malè tractari, scilicet illudi, spinis coronari, flagal-*

Idelphon. Bernard. Anselm. B. Brigit. D. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 24. Auth. Suppl. Gabr. in 4. dist. 49. q. 4 art. 3. dub. 2. Viguer. in suis constit. cap. 14. § 3. ver. 2. Salmer. to. 10. tract. 51. * Auctor copiosè lib. 12. huius oper. S. Mater Ecclesia in officio S. Martini. Ansel. loco sup. cit.

Luce 1.

Rupert. in 1. Cant.

D. Hieron.

flagellari, crucifigi, felle & aceto potari, lanceari, mori & sepeliri: nam, tunc quidem gaudium animam meam pertransiuit, sed antea, quam sic pertransiuit, longum per me transitum fecit: prophetissa namque eram, & ex quo mater facta sum, sciui illa passurum. Cum igitur carne mea taliter progenitum, talem filium sinu meo fouerem, vlnis gestarem, vberibus lactarem, & talem eius futuram mortem semper præ oculis haberem, & prophetica, immò, plusquam prophetica mente præuiderem, qualem, quantam, quam prolixam me putatis materni doloris pertulisse passionem? hoc est, quod

Cant. 1. *dico: fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. O commoratio dulcis quidem, sed plena gemitibus inenarrabilibus. ad vbera de foris cingebatur, & ijsdem lactabatur vberibus, simulque inter vbera intus in corde præscio futurorum semper patebat quali esset morte moriturus.* hactenus Rupertus, quibus consonant

Bern. tom. 3. ser. 6. art. 2. multa, quæ noster S. Bernardin. scripsit tom. 3. serm. 6. art. 2. vbi, inter alia, ait, B. Virginem cõsensisse ad concipiendum filium Dei statuto tempore crucifigendum: verba eius sunt hæc: *Crucifixa crucifixum concepit, ordinauitque summa sapientia Dei, quod eodem die Christum concepit, quo etiam fuit passus.* Quod non solum D. Bernardinus, sed plures eruditi Doctores asseruere, tradentes eodem mense, & eadem die Christum conceptum, & crucifixum, idque non obscurè mihi indicatum videtur per Zachariam cap. 3. vbi Dominus agēs de Christo, vt homo est, sub typo lapidis habentis oculos septē,

Zachar. cap. 3. subdit: *Ecce ego cælabo sculpturam eius, ait Dominus, & auferam iniquitatem terræ in die vna.* Quasi dicat: ego ipse corpus Christi formabo in vtero Virginis, & eodem die post aliquot annos per Crucem delebitur iniquitas terræ; vtraque

Ioan. Chrys. hom. de nati. S. Ioan Baptistæ. enim dies ex D. Ioanne Chrysostomo, homilia de natiuitate sancti Ioannis Baptistæ; dies Cœnæ puræ fuit, vt eius verbis vtar; in qua luna decimaquarta occurrit: quin etiam in feriam sextam, quam diē Veneris dicimus, incidit iuxta auctores suprà citatos annunciatio B. Virginis, & in eundem hebdomadæ diem Christi Domini passio, & tam annunciatio, quam etiam passio in diem 25. Martij, inciderunt; & quidem passionem Domini Feria sexta factam fuisse ex Euangeliorum historia, & Ecclesiæ traditione habemus: quod verò die eadem fuerit incarnatio, plerique colligũt ex supputatione tabularum astronomicarum. Et præterea, quia, vt in 6. Synodo cap. 8. dicitur: *Natiuitas Domini in diem dominicam incidit.* Quod, & S. Bonauentura affirmat in meditationib. cap. 7 ex reuelatione quadam, & Cardinalis Baronius in notis martyrolog. 25. die Decembris, & Pererius tomo 1. in Genes. Ex quo rursus colligunt, annunciationem beatę Virginis in præcedenti Martio fuisse Feria sexta, præterita die 25. Martij, quo in Ecclesia celebratur Incarnatio, seu beatæ Virginis annunciatio: fuisse etiam Domini passionem tenet D. Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 5.

Tabulæ Astronomicæ. 6. *Synod. c. 8.* *S. Bonau. in c. 7.* *Baro. in not. Martyr. die 25 Decemb.* *Perer. tom. 1. in Genes.*

Sicut (inquit) *à maioribus traditum, suscipiēs Ecclesiæ custodit auctoritas. Octauo enim Kalend. Aprilis conceptus creditur, quo & passus, ita monumento nouo, quo sepultus est, vbi nullus erat mortuorum positus, nec ante, nec postea; congruit vterus Beatæ Virginis, quo conceptus est, vbi nullus seminatus est mortalium: natus autem traditur octauo Kalend. Ianuarij.* Hæc D Augustinus, quod etiam alibi docet. His adstipulatur Martyrologiū, vbi 25. die Martij ponitur commemoratio sancti latronis, qui Christum in Cruce confessus est; &, vt refert Beda de ratione temporum cap 28 & 45. plures Ecclesiæ Magistri, & Doctores Ecclesiastici tradiderunt, Christum passum fuisse 25. die Martij.

D. Aug. li. 4. de Trin. c. 5. *Mart. Rom. die 25. Mart.* *Bed. de rat. temp. c. 28. & 45.*

Porrò, præter hæc, quæ de Arca fœderis facer textus probat, Exod. 25. alia diuina eloquia commemorant, quæ silere non licet, cùm multa, eaque præclara beatæ Virginis adumbrent encomia: lib. Numer. 10. cùm eleuaretur Arca, dicebat Moyses: *Surge Domine, & dissipentur*

Exod. 25. *Lib. Numer. c. 10.*

tur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua. Quę verba explicans S. Bernardi. tomo 3. serm. 11. art. 1. cap. 2. de Deipara, ait his verbis: *Mysticè innuitur, quod quando eleuata fuit gloriosa ad cœlestia Regna, dæmonis potentia imminuta est, & dissipata. Vnde ipsa dicere potest illud Ecclesiastici, superborum, & sublimium colla propria virtute calcaui.* In idem etiam recidit, quod Iosue 6 habetur, nimirum hyericūthinos muros arca Domini circumlata clangentibus tubis corruisse. Idem enim D. Ioannes Damascenus oratione secunda de dormitione Deiparæ, ad beatæ Virg. potentiam in coercendis tartarijs hostibus refert, dicens: *Iubilemus in arca Domini Dei toto animo, & muri cadent Iericunthini, contrariarum potestatum infestæ munitiones.* Idipsum etiam adstruit, quod 1. Reg. 5 legimus, arcam Dei à Philistæis captam, idolum Dagonem euertisse, eidemque caput, & manus præcidisse, Azotios, reliquosque populi Dei inimicos percussisse, & multis plagis affecisse: quod sanè nemo Catholicus dubitare potest, frequenter à B. Virgine factitari, dum dæmonum aduersus nos rabiem compescit, & ab eorum telis incolumes nos seruat: imò & nostris pedibus eos prosternit, vt meritò singulis dici possit: *Super aspidem, & basiliscum deambulabis & conculcabis leonem, & draconem.* Quid plura? Certè percussio Oziæ super irreuerentia, qua extendit manum ad arcam Dei, 2. Regum sexto, satis nobis indicat, quàm religioso cultu animata hæc Deiparæ arca à nobis tractanda sit, maximè quod si 1. Regum 6. de viris Bethsamitibus dicitur, percussos fuisse à Domino septuaginta viros de populo, & quinquaginta millia plebis, ea solum ratione, quòd vidissent arcam Domini; magna cautione, ac diligentia nobis opus est, vt nec leuissimam irreuerentiam in cultu Deiparæ Virginis committamus, certò credentes, non futuram inultam, & impunitam à Domino.

Ad hæc de arca fœderis lego libro 3. Reg. c. 8. inductam fuisse à Sacerdotibus in templo Salomonis, & intra Sancta Sanctorum collocatam; quod D. Bonauentura in speculo beatę Virg. de illa in cœlum assumpta, & à summo Sacerdote Christo Domino in cœlestis glorię templo super omnes Angelicas acies collocata, mysticè interpretatur, secutus in hoc D. Ildephonsum sermone 1. de Virginis Deiparę assumptione, in fine; dum exponens similem locum Apocalyp. 11. *Apertum est templum Dei in cœlo, & visa est arca testamenti in templo, & facta sunt fulgura, voces, & tonitrua,* hæc dicit: *Quæ profecto arca non illa Moysi fabrica, sed B. Virgo Maria est, quæ hinc iam transposita erat, quam Beat. Ioannes Euangelista testis veritatis, cui commissa est, fortè recognoscens, venerabiliter affatur.* Hæc ille. Id autem, quod ibidem subdit sacer textus: visa arca facta fuisse fulgura, voces, & terræmotus, quidam interpretantur de illustrationibus, & cōuersionibus peccatorum, qui nunc ex blanda B. Virginis admonitione, nunc ex terrifica concussione in Deum conuertuntur. Verùm D. Bernardus tom. 2. exponit illa de reconditis mysterijs, quæ B. Virgo sanctissima suis famulis pandere dignatur, verba eius sunt hæc: *Ioannes in Apocal. de throno ait, scilicet de B. Maria, procedebant fulgura, voces & tonitrua, quia mater filij Iesu Christi parabolas, ænigmata, legalia, & mirifica gesta, dicta, & opera auidius ebibit, fidelius credidit, syncerius, luculentiusque aliis edidit.*

Ad extremum, illud, quod Num. 10. de Arca fœderis dicitur: *Arca autem fœderis Domini præcedebat eos, prouidēs castrorum locum*, apertè nobis indicat munus, quo fungitur Deipara in cœlo, sua intercessione nobis prouidens locum manēdi in cœlesti patria, ad quam nos perducere dignetur filius eius, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum.

Amen.

Bernardi. to. 3. ser. 11. art. 1. c. 2.

Eccl. 24.

Iosue 6.

Ioan. Dam. oration. 2 de dorm. Deip.

1. Reg. c. 5.

Psalm. 90.

2. Reg. 6.

1. Reg. 6.

3. Reg. c. 8.

S. Bonau. in spec. B. Virg.

B. Ildeph. ser. 1. de Assump. Virg. in fine.

Apoc. 11.

Bern. tom. 2.

Num. 10.

HOMILIA XII.

In eadem verba Diui Lucæ: Beatus venter, qui te portauit: Deipara Virgo nubi fulguranti comparatur, iuxta Sãctorum Patrum doctrinam, quam similitudinem varia, ac multiplici, tam diuina, quàm humana eruditione illustramus.

BEatam Virginem sub typo nubis significari, vaticinium Isaiæ non obscurè commonstrat: *Ascendet Dominus super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.* Etenim Sanctus Athanasius, Cyrillus Hierosolymitanus, Anselmus, Ioannes, Chysostomus, Diuus Bonauentura, & alij non pauci, per nubem leuem Mariam intelligunt, nullo peccati pondere prægrauatam: sicut autem in concauitate nubis ex vapore eius vehemẽter inflammato fulgur generatur, ita Christus Dominus, qui se fulguri comparauit, Matthæi 24. *Sicut fulgur exit ab Oriente, ita erit aduentus filij hominis,* intra concauitatem viscerum B. Mariæ genitus fuit. Vnde Sanctus Methodius martyr oratione in hypopantem Domini, vocat Virginem nubem fulgurantem: *Fulgurasti* (inquit) *ô Genetrix, suauia nobis dona producens, fulgu asti luminis solaris ardentißimis facibus, feruentißimæ nempe dilectionis æstu, quod ante principium conceptum fuerat, in fine pariens, palã faciens occultum sacramentum, ineffabilem inuisibilis Patris filium.* Et breuius S. Epiphanius sermone de laudibus Virginis: *O Beata Virgo, nubes es lucida, quæ fulgur lucidißimum ad illuminandum mundum deduxisti Christum.* Verùm, quia quidam cum doctissimo Ambrosio, illud inter fulgur & fulmen constituunt discrimen, quod fulmen est telum, quod in terram decidit; fulgur verò, lux, seu splendor illius, qui repentè, & inopinatè apparet, facilè ostendam, Beatam Virginem Christum patientem, nubem esse, ex se vtrumque emittentem. Et quidem cùm Christus Dominus *sit splendor Patris*, vt loquitur D Paulus, *& lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, vt ait D. Ioannes: & Beata Virgo conceperit, & pepererit Christum, consequens est, lucem hanc increatam, & splendorẽ Patris produxisse. Vnde S. Epiphanius præcitato loco ad Beatã Virginem, hæc verba dirigit: *O Virgo sancta, lucis æternæ mater, lucis* (inquam) *quæ in Cœlis illuminat copias Angelorum: lucis, quæ illuminat solem splendidis facibus: lucis, quæ fines terræ illuminat ad credendum Trinitati: lucis, quæ dixit: ego sum lux mundi.* Vnde meritò mihi videtur præfigurata Beata Virgo per fontem solis, de quo Ios. 15. & per solis Ciuitatem, cuius meminit Isa. capite 19. *Ciuitas solis vocabitur.* vna scilicet Maria vnicè à Deo dilecta, quæ solem iustitiæ, instar fulguris coruscantis parturiuit. Deinde Christus Dominus fulmen est, etenim sicut (vt philosophi docent) fulmen constat partibus igneis, quibus in sublime tendit, & partibus terreis ignea illa natura deprimitur ad terram, ita Christus Dominus, cùm pariter sit Deus, & homo, constat igne diuinitatis, & terrestri materia humanitatis, per quam ignea illa deitatis natura tunc ad terram vsque depressa est, cùm Verbum caro factum est: ex eo etiam fulmen esse perhibetur, quia instar fulminis conterit, & dissipat inimicos suos, ipso dicente, Matth. cap 21. *Super quem verò ceciderit, conteret eum.* & Dauid Psalm. 2. *Tanquam vas figuli confringes eos.* & D. Paulus 2. ad Thessalon. 2. Antichristum *Interficiet spiritu oris sui.* quod & vaticinatus fuerat Isai capite 11. cùm dixit: *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Quare D. Leo sermone primo de Passione acutè dixit: *Illud Christi verbum ego sum: manum illam ex ferocißimis congregatam; quasi quodam fulmineo ictu strauit, atque perculit, vt omnes illi atroces, minaces, atque terribiles retro-*

Isai. 9.
Athanasius.
Cyrillus.
Hieronym
Anselmus.
Chrysost.
Bonauent.
Matth. 24.
Methodius mart orat in hypop. Dom.
Epiphan. ser. de laud. Vir.
Ambros.
Epiphan. cit loco.
Ioſ. 15.
Isa. 19.
Philosophi
Matth. 21.
Psalm. 2.
2. Thess. 2.
Isa. 11.
Leo serm. 1. de Pass. Domini.

assi

illi corruerint, quidnam poterit maiestas eius iudicantis, cuius hoc potuit humilitas iudicanda? Quibus non dissimilia sunt illa Diui Augustini sermone 30. dicentis: *Quid erit tribunal iudicantis quando superbos Reges cuna terrebat infantis?* Cùm hunc ergò infantem Maria enixa sit, non solùm nubes, ex qua fulgur, sed ex qua fulmen pariter prodierit, esse comprobatur. Refert Pierius Valerianus secunda, ac felici fortuna Alexandrum demulcentem, præcepisse ipsum peritissimo illi pictori Apelli, vt imaginem eius ad viuum exprimeret; ea tamen arte, & industria, vt non solum externa corporis delineamenta, sed & internas animi eius virtutes ad amussim imago illa referret: difficultatem huius prouinciæ alta cogitatione perpendens Apelles, post multa, ac diuersa ab eo cogitata, quæ in varias sententias illum trahebant, tãdem in hanc incidit animi conceptionem: Alexandri imaginem ad viuum depinxit, manu fulmen tenentem: videbitur forsan alicui, satiùs fuisse deuictas ab eo vrbes, aut triumphos propter partas victorias, aut capita Regum præcisa, aut regias coronas, quas à Principum mundi capitibus euulserat, vel certè vexilla capta, aut similia alia spolia iuxta Alexandri imaginem depinxisse; at sapientius multo ille fecit, cùm ad exprimenda interna Alexandrini animi ornamenta, fulmen in manu sua illum tenentem depinxit, tum quia, sicut fulmina mittere proprium Dei solius opus est, iuxta illud Ouid. Nason. lib. de Pont.

Iupiter in multis temeraria fulmina torquet.

Ita acerrimos hostes profligare, ac vniuersum orbem sibi subiugare, argumentum erat diuinę cuiusdam fortitudinis, & potentiæ in Alexandro latentis: tum quia, sicut fulmen ea præditum est innata virtute, vt sonus, & fragor eius ad longa audiatur interualla, & audientes ingenti pauore contremiscere faciat, ita heroica Alexandri gesta adeò insonuerunt, vt Spiritus sanctus lib. 1. Machab. capite primo dicat: *Siluit terra in conspectu eius.* ac si diceret: nullius, nisi Alexandri arma perstrepebant, nullius, nisi Alexandri vexilla in sublime leuabantur, nullius nisi Alexandri bellica instrumenta personabãt. Hectores, Achilles, Hercules ante illum audiebantur, Alexandro tamen imperãte, omnes hostes obmutuerunt. Siluit terra in conspectu eius. Etenim, vt ibidem ait sacer textus: *Constituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit Reziones.* quòd perindè fuit, ac si diceret: vt glossa ibi adnotauit, cruenta bella gessit, superauit Darium, dimicauit acriter contra Thracios, & contra Coroſmos, & eos, qui habitabant ad radices montis Caucasi superauit, & profligauit. Non dissimiliter hæc in Beatam Virginem conuertens, mihi fecisse videtur sanctus Methodius martyr, dum volens Deiparam ad viuum depingere, nubem fulgurantem illam appellauit, sub qua eleganti metaphora multa latent beatissimæ Virginis præconia, à me nunc decãtanda; & quidem in primis sicut sonus fulminis longè lateque diffunditur, ita nullus est despectus adeò orbis angulus, vbi heroica Beatæ Virginis facinora nõ personent, iuxta eius vaticinium: *Ecce enim, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Antequam sacra hæc nubes fulguraret, antequam Christum peperisset, aliæ insignes fœminæ personabant, quarum præclara virtus omnes in admirationem rapiebat. Inuicta castitas Lucretiæ audiebatur, Semiramidis animositas, Amazonarum bellica fortitudo, Sibyllarum sapientia vndique diffundebatur: postquam tamen Mariana nubes Christum fulmen cœ esse in orbem emisit, siluit terra in conspectu eius; omnia illarum fœminarum heroica facinora conticuerunt; quia in comparatione virtutum Beatæ Virginis, dotes illę ethnicarum mulierum, vitia meritò

Auguſt. ſer. 30.

Pier. Valer.

Apelles Pictor.

Ouid. Naſ. lib. de Pont.

1. Mach. 1.

Ibidem.

Gloſſa in eũ locum.

Methodius Mart.

Lucæ 1.

censeri debent. Vnde D. Hieronymus commendatis, non ethnicis, sed sanctissimis veteris testamēti fœminis subiunxit: *Taceo de Anna, & Helisabeth, & cæteris mulieribus, quarum, velut syderum igniculus, clarum Mariæ lumen abscondit.* Quid plura? B. Virgine fulgurante, ac cœleste filij sui fulmen in orbem immittente, famosum Delphici Apollinis oracul um continuo obmutuit, non secus ac apparente aurora solis nuncia, nocturnæ aues conticescunt. Hoc autem Delphici Apollinis silentium Iuuenalis cecinit Satyra 6.

D. Hieron.

Iuuen Satyr. 6.

Cessant oracula Delphis;
Sed siluit, postquàm Reges timuere,
Et superi ei metuere loqui.

Strabo lib 9. Strabo etiam libro 9. idipsum confirmans, dicit: *Hodie profectò summa in mendicitate est Delphicum oracul um.* huius autem silentij causam ipse dæmon in Apolline diuinitus compulsus, reddidit Augusto Apollinis studiosissimo, seque à Christo adhuc infante in tartara exactum planè confessus est; quemadmodum docent Suidas in Augusto, Cedrenus in compendio histor. & Nicephorus libro histor. cap. 17. cuius verbis rem gestam narrabo: *Cæsar* (inquit) *Augustus prouectiore iam ætate ad oracul um Pythij Apollinis venit, & sacrificio omnium maximo, quod Hecatombe dicitur dæmoni oblato; quæsiuit, quisnam post eum Romanum administraturus esset Imperium: at cùm nullum ei daretur responsum, alterum quoque adiecit sacrificium, denuoque rogauit, quid ita oracul um plurium verbum vti solitum, nunc tandem obmutuisset; tum illud, parua interposita mora, ad hunc modum respondit:*

Suid in Augusto. Cædr. in compen hist Niceph. lib. hist. c. 17.

Me puer Hebræus Diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemque redire sub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Verùm, non solùm cùm beata Virgo instar nubis fulgurabat, sed prius etiam, cùm iamiam tempus approximabat, vt fulmen suum mitteret in terram, Delphyca oracula siluisse affirmat Cicero libro 2. de diuinatione, qui quadraginta propemodum annis ante cōceptionem Christi in vtero virgineo vixit, eiusque rei causam, quam nonnulli afferebant, meritò irridet his verbis: *Cur isto modo iam oracula Delphis non eduntur, non modo nostra ætate, sed iamdiu, ita vt nihil possit esse contemptius, hoc loco cùm vrgentur, euanuisse aiunt vetustate, cùm loci eius, vnde anhelitus ille fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet, de vino, aut salsamento putes loqui, quæ euanescunt vetustate?* Hæc ille.

Cic lib. 2. de diuin.

Deinde sicut fulmen omnia ea, quæ sibi resistunt, confringit, conterit, dissipat, & in fauillas sæpè conuertit, ita B. Virgo instar nubis ex se Christum, velut fulmen contra Diabolum mittens, caput eius contriuit: impium Nestoriū, matrem Dei esse abnegantem, à vermibus præcepit linguam eius dilacerari, & corrodi, vt tradit Nicephorus lib. 14. histor. cap. 36. Celebris fuit apud antiquos, & magni habita Cleopatra eo, quòd non contenta obtinuisse Regna Syriæ, & Arabiæ, tētauit Romam debellare, vt Romanorum Regina fieret, vt Propertius cecinit libro 3. licèt sub obscuris verborum inuolucris.

Niceph. li. 14 hist. c. 36.

Ausa Ioui nostro latrantem apponere Anubim. *Proper. lib 3.*

Quod perinde est, ac si diceret eo audacia eius peruenit, vt stemmata Romanorum prosternere, & loco illorum sua substituere tentaret, vel aliter, tantæ audaciæ fuit, vt in templum Romanorum, vbi Iupiter adorabatur, illo contrito ferocem canem, cui cultum illa deferebat; immittere satageret. at potentia, & plusquam virilis B. Mariæ fortitudo longè commendabilior est, cùm non solùm tentarit, sed reipsa obtinuerit, rabidum diaboli canem è templo Ecclesiæ exterminare, & loco illius mansuetum Dei agnum, Deum verum, & hominē Christum Iesum colendum, & honorandum nobis proponere, &c.

Ad

Ad hæc, illa est fulminis notissima proprietas, cuius meminit Plinius lib. 1. cap. 35. vt omnem materiam sibi resistẽtem pœnitus absumat, cedentem verò illi indemnem relinquat. Vnde experientia compertum est, vt ibidem ait Plinius: *Fulmen pecuniam, & ferrum ensis confringere, & in cinerem conuertere, marsupio, & vagina illæsis manentibus.* Ad eundem modum beatissima Virgo, filij sui ingenium imitans, superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, &c.

Plin. lib. 1. cap 35.

Plin. loc. cit.

Quid plura? Bercorius libro 6. Reductorij moralis capite vigesimo septimo ait, quòd fulmen percutiens animalia venenosa, venenum adimit ab eis, & cõtinuò vermescere facit, cùm alioquin venenosum animal, cũ interijt, vermes non gignat; non secus Deipara Virgo, cùm videt famulatui eius addictos in via retrocedere, diuinam legem transgredientes, temporalis tribulationis fulmine eos feriens, peccati venenum in eis absumit, & illos vermescere facit, hoc est, ad agnitionem sui trahit, vt cognoscant, se in vermes tandem conuertendos; sic enim mortis timore conterriti, à vitijs se abstinent. Vnde 2 Mach. 9. dicitur: *Cœpit ad agnitionẽ sui venire, diuina admonitus plaga*, plaga autem fuit vermium, vt sacer Textus ait: *Ita vt de corpore impij vermes scaturirent*; tunc quidem ad se reuersus, in illa prorupit verba: *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Et licèt diuino illo lumine illustratus non resipuerit, sed obstinatus adhuc interierit, hoc tamen nõ fuit ex defectu agnitionis; in hanc enim vermium plaga iam illum induxerat, sed ex inueterata, & radicata malitia sua, &c.

Bercor. li. 6. reduct. mor.

2. Mach. 9.

Ad extremum Pierius Valerianus libro 43. refert, Aegyptios ad clemẽtiam, & beneficentiam exprimendam, solitos fuisse, fulmen in molli thoro iacens depingere; etenim cum fulminantem Iouem existimarent, qui in delinquẽtes, vt quidam Poetarum dixit:

Fulmineo sæpè sine igne tonat;

Quando iram eius, vel mitigatam, vel à vindicta quiescentem, & quasi dormientem volebant; fulmen in mollibus puluinis substracto thoro pingebant: nãcer è qui in lecto cubant, vel mollitudine resolutos, vel certè quietis, aut somni gratia se recumbere testantur. Itaque fulmen in lecto collocatum, vim illam cœlestem, ac diuinam ad exterrendos, & castigandos homines placatam, & quiescẽtem, vel certè quasi dormientem innuit. Non dissimiliter Christus Dominus in molli thoro virginei vteri recubans, præclarum mihi symbolum videtur diuinæ iracundiæ, per beatam Virginem placatæ, ac reconciliationis, & pacis inter Deum & homines per intercessionem eius initæ. Ad quod respiciens D. Ioannes Damascenus oratione 1. de natiuitate eleganter dixit: *Quia vniuersa terra in fœdissimam sese prouoluerat libidinem, ac Domini populus à Domino Deo suo aberrauerat, factúsque fuerat populus Domini, non populus ipsius, & qui misericordiam consecutus, non misericordiam consecutus, & qui dilectus, non dilectus. Ob eam causam nũc Beata Virgo priscæ præuaricationis aduersaria paritur ac Deo despondetur, Deique misericordiam parit, atque populus Dei efficitur, qui prius populus non erat, & qui prius misericordiam minimè consecutus fuerat, misericordiam nanciscitur; & qui prius non dilectus erat, diligitur.* Hactenus Diuus Ioannes Damascenus.

Dam. orat. 1. de natiu.

Ad eandem etiam Dei reconciliationem cum hominibus per beatæ Virginis intercessionem respiciens sanctus Bernardinus Senensis tomo 3. *Ipsa est arcus fœderis sempiterni, vt non interficiatur omnis caro, quia illum genuit, qui fecit vtraque vnum; faciens pacem, vt reconciliet ambos.* Quibus sanè videtur mihi allusisse ad cœlestem arcum, qui præterquam, quod corda, & sagittis caret ad ferendum symbolum pacis, & confœderationis semper fuit. Vnde Genesis 9. Dominus dixit: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit*

Bernard Senen. tom 3.

Gen. 9.

& erit signum fœderis inter me, & non erunt vltra aquæ diluuij super terram ad delendam omnem carnem. Vnde, sicut ibidem Dominus dixit: *Videbo arcum meum in nubibus, & recordabor fœderis sempiterni;* ita intuens Deus cœlestem hunc arcum Deiparæ Virginis, memor pacti cum Beata Virgine initi, quoscunque à se auersos, sibi placeret ei reconciliare, misericorditer suscepturum; neminem, quantumcunque peccatorem respuit, qui tantæ matris patrocinium inuocat. Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

In eadem verba: Beatus venter, qui te portauit, Virginis Deiparæ venter nido comparatur, quem Alcedines, seu (vt alij volunt) Halcyones aues fabricant.

Prou. 7. SAlomonis celebris est illa sententia, quam filio B. Virginis aptè conuenire arbitror: *Sicut auis trãsmigrans de nido suo, sic vir, qui derelinquit locum suũ.* Etenim, sicut illa mutatio nidi nociua est volucri, ita cùm Filius Dei de nido paterni sinus, descẽdit ad nidum materni vteri, tot ac tam importuna incommoda suscepit, vt inter angustias etiam virginei thalami illa experiri inciperet, vt non obscurè indicãt verba illa Ambrosiani Cantici: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterũ.* Certè nisi illis angustijs, qui vir erat, & vsurationis prædítus, premeretur, non erat, cur exhorresceret immaculatum B. Virginis vterum. Vt autem fabricam Mariani huius nidi, quem sibi Dominus ad habitandum per integros nouem menses construxit, altius repetamus, placet in memoriam reuocare, quæ de auibus Alcedinib⁹ tam sancti Patres, quàm naturales historiographi commemorant.

D. Ambros.

In primis Alciatus emblemate 178. tradit, Halcyonem nidum suum extruere ex spicis, & teneris intertextibus palmitibus vitis.

Grandibus ex spicis tenues texere corollas
Quas circum alterno palmite vitis eat. Alciat emblem. 178.

Mirabile certè est, quod cùm reliquæ volucres ex ramis, paleis, & foliis suos ædificent nidos, Alcion tamen ex spicis illum construat. Illud sanè inter pleraque alia Virginis encomia non vltimũ locum tenet, quòd cum primordia nidorum reliquorum hominum sunt humilia, imò & turpia, vtpote peccati originalis luto deturpata, Marianus tamen nidus, quem Dominus sibi fabricauit, à principio fœcũdissimis meritorum spicis exornari cœpit. Etenim (vt noster S. Bernardinus Senensis docet) qui post- S. Bernard. Senen to. 2. quam dixerat: Beata Virgo, etiam dum Ser. 51. art. 1. erat in vtero matris, habuit vsum liberi c. 2. arbitrij; posteà subdit, anima sua liberè, ac meritorio actu, tunc tendebat in Deum. Reliquis omnibus accidit, quod agris, quibus vno tempore semina arãtur, & alio illi fructus reddunt. At in Beatissima Virgine, simul atque Deus in instanti suæ cõceptionis, diuinæ gratiæ, & reliquarum virtutum semina in ea iecit, continuò illa meritorum copiosissimas spicas, tãquam fructus protulit. Cuius rei figura mihi præcessisse videtur in Esther, de qua Esther 2. dicitur: *Placuit ei, nimirum Assuero, & inuenit gratiam in conspectu illius, & præcepit eunucho, vt acceleraret mundum muliebrem, & traderet ei partes suas, & septem puellas speciosissimas de domo Regis, & tam ipsam, quã pedissequas eius ornaret, atque excoleret.* Esther 2. ita Deus Virgini, quam in futuram matrem elegerat, mundum, seu ornatum muliebrem accelerauit, in ipsa cõceptione conferens ei diuinæ gratiæ ornatum, & septem speciosissimas pedissequas, id est, virtutes septem: tres theologicas, & quatuor morales, quibus liberè posset vti. Ad idem etiam facit illud Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum,* Prouerb. 9.

& ex-

& excidit columnas septem. hoc est, Christus Dominus, sapientia Patris ædificauit sibi domum septem virtutibus, seu septem donis Spiritus sancti suffultam. Quod autem ait, ædificasse illam sibi, idem est, ac si dixisset in proprium vsum, & in propriam vtilitatem illam extruxisse, instar auis nidificantis. Obseruauit, quòd inter præclara multa, quibus B. Virginem exornat sanctus Iacobus Apostolus in sua Lyturgia, quam Proclus mirificè celebrat, & sexta Synodus generalis libenter acceptat, vt refert Ferreolus de Maria; illam compellat Paradisum spiritualem: qua etiam appellatione postea vsi sunt S. Ephrem. orat. de Deipara. D. Ioan. Damascen. orat. 2. de dormitione B. Virginis. D. Ambrosius in Psal. 1. D. Bonauent. in speculo Virginis cap. 5. nec non & Robertus lib. 4. in Cant. Omissis tamen multis, quę ille de paradiso terrestri B. Virgini accommodat, & fusè prosequitur: quomodo nimirum Virgo sit nouus paradisus, nō terrestris, sed cœlestis, à Deo plantatus, & quomodo in ea formauerit hominē, cùm in ea Verbum caro factum est, & in ea cunctarum germina gratiarum, & omnium exemplaria virtutum, ipsum etiam Christum germinarit, qui est lignum vitæ: quomodo item ex ea fluuius egressus est: cùm Iesus ex ea nascēs, & ex thalamo eius foras, instar fluuij lætificantis Ciuitatem Dei prodiens, diuisus est in quatuor Euangelia: his (inquam) & alijs similibus omissis, illud solùm obseruo, vt ad præsens argumentum spectat, inter paradisum, & reliquos hortos, hoc interesse manifestum discrimen, quod nullus vnquam hortus hominum industria consitus, à principio suæ conditionis fructifer fuit: paradisus autem voluptatis, quem Deus cōdidit, ab initio ferax fuit, dulcissimos fructus proferens: hoc idem discrimen inter reliquos Sanctos, & B. Virginem reperio, quòd illi ab initio suæ conceptionis non fuerunt fructiferi, imò infœcundi, & steriles, non aliud, quā peccati originalis sentes & tribulos germinantes: at Beatissima Virgo ab instanti suę conceptionis, quia paradisus erat secundo Adamo destinatus, semper fructifer fuit, dulcissimos reddens suo Cōditori meritorum fructus, vt proinde meritò dicamus, Christum Dominū, instar auis halcyonis ex spicis, quę fructuū copiā symbolicè præferunt, nidū suum extruxisse. Quod autem Alciatus præcitato loco ait, hunc auem nidum suum ædificare non ex spicis minimis, sed magnis: grandibus ex spicis: ad magnitudinem meritorum B. Virginis refero. Vt enim, cùm Dominus elegit Saulem in Regem: sacer text. ait 1 Reg 9. *Ab humero, & sursum eminebat super omnem populum;* elegerat quidem illum in Caput totius populi, & sic toto capite volebat, vt reliquos excederet, & superemineret: ita cùm Deus elegisset Beatam Virginem, in Reginam non solùm hominum, sed & Angelorum, imò, & in matrem suā; consequens erat, debere magnitudine meritorum, omnes longè transcendere. Atque hinc est, vt sacra eloquia Cantic. 7 dum singula B Virginis membra in Sunamite adumbrata describunt, ea assimilant rebus quibusdam sua magnitudine incomparabiliter excedentibus humani corporis mensuram, & mēbrorum eius compaginem. *Collum* (inquit) *tuum sicut turris eburnea, oculi tui, sicut piscinæ in Hæsebon; Nasus tuus, sicut turris Libani, caput tuum, vt Carmelus, statura tua assimilata est palmæ,* quam constat inter arbores maximè proceram esse. Consulto Spiritus sanctus exiguas has partes virginei corporis cum rebus magnitudine molis præstantibus componit, vt merita B. Virginis, & præclaras eius dotes magnitudine virtutis reliquis omnibus præstare demonstret. Vnde qua proportione mons Carmelus, cui Marianū caput comparat, cuiuslibet hominis, imò & innumerabilium capita magnitudine excedit; ita Deipara meritorum excel-

S. Iacobus Apostolus in sua Lyturg.
Procl. Episc. 6. Syn gener.
Ferreolus de Maria.
S. Ephr orat. de Deipara.
D. Ioan. Damasc. orat. 2. de dormit. B Virg.
D. Ambr. in Psalm 1.
D. Bonau. in spec Virg. c. 5.
Robert. li. 4. in Cant.
Genes. 2.
Ioan. 1.
Psal. 45.
1. Reg. 9.
Cant. 7.

excellentia reliquos omnes Sanctos simili proportione superat. Vnde D. Bonauentura in speculo virginis capite 2. postquam dixerat, Deum præparasse Mariæ magnam gloriam in Cœlo, subdit: *Vt sicut fuit grandis in merito, ita etiam grandis esset in præmio.* quare ipsa est thronus ille grandis, de quo dicitur: *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem*: thronus veri Salomonis est Maria, grãdis omninò in gratia, & in gloria, sed quomodo non grandis, cum grandibus ex spicis diuinus Alcyon Christus Dominus Mariam, tanquam proprium nidum sibi ædificauerit? Porro, nec silentio prætereunda puto præclara illa Alciati verba:

D. Bonau in spec. B. Virg. cap. 2.

3. Reg. 10.

Alciatus.

Tenues texere corollas,

Quibus significat, hanc auem nidum suum extruere ex intertextis spicis cum teneris vitis palmitibus in modum coronæ. Vnde modus ædificandi eius est, vt ex illa duplici materia primam coronam conficiat, & super illam aliam apponat, & sic coronas coronis adiungẽs, totum fabricat nidum. In eo autem valdè excedit beata Virgo omnium Sanctorum cœtum, quod illi non erant in continuo motu merendi, nec semper meritorum coronas sibi fabricabant; B. autem Virgo, nec per momentum ab amore dilecti sui cessabat: sed magis, ac magis in diuina dilectione continuò flagrabat, vt expressè docuit S. Bernardinus Senensis, dum dixit: *Mens Beatæ Virginis in ardore dilectionis continuò tenebatur.* ac si diceret: licèt reliqui omnes amores interruptionem patiantur; actualis tamen amor beatæ Virg. semper fuit cõtinuus, & nunquam interruptus, quod verum adeò putat, vt etiam dum corpus dormiret, pariter animum eius euigilasse, nec ab amore per momentum destitisse existimârit iuxta illud Cantic. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* hoc sanè modo cœlestis Alcyon nidum suum fabricabat, merita meritis, & coronas coronis continuò adiungendo: quod nõ obscurè mihi significasse videtur sponsus, cùm dixit ei: *Emissiones tuæ, Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Certè, cum plures arborum fructus suauiores multo malis punicis agnoscamus, carere non potest mysterio, quòd sponsus comparauerit spõsæ opera malis punicis: *Emissiones tuæ, sicut Paradisus malorum punicorum.* Arbitror, consultò id fecisse ad significandum, illud interesse inter beatam Virginem, & reliquos sanctos, quod inter mala punica, & reliquos fructus: quòd sicut illa ab initio suæ generationis corona exornantur, & quandiu in arbore consistunt, tamdiu corona eorum augetur, vsque ad debitum ei augmentum, alij verò fructus coronis carent; ita omnia, & singula beatissimæ Virginis gesta, quia charitate semper erant informata, quæ corona est omnium virtutum, quot opera faciebat, tot coronas acquirebat: aliorum verò Sanctorum opera non semper erãt meritoria, imò quandoque demeritoria, quia venialiter peccaminosa. His adiungo, incessabilem adeò fuisse Beatam Virginem Deiparam in acquirendis coronis per actus charitatis, vt Sanctus Antoninus ex Alberto Magno, cõsultò probet, charitatem beatæ Virginis incessabilem magis fuisse, quam ipsorum Seraphinorum fuerit charitas: verba eius sunt hæc: *Incessabilitatem habuit Beata Maria super Seraphim, quod sic probat Albertus: Magis incessabile est, quod non cessat, nec potest modo cessare, nec vnquam potuit cessare, quàm quod non cessat, nec potest cessare, sed tamen potuit aliquando cessare: sed charitas Seraphim, etsi non potest modo, potuit tamen aliquando cessare, scilicet in prima eorum conditione, quod patet per exemplum Luciferi, qui secundùm Beatum Gregorium supremus fuit de ordine Seraphim, qui tamen à charitate sibi collata, cecidit de Cœlo; sed charitas Beatæ Mariæ nunquam potuit cessare, quod ostenditur per hoc, quia charitas non potest cessare, nisi per mortale peccatum: sed B. Virgo nunquam potuit peccare mortaliter, quia*

Cant. 4.

S. Antonin. 4 par. tit. 15. c. 44. §. 9.

B. Gregor.

quia in vtero sanctificata, antequam posset peccare, per ipsam sanctificationem ita fuit confirmata in gratia, & charitate, quòd poste a peccare non potuit etiam venialiter; vnde nec amittere charitatem, quod tamen potuerunt Seraphim agere, & de facto aliqui amiserunt, scilicet Lucifer cum suis: ergo B. Maria in hoc omnes excellit.

Hinc fit, quòd cum ex varijs coronis nidus Halcyonis constet, figura eius sit rotunda, ad quod respiciens Helianus de historia animalium lib. 1. cap. 37. dixit: *Leniter in figuram rotundam subiexit.* Certè figura rotunda eo, quòd vndique clausa sit, virginalem clausuram beatæ Mariæ refert, & symbolum etiam munditiæ apud veteres semper extitit; teste Virgilio in epigrammate de viro bono: cuius ratio est, quia figura circularis angulis caret, in quibus sordes facilè delitescere solent. Illud etiam circuli proprium nemo ignorat, si perfectionem sphæricam habet, necesse esse in eundem punctum, à quo incipit, desinere, seu finiri; in quo magnum illud discrimen mihi detegitur inter beatã Virginem, & reliquos homines mortales, etiam insigni sanctitate conspicuos, quòd in illis non est idem principium, & finis, quia non incipiunt in eo, in quo desinunt; in gratiam enim desinunt; incipiunt tamen in peccato, iuxta illud Dauidis: *In peccatis concepit me mater mea.* at B. Virgo, nidus rotũdus, & circularis, instar Halcyonis, cœpit in gratia concepta, & finiuit in gratia mortua, quæ duæ gratiæ facte sunt vna intẽsior, vt propriè idem punctus huius mystici circuli sit principium, & finis eius. Atque hanc eandem beatæ Virginis excellentiam cõfirmat, quod idem Helianus præcitato loco dixit de eodem Halcyonis nido: *Neque per ipsum nidi os quidquam ex mari influere potest; illud enim speciale habet nidus huius auis, quòd inter medios aquarum gurgites, neq; vnica salsi maris gutta in eum subrepat.* Etenim cum Deus nidum matris suæ fabricasset, non inter Angelos, quia (vt Apostolus dixit) *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*; necesse erat, nidum hunc inter amaras huius sæculi fluentes aquas fabricaret; eo tamen diuino artificio, instar Halcyonis, illum cõdidit, vt neque peccati originalis amaritudo, imò nec vnica etiam leuissimi peccati venialis gutta in eum aditum haberet. Contigit sanè illi, quod Christus Dominus dixit Lucæ 6. *Inundatione facta illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere.* Etenim, cum peccati originalis vniuersalis inundatio in omnes luteas domos irrueret, ita tamẽ diuinus Halcyon domum suam præmuniuit, vt illidens in eam inundans flumen peccati originalis, nullum ei nocumentum inferre potuerit: illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere.

Ad hæc idem Helianus præallegato loco de nido Halcyonis duo præclara dicit, quæ in beatam Virginem mirificè conueniunt. *Os* (inquit) *nidi non planè cõspicuum, & in ascensum solum illum suscipere potest.* Certè, quomodo Verbum aditum sibi fecerit in viscera beatæ Virginis, & ibi carnem assumpserit, non solùm humanæ menti non est perspicuum, sed & Angelico intellectui obscurum: adeò vt dæmon, quantumcunq; perspicacissimi ingenij, frequenter vacillaret, an sub humana Christi carne diuinitas latitaret. Vnde non ausus est illi dicere, nisi dubitans, & sub conditione: *Si Filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant*: quòd autem nidus Halcyonis solum illum suscipere posset, quis non videat, id multo ante vaticinium Ezechielis prænũciasse, cùm dixit: *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam*? nam per hãc portam clausam D. Ambrosius, & D. Hieronymus, & alij Patres integerrimam Virginem intelligunt, à qua Christus Dominus conceptus, & natus virginalem matris clausuram non violauit, sed potius magis constabiliuit: ad

Helian. de histor. anim. lib. 1. c. 37.

Virgil. in epigram. de viro bono.

Psalm. 50.

Helian. loco citato.

Ad Heb. 2.

Lucæ 6.

Helian. loco citato.

Matth. 4.

Ezech. 44.

D. Ambros.

D. Hieron.

quod alludere mihi videntur verba Da-
Psalm. 147. uidis Psalm. 147 *Quoniam confortauit se-*
ras portarum tuarum. Alij quidem, cùm
nascuntur, seras confringunt materni
claustri: Christus autem non sic, sed po-
tius confortauit. Vnde eleganter D Ful-
D Fulgent. ser de Laud B. Mariæ. gentius ad id respiciens serm. de Laud.
B. Mariæ dixit: *Iesus post transitum suum,*
illæsam fecit Virginem permanere; qui enim
disrupta corporum membra in alijs poterat in-
tegrare tangendo, quanto magis in sua matre,
quod inuenit integrum, potuit non violare na-
scendo? Creuit enim eius partu integritas po-
tius, quàm decreuit, & virginitas ampliata
est potius, quàm fugata. Ecce D. Fulgentius
ait, quòd Dauid, Christum confortas-
se potius, quàm aperuisse seras materni
uteri.

Addit deinde idem Helianus, nidum
halcyonis tanta fortitudine præditum
esse, vt neque ferro possit quispiam il-
Helia loco allegato. lum demoliri, *vt nec ferro* (inquit) *di-*
scindatur. Verba hæc à me extorquent,
vt de inuincibili B. Mariæ fortitudine
ad resistendum dæmoni, & illum expu-
gnandum, nonnihil disseram. Suppono
ad id, Christum Dominum per corpus
S. Leo ser. 1. de natiu. suum, tanquam per arma, caput antiqui
serpentis contriuisse, vt his verbis edixit
S. Leo ser. 1. de natiuit. *Omnipotens Domi-*
nus cum sæuissimo hoste, non in sua maiesta-
te, sed in nostra congreditur humilitate, obij-
ciens ei eandem formam, eandemque naturam
mortalitatis nostræ participem, sed peccati to-
tius expertem, vt inuentor mortis diabolus,
per ipsam, qua vicerat, vinceretur. Hæc D.
Leo. quibus consonant illa Diui Augu-
D Aug ser. 176. de tẽp. stini serm. 176. de tempore, in hunc mo-
dum loquentis. *Si nihil de nostro suscepit,*
nihil nobis præstitit: proinde charissimi, si non
in nostra carne de diabolo triumphauit, se ex-
ercuit, non nos iuuit: si non in nostro corpore
resurrexit, conditioni nostræ resurgendo, nihil
contulit; si non in nostra carne peregit medi-
cinam, solam ergo, ex homine nascendo, elegit
iniuriam: de nostro est, quod apprehendit, de
suo est, quod donauit; meum testor esse, quod
cecidit, vt meum sit quod resurrexit; meum
est, quod iacuit intra tumulum, vt meum sit,
quod ascendit in Cœlum. hæc ille. Cùm er-
go Beata Virgo ex purissimis suis san-
guinibus Verbum diuinum carne in-
duerit, manifestum est, eidem arma,
quibus dæmonem deuicit; suppeditas-
se: hac enim ratione comparatur à spō-
so Cant. 4 Turri Dauid, quæ ædificata
est cum propugnaculis: de qua ait: *Mil-* *Cant. 4.*
lẽ clypei pendent ex ea, omnis armatura for-
tium. In hac ergo turri, armis onusta,
Dei filius armauit se, ad fortem arma-
tum dæmonem (vt ipse loquitur) expu-
gnandum: quod præuidens regius va-
tes, dixit: *Indutus est Dominus fortitudine,* *Psal. 92.*
& præcinxit se virtute. Quod perinde fuit,
ac si diceret: induit se Dominus huma-
nitate decora, & speciosa, ac simul for-
tissima; qua ad hostes debellandos se
muniuit. Quare, sicut, qui arma por-
rigit ad necem alteri inferendam, necis
particeps dicitur, ita Beata Virgo, quia
Christo arma suppeditauit ad caput dæ-
monis conterendum, meritò huius vi-
ctoriæ particeps censeri debet: sicut è
contrà mortis humani generis particeps
censetur Eua, eò quòd pomum Adamo
porrexerit, quo ille vescens totum hu-
manum genus interemit. Placet hoc i-
psum ex his, quæ narrat Plinius libr 7. *Plin lib 7.*
capit. 2. obiter illustrare. meminit ille *cap. 2.*
Marsorum, qui erant quidam gentium
populi, descendentes à Marso filio illius
Circis, Regis Sarmatarum vxoris, so-
rorisq; AEtæ Colchorum Regis, quem
D. Augustinus, magnam famosissimam *D. August.*
vocat, quod eius incantationes famo-
sissimæ sint apud Homerum, Virgiliũ, *Homerum. Virgilium.*
Theocritum, & alios Poetas. Hæc fi- *Theocrit.*
lium suum Marsum ita suæ incantatio-
nis, & vnctionis viribus muniuit, vt
nullatenus contrà eum possent vel aspi-
des ipsæ prævalere, omniumque serpen-
tum venenum eneruabat. Quamuis au-
tem Circis vnctiones, & incantationes
(vt ait D. August li. 11. super Genesim ad *D. Aug. lib. super Genes. ad litt. c. 28.*
litteram c. 28.) non laudamus, ex illis ta-
men similitudinẽ trahimus, sicut Chri-
stus

Luc.18. stus ex iniquo Iudice similitudinem cōstruxit Lucæ cap.18. vt loco nuper citato idem S. Doctor scitè adnotauit. Sic igitur Christus Dominus non Circis incantatricis, sed Virginis sanctissimæ filius, in eius visceribus genitus, & inde arma capessens, ita vnctione Spiritus sancti fuit munitus, vt liberè posset cum antiquo serpente congredi, à quo nullatenus posset lædi, & sed ad alios lædēdos inermis, & impotens maneret. sed non opus habemus his profanis monumentis, cum præclaro exemplo Iacob patriarchæ id in laudem B. Virginis confirmare liceat. Hic Genes.c.4 loquens cum Ioseph filio suo, de prædio, quod habebat in Sychimis, (id quod filij quamuis ipso inscio fecerant) sibi tribuere non dubitat: *Do* (inquit) *tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amarrhæi in gladio & arcu meo.* Cùm tamen nō suo, sed Simeon, & Leui gladio tulisset, vt patet Genes.cap.34. Nam, & Vlysses (licet quoque nobis ratiocinationis nostræ efficacitatem ex profanis authoribus confirmare) quòd Achilli alieno habitu delitescenti, arte sua deprehenso, arma tātùm sumere, & ad bellum Troianum proficisci persuaserit, eiusdem egregia apud Troiam facinora, & ipsam Hectoris cædem sibi asscribere non veretur; sic enim contra Aiacem in illo Græciæ Ducum consensu, cùm Achillis arma sibi deposceret, de Achille loquentem inducit Poeta:

Gen.34.

Iniecíque manum, fortemq; ad fortia misi:
Ergo opera illius, mea sunt; ego Telephon hasta
Pugnantem domui; victum, orantemq; reieci.
Quod Thebæ cecidere meum est, an me credite Lesbon;
Me Tenedon, Chrysenque, & Cillan Apollinis Vrbes
Et Scyron cepisse; mea concussa putate
Procubuisse solo Lyrnesia mœnia dextra:
Vtque alios taceam, qui sæuum perdere posset
Hectora? nempè dedi, per me iacet inclytus Hector.

Si ergo Vlysses, quòd solum Achillem conciliatus fuisset, vt arma capesseret, & ad bellum Troianum se accingeret; eius præclara facinora, ac hostium victorias sibi tribuendas putat: quantò magis Deiparæ Virgini victoria de Sathana à Christo reportata tribuenda erit, quę nō solùm consilio, sed & ipsius etiam opera Christū nobis genuit, eiq; carnem tribuendo, arma, ad dæmonis caput conterendum, subministrauit? tanta igitur B. Virginis fortitudo esse perhibetur, vt non solùm à dæmone calcaneo eius illi frequenter insidiante, lædi vlla ratione potuerit, sed & illum fortem adeò, vt Iob dicat: non est fortitudo in terra, quę comparetur ei: gloriosè deuicerit, & caput contererit, iuxtà antiquum Dei vaticinium: ipsa conteret caput tuum. Ecce quāta fortitudine prędituś sit nidus cœlestis halcyonis; de quo melius sanè, quā de illo dici potest: nec ferro scindetur.

Ad extremum illud in ore omnium versatur, quod S. Basil. in exameron homil. 8 & S. Ambros. etiam in exameron de halcyone dicunt; nimirum tempore partus mare, alioquin varijs tempestatibus agitari solitum, singulari tranquillitate fruitur, quæ cùm per 14. dies duret, nautæ dies illos trāquillos; dies halcyones appellare solent. verba D. Ambrosij omnia minutim describētis digna censui, quæ hoc loco inserērētur: *Halcyon est auis maritima, quæ in littoribus fœtus suos edere solet; ita vt in arenis oua deponat medio ferè hyemis: nā id temporis fouendis habet deputatū partubus, quando maximè insurgit mare, litoribusque vehementior fluctus illiditur, quò magis repentinæ placiditatis solemnitate auis huius eluceret gratia: nam, quum vndosum fuerit mare, positis ouis, subitò mitescit, & omnes cadunt ventorum procellæ, flatusque aurarum quiescunt, ac placidum ventis stat mare, donec oua fouet halcyon sua: septem dies fœtus sunt, quibus decussis, educit pullos: illico alios septem adiungit dies, quibus*

Basil. in exameron. hom. 8. Ambrosius in exam.

enutriat partus ſuos, donec incipiant adoleſcere: tantum autem beneficium auicula hæc diuinitus ſibi datum habet, vt ſuos quatuordecim dies nautici præſumptæ ſerenitatis obſeruent, quos & Halcyonidas vocant, quibus nullos motus procelloſæ tempeſtatis horreſcãt. Atque hinc poetæ anſam fabulandi arripuerunt, Alcyonem filiam Aeoli fuiſſe, qui in gratiam filiæ, dum illa in littore oua parit, & fœtus educat, ventos incluſos ſeruat.

Sed omiſſo hoc fabuloſo commento, certè, quemadmodum, matre Halcyone pariente, turbulentum mare quieſcit, & furentes eius fluctus manſueſcunt, vt eo tempore non tam mare aqueum, quã lacteum dixeris: ita tempore virginei partus, quando cœleſtis Halcyon Chriſtus Dominus ex matris viſceribus per natiuitatem prodijt, ſumma pax in mũdo vigere cœpit, vt Angelorum vox atteſtata eſt. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Sanè cùm gentiles honorem, & gloriam Deo debitam ad idola tranſtul iſſent, Pſalmographo; dicente: *Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum,* debitus honor, & gloria Deo deeſſe videbatur, terræ verò deerat pax cum Deo; Chriſtus autem ex Maria natus reddidit gloriam Deo, & pacem hominibus, pacem (inquam) non ſolum temporalem, ſed & ſpiritualem. Etenim, quod ad illillam attinet, apud hiſtoricos memoriæ ꝓditum reperimus, poſtremis illis temporibus Romanam Vrbem, ipſumque imperium miſero in ſtatu fuiſſe propter immane bellum inter Iulium Cæſarem, & Pompeium. Vnde iuſtiſſima Scipionis Naſicæ querela illa eſt, quæ fœlicitas in hac vrbe noſtra eſſe poteſt, ſtantibus manibus, ruentibus moribus? Facta erat Roma, velut noua Babylon, patens ad omnem improbitatem, & omnes omnium gentium errores recipiebat. At placuit Deo tandem hanc nubem malorum gratiæ ſuæ ſole repellere: occiſus Pompeius, qui prius quingentarum nauium claſſi præfuerat, qui per triumphum duxerat, qui in ærarium plura cẽtena talentorum millia intulerat: erat & eodem Dei iudicio interfectus Iulius primus Cæſar, qui faſtuoſus Senatus Romani Imperium contempſerat, & Pompeio debellato ſcripſerat: Veni, vidi, vici. itaque poſt tot incommoda, tantasque ruinas hoc beneficium Auguſto Cæſari reſeruatum eſt, vt pacem rebus omnibus compoſitis reſtitueret, Templum Iani clauderet in ſignum ſolidæ pacis, & pænè vniuerſi orbis Monarcha fieret: vtque illo imperante, Chriſtus naſceretur, qui pacem illam ſtabiliret. Vnde quemadmodum, aquila aduenie̅te, reliquæ aues quieſcunt, alasque demittunt, ita aduenie̅te cœleſti illa aquila, Redemptore noſtro, omnes terræ principes quieuerunt, & vnuſquiſque, vt olim ætate Salomonis, pacificè ſub ſua ficu viuebat, vt ad literam impleretur illud Iſa. 2. dicentis: *Non leuabit gens contra gentem gladium; nec exercebuntur vltra ad prælium.* Hoc genus pacis tanti habebatur apud antiquos, vt ad ſignificãdam illam, depingerent virginem quandam, manu cornucopiam tenentem: in cornucopia verò antiqui omnem abundantiam ſignificabant. Hinc etiam Iulius Cæſar in moneta Imperij ſui Caduceum cum cornucopiæ inſculpi fecit: per Caduceum olim pacem, & cõcordantiam ſignificabant veteres, & per cornucopiæ, (vt diximus) rerum abundantiam; & eadem ratione Veſpaſianus Imperator in moneta ſui temporis ſignari voluit duas manus inter ſe vnitas, & cohærentes, à quibus manipulus ſpicarum procedebat: per manus coniunctas concordiam, per manipulum abundantiam ſignificare volens. Denique ſicut diſcordia, & bellum omnium malorum origo ſunt, ſcilicet bonorum direptionis, & patriæ amiſſionis, & captiuitatis, & mortis: ſic è conuerſo, pax origo eſt, & aggregatio omnium bonorum. Non tamen cœleſtis Halcyon trã-

Luce 2.

Pſalm. 115.

Iſa. 2.

quil-

quillitatem & pacem temporalem, sed præcipuè spiritualem induxit in terrā: vt ipse per Aggæum Prophetam prædixerat: *Implebo domum istam gloria, & in loco isto dabo pacem* erat enim tunc templum æternæ pacis, hoc est, cœlestis Paradisus, clausus; & ab eius ingressu excluſum genus humanum, quod præfigurauerat Dominus, quando ejecto Adamo, & Eua è Paradiso terrestri collocauit Cherubin, & gladium versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. Aduentante autem Christo Domino, facta est tranquillitas, & pax inter Deum, & hominem, & fores cœlestis Paradisi iam patent Apostolo dicente, ad Romanos 5. *Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo* & ad Ephes. 2. *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* est etiam & alia pax, cuius hæc pax cum Deo origo esse perhibetur, nimirum, cum sibi ipsi homo pacatus est, qui à se ipso antea acerrimè dissidebat, dum aliud spiritus, aliud caro flagitabat, iuxta illud Diui Pauli: *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem* Hæc etiam pax, nascente hoc diuino halcyone, nobis donata est, vt his verbis adnotauit Diuus Hieronymus in caput secundum Isaiæ: nam exponens locum illum: *Conflabunt gladios in vomeres, & lanceas suas in falces*, ait: *hoc quidem spiritualiter intelligi potest, quando omnis duritia cordis nostri Christi vomere frangitur, & eradicantur Spinæ vitiorum, vt semen sermonis Dei crescat in fruges, & postea labores manuum nostrarum manducemus.* & Diuus Ioannes Chrysostomus: *Quantam* (inquit) *abundantiam pacis nunc videmus, vt caro, quæ concupiscit aduersus spiritum, subiugetur, & subiugati sint affectus carnales spiritui, sit abundantia pacis, donec tollatur Luna, id est, finiatur omnis Ecclesiæ prædicatio: Ecclesia enim Luna dicitur, quæ crescit in sanctis, decrescit in peccatoribus*: quibus persimilia sunt præclara illa verba Diui Augustini libro primo de sermone Domini in monte, qui exponens locum illum: *Beati pacifici* (inquit) *Pacifici in seipsis sunt, qui omnes animi motus componentes, & subijcientes rationi, & spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt Regnum Dei, in quo ita sunt ordinata omnia, vt id, quod est in homine præcipuum, & excellens, hoc imperet, cæteris non reluctātibus, quæ sunt nobis, bestijsque communia, atque idipsum, quod excellit in homine, id est, mens, & ratio, subijciatur potiori, Deo scilicet, & hæc est pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis, hæc vita consummati, perfectique sapientis.* Hæc D. Augustinus.

Aggæi 2. Gen. 3. Ad Rom. 5. Ad Ephes 2. Ad Galat. 5. Hieron in 12. Isaiæ. Ioā Chrysost. D. Augustin. lib. 1. de ser. Domini in monte.

Est tandem & alia pax, quæ animorum vnionem & concordiam importat, quam Christus Dominus toties inculcauit, & commendauit, vt exinde miram eius vtilitatem deprehēdere debeamus. Etenim præterquam quod illo nascente pacem euulgauit, certè pacificos, Filiorum Dei illustri nomenclatura cohonestauit, dicens: *Beati pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur.* discipulos illa salutatione vti præcepit: *Pax huic domui.* Iturus ad Crucem; quasi in testamento pacem discipulis donauit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* post resurrectionem, ad discipulos clausis ianuis intrans, illis verbis eos salutauit: *Pax vobis.*

Lucæ 2. Matth. 5. Luc. 10. Ioan. 14. Ioan. 20.

Certè ethnici non à Christo edocti, sed rationis solo lumine illustrati, ita pacis, & concordiæ cultores fuerunt, vt meritò nos Christiani eorum gesta audientes, verecundia erubescere deberemus. De Leone Bizantino memorat Erasmus, quòd Philippo Regi cum exercitu Bizantium properanti occurrerit: *Dic* (inquiens) *Philippe, quæ causa te in Vrbem nostram impulit?* quo respondente: *Patriæ tuæ amor: atque* (ait ille) *non bellico instrumento, sed musico amantibus est opus.* Musonij scitum est, nullas nuptias sine concordia esse honestas, nullam societatem vtilem, quod lepido exemplo idē Sophista Leo demonstrauit. Venerat Athenas de pace verba facturus, & tumultuanti populo concordiam suasurus, cumq; esset corpore pusillo, omnib⁹

Erasmus.

mouit risum: ille occasionem fortuitam in proœmium vertens. *Quid* (inquit) *ô viri Athenienses, si conspiceretis vxorem meam, quæ tam pusilla est, vt vix ad genua mea pertingat*: ad quam vocem maior obortus est risus: tum subiecit Leo: *At nos tam pusillos, si quando dissidemus, vix Bizantium capere potest.* Illesum Sophistam memorat Plutarchus, cùm Lacedæmonij de mœnibus oppido suo circumducendis consultarent, Homericum versum recitasse.

Soph. Leo.

Plutarchus heroic. vers. 3.

Scutum hæsit scuto, galea galeæ, atque viro vir;
Et adiecisse:
Sic Lacedæmonij state, & muris cincti sumus.

Hinc Agesilaus Rex percontanti, cur Spartana ciuitas muris careret, ciues exhibuit armatos, & vnanimes. Africanus Scipio, cùm Numantinos sæpè victores tandem superasset, rogauit Tyresium Principem Colticum, quomodo Numantia ita euersa fuisset, quæ priùs tot gentium victrix fuerat? cui Tyresius: *Pax & concordia ciuium eam victoriam; discordia tam præceps exitium produxit.* Blõd. etiam libro secundo de Roma instaurata, refert, olim fuisse in Monte Palatino templum concordiæ dicatum, à Tiberio Cæsare structum; & iuxta eundem montem aliud magnificum templum ædificatum ab Vespasiano in honorem Pacis: quo nullum erat augustius delubrum. Quòd si gentiles pacem, velut numen quoddam venerabantur; quanto æquius est, vt eandem nos fideles summo studio comparare laboremus, qui pacis auctorem Christum habemus? Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum.

Dictum quodam Tyresij ad Agesilaũ. Blond. lib. 2. de Roma instaurat.

Amen.

HOMILIA XIV.

Deipara Virgo vtero suo Christum gestãs Cœlo comparatur, quo Deus sanctos beat, in eadem verba: Beatus venter, qui te portauit. Lucæ 11.

PRimum omnium arbitror fuisse Dauidem, qui Beatam Virginem Cœlum appellauit, dum Psalmo 18. dixit: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam à summo Cœlo egressio eius.* Etenim per Cœlum hoc loco intellexisse Beatam Virginem, illud non obscurè indicat, quòd, postquam dixisset, Christum Dominum humanæ carnis purpura ornatum, ex virgineo thalamo matris suæ, instar sponsi processisse, cõtinuò subiunxit, hanc processionem esse egressum à cœlo: *A summo Cœlo egressio eius.* quibus verbis etiam insinuauit, Christum Dominum ex matris vtero progressum absque vlla prorsus suę virginitatis iactura; nam sicut, cùm quispiam eorum, qui in Cœlo habitant, è Cælo descendit, vt in hac militanti Ecclesia ministerium aliquod exequatur, Cœli ianuis clausis, & absque vlla eius diuisione ab eo egreditur, ita & Christus à Cœlo Mariani vteri, clausa manente eius ianua, & absque vlla suæ integritatis iactura prodijt. Hoc etiam perillustri Cœli cognomine, opinor Diuum Paulum appellasse Beatam Virginem primę Corinth. 5. vbi, postquam dixerat: *Primum hominem de terra terrenum, secundum subiunxit, scilicet Christum de Cœlo cœlestem.* ad Galatas 4. ipse autem alibi appellat. *Illum factum ex muliere*, ergo mulier hæc, ex qua formatus est secundus homo cœlestis, mysticum quoddam est Cœlum: quamuis alioquin non me lateat in sensu literali, Apostolum appellasse Christum de Cœlo cœlestem

Psalm. 18.

Ibidem.

1. Cor. 15.

Ad Galat. 4.

ratione

ratione Verbi, quod de Cœlo descendens in vtero beatæ Virginis, ex purissimo eius sanguine naturam sibi vniuit humanam.

Ita mater Ecclesia in officio natal. Domini.

Deinde Ecclesia Catholica planè in officio Natalis Domini, B. Virginem: Cœlum compellat, ex quo armatus prodijt Christus Dominus ad debellandas aereas potestates: *Cùm quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine de Cœlo à regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit.* accommodatè satis verbum diuinum incarnatum sermo vocatur; tum quia sermo apud nos solet dici verbum vocale: Sicut autem verbum vocale nihil aliud est, quàm verbum mentis, prout humana voce expressum, ita Christus nihil aliud est, quàm verbum æterni Patris humana carne indutū, tum quia sicut sermo secundùm Latinorum rigorem importat orationem, quæ ex pluribus vocibus coalescit; ita Christus Dominus suppositum est diuinum, ex duabus cōstans naturis ipse ergo, qui omnipotens sermo Dei est, dæmone forti armato custodiente atrium suum, pacis silentio omnia possidente, ac idololatria vniuersum ferè orbem occupante, ex Cœlo vteri virginei media nocte prodiuit ad profligandos hostes, & arma eius diripienda, iuxta illud Isaiæ 8. *Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem, auferetur fortitudo Damasci.* Ac tandem Ecclesiæ Patres Beatam Virginem pleno ore Cœlum vocitant: ita loquuntur Diuus Epiphanius sermone de laudib. Deiparæ, Sanctus Athanasius sermone in descriptionem sanctissimæ Mariæ, S. Ioannes Chrysostomus sermone de Annunciatione, Sanctus Methodius orat. in hypopan. Domini, S. Augustin. serm. 18. de Sanctis. S. Bonauentura in speculo Beatæ Virginis cap. 5. vbi ait: *Cœlum est Maria, tum quia cœlesti puritate, cœlesti charitate, cœlestibus aliis virtutibus abundauit, tum quia sedes Dei altissima fuit, teste prophe-*

Isa. 8.

Epiph. serm. de laudibus Deiparæ. S. Athanas. ser. in descr. S. Mariæ. S. Io. Chrysost. serm. de Annunciat. S. Method. orat in hypop. Domini.

ta qui dicit: Dominus in Cœlo paravit sedem suam, & Diuus Ioannes Damascenus oratione 2. de dormitione Beatæ Virginis, inquit: *Virgo immaculata, cum esset animatum Cœlum, in cœlestibus tabernaculis collocatur.* ac Diuus Bernardus sermone 3. supra Salue Regina: *Per Cœlum firmamenti diuidentis aquas ab aquis*, quod Genes. 1. initio creasse scribitur Deus, significatam ostendit his verbis: *Et opera manuum eius annuntiat firmamentum. Fiat* (inquit) *firmamentum, & diuidat aquas ab aquis: omnibus firmamentis firmius firmamentum tu Domina, quæ eum, quem Cœli capere non poterant, cepisti, & concepisti, portasti, & non defecisti, genuisti, aluisti, pauisti, mammasti, & educasti: tu in medio aquarum diuisisti aquas ab aquis, affectus videlicet æternorum ab affectibus temporalium posuit Deus in hoc firmamento Solem, & Lunam, Christum, & Ecclesiam, & stellas, prærogatiuas gratiarum multas.* Hactenus Diuus Bernardus.

S. Aug. serm. 18. de Sanct. S. Bonau. in spec. Vir. c. 5. Psalm. 56. Io. Dam. ora. 2. de dorm. B. Virg. D. Bern. ser. 3. super Salue Regina. Genes. 1. Psalm. 18.

Porrò, quàm mitificè congruat Beatæ Virginis hæc Cœli nomēclatura, qua sancti Patres illam illustrāt, latius enucleare exordiamur. In primis inter omnia, quæ magnitudine molis constant, nullum corpus incorruptibile est, nisi Cœlum, mixta omnia, & elementa quotidie corrumpantur, solùm cœleste corpus omnis corruptionis expers perseuerat. non dissimiliter, cùm omnes filij Adæ naturali modo propagati, peccati originalis corruptionem sustineant, & matres omnes integritatem corporis amittant; solùm Marianum Cœlum, speciali filij sui gratia factum est incorruptibile secundum vtramq; partem animæ, & corporis: animæ quidem, quia peccati originalis contagio, & corruptio nec per momentum illam vnquam infecit, vt enim dixit Diuus Bernardus homilia 2. super missus est: *Factor hominum, vt homo fieret, nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere matrem, qualem, & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram: quis autem*

D. Bern. homil. 2. super missus est.

non perhorresca' dicere, decuisse Matrem Dei originali macula fuisse inquinatam, aut Deo placitum iri, matrem sumere quondam peccati turpitudine fœdatam? secundùm corpus autem, quamuis vera Mater, & vtero suo Filium conceperit, corruptionem omninò nesciuit, virginitatem tam mentis, quàm corporis perpetuò seruans, vt vt his verbis præclarè dixit D. Cyprianus libro de operibus Christi cardinali-

D. Cypr. libro de operibus Christi Cardinali.

bus: *In Natiuitate Christi Matri plenitudo gratiæ debebatur, & Beatæ Virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate insignis, spirituali & corporali intus & extra Christi præsentia fruebatur.* Hæc ille. Per mentis autem integritatem illuminatus Doctor Maiton sermone 2. de Conceptione Beatæ Virginis, intelligit carentiam omnis peccati etiam originalis, quia virginalis integritas creaturæ rationalis in eo posita est, vt nunquam per peccatum, quæ est violatio, & corruptio illius integritatis, à Deo recesserit: etenim, quamuis per gratiam subsequentem præcedens illa infectio tollatur, dignitas tamen illa virginea iam amissa non reparatur; eo namque ipso, quòd quispiam peccârit, licet per gratiã iustificetur, tolli non potest, quin peccatorem fuisse verè dicatur. Quare, cùm beatissima Virgo fuerit integerrima anima, & corpore fateamur necesse est, ab omni corruptione tam mentis, quàm corporis, eam longè fuisse alienam: meritò ergo Cœlo, propter miram suam incorruptibilitatem Virgo inuiolata comparatur. Cœli deinde ea est natura, vt in eo nulla sit contrarietas: de reliquis corporibus quidam Poetarum dixit:

Mairon. ser. 2 de Cõcept. B. Virg.

Quidam Poeta.

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis.

Materia in illo totaliter subiecta est formæ, neque ei aduiterium machinatur, vt mos est materiæ rerum corruptibilium, non dissimiliter, ac si diceret: video in Virgine aptè satis Cœli nomenclaturam conuenire, in qua corpus per omnia subditum erat animæ; caro, sicut in reliquis, non concupiscebat aduersus spiritum, nulla ibi erat rebellio partis inferioris aduersus superiorem, nullum inter eas fuit vnquam excitatum bellũ, summa erat pax, & concordia, per illam, quæ viguit in arca Noe mirificè adumbrata, in qua licet essent animalia natura inimicissima, & magnæ inter se antipatiæ, vt lupus, & agnus, canis & lepus, summa tamen tranquillitate, & pace perfruebantur. Certè, in omnibus alijs filijs Adæ cùm fomes peccati non fuerit extinctus, quem Apostolus ad Romanos 7 vocauit peccatum, *quod habitat in me peccatum*: non quod verè in renatis maneat peccatum, sed quia, vt docet Sacrum Concilium Tridentinum sessione 5. *Ex peccato est, & ad peccatum inclinat*: propter quod Apostolus, licèt alioquin in gratia confirmatus, ibidem dixit: *Inuenio in membris meis aliam legem, repugnãtem legi mentis meæ*, cui non dissimile est illud D. Augustini sermone 12. de verb. Apost. vbi de hoc fomite, seu concupiscentia, quia est effectus peccati originalis, loquens, dixit: *Ego, quicquid in me rebellat aduersus mentem meam, & litigat mecum delectatione contraria, omninò interficere volo; & si ei fortè adiuuante Deo, non consentiam, nolo habere, cum quo litigem: multò est mihi optabilius, inimicum non habere, quàm illum vincere.* Hæc Diuus Augustinus. Beata autem Virgo illud optabilius, quod D. Augustinus consequi desiderabat, nempè, hoc interno concupiscentiæ inimico carere, ipsa ex singulari gratia obtinuit, vt propterea Ricchardus Victorinus libro secundo de Emmanuele capite 29 verba illa Psalm. 45. *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad finem terræ*; De Deipara Virgine in hunc modum exponat: *Quæ est terra ista, de qua bella omnia finetenus auferuntur? nisi illa, de qua idem Propheta ait: Veritas de terra orta est? de hac terra omnis pugna tollitur, in hac pax plena reparatur. Atque hinc etiam est, quòd sicut Cœlum non est capax alicuius peregri-*

Genes. 7.

Ad Rom. 7.

Trident. sess. 5.

August. ser. 12. de verb. Apost.

Richard. Victor lib. 2 de Eman. c. 29.

Psal. 45.

Psalm. 84.

grina

grinæ impressionis, vt loquuntur Astrologi, ita nec Deipara propter mirabilem eius impeccabilitatem, nullam peregrinam leuissimi etiam peccati originalis impressionem vnquam susceperit, vt sacrum Concilium Tridentinũ definiuit sess. 6. canon. 23. & ante illud, Concilium Claremontanum sub Vrbano II. Vnde D. Bernard. serm. 2. de Assumpt. rectè dixit: *Absit, vt proprij quicquã inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur*; & quidem, vt in hoc à metaphora Cœli non egrediamur; sicut Cœlum in motu suo propterea nullum errorem committere potest, quia semper obedit intelligentiæ motrici, seu Angelo mouenti illud, idcircò etiam B. Virgo in nullum peccati errorẽ labi poterat, quia Spiritui S suo motori ad nutum obediebat, & ab eo, quò illi placebat, se moueri sinebat; etenim, si, qui filij Dei sunt, spiritu Dei aguntur, quanto magis, quæ filia pariter, & mater Dei erat, spiritu Dei ageretur?

Trid sess 6. can 23. *Conc. Claremõt. sub Vrbano II.* *D. Bern. to. 2 de Assumpt.*

Præterea, si grauissimorum Doctorũ ea fuit sententia, vt putarent, Cœlum sonum, ac musicum concentum edere; in qua video fuisse Diuum Isidorum lib. 3 ethymologiarum cap. 16. D. Anselmum lib. 1 de imagine Mundi, D. Ambr. præfat in Psalmos. Boetium lib. 1. de musica ca. 2. Macrobium lib. 2 in somnium Scipionis, Cælium Rhodiginum libro 5. lectionum antiquarum cap. 25. Plinium lib. 2. historiæ natural. ca. 16 imò & Platonem, dum in libro de Republica, docet singulis orbibus cœlestib. singulas Syrenes insidere (arbitror, Syrenes vocasse, Intelligentias motrices ipsorum Cœlorum) quod idem refert Georg. Venet. tomo 5. problem. in sacram Scripturam sess 5. numero 321. videturque huius musici sonus concentum indicasse verba Dauidis Psalm. 18. cùm de Cœlis loquens, dixit: *In omnem terram exiuit sonus eorum*: seu, vt potest ex Hebræo transferri: *Exiuit linea eorum*, vel, *annulus eorum*: quo significatur, Cœlorum musicam ad lineam, & amussim fuisse concinnatam. sed clarius huius cœlestis musicæ meminit Iob, dum cap. 38 dixit: *Quis enarrabit Cœlorum rationem? & concentum Cœli quis patefaciet?* itaque, si verum est, Cœlis concentum inesse, certè hic non desideratur in hoc Mariano Cœlo: nam præterquam, tanquam diuina Tympanistria (vt D. Ambrosius loquitur in cap. 1. Lucæ) suaue illud melos cecinerit: *Magnificat anima mea Dominum: & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*: frequenter diuinas laudes aut ore, aut mẽte tenus concinebat, vt propterea non immeritò D. Ephræm orat. de Deipara, illam vocauerit: *thuribulum aureum*, quia ipsa ex se, instar thuribuli, diuinarum laudum suauissimum odorem ad Cœlũ vsque emittebat, cui consonat, quod D. Ambros. lib. 2. de Virginib. appellat illam *Altare thymiamatis*: nam, quemadmodum altare illud erat cornibus insignitum, in quo suauissimi odoris thymiama mane & vesperi adolebatur, ita sanctiss. Virgo aduersus dæmones sæuissimos hostes in quatuor partes Mũdi diuisos, fortiter instructa, fragrantissimo suę orationis thymiamate, & Deum placabat, & tartareas potestates longè propulsabat.

Isidor. lib. 3. ethym. c. 16. *Ansel. lib. 1. de imagine Mundi.* *Ambr. præf. in Psalmos* *Boet lib 1 de de music. c 2.* *Macrob. li. 2. in somnium Scipionis.* *Cel. Rhod. li. 5 lect. antiq. c 25.* *Pli. li. 2. hist. nat. c. 16.* *Plato lib. de Repub.* *Venet. to. 5. probl. sess 5. n. 321.* *Psalm. 18.* *Iob 38.* *Amb. in c. 1 Lucæ.* *Ephræ. orat. de Deip.* *Ambr. lib. 2. de Virg.*

Ad hęc, sicut Cœlum nihil magis ornat, quàm Sol in eo habitans, dum aureis suis radijs coruscans, totum illud illustrat; sic super omnia illud excellentius B. Virginem exornat, quòd Sol Iustitiæ Christus Dominus in ea habitaculum suum per integros nouem menses fecerit, dignaque facta sit, Solem ipsum in sui ornamẽtum habere: ad quod respiciens D. Ioan. li. suarum reuelationum, dixit: *Signum magnum apparuit in Cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius; & in capite eius corona stellarum duodecim; & in vtero habens*; quæ vltima verba aptè explicantur per illa Canticorum 4. *Quàm pulchra es amica mea, oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet*: filius enim, qui intrinsecus in vtero latebat, multò

Apoc. 12. *Cant. 4.*

multò pulchriorem reddebat B. Virginem, quàm fructus arborem, à qua pendet; ex hoc enim obtinuit Dei matris dignitatem præexcellentem adeò, vt quāuis omnipotentia Dei sit infinita, ad efficiendam tamen perfectiorem matrē, sicut nec ad generandum perfectiorem filium, nulla ratione valeat extendi.

Præterea sicut cœlum est speciale Dei domicilium, in quo Deus inhabitat, vnde, licet alioquin Deus sit vbique, Christus Dominus orare nos docuit, dicens: *Pater noster, qui es in Cœlis.* & Danid: *Deus qui in altis habitat*; ita B. Virgo per totum vitæ suæ curriculum, mysticū fuit Cœlum Dei, in quo specialiter præ omnib. alijs Altissimus habitauit: Quare Ezechiel cap. 48. B. Virgini sub metaphora Ciuitatis, cognomen imposuit ab habitatione Dei in illa, dicens: *Nomen Ciuitatis, Dominus ibidem.* & D. Rupertus Cant. 5. ad B. Virginem sermonem dirigens, dixit: *O Cœlum Dei, vnica sedes Domini*: attende quæso, non vocasse illam Cœlum, sed *Cœlum Dei*: sacræ Scripturæ phrasim, & morem imitans; quæ excellentiora quæque, & præstantiora Dei esse dicit; ad eorum excellentiam, & præstantiam indicandam; Vnde Psal. 79. ad Cedrorum proceritatem significādam appellauit, *Cedros Dei*; & ad ostendēdam vrbis Hierosolymæ magnitudinem Psalm. 26. inquit: *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei*: ita Rupertus ad excellentiam B. Virginis commendandam, non contētus est, vocare illam Cœlum: sed *Cœlum Dei*; quasi diceret: reliqui omnes Cœli, Angelorum, & hominum Cœli sunt, vt sit eorum habitaculum; Beata autem Maria Dei Cœlum est, in qua specialiter Deus inhabitat. quis autem non videat, multum interesse inter domicilium seruorum, & habitaculum Regis proprium? S. Thom 1. p. q. 43. art. 3. affirmat, *creaturæ rationali, præter communē modum, quo Deus, est propter suam immensitatem in rebus omnibus conuenire, vt per gratiam gratum facientem inhabitet in ea, sicut in templo*: ex qua doctrina apertè colligitur, vt quo maior hæc fuerit gratia, tantò specialius Deus inhabitet in habente illam. Vnde, cum gratia B. Virginis adeò creuerit, vt D. Epiphanius serm. de laudibus Deiparæ ausus sit dicere: *Gratia sanctæ Virginis est immensa*; cui persimile est illud D. Bonau. in speculo B. Virg. c. 5. *Immensa fuit gratia, qua ipsa fuit plena* immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immēsum sit illud, quo est plenum. Maria autem vas immensissimum fuit, in quo illum, qui Cœlo maior est, continere potuit; quare consequens est, B. Virginem fuisse Cœlum, in quo Deus specialiter præ alijs omnibus semper inhabitauit.

Luce 11. Psal. 112. Ezech. 48. Ruper. in 5 Cant. Psalm. 79. Psalm. 26. D. Tho. 1 p. q. 43. art. 3. Epiph. ser. de laud. Deip. Bon. in spec. B Virg. c. 5.

Quia tamen Cœlum non vnū est, sed vndecim, nimirum primū orbis Lunæ, secundum Mercurij, tertium Veneris, quartum Solis, quintum Martis, sextum Iouis, septimum Saturni, octauum stellatum, nonum chrystallinum, seu aqueum, decimum primum mobile, vndecimum empyreum. Sanè inter omnes illos ex duplici capite, similiorem video B. Virginem Cœlo empyreo primo, qa sicut illud, est omnium capacitate maximum, cùm infra se vniuersa corpora claudat, tam cœlestia, quàm terrestria, ita capacitas Mariani Cœli tāta esse perhibetur, vt quem Cœlum empyreum reliquos omnes Cœlos intra se claudens capere non potuit, ipsa suo vtero concluserit, & alioquin incomprehensibilem virginei sui vētris circulo comprehenderit: id enim sibi volunt verba illa Hieremiæ *Mulier circumdabit virum.* nam quod vndique circundatur, comprehenditur. Vnde D. Epiphanius serm. de laudibus Mariæ Deiparę, tantum prodigiū admiratus, in illa verba exclamans, prorupit: *O vterum impollutum, habentem circulum Cœlorum, qui Deum incomprehensibilem, in te verè comprehensum portasti: ô vterū Cœlo ampliorē, qui Deum in te nō coarctasti: ô vterum, qui Cœlum est septem circulis constās, & capacior illis existis: ô vterum septem Cœlis sublimiorem, ac latiorem: ô vterum, qui*

Hierem. 31. Epiph. serm. de laudibus Deip.

est qsta-

est octauum Cœlum septem firmamenti, latiorem Hæc D. Epiphanius, quibus persimilia sunt illa D. Chrysologi serm. 143. *O verè benedicta, quæ fuit maior Cœlo, fortior terra, orbe latior; nam Deus, quem mundus non capit, sola capit, & portauit eum, qui portat orbem, genuit genitorem suum, nutriuit omnium viuentium nutritorem.* Ac tandem D. Bonauentura in speculo Beatæ Virginis cap. 6. inquit: *Tu ergo immensissima Maria, capacior es Cœlo, quia quem Cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti, tu capacior es mundo, quia, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera, factus homo.* Quòd si quispiam dicet, qua ratione verificatur, quod Cœli Cœlorum Deum capere nō possunt: nam cùm totus Deus sit in qualibet creatura, & etiam in minimo atomo per essentiam, præsentiam, & potentiam, etiam minimus atomus capit illum; occurrēdum est, quòd, quia Deus immēsus est, taliter totus sit in vna creatura, quòd totus etiam sit in reliquis omnibus, & in singulis; & ideò veraciter dicitur nullam creaturam, etiam Cœlum illum capere posse: sed hinc maior oritur difficultas, quomodo verificetur, & in laudem B. Virginis vertatur, quòd, quem Cœli capere non possunt, ipsa capere potuerit? nam certè B Virgo vtero suo solum continuit Christum infantem; empyreum autem Cœlum continet illum multò grandiorem factum, pariterque continebit pænè infinitam multitudinem corporum beatorum, capacius ergo videtur Cœlum vtero beatę Virginis. D. Epiphanius serm. de laudibus Deiparæ soluit hunc nodum, referens maiorem hanc capacitatem B. Virginis ad copiosissimam eius gratiam, non ad vterum virgineum: verba eius sunt hæc: *Quonam pacto Cœlum ea, quæ Cœlos amplitudine superauit, suscepit? nonne corporea molis ratione Cœlum amplitudine superauit? quomodo ergo modo corpus, quod tribus cubitis constat, Cœli latitudini, ac longitudini comparari queat? verum per gratiā potius magnitudinis modum superauit; nec.n. est aliquid, quod Deo conferri possit.* Hactenus D. Epiphan. Opinor tamē verba illa: *Quem Cœli Cœlorum capere non possunt, tuo gremio cōtulisti*, aptè intelligi etiam posse de ipso vtero Virgineo, non tamen excludendo copiosissimam gratiā, qua B. Virgo erat perfusa: etenim licet omnis creatura totum Deum intra se contineat, nulla tamen (excepta B Virgine) debitam capacitatem habuit ad continendum illum vtero suo, tanquam mater; tum quia vel non erant principia apta ad generationem humanā, vt matris munus obirent, per quod excluduntur omnes Cœli; vel si erant apta, vt reuera fuerunt omnes fœminę, & maximè fœcundæ, ea tamen aptitudo, & capacitas per sexus naturam erat nimis remota; ad capiendum autem Deum intra proprium vterum, proxima requirebatur aptitudo per gratiam, Dei parenti congruam, & consentaneam, quæ sola B. Virgo fœliciter obtinuit, de illa sola verificatur, vtero suo capere potuisse, quem nec Cœli Cœlorum, nec vniuersus orbis capere potuerunt.

Chrysol. ser. 143.

Bon. in spec. B. Virg. c. 6.

Epiph ser. de laud. Deip.

Ecclesia.

Secundò in eo singulariter B. Virgo Cœlo empyreo persimilis esse perhibetur; quia sicut illud proprius est locus beatitudinis, vbi Deus beatis clarè, & faciliter se manifestat; ita sacratissimus Deiparæ vēter primus locus fuit, in quo Deus permanēter claram, & beatificam sui visionem animæ Christi Domini communicauit; cùm certum sit, à principio suæ cōceptionis viatorem pariter, & comprehēsorem ipsum extitisse: mira sanè virginei vteri laus, vt cū aliarū fœminarum venter officina sit peccati originalis, vt Dauid plorabat: *Et in peccatis concepit me mater mea*; quod clara Dei visione hominem indignum reddit, solus Marianus vterus, dignus locus fuerit visionis beatificæ, & beatitudinis prima officina; vt sic iure optimo Euangelica illa mulier, beatum nuncupauerit, immaculatum B. Virginis ventrem: *Beatus venter, qui te portauit.* Philosophi antiqui in varias abierunt sententias, in quo cō-

Psal. 50.

sisteret beatitudo; adeò vt ducentę octoginta octo circumferrentur sententiæ,
Mar Varro. quas omnes collegit Marcus Varro, vt
D. Aug lib. 19 de ciuit. Dei c 1. auctor est D. Augustinus lib. 19 de ciuit. Dei, cap 1 Quidam, teste Diuo Ambros.
Ambr. lib. 2. offic c 2. libro 2. officiorum cap. 2. beatitudinem
Hęryl philo. constituebāt in integra, ac perfecta corporis sanitate, ac recta valetudine. Alij,
Calipus. vt Hęryllus philosophus, in perfecta re-
Posid philo. Stoi. Antist. rum naturalium scientia, ac limpida cognitione: alij, vt Calippus, in voluptate,
& omnis doloris carentia. Possidoneus vnus ex philosophis Stoicis, in diuitiarum affluentia, Antistenes in alacritate,
Thymon. & hilaritate, Thymon in tranquillitate,
Pythagoras. Pythagoras in perfecta Atithmeticę co-
Hecateus. gnitione, Hecateus, in rerum omnium ad vitam humanam necessariarum sufficientia: verùm has omnes philosophorum sententias à veritatis scopo longè aberrare docuit sapientię pater Christus Dominus, dum illas omnes damnauit,
Luc. 6. Matth. 5. dicens: *Væ vobis diuitibus, væ vobis, qui ridetis: beati pauperes, beati qui lugent: beati, qui persecutionem patiuntur.* Et quidem, cùm proprium sit beatitudinis satiare; manifestum est, omnia illa ex Philosophorū sententia à me nuper commemorata, nec vmbram veræ beatitudinis habere; cùm honores, diuitiæ, scientia, & similia alia bona, quæ absque Dei amicitia obtineri possunt, non solum non satiēt, sed potius maiorem famem excitent, multisque soleant malis tam animi, quā corporis permisceri. Igitur qui nosse desiderat, virgineum vterum Christum portantem contempletur: quia in eo reperiet veram beatitudinem, animam plenè satiantem, delitescere. Nam vel sermo est de beatitudine obiectiua, vel de formali, vt more scholasticorum Theologorum loquar: si de beatitudine obiectiua, ecce in Mariano vtero latet infans Deus, & homo, quod est obiectum nostræ beatitudinis, & præmium,
D. Thom. in hym. in festo Corp. Christi. & merces iustorum, vt loquitur S. Thomas,

Se regnant dat in præmium;

Et luculenter prædixit Dauid, cùm cecinit in Psal. *Cùm dederit dilectis suis somnū, ecce hæreditas Domini, filij merces, fructus vētris.* Præclarum sanè, & omni exceptione dignum virginei ventris præconiū, vt fructus illius sit obiectum beatificum, tam hominum, quàm Angelorum, imò & ipsiusmet Dei: si autem sermo sit de beatitudine formali; planè hęc etiam adfuit in vtero virgineo per tot menses, quot intra viscera sua Deipara Virgo Christum infantem portauit. Certum enim est, hanc consistere in clara Dei visione, vel in ardenti amore ad illam consecuto; vel, vt alijs placet, in vtroque copulatim; hanc autem habuit perfectissimè Christus Dominus, dum viator erat, vt docent Theologi in tertio dist. 14. & D. Thom. 3. par. quæst. 10. art. 2. in corpore, & ad secundum, vbi duplicem constituit in Christo beatitudinem, vnam increatam, & aliam creatam; verba eius sunt hęc: dicendum, quòd ex ipsa vnione homo ille est beatus beatitudine increata, sicut ex vnione est Deus, sed præter beatitudinem increatam, oportuit in natura humana Christi esse quādam beatitudinem creatam, hac autem frui cœpisse Christum Dominum ab instanti suæ conceptionis in vtero virgineo, communis est sententia eorundem Theologorum, habetque fundamētum in illo D. Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrabit.* Quibus verbis præsupponit, se, qui vnigenitus erat, clarè Deum videre, & propterea posse enarrare: sicut autem per humanitatem narrabat; ita & per eandem videbat. Fundatur etiam in illo D. Ioannis 3. *Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, Filius hominis, qui est in Cœlo.* Cùm autem tunc esset in terra, planum est, per Cœlum, in quo se esse dicebat, intellexisse gloriam, & beatitudinem. fundatur deinde in illo D. Ioannis 3. *Quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur;* & in illo D. Ioannis 8. *Ego, quæ vidi apud Patrem, loquor,* ac etiam in illo

Theologi in 3. dist. 14. D. Tho. 3. p. q. 10. ar. 2. in corp. ad 2.

Ioan. 1.

Ioan. 3.

Ibidem.

Ioan. 8.

Ioan.12. Et cap.14. in illo Diui Ioannis 12. *Vbi ego sum, illic & minister meus erit*, & ca 14. *Vbi ego sum, & vos sitis*. Quibus locis ministris suis promittit statum beatificum in præmiũ sui ministerij: præsupponit igitur, iam ipsum obtinuisse talem statum. Ac tandem fundatur in illo præclaro testimonio Isa. 4. Isaiæ 4. *Ecce Dominus veniet, & merces eius cum eo*. Constat autem, beatitudinem, formalem mercedem esse beatorum. cum igitur hanc dicat Isaias, veniente Domino, in vterum B. Virginis venisse cum illo, consequens fit, Christum Dominum beatum fuisse à principio suæ conceptionis. Vnde D. Eusebius Euseb. li.10. libr. 10. explicans de Christo verba illa Psalm. 21. Psalm.21. *In te proiectus sum ex vtero matris meæ*; introducit illum ad Patrem dicentem: *Ex tunc, Deum meum iam videbam*, cui persimile est illud Ricchardi de sancto Victore lib 2.de Emmanuele cap.22. Ricard. de S. Vict. li. 2. de Emman. cap.22. vbi inquit: *Quod nos exspectamus in consummatione, illi datum est in sua conceptione*. Ac tandem eidem veritati, quam negare, vel hæresim, vel errorem esse sentio, vtpotè communi Ecclesiæ Catholicæ traditioni, ac locis sacræ Scripturæ, iuxtà receptissimam Patrum intelligentiam expositis, valdè aduersum multiplex ratio opitulatur. Prima, quia Christus Dominus à principio suæ conceptionis fuit filius Dei naturalis, atque adeò ex tunc cœpit esse hæres, & possessor, cùm expectanda non esset interuentura Patris mors, ad hoc, vt in hæreditatis possessionem mitteretur: nec infantilis illa ætas visioni beatificæ impedimento esse poterat, cùm sit operatio omninò independens à corpore, & totam facultatem naturæ longè transcendẽs Secunda, quia Christus Dominꝰ ab exordio suæ conceptionis, fuit caput omniũ hominum, & Angelorũ, in illos influens gratiam, in hos gratiã, & gloriam: vnde ipsi iussi sunt à Deo, *cùm introduxit filium suum in orbem terrarum, illum adorare*, & tanquam proprie capiti subdi, vt tradidit D. Paulus ad Hebræos 1. Ad Heb.1. Quis autem, nisi desipiat, sibi persuadeat, Christum fuisse caput Angelorum in inferiori statu gratiæ, aut gloriæ cõstitutum, quàm Angeli tunc essent? Tertia ratio, quia Adam, eo quòd futurus erat naturale principium generis humani; creatus fuit à principio perfectus in naturalibus: ergo Christus, qui est supremus author gratiæ, & gloriæ, debuit à principio suæ conceptionis habere gratiam, & gloriam summè perfectam. Vnde, & ipsa B. Virgo, probè agnoscens, beatitudinem esse summam omnium requiem; & hac frui natum suum in eius vtero; scitè dixit: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*; nec huic Catholicæ veritati quidquam obest illud D. Ioannis 7 *Nondum erat spiritus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus*. aut illud Luc. 22. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*? Quia hæc testimonia, & si quæ sunt alia similia, vnanimis est Patrum sententia, intelligi debere non de gloria essentiali, sed de gloria Resurrectionis, & Ascensionis, ac de manifestatione, & exaltatione sanctissimi nominis Christi. Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorũ. Amen. Eccl.24. Ioan 7. Lucæ 24.

HOMILIA XV.

Beatissimam Virginem Deiparentẽ verè & propriè thronum Dei esse, varia tam sacræ Scripturæ, quàm sanctorum Patrum eruditione commonstramus, in illa verba, Beatus venter, qui te portauit.

FRequenter in sacris eloquijs reperimus, Deum sedere super thronum, præcipuè tamen id legimus 3. Reg. 22. Ezechielis 1. Danielis 7. & vt reliqua omittam, Isaiæ 6 vbi id facer Propheta vidit Dominum 3. Reg.22. Ezech 1. Daniel 7. Isai.6.

super thronum excelsum, & eleuatum, quem locum expendens D. Chrysosto. homil. in hæc verba, quærit, cur, cùm dixisset, *solium excelsum*, adiecit, *& eleuatum*. & respondet per hoc diuinæ dignitatis eminentiam declarari: Excelsum enim respectu inferiorum dici, eleuatum verò significare sublimitatem in se ipsius naturæ diuinæ incomprehensibilis, etiam secluso quocunque respectu, quam nec cogitatione concipere, nec verbis eloqui quispiam potest. Hæc ex Chrysostomo. Qui planè id mihi videtur didicisse ab antiquissimo Dionysio Areopagita capit. 9 de diuinis nominibus, vbi de diuina sede, seu throno pertractans, docet thronum Dei diuinæ naturæ excellentiam significare, qua in se ipso Deus ab æterno est, & immobiliter quiescit, ac supremam eius super omnẽ creaturam authoritatem. verba eius hęc sunt. *Quid verò de diuino statu, siue sede dicamus? quid nam aliud, nisi Deum in se manere, & constanter in vna, eademque natura, quæ sit immobilis, fixum esse, ac firmiter locatum, eodemque modo, & in eodem agere? atque per id quod ipsum immutabile est, & quod ipsum immobile est, ab omni sui mutatione ac motu omninò solutum esse, & liberum. Atque id ratione quadam quæ essentiam superat. Is enim omnium & status, & sessionis auctor est, qui omni sessioni, atque statui antecellit, in eoque omnia constant, dum ex suorum bonorum quiete, atque constitutione immota seruantur.* Hęc Dionysius. Verum tametsi Dei sedes seu thronus sic accipi soleat, plura tamen sunt, quibus hæc diuina oracula throni non in creaturam tribuunt. Nam in primis Christus Dominus Cœlum appellauit thronũ Dei; *Ego autem dico vobis non iurare omninò per Cœlum, quia thronus Dei est.* Nubes deinde thronus Dei appellatur Eccles. 24. *Ego in altissimis habitaui, & thronus meus in columba nubis.* Quod propterea dixit, quia Deus per columnam nubis in deserto filijs Israel ducatum præbens, eosque ab æstu solis protegens, ad terram promissionis perduxit: rursus animam iusti thronum esse, in quo Deus sedet, manifestè indicat illud Salomonis: *Anima iusti sedes sapientiæ.* Ac tandem Spiritus Angelicos, tertij præcipuè ordinis, nemo est, qui ignoret thronos appellari, vt tradit Diuus Dionysius Areopagita capit. 6. de Cœlesti hierarchia, nec non & D. Gregorius homil. 34. in Euangelia ait: *Ipsi enim throni tanta diuinitatis gratia replentur, vt in eis Dominus sedeat, & per eos sua iudicia decernat.* Vnde per Psalmistam dicitur: *Sedes super thronum, qui iudicas æquitatem.* Cæterum præter hæc omnia reperio, non solùm sanctos Patres, sed & diuina eloquia appellatione throni Deiparam Virginem sæpè sæpius cohonestare: etenim in primis illud Hieremiæ 17. *Solium gloriæ altitudinis à principio locus sanctificationis nostræ expectatio Israel.* Licet Lyranus exponat Ierem. 17. de Cœlo empyreo altissimo, vbi Deus se videndum exhibet sanctis. Glossa verò interlinearis Ierem. 14. de templo Salomonis. Augustinus autem lib. 13. contra Faustum capit. 13. de Ecclesia Catholica: noster tamen Galatinus libr. 7. de arcanis Catholicæ veritatis capit. 18. illa omnia de sanctissima Virgine ad litteram eleganter sic interpretatur: *Per Solium* (inquit) *gloriæ gloriosam Virginem Matrem Messiæ intelligi arbitror, quæ, cùm sit in cœlesti gloria super omnes choros Angelicos exaltata, rectè dicitur Solium altitudinis* (id est sedes Dei altissimi, super quam diuina sedet maiestas) *Dicitur verò Solium gloriæ, quia sicut sedes ornata, ac regio more parata, sedentis magnificentiam, ac maiestatem indicat; ita Deus in B. Virgine ostensurus erat gloriam suam, & claritatem: ipse enim Christus est lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Additur Solium gloriæ à principio, id est, ab initio immaculatæ conceptionis, quæ fuit sine vlla labe peccati.* Hæc ex Galatino. Quod autem de B. Virgine id intelligendum sit, probat non solum ex dictis, & præterea authoritate cuiusdam Rabbi Hakados magnæ apud Hebræos auctoritatis, quem

Chrysost. *Dionys. Areopag.* *Matth. 5.* *Eccl. 24.* *Sapient. 7.* *D. Dionys. Areopag.* *D. Gregor. hom. 34.* *Hier. 17.* *Lyran.* *Glossa interl. Lyran. August. l. 1. Num. 7.* *Galatinus.* *Rabbi Hakadas.*

quem Hebræi honoris causa appellant Rabbi Hkados, id est, magistrum nostrum, dicentis, Matrem Messiæ esse *Sedem*, quam Deus construxit, vt in ea sederet Rex Messias ad ostendendam omnibus mortalibus maiestatis suæ gloriam: sed etiam id confirmat Galatinus ex verbis illis; *Expectatio Israel Domine*, quæ ibi proximè subnectuntur, vera enim expectatio Israel non erat nisi Messias, qui ex matre sua sanctissima proditurus erat. Quin etiam 3. Reg 11. thronus eburneus Salomonis legitur: per illum mysticè præfigurari, & significari Beatam Virginem, quæ nitidissima fuit sedes pacifici Salomonis Christi Domini, qui est pax nostra, frequenter docent sancti Patres. nam præter D. Bonauenturam in speculo B. Virginis cap. 2. & D. Antoninum 4. par. titul. 15. cap 44. §. 7. id asserentes; certè B. Petrus Damianus serm. de natiuit. Virginis hæc præclara verba in huius rei confirmationē edixit: *Fecit thronum, vterum videlicet intemeratæ Virginis, in quo sedit illa maiestas. Hanc sessionem filij, & prabauit, & cognouit Pater, ipso dicente, tu cognouisti sessionem meam, & thronus tuus Deus in sæculum sæculi, & thronus iste, sicut Sol in conspectu tuo. Et vox de Throno exiuit, dicens, laudem dicite Deo nostro omnes sancti eius, & ex Throno, inquit, hoc est, ex Virgine, laus Angelorum prorumpit, & hominum, quia dum hic restituitur, ille resarcitur, vtrique gratiarum debent deuotionem. Nosti quidnam dicat, qui sedet in throno? Ecce noua facio omnia; felix Thronus, in quo sedit Dominator Dominus, in quo, & per quem non solùm omnes, sed omnia renouātur.* Hactenus Petrus Damianus.

Galatin. Hierem. 17. 3. Reg. 11. D. Bonauen. D. Antonin. Petr. Dam. 2. Reg. 10. Psal. 138. Psal. 44. Psal 88. Apoc. 19. Apoc. 21.

Thronus quoque Saphiricus Ezechielis 1. quid aliud, quàm Beatam Virginem præsignificabat? sic enim legimus, & super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, nimirum quatuor animalium quasi aspectus lapidis saphiri similitudo *Throni*, & super similitudinem *Throni* similitudo quasi aspectus hominis desuper. Per firmamētum enim plerique Angelos: per thronum verò saphirinum, aliqui, vt S. Antoninus 4 par. titul 15. cap 44. §. 7 & Petrus Galatinus libr. 7. de arcanis capit. 18. *Beatam Virginem super choros Angelorum exaltam accipiunt.* Et S. Bonauentura in spec. Beatæ Virginis, cap. 11. *Ipsa* (inquit) *est Thronus ille saphirinus*, qui sicut in Ezech. legitur, super firmamentum Angelorum exaltatus est. Dicitur autem beata Virgo similis saphiro propter intemeratæ virginitatis gloriam, & omnimodam puritatem: tota enim erat cœlestis. Saphirus enim ex Plinio libr. 37. capit. 9. cærulei, id est, cœlestis coloris est, & aureis punctis collucet. Beatissima verò quidni cœlestis, quam Sol vestit; stellæ coronant; sub cuius pedibus Luna ipsa subijcitur? in hoc verò saphirino throno conspicitur quasi aspectus hominis, id est, Christus Dominus ex Virgine conceptus: in cuius vtero nouem mensium spatio, tanquam in sede pretiosissima resedit. Similiter Daniel. 3. pueri in fornace quasi ex vno ore Deum collaudantes in hymno inter alia sic Domino cōcinebant. *Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ, & superlaudabilis, & superglorioſus in sæcula; Benedictus es in Throno Regni tui, & superlaudabilis, & superexaltatus in sæcula.* Lyranus in hunc modum illud: *Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ*, explicat de humanitate sanctissima Christi, in quo ex Apostolo Coloss. 2. *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*; illud verò: *Benedictus es in Throno Regni tui*, hoc est, inquit Lyranus in Virgine, quæ speciali modo coniūcta est Deo, ratione maternitatis, & dicitur propriè ipsius *Thronus*, quia in gremio eius sedit, quando recepit munera à Regibus Matthæi 2. sic ille.

Apoc. 9. Ezech. 1. S. Anton. Galatinus. S. Bonauen. Plinius. Apoc. 12. Daniel 3. Lyran. Coloss. 2. Matth. 2. Isa. 16.

Isaiæ etiam ca. 16. habetur: *Præparabitur in misericordia solium Agno dominatori terræ, & sedebit super illud in veritate* Hoc solium diuinæ misericordiæ est B. Virgo, vt ait D. Bonauentura in speculo B. Virginis cap. 8. & Pelbartus de Themes r in stel-

D. Bonau. Pelbart. de Themesuar.

in stellario Virginis libr. 12. par. 2. art. 2. Quomodo autem solium Dei, misericordia Virginem significet, explicat Psa. 32. Nam vbi in vulgata ex septuaginta legimus: *De præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.* S. Hieronymus ex Hebræo vertit: *De fortissimo solio suo prospexit.* Ita enim Genebrardus & Felix, ac Sanctus Pagninus de habitaculo sessionis suæ. Hoc autem habitaculum, quod ex Hebræo dicitur solium, explicans Hugo Cardinalis, inter alias significationes interpretatur de B. Virgine, quam dicit Deum præ alijs parasse ad habitandum, de qua misericorditer respexit super omnes, qui habitant terrā, id est, super omnes peccatores. Quibus omnibus sancti Patres innitentes, vnanimi consensu Beatam Virginem thronum Dei compellant. Nam in primis S. Iacobus Apostolus in Lythurgia, quam 6. synodus vniuersalis canon. 32. allegat, & habetur de consecrat. distin. 1. cap. Iacobus, cum B. Virgine loquens, ait: *Deus noster tuum vterum thronum fecit, & tuum ventrem latiorem & ampliorem ipsis Cœlis reddidit.* S. Athanasius, id referente Surio die 25. Decembr. tom. 6. scrutans mysteria loci, in quo Deipara Christum peperit, inquit: *Parua illa domus Ecclesiæ figuram continebat, præsepe verò altaris, Iesus Pontificis formam in se gerebat. Thronus autem Dei per Virginem Mariam figurabatur.* D. Epiphanius serm. de laudibus Deiparæ, conuersus ad Virginem dicit: *Thronus es diuinitatis, quæ coruscantem in cœlo, & in terra Solem habes Christum.* D. Augustinus libr. de assumptione in principio. *Sola* (inquit) *meruit Deum, & hominem parituram suscipere, facta thronus Dei, & aula Regis æterni secundum quod nos docuisti per Sanctos tuos Patriarchas, Prophetas, & Apostolos.* Eodem etiam modo loquuntur S. Methodius in Hypopante Domini, Sanctus Ephræm de laudibus Virginis. Hieronymus aduersus Eluidium, Chrysostomus sermone de Virgine. Ildefonsus sermone 2. de assumptione, Damascenus

Psalm 32. 70. Interp. *D. Hieron.* *Genebrar.* *Felix.* *Sanctus Pagninus.* *Hugo Card.* *S. Iacobus Apost.* *6. Synod.* *S. Athanasi. Surius.* *D. Epiph.* *D. August.* *S. Method.* *S. Ephræm.* *Hieron.* *Chrysost.* *Ildefon.* *Damasc.*

orat. 1. de dormit. Virginis, Brunus ser. de annunciatione, Gregorius Nicomedienſis orat. de oblatione Deiparæ, Rupertus libr. 5. in Cantica, Bernardus ser. de B. Maria tom. 2. Bonauentura in specul. B. Virg. cap. 8 Bernardinus Senensis tom. 3. concionum sermone 11. articu. 3. capit. 1.

Brunus. *Greg. Nico.* *Rupert.* *Bernard.* *D. Bonau.* *Bernardinus Senensis.*

Vt clariùs tamen innotescat, quàm aptè tam sacra eloquia, quàm sancti Patres Deiparam Virginem thronum Dei appellarint, placet in medium proferre, quæ D. Dionysius Areopagita cap. 7. de cœlesti hierarchia, de tertio ordine supremæ hierarchiæ, qui throni dicuntur, scripsit: *Thronorum* (inquit) *summorum, & excelsorum nomen declarat id, quod ab omni terrena humilitate sine admixtione secretum est, quodque ad superiora diuino studio fertur, nec in infimis vllis rebus habitat; sed totis viribus in eo, qui verè summus est, immobiliter, firmiterque hæret, diuinum aduentum sine vlla motione atque materia recipit, ac Deum portat, officiosèque ad ea, quæ diuina sunt, capienda, propensum est.* Hæc Dionysius. Ex cuius doctrina colligit S. Tho. 1 p. q. 108. art. 5. ad 6. Thronorum Angelicorum ordinem per conuenientiam (vt ipse ait) ad materiales sedes exponi: in quibus quatuor docet considerari posse. Primò, situm, quia eleuantur à terra; & throni ita eleuantur, vt rationes rerum immediatè in Deo cognoscant. Secundò, firmitatem; in sedibus enim quis firmiter sedet: sed hic econtra ait euenire, ipsi enim throni firmantur per Deum. Tertiò, quòd sedes suscipiat sedentem, & in ea deferri possit: ita & throni Deum in se ipsis familiariter suscipiunt, & eum quodāmodo ad inferiores ferunt. Quartò, figuram sedis, quæ est superius aperta ad suscipiendum sedentē: ita & throni sunt per promptitudinem aperti ad suscipiendum Deum, eique famulandum. Hæc igitur quatuor, nimirum, situs, firmitas, susceptio sedentis, & figura, si in Beata Virgine excellentiùs, & perfectiùs, quā in ipsis Angelicis thro-

D. Dionys. *S. Thom.*

nis

nis reperi probauero; manifestum erit potiori iure præ omnibus creaturis illã thronum Dei dici, & esse. Exordior ergo à situ, sanè situs throni hic esse debet, vt ab humo se attollat: quàm autem multa dignitate, & meritis, sanctitatis & gloriæ sublimitate Beata Virgo sit eleuata, haud difficile erit commonstrare. Primò, id ostendo ex sublimitate suæ prædestinationis; in hac enim inter puras creaturas principatum tenet. Vt non obscurè indicant verba illa Sapient. capit. 7. Est hæc speciosior Sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata, inuenitur prior. Quæ verba Deiparæ eleganter accommodat Bonauentura in speculo capit. 3. Cùm enim locum hunc Sapient. capit. 7. ad ostendendam Deiparæ puritatem peccati omnis immunem, attulisset, subijcit. Quidam legunt hic, Prior, quidam, Purior, vtrumque Mariæ stellæ nostræ competit. Maria enim est Prior, id est, Potior, siue dignior. Maria etiam purior est Sole, & stellis, & luce, quia tam dignitate, quàm puritate solem, & stellas, & omnem lucem superat corporalem, imò etiam & spiritualem, id est, Angelicam creaturam. Dicitur, *Diuisit Deus lucem à tenebris*, id est, Angelos stantes à cadentibus. Hac vtique luce Angelis, prior, & purior est Maria, prior dignitate, & purior sanctitate. Facit etiam ad idem illud Prouerb. 8. vbi Beata Virgo introducitur ab Ecclesia dicens ante omnes colles ego parturiebam, id est, in priori rationis, ante Angelorum sanctorum electionem; qui sunt veluti colles altissimi, tum propter naturæ, tũ etiã propter gloriæ sublimitatem. Ego per prædestinationẽ parturiebar. Nondum erant abyssi, id est, nondum intelligebatur præuisam originale peccatum, quòd est velut abyssus obscura, & profundissima; & ego iam concepta eram Et Eccl. ca. 24 *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* Quod pariter Virgini propter suæ prædestinationis præstantiam aptatur. Hinc est, quòd Cantic. 6. dicitur, *Electa vt Sol*, tum quia in sui prædestinatione, atque electione, non fuit distincta à filio, qui *Sol iustitiæ* dicitur Malach. 4. tum etiam, quia in electione, soli iustitiæ Christo fuit suo modo quam simillima: vt enim ille Roman. 1. *Prædestinatus est filius Dei*, & quatenus homo absque vlla peccati macula, omnique gratia plenus, *Electus ex millibus*. Cantic. 5. ita Virgo sanctissima prædestinata est mater Dei, & ab omni peccati labe immunis vna *Electa Genitrici suæ*. Cantic. 6. Hæc Virginis præstantia in Arca fœderis, per quam Virgo figurabatur, vt ex Damasc. & alijs cap. 3. & 5. diximus, significata describitur. Arca etenim fœderis in tabernaculo à Moyse erecto, Exod. 25. inter ea, quæ ad Dei cultum spectabant, omnium primò, vt notat Beda libr. 1. de Tabernacul. cap. 4 fieri iubetur à Deo. Quod idem animaduertit Rupert. *Principio* (inquit) *sanctuarij compingitur Arca, & in templo Salomonis, quemadmodum in Moysi tabernaculo, inter ea, quæ ad templum pertinebant, mensam nimirum panum propositionis, candelabrum, altare thymiamatis, altare holocaustorum, & cætera; Ipsa Arca principem dignitatis locum obtinebat: quod ex loco eius nobilissimo facilè colligitur, erat enim collocata in medio intra sancta Sanctorum, habebatq; propitiatorium, vnde Deus responsa dabat: similiter & Virgo in corpore mystico S. Ecclesiæ, cui caput est Christus, per collum aptissimè significari solet, quòd, vt loco sic & dignitate proximum est capiti, & reliquis omnibus eminet; quoniam Virgo sanctissima loco, & dignitate Christo maximè propinqua, reliquis omnibus præstat.*

In titulo quoq; Psal. 47. cuius initium est: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*, (quẽ ad Virginem per ciuitatẽ Dei nostri significatam pertinere diximus) nõ obscurè Deiparæ præ alijs dignitas eximia indicatur: sic autem habet Psalm. Cantici filijs Core secunda sabbathi: quemadmodum enim titulus Psalm. 28.

Sapient. 7.

D. Bonau.

Genes. 1.

Anselmus.

Eccles. 24.

Cant. 6.

Malach. 4.

Rom. 1.

Cant. 5.

Cant. 6.

Exod. 25.

Beda.

Rupert.

Titul. Psal. 47. & 23. exprimitur.

vbi legimus, prima ſabbathi Pſalmus Dauid, ipſi Chriſto capiti tribuitur, vt
Tit. Pſal. 23. animaduertit Auguſt. in Pſalm 23. & in præfat. Pſalm. 47. prima enim ſabbathi Deus lucem fecit, eam diuiſit à tenebris, quod ſpiritualiter factum eſſe docet idē
Auguſt. Auguſt. cùm prima ſabbathi, quæ propterea Dominica dicitur, Chriſtus à mor-
Gene. 1. tuis reſurrexit: ita in ſecunda Sabbathi, quæ Feria ſecunda vocatur, in qua firmamentum eſt factum, virginem ſanctiſſimam, quæ proximè Chriſtū ſequitur, quæq; ex ijs, quæ diximus, Cœlum appellatur, meritò intelligimus. Et licet Auguſt. ſecundam Sabbathi Eccleſiā Chriſti in ſanctis intelligat, quod non
Auguſt. negamus, (ratio Auguſtini eſt: quoniā, inquit, Sancti ſcripti ſunt in Cœlo, & tētationibus minimè cedunt, ſed firmi ſunt, & propterea firmamenti nomine digni cenſentur) hoc tamen multò magis de ſanctiſſima Virgine dicemus: tū, quia Pſalmus totus in Deiparam mirum in modum quadrat, tum quia firmitatem ipſa præ omnibus eſt adepta; ita vt firmamētum iure optimo appellari poſſit: tum quia per Chriſtum in diuina prędeſtinatione dignitate omnibus prę-cellit, atque adeò eius nomen in Cœlo nobiliſſimo modo inſcriptum inuenitur: tum denique quia ipſa eſt Eccleſiæ pars omnium nobiliſsima, & veluti collum Chriſto capiti viciniſsima; atq; ita quæ de Eccleſia dicuntur, eidem prę-cipuè accommodantur. Quocirca in ſecunda ſabbathi, quæ primam ſabbathi, in qua Chriſtus intelligitur, immediatè conſequitur, aptiſsimè ſanctiſsima Virgo Chriſto coniunctiſsima exprimitur. His etiam addere poſſumus & illud, hebdomadæ nimirum dies, à planetis, qui prima eius diei hora dominium habent, deſumpſiſſe nomen, iuxtà Aſtronomos, teſte Clauio in primum caput ſphęræ, vbi de ordine ſphę-rarum cœleſtium agit: ſinguli enim planetæ ſingulis horis ſuo ordine, qui ſemper recurrit, præeſſe dicuntur. quod quàm verum ſit, negat Clauius eſſe illius loci diſputare. Ioannes tamen *Clauius. Ioan. Xiphi.* Xiphilinus in compendio. Dion lib. 36. in Pompeio, ab AEgyptijs hoc inſtitutum manaſſe affirmat. quare & ſeptem hebdomadæ dies, hoc ordine ſeruato, ab ijſdem planatis nomen inuenire, quibus poſitis, ſi hoc etiam ſpectemus iure optimo prima ſabbathi, quæ eſt dies Solis, & ſecunda ſabbathi, quæ eſt dies Lunæ, tribuuntur Chriſto, qui Malach. *Malach. 6.* 6. *Sol iuſtitiæ* vocatur, & Deiparæ, quæ *Cantic. 6.* Cant. 6. & alibi ſæpè Lunæ comparatur. *Habacuc 3.* quare rectè habetur Habacuch capit. 3. *Eleuatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo*, hoc eſt, vbi Chriſti dignitas mundo per Apoſtolorum prędicationem innotuit, illico & eius Genitricis præſtantia omnibus fuit cognita, atque perſpecta. Hinc Diuus Ioannes Damaſcenus orat. 1. de *Damaſc.* natiuit. Virginis montem illam appellat Angelicis ſpiritibus ſublimiorem: ſic enim ait: *Exultate montes, hoc eſt, ratione prædita naturæ, quæque ad ſpiritualis contemplationis faſtigium aſſurgitis: ſiquidem clariſſimus Dei mons paritur, mons* (inquam) *ille, qui collem omnem, ac montem, id eſt, Angelorum, & hominum ſublimitatem exuperat: ex quo circa vllam manuum operam, corporeo modo excindi voluit lapis angularis Chriſtus, vna perſona diſtinctas naturas copulans, diuinitatem nimirum & humanitatem, Angelos, & homines gentiles, & carnalem Iſraelem in vnum ſpiritualem Iſraelem.* Hæc ille. Sed veniamus iam ad firmitatem huius celſiſſimi throni: hoc enim erat ſecundum quod in ſedibus materialibus S. Thomas ex Diuo Dionyſio *S. Thom. vbi ſupra.* reperiri dicebat. Fuit ſanè Beatiſsima Virgo in bono ſemper firmata, & confirmata, vt non obſcurè indicant verba *Pſalm. 31.* Dauidis, Pſalm. 32. Nam vbi ex verſione *Verſio ſeptuaginta.* ſeptuaginta legimus de præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes: per quod habitaculum Virginem deſignari teſtis eſt, vbi Hugo Card. S. Hieronym. & alij vertunt, de firmiſsimo ſolio proſpexit. Vnde D. Bonauentura in ſpecu-

lo B.

D. Bonau. lo B. Virginis cap. 7. *Domus* (inquit) *illa, in cuius solio Dominus sedit, est Virgo, in cuius mentis solio Dominus requieuit; ô verè stabilissimum solium, sicut dicitur in libr. Reg. firmissimum solium tuum in æternum.* Hæc

3. Reg 8.

S. Bernardin. D. Bonauentura; & S. Bernardinus tomo 3. serm 11. articul. 1. capit. 2. *Virginis* (inquit) *altitudo firmissima est, & inconcussa, vt moueri non possit stabilitas montis, quamdiu durat firmitas lapidis: nec Regnum matris, quamdiu durat imperium prolis, de cuius imperio Daniel. capit. 7. scriptum est, potestas eius æterna, & regnum eius, quod non corrumpetur, hoc enim significatur Isaiæ capit. 6. Vidi Dominum sedentem super solium, quia immobiliter requieuit super Virgine gloriosa.* Quibus recedit, quod in hæc verba docuit S. Thomas 3 part. quæst. 27.

Dan. 7.

attic. 6. ad 1. cùm dicit: *Beatam Virginem à Deo in matrem electam ampliorem sanctificationis gratiam obtinuisse; quàm Ioannem Baptistam, & Ieremiam sanctificatos in vtero: cuius signum est, quod Beatæ Virgini præstitum est, vt de cætero non peccaret nec moraliter, nec vnialiter: aliis autem sanctificatis creditur præstitum esse, vt de cætero mortaliter non peccarent, diuina eos protegente gratia.* Ita S. Thomas. Item in 3. distinct. 3. q. 1. articul. 2. quæst. 3. in corp. *In prima* (inquit) *sanctificatione Virgini gratia collata fuit ad horum efficaciter liberum arbitrium inclinans, quamuis non esset sufficiens ad tollendam flexibilitatem liberi arbitrij in malũ, quam etiam homo in primo statu habuit: in secunda verò sanctificatione gratia superaddita fuit, qua ita potentiam liberi arbitrij impleret, vt in contrarium flecti non quidem tollendo naturam libero arbitrio, sed defectum: sicut materia Cœli ex eo, quòd subsistit formæ, quæ omnem priuationem ab eo excludit, non est in potentia ad corruptionem.* Adeò autẽ B. Virgo fuit in bono semper confirmata, vt nec per peccatum aliquod actuale, nec originale à creatore suo fuerit vnquam separata: de primo nullus est locus ambigendi, cùm id definierint duo sacra Concilia Claromontanum, & Tridentinum sess. 6. can. 23. De secundo verò nõ obscurè id mihi indicari videtur, primò ex illo Patriarcha Iacob Gene. 28. Ille enim euigilans è somno, in quo scalam illam à terra in Cœlum vsque protensam conspexerat B. Virginem spiritu prophetico præuidens, hæc verba pronunciauit: *Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta Cœli.* Si autem Virgo beatissima originali labe fuisset vel ad breuissimũ temporis spatium inquinata, verè tunc fuisset domus Dæmonis, ac proinde aliquando fuisset aliud, quàm domus Dei, cuius contrarium perspicuè satis dixit Iacob: *Non est hic aliud, nisi domus Dei.* Secundò id confirmat, quòd vbi Psalm. 44. vbi septuaginta interpretes legunt: *Astitit Regina in vestitu deaurato circumdata varietate,* S. Hieronymus vertit: *Fulcijs aureis vestita est, in scutulatis ducetur ad Regem.* Quia adhuc tenera in vtero matris, velut fasceis aureis charitate circumdauerat, & gratiæ scutis præmunienda, ne à iaculis culpæ originalis, quæ futura erat origo Christi, quoquo modo læderetur. Tertiò, id ipsum non obscurè indicat locus ille Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias,* id enim planè sponsus dixit ad significandum, solam Virginem Deiparentem inter omnes puras creaturas, spina originalis peccati nunquam fuisse punctam. Etenim sicut rosa ante peccatum, vt D. Ambros. adnotauit libr. 3. exameron. cap. 11. spinis carebat, postea tamen ex spinis nascens asperitatem nullam contraxit: *Surrexerat* (inquit) *antea floribus immista teneris sine spinis rosa, & pulcherrimus flos, sine vlla fraude vernabat, postea spina floris gratiam sepsit; ita Deipara post originale peccatum ex humanis generis spinis, peccati originalis nullam contraxit.* Nec reticendum illud, quod ij qui plantarum naturam inuestigârunt, de vi, atque efficacitate lilij, qua aduersus serpentes, eorumque venena pollet, litteris prodiderunt: cùm ad illustrandum hunc typum, quo Deiparæ conceptio immaculata per lilium adumbrari diximus,

Gene. 28.

Psalm. 44.

S. Hieron.

Cant. 2.

D. Ambr.

Plinius. maximè faciat Plin. lib.21. ca.19 *Radices* (inquit) *lilij multis modis florem suum nobilitauerunt contra serpentium ictus ex vino, & contra fungorum venena.* Hęc ille. Dioscorides verò lib.3. c.90. vbi agit de lilio: *Folia* (inquit) *herbæ illata, serpentium morsibus subueniunt, eadem cocta, in aqua ignis adustionibus, & cum aceto condita vulneribus.* Quod ipsam de lilio confirmat Petrus Andreas Matthiolus li. de plantis c. de lilio pag 270. additque semen lilij potum aduersari ijsdem serpentium morsibus, & Guilielmus Rouilius in historia generali plantarum lib.15.pag.1496.hæc eadem refert, quæ Plinius, & Dioscorides. Idem quoque Dioscorides li.1. ca.1.de alia lilij specie, quæ Latinè iris, Italicè verò, lilium cœleste appellatur, radicem eius cum aceto potam venenatorum animalium morsibus mederi docet. Et Petrus Matthiol. in comment. addit eandem radicem in puluerem contusam cum aceto potam vniuersaliter aduersus omnia venena conferre.

Dioscorides. *Petr. Matthi.* *Guiliel. Rouilius.*

Quod si lilium, & præsertim eius radix tantam contra venenata animalia vim habet, qui fieri poterit, vt serpentes sæuum dentem lilio infigant, eiq; virus suum infundant? Pari itaque ratione cũ Virgo Deipara Cant.6. lilio inter spinas comparetur, quemadmodum Ephræm ser. de laudibus Virginis tradidit (quippe quæ filium gignendo, vniuersis venenis antidotum protulit præsentissimum) quis originali veneno, à serpente primum infuso, & per Adam in posteros transfuso, eam aliquando infectam dicere audebit? Adde, quia si Virgo est lilium, radix huius lilij, cui nominatim antidotum contra serpentes ineſſe traditur, eiusdem respondet conceptioni, quæ totius vitæ veluti radix est, & principium. Ex quo facilè colligimus, ipsam, quæ delecta erat ad gignendum eum, qui dæmonum venena curaturus aduenerat, omnis veneni singulari Dei priuilegio in conceptione expertem fuisse. Nec illud significatione vacat, radicem hanc lilij ex vino, vt dicebat Plinius, venenantis morsibus auxiliari: vinum enim in sacris litteris, plerumque Christi sanguinem significat in torculari crucis ex corpore Christi, qui est vitis vera, expressum; in quo omnis sanctorum intercessio nititur. Nam ex sacro Concilio Tridentino sess.25.cap de sanctorum inuocatione, ad Sanctorum orationes opemque confugimus, ob beneficia impetranda à Deo per filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, & Saluator est; quem inquit Apostolus ad Rom. 3. *Proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Quartò, 1. Machab. 4. legimus Iudam Machabæum cum alijs, altari holocaustorum, quia contaminatum fuerat à gentibus, ne forte esset illis in opprobrium, vti noluisse: sed acceperunt lapides integros, & ædificaueruntaltare nouum, secundũ illud, quod fuit prius. quantò ergo magis credendum est, Dei filium noluisse in matrem accipere eam, quæ per peccatum fuisset contaminata, ne in eius opprobrium cederet: nam, vt ait S. Thom. 3. par. q.27. articul. 4. sicut gloria filiorum, patres eorum. Prouerbior 17. ita per oppositum ignominia matris ad filium redundaret.

Plinius. *Conc. Trid.* *Rom 3.* *1. Machab. 4.* *S. Thom.* *Prouer. 17.*

Tertia thronorum Angelicorum ad materiales sedes (vt loquitur S. Thom.) conuenientia, in eo posita est, teste Dionysio ca.7.cœl.hierar. & S. Thom. 1. par. q.108. articul. 5. ad 6. & articul. 6. quia sedes suscipit sedentem, qui in ea deferri potest, nihilque sedenti vicinius est sua sede. Est autem adeò proprium throni suscipere sedentem in se, vt Sanctus Thomas 1. part. quæst. 109. articul. 1. ad 3. inuestigans rationem, quare, cùm dæmones de singulis ordinibus Angelorum, etiam thronorum ceciderint, nunquam tamen illis post casum thronorum nomen sicuti Seraphim, vel Dominationum tribuatur, sed aliorum aliquorũ tantum ordinum. (Nam

S. Thom. *Dionysius.* *S. Thom.*

Luci-

Ezech. 28. Ephes. vlt. Lucifer Ezech. cap. 28. dicitur Cherub, quod à scientia deducitur, & ad Ephes. vlt. Dæmones dicuntur Principes, & Potestates, quæ nomina à principatu & potentia deriuantur) Sanct. Thomas, inquam, ad hoc respondet: *Quoniam in nominibus Seraphim, Thronorum; & Dominationum importantur ea, quæ opponuntur peccato: nomen enim Seraphim ab ardore charitatis, Thronorum verò ab inhabitatione imponitur, nomen autem Dominationum quandam libertatem importat: ideò Angelis peccantibus huiusmodi nomina non tribuuntur.* Quàm autem egregiè in Beatam Virginem conueniat inter Regiũ thronũ Deum familiariter excipere, illud satis apertè indicat, quòd præterquam quod ab instanti suæ immaculatæ conceptionis Deum per gratiam in anima sua exceperit, posteà vtero suo per nouem menses eundem carne indutum continuit; iuxta illud Eccl 24. *qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo: ad quam duplicem Dei inhabitationem spiritualem, & corporalem respiciens Diuus Augustinus sermone 24. de natiuitate, eleganter docet, Deum magis esse cum Virgine sanctissima, quàm cum Angelis. Dixit, inquit, Angelus Mariæ, Dominus tecum, plus quam mecum, ita est Dominus tecum, vt sit in corde tuo, sit in vtero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam: procedat formosus de vtero tuo, tãquam sponsus de thalamo suo, procedat princeps ex aula regali, ita vt virginitatem tuam non faciat violari.* Non solum autem Virgo Deum excepit, sed & portauit excellentius, quàm omnes iusti, quibus Apostolus dixit primę Corinthiorum sexto. *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro;* sed & illo speciali, cuius memini inclyta hodierni Euangelij mulier, cùm dixit: *Beatus venter, qui te portauit.* ad quod alludens D. Gregorius Taumaturgus orat. de Annunciatione Deiparæ dixit: *Sola ferens eum, qui verbo portat omnia.* & Methodius in oratione in hypopantem: *Tu cuncta continentis, & comprehendentis comprehensio; tu illius gestatrix, qui verbo suo portat vniuersa.* Propterea capite 5. figuratur per ferculum illud Salomonis magnificentissimum, in quo cum magna maiestate Salomon deferebatur, de quo Canticorum 3. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum media charitate constrauit propter filias Ierusalem.* Ad hoc ferculum respiciens Gregorius Nicomediensis oratione de præsentat. Virginis, vocat illam thronum glorioſum, & regium vehiculum, quo vectum verbum cum carne aduenit. Cui simile est illud Andreæ Cretensis oratione 2 de dormitione, vbi alludens ad illud Psalm. 67. *Currus Dei decem millibus,* multiplex ad Virginem, ait: *Tu es ille decies mille millibus multiplicatus Dei currus, quæ millia millium locupletum adduxisti ad eum in carne tectum.* Ac tandem D. Bernardus sermone 7. in Psalm. *Qui habitat,* sic de Virg loquitur: *Magnus ille Ignatius, discipuli, quem diligebat Iesus, auditor in pluribus, quas ad eam conscripsit, epistolis, Christiferam consalutat; egregiis planè titulis dignitatis, & commendatio honoris immersi, nempe, cui seruire regnare est; gestare hunc non onerare est, sed ornari.* Ita Diuus Bernardus.

Cant. 3. Gregor. Nicomed. Andr. Cret. D. Bernard. in Psalm.

Ad extremum quarta Throni cum sede materiali conuenientia est, apertum, & capacem esse ad excipiendum sedentem. Hoc planè in Deipara Virgine fulgentissimo Dei throno perfectè reperiri: nemo Catholicus inficiabitur, cum eius anima, & corpus, vt dignum filij Dei habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante, vt canit Ecclesia Catholica, fuerit diuinis charismatib. mirabiliter præparatum. Vnde Diuus Damascenus oratione prima de dormitione, inquit: *Is qui cœlum & terram implet, cuius cœlum thronus, & terra scabellum pedum est, & ancillæ suæ ventrem latissimum sibi domicilium fecit* Chrysippus presbyter Hierosolymitanus homilia de beata Virgine: *Arca* (inquit) *pretiosissima est Virgo Deipara, quæ excepit totius sanctificationis thesaurum. Arca, non ea, in qua erant omnium animalium genera, quemadmodum in*

Chrysippus presb. Hier.

Arca Noe, quæ fluctuantis vniuersi mundi effugiebat naufragium. & infrà: *Sed arca, cuius architectus, & incola, gubernator, mercator, comes viæ, & dux erat opifex omnium creaturarum, quas in se vniuersas portat, sed à cunctis ipse non comprehenditur.* Hæc Chrysippus.

Bonauen. Ac tandem D. Bonauentura in speculo Beatæ Virginis cap. 5. agens circa illud, *Gratia plena*, inquit: *Consideremus gratiæ Mariæ veritatem, immensitatem, multiplicitatem, & vtilitatem*, & horum singula D. Bonauentura latè prosequitur: sed quod facit ad nostrum propositum de immensitate gratiæ Virginis: *Immensa* (inquit) *fuit gratia, qua ipsa fuit plena: immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo est plenum. Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui in cœlo maior est, continere potuit.* 3. Reg. 8. *Quis est cœlo maior? certè ille, de quo Salomon ait: Si cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt; quanto magis domus hæc, quam ædificaui, non vtique domus per Salomonem ædificata, sed domus per illam significata, Deum capere potuit. Tu ergo immensissima Maria capacior es cœlo, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Tu capacior es mundo quia quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Si ergò Maria tam capacissimo fuit venire, quanto magis mente? & si capacitas tam immensa fuit gratia plena, oportuit vtique, quòd gratia illa, quæ tantam implesse potuit capacitatem, esset immensa. Quis immensitatem Mariæ potest* Eccl. 1. *mensurare? Ecce, quod dicitur in Ecclesiastico capite primo: Altitudinem cœli, latitudinem terræ, & profundum Abyssi quis dimensus est? Cœlum est Maria, tum quia cœlesti puritate, cœlesti claritati, cœlestibus aliis virtutibus abundauit, tum quia sedes Dei altissima fuit, teste propheta, qui dicit, Dominus in Cœlo parauit sedem suam.* Psalm 102. *Terra quoque Maria fuit, quæ fructum illum nobis protulit, de quo idem* Psal. 66. *Propheta ait: Terra dedit fructum suum. Abyssus etiam est Maria in bonitate, & in misericordia profundissima* (vnde etiam profundissimam misericordiam filij sui pro nobis interpellat) *quasi abyssus abyssum inuocat. Cœlum ergò est Maria, Terra est Maria, abyssus est* Psalm. 41. *Maria, quis huius Cœli altitudinem, quis huius Terræ latitudinem, quis huius abyssi profunditatem, quis, inquam, Mariæ immensitatem dimensus est, nisi ille solus, qui ipsam non solum in gratia, & in gloria, sed etiam in misericordia, tam altissimam, tam latissimam, tam profundam operatus est?* Hucusque Sanctus Bonauentura. Ex quibus omnibus satis vtique constat excellentius, quam in ipsis etiam Angelicis thronis illa quatuor super adducta Deiparenti conuenire. Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum Amen.

HOMILIA XVI.

Variæ rationes apponuntur, ob quas omninò decuit Christum Dominum non alio lacte in eius infantia nutriri; quàm eo, quod vbera Beatæ Virginis matris suæ ei propinabant, in illa verba: Beata vbera, quæ suxisti.

Si rem altius contemplemur, eædem prorsus rationes, quæ ostendunt, propterea beata, ac fœliciſſima fuisse Deiparæ vbera, quia Christum Dominum lactauerunt, etiam comprobant, decuisse Christum Dominum non aliud lac, quàm ex B. Mariæ vberibus suxisse. Inter has rationes illa primum locum teneat, quod oportebat antiqua huius mysteria, vaticinia, & figuras compleri; nam Sybilla Tiburtina cecinit:

O nimium fœlix Cœlo dignissima mater, Sybil. Tibu.
Quæ tantam sacro lactabit ab vbere prolem.

Cui cõsonat illud aliud Solomonis propheticum eloquium: *Quis mihi det te fratrem sugentem vbera matris?* Cant. 8. quod perinde fuit, ac si diceret: quis mihi cõcedat, vt videam te foris, hoc est, carne indutum, non intus solum in sinu Patris, sed in gremio matris sugẽtem vbera matris tuæ, & meæ? Virgo enim omnium mater est. Idipsum in Moyse præfigura-

Exodi 2. figuratum cerno, nam, vt legimus Exodi 2. cùm noluisset à muliere AEgyptiaca lactari, quæsita fuit mulier Hebræa, mater scilicet eius propria, quæ illum lactauit. Illud etiam Iudicum 5 ad Beatam Mariam conuerto: *In phiala Principum propinauit butyrum*, phyala enim est manna Deiparæ, propinans lactis pinguedinem principi nostro Christo, non ad soporem, & necem, vt Iahel Sysaræ propinauit, sed ad nutriendam, & conseruãdam vitam. Quod si Exodi 3. promisit Deus terram, lacte & melle manantem, sane vbera B. Virginis Christo Domino fuerunt terra, lacte, & melle manans. Vnde B. Petrus Damianus hom. 2. de natiuitate B. Virginis: *Terra repromissionis est dicta, quæ longè ante paritura Saluatorem mundi à Prophetis multifariam est promissa, quæ verè lac & mel manauit, dum Deum, & hominem intemerata virginitate profudit.* Ac tandem, quia Isaias prædixerat c. 15. *Delectabitur infans ab vbere*: quæ verba (iuxta communem Patrum sententiam) intelligũtur de Christo infante, de quo prædixit, infantilem eius gustum magnam delectationem habituram, sugẽdo vbera matris suæ. Existimo namque nullius matris lac tãta suauitate, ac dulcedine plenum fuisse, vt Deiparæ Virginis lac: nam illud fuerat à Spiritu sancto depuratum. Vnde noster Bernardinus Busten. sermo. 5. de parturitione B. Mariæ p. 2. in fine, dixit: *B. Virginis lac habuit saporositatem, quã traxit à Spiritus sancti depuratione: nunquam enim aliqua mulier habuit lac tam saporosum, sicut ipsa: & huius ratio est, quia lac aliarum mulierum habet multum impuritatis, & ideò nõ potest esse magni saporis: lac autem B. Virginis sic fuit à Spiritu sancto depuratum, quod factum est dulcissimum, & nimium saporosum.* Dulcedinem huius lactis considerans D. Augustin. *serm. de annunciatione, in hũc modum B. Virginem dulciter alloquitur: Lacta Maria Creatorem tuum, panem Cœli, pretium mundi, præbe lambenti mammillam, vt ille pro te percutienti præbeat maxillam. Lacta eum, qui fecit te talem, vt ipse fieret in te.* Hæc ille. Lactauit certè, alioquin non dixisset Cant. 1. *Inter vbera mea commorabitur*; nec ipsi filio suo blãdiendo, lac vberum suorum propinaturam polliceretur: *Dabo tibi vbera mea.* Cant. 7. Canticorum 7. vbi obiter obseruo, minimè B. Virgini, Filio suo blandiendo contigisse, quod Ecclesiasticus minatur parentibus, c. 30. *Lacta filium & pauentem te faciet, lude cum eo, & contristabit te.* Etenim B. Virgo, dum Christo infantulo, sinu suo illum fouens, blandiebatur, ac virgineũ lac in os eius effundebat, mirum in modum animus eius recreabatur, summas sibi delicias meritò arbitrans, æterni Patris Filium cœlesti illo lactis nectare cibare, & potare. Deinde secundo, cum Christus Dominus conceptus, & natus fuisset ex sanguine virgineo, nutriri etiam debebat virgineo matris suæ lacte: nullum autem vnquam lac, nisi Deiparæ, virgineum fuit, cùm nulli vnquam fœminę natura lac prouiderit, quę prius virginitatis suę iactura illud non emerit: at cùm Christus Dominus etiam genitus fuisset cœlesti Spiritus sancti spiramine, Beatissima Virgine materiam supponente, oportebat consequenter, non aliter nutriri, quàm vbere de Cœlo pleno, eadem Virgine materiam summo opifici subministrante, quam cõstat fuisse sanguinem. nam vt Philosophi docent, lac nihil aliud est, quàm sanguis concoctus, non corruptus, alborem in destinatis, & frigidioribus genitricis partibus assumens: atque hinc est, quòd cum Spiritus S. B. Virgine cooperante, cœleste illud lactis nectar, ac diuinam ambrosiam confeciisset, certè parienti Virgini colostrum, cuius meminit Martialis: *De primo matrũ lacte colostra damus*, sicut reliquis fœminis parturientibus non accidit: nam cùm colostrũ nihil aliud sit, quàm superflua quædã spongiosa densitas lactis; Deiparæ autem Virginis lac, vtpote ab Spiritu sancto mirabiliter cõfectum, omni superflua densitate caruit.

Iudic. 5.

Exodi 3.

Petrus Dam. homil. 2. de natiu. B. V.

Isai. 15.

Bern. Buste. ser. 5. de partu. B. Mariæ p. 2. in fine.

Aug. ser. de annun.

In offic. Circumcis. Domini S. Mater Ecclesia.

Philosophi, quid senserint de lacte.

De Martialis.

Scio

Tertul. lib. de carn Christi, c.20.

Scio quosdam Doctores, cùm Tertulliano libro de carne Christi, cap.20. existimasse, naturale fuisse lac beatissimę Virginis, quia naturale est fœminis parientibus lac habere, eo quòd naturaliter gignitur ex sanguine ad vbera confluente, & per caloris coctionem ad candorem deducto. verùm alij Patres, quibus maiorem fidem facio, putant, per miraculum in vbera sanctissimæ Virginis, lac fuisse euocatum. etenim Diuus Athanasius in serm. descript. Virginis, & Ioseph, hæc scripsit: *Vbera Beatæ Virginis naturæ consuetæ radicem non habuerunt, longeque à naturali consuetudine, ac lege fuerunt aliena: lac verò peregrino modo fluxit.* & D. Vincent. sermone de natiuitate Christi ait: *Beatam Virginem lacte carentem, pro lacte Deum deprecatã subitoque fuisse eius vbera lacte plena.* quibus omnibus fauet verba Ecclesiæ Catholicæ in festo Circumcisionis Domini, dicentis: *Ipsum Regem Angelorum sola Virgo lactabat vbere de Cœlo pleno.* quæ planè non à natura, sed præcipuè ex Dei miraculo, lac illud fluxisse apertè indicant.

Athanas. in ser. de scrip. Virg. & Ioseph.

D. Vincent. serm. de natiu. Christi.

Ecclesia Catholica in festo Circumcisionis.

Tertia ratio

Tertia ratio sit, quia B. Virgo, tam legis supernaturalis, quàm naturalis obseruantissima custos, naturæ iura violare noluit. Docet autem natura, ipsis matribus lactandam, atque alendam suam prolem: hac enim ratione omni parienti lactis alimentum suppeditat: & quia sapientissima est auctoris naturæ prouidentia, bina fœminis vbera dedit, vt etiam si gemellos edidisset, vterque haberet diuersum alimenti sui fontem. Quare D. Gregorius ad vndecimam interrogationem D. Augustini Cantuariensis Archiepiscopi capite 10. matrum incontinentiæ tribuit, quòd proprios filios lactare respuant: verba eius sunt hæc: *Dum enim se continere nolunt, despiciunt lactare, quod gignunt.* Atque ob eandem causam D. Ambrosius monet matres, vt Saram æmulãtes, filios suos alijs fœminis lactandos minimè committant, sed illos proprio nutriant lacte.

D. Augustini Cantuar. Archiepiscop. c.10.

Vnde Phauorinus philosophus apud Aulum Gellium libro 12. cap. 1. eruditè dixit: *Quid indignius, quàm infantem statim à matre relinqui, quem in vtero nutriuit? quis hoc in feris, quantumuis immansuetis obseruare potuit? quanta cura Leænæ, Tigrides, & Lupæ suos fœtus nutriunt? quanta apri?* Mihi non dubium, quin matres, quæ, vrgenti necessitate cessante filios proprio lacte nutrire renuunt, crudeliores sint lamijs ferocissimis, & struthionibus in deserto quam simillimæ: & in quas aptè conueniat Hieremiæ lamentatio Threnor. 4. *Sed & lamiæ nudauerunt mammas, lactauerunt catulos suos, filiæ populi mei crudeles, quasi struthio in deserto,* cuius ferinam cõditionem explicans Iob cap. 39 dixit: *Struthio duratur ad filios suos, quasi non sint sui.* Virgo igitur sanctissima naturæ legibus se coaptans, quæ propriæ prolis nutritionem suadet, cæteris matribus ad idem factitandum exemplum præbet: frequenter enim, quæ ad generationem ventrem exhibuerunt, vbera ad educationem porrigere recusant: nam, vt ipsæ liberius voluptati genioque indulgere valeant, per conductitias nutrices filios suos alunt. Velle igitur (vt multæ matres facere solent) lac de vberum fonte artificiosè exiccare, cum ipsa natura lac prouidente pugnat, cùm tamen nobilibus fœminis, etiam Reginis, proprios filios lactare dedecus non sit, imò decus, vt rectè probant Plato lib. de liber. educan. & Macrobius lib. 5. Saturnalium cap. 11.

Aul. Gel. lib. 12. c. 1.

Thren. 4.

Iob c. 39.

Aul. Gel. lib. 12. c. 1.

Plat. lib. de liber. educ.

Macrob. li. 5. Saturnal. capite 11.

Quarta ratio, quia cùm Beata Virgo fuisset perfectissima, & integerrima mater, opus erat, vt reipsa filium suum lactaret, nec alij nutriendum daret; nam, quæ parit filium, & non nutrit, dimidiata, non integra mater censenda est, vt ex Phauorino, auctore est Aul. Gell. lib. 12. noct. actic. cap. 1. etenim, cùm Phauorinus vxorem cuiusdam Senatoris ex familia nobiliori, auditoris, sectatorisque sui inuisisset, è puerperio laborantem, audisset que tunc quandam fœminam dissua-

Quarta ratio.

dissuadentem, ne filium suum lactaret, sed alteri nutriendum traderet, sapien-
Aul. Gell. li. 12. noct. att. c.1. ter dixit: *Oro te mulier, sine eam totam integram esse matrem filij sui.* eccè iudicauit matrem filium parientem, & non nutrientem, dimidiatam matrem censendam esse, non integram.

Quinta ratio. Quintam deinde accipe rationem; quia cum Beatissima Virgo ardētissimè filium suum amaret, non patiebatur amor eius alteri fœminæ nutriendum illum tradere. Vnde Plutarchus libro de educan. puer. dixit: *Mea quidem sententia*
Plutar. libro de edu. puer. *matres ipsæ nutrire infantes, atque lactare debent; maiore enim cum affectu, maioreq; studio, vtpote intimè, & à teneris (vt Græci aiunt,) vnguiculis diligentes: nutricum autem amor subditius, atque ascititius est, vtpote propter mercedem.* Rursus, cùm nihil impensius Beatissima Virgo desideraret, quàm amorem filij sui magis ac magis conciliare, & ad filiorum amorem conciliandum non parum prodesse agnosceret, vt matres filios suos lactent; sic enim non diuidūt amorem in matrem, & nutricem, cùm eadem sit & mater, & nutrix; hinc est, quòd B. Virgo proprio vberum suorum lacte Christum Dominum lactauit.

Sexta ratio. Sextam adnecto rationem, hoc principio naturali fundatam, quòd pueri cū lacte, moribus quoque, & affectibus nutricis imbuuntur, qui si in paruulis laudabiles sunt, etiam & nutricibus argumentum laudis suppeditant; sicut è contrario, si paruulus feritatem, luxuriam, aut alia vitia imbiberit, illa velut cum lacte à matre accepisse censetur, vnde & nutrix his vitijs corrupta colligitur.

Æl. Lampr. Aelius Lampridius scribit, Titum Vespasianum Vespasiani Filium morbis addictum propter nutricem, quæ infirmæ valetudinis erat. Tiberius etiam vinose ingurgitate didicerat ab ebria nutrice, quę vino intincto pane eum à mā-
Dion Cass. in vita Caesar. milla abigebat. Dionys. Cass. in vitis Cęsarum; Caligulam narrat cruore gauisum hucusquę, vt ensem cruentum lamberet, idque non à parentibus, sed à barbara nutrice habuisse, quæ extremum mammę puero porrigens, sanguine tingebat. Romulum & Remum, propterea
Iustin. li. 43. ait Iustinianus lib. 43. fuisse ad depredādos populos maximè procliues, quia ad vbera cuiusdam Lupę, vel saltem, vt alijs placet, cuiusdam fœminæ Lupinam cōditionem induentis lactati fuerunt. Ac tandem Virgil. 4. AEneidos, ad significandam AEneæ sæuitiam, & crudelitatem, hoc solum dixit: lactatum fuisse ad vbera Tigridum.

Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus: Hircanæque admorunt vbera Tygres. *Virgil. 4. Æneid.*

Hæc vitia simul cum lacte infantes imbibunt, ex quo etiam accepta in nutrices retorquere possumus, cum idem quoque de naturalibus virtutibus accidat; nimirum vt si nutrix casta, sobria, diligens, fidelis fuerit, hæc omnia quasi infusa puer accipiat: ex quo fit, vt illius laus quodammodo ad nutricem pertinere videatur, vt rectè dicantur beata vbera, quæ ille suxerit. Idque Romanorum exemplo facilè comprobari potest: nam, quamdiu apud eos matronæ filios, quos genuerant, lactabant, fouebant, nutriebant, & educabant; Respublica illa Mūdi Domina hominibus magnanimis, & in virtutibus moralibus strenuis, atque in arte militari fortissimis abundabat, vt optimè Cornelius Tacitus nobilis auctor in Dialogo de oratore his verbis adnotauit: *Si quis fortè scire desiderat, cur tantopere antiqui illi Romani floruerunt, in rebus q; omnibus excellentes fuerunt, nullam aliam causam reperiet, quàm liberorum educationem vigilātem: suum enim quisq; filium ex casta natum parentē, non emptæ nutriendū, sed propriæ matri alendum relinquebat.* qua cessante causa, postquam Romanæ Matronæ delitijs deditæ, filios suos ancillis garrulis nutriendos tradidere, infantes impudicitiam cum lacte ipso sugentes, ab antiqua sua nobilitate degenerare cœperunt, vt idem Cornelius Tacitus

Cornel. Tacitus in dialog. de orat.

sic aduertit: *Postquam autem garrulæ ancillæ filios nutriendos acceperūt, infans dominum impudicitiam cum ipso lacte sugere incepit.* Alimentum enim corporale in substantiam aliti conuersum, facultatem habet afficiendi hominem qualitate, & temperamento eiusdem alimēti: piscium enim caro frigida est, quia in aqua frigida gignitur, & alitur. & hinc Dominus Deus Leuit. c. 7 præcipiebat, ne quis comederet, aut biberet animalium sanguinem,

Leuit. 17. dicens: *Omnis anima ex vobis non comedat sanguinem.* vbi eam rationē assignat: *quia anima carnis in sanguine est* nam cùm animalis anima educatur de potentia materię, homo animalis sanguinem comedens, facilè illius animalis cōditionem, complexionem, & temperamētum participaret, quia licet in corruptione resolutio fiat vsque ad materiam primam; materia tamen adhuc taliter affecta, & sigillata manet. Quapropter D. Hieron. in epist. ad Letam de instit. fil. eam seuerissimè hortatur, quod in necessitatis casu, quo filia sua nutrici sit committenda, bonis moribus illa sit prędita, dicēs:

D. Hieron in epist. ad Let. de instit. fil. *Nutrix ipsa non sit temulenta, non lasciua, non garrula, habeat modestam gerulam, & nutricem grauem.* Atq; hinc est, quòd antiqui in eligendis bonis nutricibus magnam curam adhibebant. Vnde Plat. lib. de Repubi. præcipit nutricibus, ne inanes fabulas pueris enarrent, aut quæ eorum bonę institutioni inutilia sunt: & Chrysippus, vt auctor est Plutarchus, monebat, pudica & honesta verba proferenda esse à nutricibus, quia quæ in illa tenera ætate pueri addiscunt, eorum mentibus tenaciter inhęrescūt. Cùm igitur omnis in Christo gratia, & omne bonum, etiam naturale, & ingenita inclinatio ad illud, suum locum obtinuerit, potuit mulier illa Euāgelica etiam ad lac, & vbera, quę ille suxerat, benedictionem illam conuertisse: *Beata vbera, quæ suxisti.*

Plat. lib. de Repub.

Plutarchus.

Luc. 1.

Septima ratio. Septimam appono rationem, quia oportebat, B. Virginem nō defraudari ea præclara laude, quæ ꝓpter lactationem filij sui ei accessit. Certè Dauid Psal. 144. dixit: *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno; aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*; id est, refectione, vt ibi adnotat Lyranus: hoc enim ad Dei pertinet maiestatem, vt à supremo Seraphino, vsq; ad minimum vermiculum, omnia viuentia à Deo pabulum expectent; ipse tamen à nemine alio, sed intra seipsum se videns, & amans, sibimet sit cibus, & pastus. Illa autem singularis est B. Virginis prerogatiua, & excellentia, vt ipsa vbere suo pauerit omnia pauentem, aluerit omnia alentem, & proprio lacte nutrierit omnium Creatorem. Fertur, Pythagorā olim dixisse, fœminas vberibus suis Deorum potum gestare; adeò placebat ei lactis liquor. Verùm id, quod ipse per exaggerationem dixit, nos verè & Catholicè dicemus de B. Virgine, ex vberibus suis dum lac emanabat, potum non falsorum Deorum, sed verè Dei effluxisse: nam dum infans Christus os suum ad sugēdum cœlestem illum liquorem materno vberi admouebat, lubens ipsa illud ꝓpinabat Memini apud Poetas me legisse, quòd lilij flos, emaculatissimi omnium candoris, ob nobilitatē regius à quibusdam dictus, ex Deæ Iunonis lacte natus dicitur; vt his carminibus cecinit Conradus Gesnerus lib. de lacte, & operib. lact.

Psal. 144.

Lyran. super istum Psal.

Pythag. dict.

Dum puer Alcides diuæ fagus vbera suxit
Iunonis, dulci pressa sopore fuit.
Ambrosiumq; alto lac dist illauit Olympo
In terras fusum, lilia nata sumus.

Conrad. Gesn. lib de lacte.

Fingūt etiam (vt auctor est Pierius Valerianus libro 2.) quod cùm eadem Dea Iuno lactauit Herculem supremi Dei filium, ex guttulis lactis, quæ in terram decidebant, candida lilia prodijsse. Cedant antiqua figmenta veritati Catholicę: ex sanguine enim Deiparę cōceptus est candidus, & rubicūdus flos, Christus Dominus, & lacte eius fuit enutritus, verè ipsa lacte suo, non fictum aluit, sed verum & fortissimum Herculem, qui

Pier Valer. lib. 2.

mortem

mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. Et sicut ex lacte Iunonis Poetæ commentantur, procreata fuisse cãdida lilia; certè ex lacte beatæ Virginis verè procreabatur, & nutriebatur candidum lilium conuallium Christus Dominus, qui & à Salomone vocatus est *Candor lucis æternæ.* Ac tandem, si (vt Augustinus docet lib. 4. de ciuit. Dei c. 11.) quod gentes Iouem, tanquam omnium nutritorem, coluerunt sub nominibus *Rumiæ, Educæ*, seu *Edulicæ*, & *Potinæ*: sic enim ait in *D. Rumina*, mamma paruulo immulget, quia Ruminam dixerunt veteres mammam: in *D. Potina*, potionem ministrat: in *D. Edulica*, escam præbet; meritò Beata Virgo eo nomine valdè colenda venit, quod non puras creaturas, sed creatorem ipsum lacte suo aluerit, & omnem nutritorem ipsa proprio vbere nutriuerit.

Cant. 1. Sap. 7.

August. li 4. de ciuit. Dei cap. 11.

Cæterum his omissis Poetarum figmentis ad sacra nos conuertãmus eloquia, in quibus cœlestis sponsus variis comparationibus sacra Deiparæ Virginis vbera mirificè commendat: etenim Cant. c. 4. dixit: *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Scio interpretes huius loci in varias diuidi sententias circa eius expositionem: nam Absalom Abbas serm. 7. in Nati. Domini, per hęc vbera intelligit Synagogam, Ecclesiam gentium; quam interpretationem fusè prosequitur Angelomus, & Philon in commentario huius loci. Cẽsentenim illa duo vbera, esse vetus, & nouum Testamentum, quorum dulci nectare maternum Ecclesiæ Cathol. pectus plenum erat: hæc vbera perfectione scientiæ abundabant, rubicunda erant charitate, duriuscula sensuũ soliditate, læta, & festiua, grata historiarum varietate, iucunda, & illecebrosa cunctis, qui fidei luce illa contuentur. Quamuis autem in cõspectu hominum videatur vetus Testamentum prius natum, quã nouum, respectu verò Dei, cuius æternę, prouidẽtiæ, & dispositioni cuncta sunt præsentia, gemella sunt, seu gemellæ sorores; maximè quia se habẽt velut corpus, & vmbra, hæc duo Testamẽta velut duo vbera, Iudæorum & Gentium populos, tanquam paruulos, lac ab illis sugentes, ad pietatem enutriunt, quoſq; adolescãt in perfectum virum, neque id facere desinent, *donec aspiret dies*, hoc est, donec sęculo præsenti vesper aduenial, clarum adducens futuri sæculi mane, quo tenebricosæ errorum, & aduersitatum nebulę dispellantur, vt quidam Poetarum his sequentibus carminibus cecinit:

Absal. Abb. serm. 7. in Natiu. Dom.

Angelomus, & Philon in comment. Cant. 4.

Donec sub fine statuta
Mundi nox habeat, & verum mane niteſcat:
Ad faciem facie cùm cernent me sine fine.

Diuus Gregorius Nyssenus longè aliam viam ingressus, in singulis hominibus duo esse animaduertit, quorum vnũ sit corporeum, & sub oculos cadens; alterũ sola mente intelligi, ac cerni queat; hoc animum, illud corpus vocari, & esse gemella ab ortu, quoniam animæ creatio corporis perfectam corformationẽ concomitatur, quorundam quidem hominum venenatum cibũ esse peccata, hoc est spinas, quas serpẽtis inuidia procreauit; sed animæ Deo dilectæ nutrimentũ esse flores purissimos virtutum. His pastas animas, ipsas quidem salubri succo impleri, & hunc geminis vberibus alijs materna charitate propinare. Nonnulli etiam alij interpretes interpretãtur, per hæc vbera intelligi Prædicatores Ecclesiæ Cathol. de quibus Salomon in Canticis sub varijs metaphoris locutus est; Oculos illos vocat, quia occulta mysteria prospiciunt; Dẽtes, quia doctrinæ cibos terũt, comminuũtq; fidelibus; Collum, quia flatum vitalem Ecclesiæ ministrant; denique vbera, quia paruulis in Christo lac doctrinæ salutaris instillant. Duo autem dicuntur, quia duplex doctrinæ lac continent, vnum de astructione fidei, alterum de compositione morum: pertinet enim ad concionatoris officium, & fidem astruere, & ad bonos

Greg. Nyss.

Alij interpr. in Cant. 4.

mores incitare. Comparantur hinnulis capreæ propter perſpicacitatem aſpect' quoad intellectum: propter hilaritatem, quoad affectum: propter velocitatem, quoad executionem operum, etiam arduorum, atque difficilium. Denique paſcuntur in lilijs, id eſt, in floridis ſcripturarum campis, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ, id eſt, dum vitæ huius tempus perdurauerit.

Alij Doctores ſuper eũdem locum.

Alanus.

Hailgrinus.

Porrò alij Doctores eundem locum ad vbera Beatiſſimæ Virginis referunt, quidam ad vbera eius ſpiritualia, alij ad corporalia. Alanus vult eſſe geminum affectum charitatis maternæ, vnum erga humanitatem, alterum erga diuinitatem filij. Hailgrinus verò duo hæc vbera interpretatur affectum pietatis, ſeu deuotionis, & affectum miſericordiæ, de quibus dulcedo pię deuotionis, velut lac ſugitur, & quæ adiuncta diſcretione velut acuto capreę lumine conſiderant, qua, & quanta quiſque ope indigeat: & per talem conſiderationem diſcurrunt, & per promptam ſubuentionem accurrunt velociter, vt hinnuli, quib. affectus hi comparantur propter varios ſubuentionum modos, quia pellis hinnulorum pulchra maculatũ varietate diſtinguitur. Gemellos vocat, quia hi affectus valdè ſimiles ſunt eo, quod ex vno fonte miſericordiæ, & pietatis officia manãt, ijdem in ingratis moriuntur, & deficiũt; ſed in illis nutriuntur, & adoleſcũt, qui candore & odore bonorum operum lilijs aſſimilantur. Vbera iſta Deiparę tota hac præſenti vita lac ſuum propinare non ceſſant, donec veniat dies illa, quæ corporibus de puluere reformatis, adſpirabit ſpiritum vitæ, & vitam gloriæ, donec vmbræ præſentis miſeriæ inclinentur. Deinde Rupertus lib. 3. in Cant. interpretatur hæc vbera Deiparę Virginis eſſe virginitatem, & fœcunditatem, quæ propterea hinnulis comparantur, quia propter lętitiam, quam Mundo attulerunt, ſunt hinnuli feſtiui, ac læti, dũ huc & illuc cum ſpectantium lætitia in montibus ſaliunt: gemellis autem hinnulis ſimilia dicuntur, quia in ſola B. Virgine duo hæc, velut gemellæ ſorores, fuiſſe noſcuntur, maternitas, & virginitas, & vt filiũ lactaret, & virgo eſſet: denique dicuntur paſci in lilijs, propter ſummam fœcundæ huius virginitatis pulchritudinem, quæ in lilijs maximè enitet. Verba Ruperti nunc accipe: *Nonne ſunt hæc,* (inquit Rupert.) *ſicut duo hinnuli capreæ gemellit nunquam viſum eſt ſimile huic in montibus, ſiue collibus noſtris, ſed neque videbitur in ſæculis ſuperuenturis, vt vni capreæ fiant duo tales hinnuli gemelli, vt vni fœminæ contingat, quatenus eiuſdem vberibus, & filium lactet, & virgo ſit. Aſpicite hæc, & admiramini, videte, & congratulamini, quia caprea hæc talis hinnulos ita geminos edidit, quia fœmina hæc, dum quaſi caprea per montes exilit, dum cœleſtibus, vel ſupernis animo intendit, gemella hæc plenæ gratiæ dona fœliciter apprehendit, vt & mater, & virgo ſit.* *Ruper. lib. 3. in Cantica.*

Hactenus Diuus Rupertus. eandem expoſitionem acceptans D. Anſelmus lib. de excellentia Beatæ Virginis capite 4. de his duobus vberibus hæc perdoctè ſcribit: *Equidem hæc duo ipſa iucundius amabat, ſcilicet virginitatem, & fœcunditatem: virginitatem, quia hanc placere Deo per omnia intelligebat; fœcunditatem, quia ſine hac maledictum legis, quæ adhuc carnaliter cuſtodiebatur, incurrere metuebat.* *Anſel. lib. de excellent. B. Virg. c. 4.*

Hæc ille. Verùm oportet, vt hanc Ruperti, & Anſelmi expoſitionem amplius illuſtremus. Etenim virginitas, & fœcunditas meritò vbera dicuntur, quia inde humanum genus ſpiritualiter infans lac ſalutis, & gratiæ hauſit, ex eo videlicet, quòd in B. Virgine cum virginitate coniuncta eſt fœcunditas, qua Deum hominem peperit: nihil enim nobis eius virginitas profuiſſet, niſi fœcunda fuiſſet. Fit deinde mentio liliorum, ad exprimendam virginitatis pulchritudinem: eſt enim lilij flos pulcherrimus, & ad hierogliphicum ſpei. Vnde in multis antiquorum Imperatorũ nummis ex altera facie Dea ſculpta erat, lilium dextera prętendens cum hac

hac inscriptione, spes publica: quod mirificè in sacratissimæ Mariæ virginitatem cum fœcunditate coniunctam, conuenire videtur; in qua spes humani generis publica reposita est. Ac tandem, vbera B. Virginis, id est, virginitas, & fœcunditas, hinnulis comparātur, quia sicut hi hilares sunt, ac læti, ita hæc sacra duo vbera ad consolationem, & hilaritatem vniuerso orbi valdè profuerunt.

His egregijs antiquorum Patrum expositionibus aliam non ingratam (vt arbitror) nouissimam interpretationem apponam, pro cuius intelligentia suppono ex Arist. libr. 4. de gener. animal. & ex communi naturalium philosophorum consensu, eandem esse materiā, nempè sanguinem, ex qua fœtus generatur, & ex qua fit lac, quo ille alitur: hoc supposito, cùm constet ex purissimo Beatissimæ Virginis sanguine per virtutem Spiritus sancti, in vterum eius attracto, Christum Dominum genitum fuisse, consequens est, ex eodem sanguine lac in illius vberibus fuisse confectū, quod eatenus è cœlo prouenisse canit Ecclesia: *Sola Virgo lactabat vbere de cœlo pleno*, quatenus diuina Spiritus sancti operatione purissimus ille Beatæ Virginis sanguis magis concoctus, ad mammillas eius attrahi cœpit. Præclarè ergo diuinus sponsus commendans Beatæ Virginis vbera, laudat eam per similitudinem duorum hinnulorum, qui in vberrimis pascuis inter lilia pascuntur: illa enim, quasi duo hinnuli in purissimo pascuntur corde, super quod sita sunt, & inde, quasi ex vberrimis pascuis purissimum illum attrahunt sanguinē, qui in candidissimum concoquitur lac, & cùm sanguines illi attracti, virginei sint, in lilijs, quæ virginitatis symbola sunt, rectè hi duo hinnuli vberum Beatæ Virginis pasci dicuntur. Ex qua expositione penitùs euacuatur difficultas illa, quæ multos malè torsit; quomodo sponsus comparârit vbera hinnulis capreæ, cùm vbera pascant, illi pascantur, illa nutriant, hi verò nutriantur? Addo his omnibus, ea etiam ratione aptè vbera Beatæ Virginis hinnulis capreæ cōparari, quia hinnulus est velocissimus in cursu, & leuissimus in saltu, & caro eius dulcissima ac tenerrima ad gustū, & auidissima ad esum, vt naturales historiographi tradunt. Cùm ergo vbera tumentia, sicut nec venter tumens, aliquo grauamine Beatam Virginem premebant, meritò hinnulis comparantur, quia carnis pondere non prægrauati, hac, & illac facile cursitant, & cum læto, quod vbera illa Christo Domino propinabant, suauissimum esset, & ad potum, & esum auidissimum; meritò etiam eisdem hinnulis conferuntur, quorum caro gustui multum consentanea esse perhibetur.

Ad extremum, pulchritudinem vberum Beatæ Virginis commendans cœlestis sponsus, in hunc modum eam alloquitur: *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino*. Super hunc locum Rupertus Abbas hæc scribit: *Per hæc verba significari videtur, incarnationem Christi multò pulchriorem fuisse formatione primorum parentum, quia pulchrius valdè est de vtero mulieris absque viro virum facere, quàm tunc de terra virum, & de costa viri mulierem fecisse: ibi namq; mulier de viro facta est, quæ perdat, hic de muliere vir factus est, qui perdat, ac saluet.* Hęc ille. Quærit post ea Rupertus, in quo cōsistat sequens comparatio, & quid sibi velit: *Pulchriora sunt vbera tua vino?* *Quid* (inquit) *sibi vinum ad vbera?* & respondet, pulcherrimam esse hanc comparationē, & vbera ad vinum optimè conferri, si per vbera virginitatem Deiparæ intelligamus, vt supra dictum est: per vinum verò, nuptias, seu connubia, quæ partim ad concupiscentiam sedandam ordinantur. sic autem scribit: *Qualis tandē est ista comparatio, Pulchriora sunt vbera tua vino? aut, quid magnum est dicere: pulchriora sunt vbera tua vino? nam in vino luxuria est.*

Arist. 4 de gen animal.

S. Mater Eccles. in offic. Circumcis.

Cant. 4.

Cant. 4.

Rupert. in la. 4. Cant.

Idem ibid.

Nolite (ait quidam amicorum, ad nostras adolescentulas scribens) inebriari vino, in quo est luxuria; quid ergo magnum est dicere, quòd vbera tua pulchriora sunt eò, quòd non est pulchrum, cùm sit luxuria, siue carnis voluptas, siue cuius ebrietate præeunte, nulla vnquam vbera præter vbera tua, filium lactauerunt? Est ergo illud, quod apud hominum scholas dicitur (tapinosis) id est, humilitas, statum rei magnæ dictis infirmans. Magna quippe res est Virginitas, siue integritas vberum, meum filium lactantium: nec satis laudatur hæc tam pulchra res, dum re maritali, siue coniugali pulchrior esse non prædicatur. Sed suauius, lacteus, ac dulcis Guilielmus in suo sigillo, hæc melliflua in os meum effudit, nō simpliciter, ait, Pulchræ sunt mammæ tuæ: sed quasi cum admiratione: Quā pulchræ sunt mammæ tuæ? id est, quàm gratæ sunt oculis patris, quæ filium vnicum aluerunt? quàm pulchræ sunt, quæ lacte singulariter candido tumuerunt; nempè lac illud singulariter candidum, quàm virgineum. Quid negas, ô stulta mundi sapientia, partū virgineum? Deus nascebatur, & quid item negas lac virgineum? Deus pascebatur. Non potuit Deus in salutem hominū corporaliter nasci, nisi partu virgineo, nec decuit eum pasci, nisi lacte virgineo. Nec minus habet miraculi pectus B. Virginis lactescens quàm venter partu grauidescens. Propterea filio Virginis non tantùm dictum est, Beatus venter, qui te portauit, sed & adiunctum est, & vbera, quæ suxisti: & quidem pulchræ sunt mammæ Virginum, quia virgineæ, sed dum virgineæ sunt, latescere nesciunt, ideò simpliciter pulchræ sunt; sed de illis non potest dici, quā pulchræ sunt? at Beatissimæ Mariæ mammæ nō tantùm virgineæ fuêre, sed etiam ad singulare miraculum, lacte virgineo tumuerunt; ideò cū admiratione gratulatoria vult dici, quàm pulchræ sunt mammæ tuæ? Planè specie, & pulchritudine sua sanctos Angelos oblectabant, cū ab eis penderet speciosus forma præ filijs hominum Dominus Angelorum, minoratus paulò minus ab Angelis propter similitudinem carnis peccati. Tunc erant eius vbera pulchriora vino. Vinum potest intelligi illud, quod germinat virgines, ipsa virginitas vtique propter meracissimam puritatem. quid enim virginali puritate meracius? Hoc vino, vbera B. Mariæ priusquam mater esset, plena erant, sed, vbi salua virginitate, mater facta est, non plena tantùm vino, sed etiam pulchriora vino eius vbera facta fuerunt: quia, non tantùm virginea, sed etiam lacte virgineo tumida extiterunt. Vbera habere virginea cum multis illi virginibus est, & fuit commune, sed singulare illi est, & fuit, & erit, virginea vbera lacte virgineo post partum tumentia habere. Hactenus Rupertus.

Luc. 11.

Psal. 44. Psalm. 8. Ad Rom. 8. Zach. 1.

Ad hæc, verba illa sponsi: *Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botrij.* Cant. 3. Haylgrinus de spiritualibus vberibus Beatissimæ Virginis in hunc modum exponit; *Statura eius, videlicet rectitudo bonæ intentionis, & sanctæ operationis directio, assimilata est palmæ; vt sicut palma, id est arbor triumphalis Crucis dominicæ terribilis est malignis spiritibus, sic B. Virgo merito suæ rectitudinis malignos spiritus terreat, & expellat. Vbera quoque botris assimilata sunt, ex quo mirabilis prærogatiua merendi monstratur in B. Virgine, quæ non minus meruit fundendo lac de vberibus suis ad filij nutrimentum, quā martyres, qui per botros figurantur, meruerunt, fundendo sanguinem suum in martyrio: omnium enim operum merces secundùm radicem charitatis pensatur.* Haylgrin.

Alanus similiter in commentario illius loci: *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur*, de eisdem spiritualibus Beatissimæ Virginis vberibus, illū interpretatur in hęc verba: *Eleganter per myrrham doloris amaritudo significatur, quia myrrha amaritudo interpretatur, & quia pro nostra redemptione passus est; inter vbera mea commorabitur, id est, in intimo cordis mei amore detinebitur. Duo vbera Beatissimæ Virginis, duo sunt brachia charitatis, vnum, quo dilexit Christum, tanquam Deum, aliud, quo dilexit eum, tanquam filium, & his duobus brachijs charitatis amplexatur illum.* Eleganter autem duo riuuli charitatis dicuntur vbera, quia mulieres illis paruulis solent offerre vbera ad lactandum, quos diligunt, & hos duos ramos charitatis proposuit alijs ad exemplum, & ad alios informandum, tanquam ma- Alanus in comment. Cant. 1.

ter

ter vbera ad lactandum. Vel, ideò Christus dicitur matri, fasciculus myrrhæ, quia veniens in carnem excluſit à Beata Virgine omnem concupiſcentiæ putredinem, ſicut myrrha ſeruat carnem à putredine immunem. ſequitur, inter vbera mea commorabitur: quia à Virgine natus, à ſola Virgine eſt lactatus: ô B. Mater, quæ vbere eum lactat, qui omnibus vbera miſericordiæ propinat: ô mira res, filia lactat patrem, creatura Creatorem, famula dominantem.

Denique Patriarcha Iacob, vt ſacra Geneſeos narrat hiſtoria, cùm proximus morti Ioſepho filio ſuo vltimam benedictionem impertiret, verba quædam protulit Deiparæ Virgini multò magis, quàm ipſi Ioſepho conſentanea: *Omnipotens benedicat tibi benedictionibus Cœli deſuper, benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, benedictionibus vberum, & vuluæ.* Sanè his omnibus benedictionibus cumulatiſſimè intueor Beatam Virginem, & eius vbera beatificata, inprimis cùm ait: *Omnipotens benedicat tibi* Idipſum Beata Virgo atteſtata eſt in ſuo Cantico: *Quia fecit mihi magna, qui potens eſt.* quod autem ſubdit: *benedictionibus Cœli deſuper*, rectè in Virginem cõuenit; nam duplicis illius benedictionis, qua Deus ſuos Cœlicolas, hoc eſt, ſuper nos ſpiritus Angelicos benedixit, nimirum in gratia illos creando, variiſque cœleſtibus donis eos cumulando, copioſius Virginem participem fecit; tum quia à principio ſuæ conceptionis ab omni labe eam præſeruans, Angelis puriorem effecit, vt palàm teſtificatur Diuus Ioannes Chryſoſtomus in ſua lythurgia, dum ait: *Verè dignum, & iuſtum eſt, glorificare Deiparam, & ſemper beatiſſimam, & penitus incontaminatam matrem Dei noſtri, honorationem Cherubim, & glorioſiorem incomparabiliter Seraphim.* Ecce, vocat illam ſemper beatiſſimam: ſi autem pro aliquo inſtanti infelicitas peccati originalis eam occupaſſet, non ſemper fuiſſet beatiſſima; ſed pro tunc infelix. Idipſum confirmat, quod vocat illam: *penitus incontaminatam*. Si autem peccati originalis contagione, & macula fuiſſet aliquando deturpata, minimè ſemper fuiſſet penitus incontaminata. Tum etiam, quia cœleſtibus charismatibus ſupra omnes quoq; ſupremos Angelos fuit cumulatiſſima; vt eadem Diui Ioannis Chryſoſtomi verba clarè indicant, dum vocat illam: *Honorationem Cherubim, & glorioſiorem incomparabiliter Seraphim.* Et verba Archangeli Gabrielis id ſatis commonſtrant, dum Luc. c. 1. plenam gratia illam nuncupauit, quæ appellatio adeò reliquas omnes tranſcẽdit, vt S. Athanaſius ſer. de Deipara reſtetur Angelos omnes in Cœlo, non alia, Gabrielis verba ad B. Virginem ſalutandam ſibi vſurpare, dulci melodia canentes: *Aue Maria gratia plena*. Fuit ergo beatiſſima Virgo benedicta benedictionibus Cœli deſuper: hoc eſt, benedictionibus, quibus Deus Cœli habitatores à primordijs creationis mundi benedictionibus, quibus Deus Cœli habitatores à primordijs creationis mundi benedixit. Rurſus ſubdit Iacob: *& abyſſi iacentis deorſum*; quibus verbis, vt Paraphraſtes Chaldæus obſeruat, deprecabatur ei abundantiam terreſtrium bonorum; per abyſſum enim iacentem deorſum, terram intellexit, quæ reſpectu Cœli, quod ſurſum eſt, ipſa deorſum iacet. B. aũt Virgo excellẽtioribus alijs benedictionibus fuit locupletata in terra, ipſa id prædicente, cùm cecinit: *Beatã me dicent oẽs generationes.* Claudius Minte emble. 83. narrat, antiquos in honorem Catonis Portij, glorioſum illud, ac perilluſtre epitaphium in eius honorem ſcripſiſſe: *Is ſummus Imperator, ſummus Orator, ſummus Iuriſconſultus.* Exceſſerunt tamen in hac laude, quia, vt ibidem Claudius adnotauit, nõ ita illa in ſupremo gradu, in eo enitebant, quin in eiſdem ab alijs eiuſdem tempeſtatis viris longè ſuperaretur B. autem Virginis ea eſt ſingularis prærogatiua, vt, quia Dei Genitrix eſt, non falsò, ſed veraciſsimè, ſumma

Gen. 49.

Luc. 1.

Ioan Chryſ. in lytur.

Luc. 8.

Athanaſ. ſer. de Deipara.

Gene. 17.

Paraphraſt. Chald.

Luc. 1.

Claud. Minte emb. 83.

in

Luc. 1. in omnibus dicatur, summa in fide: *Beata, qui credidisti*, summa in charitate, *Ordinauit in me charitatem*, vel, vt alia versio habet, *Vexillum amoris in me erexit*. Summa in spe, ita, vt non solùm mater spei nominetur, sed & ipsa spes ab Ecclesia Catholica appelletur in cantico Salue Regina: *Vita, dulcedo, & spes nostra*. Summa in virginitate, cum nemine dissentiente, Virginum Princeps, & Regina sit. Summa in fœcunditate, cùm pro fructu, Deum ipsum in carne ediderit, quo nihil excellentius concipi, aut excogitari potest. Tandem adiecit Iacob: *Benedictionibus vberum, & vuluæ*, per quæ

Cant. 2. Alia versio. Eccl. 24. Eccl. Cathol. in Cant. Sal.

Lyran. in commen. Gene. 49. Lyranus in commentario huius loci adnotauit: *Deprecatus est filio suo abundantiam pecorum, ad quorum procreationem, & nutritionem, præcipua instrumenta sunt, vulua, & vbera*. Quis autem non videat, hoc genus benedictionis, quod à ventre, & vberibus petitur, incomparabiliter accommodatius in beatissimam Virginē quadrare? Vnde & glossa interlinearis ad ventrem, & vbera Deiparę illam beatitudinem refert: & meritò quidem, nā, cùm super ventres aliarum fœminarum

Gene. 3. maledictio illa ceciderit: *In dolore paries filios tuos*; infantes enim nascendo, materna claustra ita abrumpunt, vt necesse sit, matres propter ruptionem illam summo dolore confici, iuxta verba illa

Socr. 16. Christi Domini: *Mulier, cùm parit, tristitiam habet*: ab ea autem maledictione longè abfuit Beata Virgo, quia, cùm Christus Dominus, salua integritate Virginei claustri è visceribus maternis in lucem prodierit, beatissima Virgo in eius partu, sicut in concipiendo, nullam libidinem experta, ita & in pariendo Christum Dominum nullum prorsus dolorem sensit, cui cum matre sua sit sempiternus honor, & gloria in sæcula sæculorum.

Amen.

HOMILIA XVII.

Beatam Virginem non solùm corporaliter Christum Dominum, sed & nos omnes spiritualiter vtero suo portasse, ac suis vberibus lactasse, ex sacra Scriptura, ex sanctis Patribus, & efficacissimis ratiocinationibus commonstramus: vt propterea non solùm Christi, sed & viuentium omnium Mater, & nutrix censeri debeat.

HOC dulcissimum argumēti genus, quo iustorū corda suauissimè recreantur, dum matrem Dei, matrem pariter suam agnoscunt, vt altius reputemus, diuino oraculo prænunciatum lego iustos omnes filios esse Beatæ Virginis, atque adeò ipsam eorum matrem; id enim palàm indicant verba illa Genes. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius*. Sicut enim impij, semen sunt serpentis, ita iusti, spirituale semen sunt illius sacræ mulieris, vt animaduertit Rupertus libr. 3. de Trinit. cap. 19. Nec enim per semen mulieris intelligitur tantum caput electorum, sed & ipsi etiam electi, vt ex presse docuit D. Ioann. Apocal. 12. dum ait: draconem abijsse facere prælium cum reliquis de semine illius mulieris amictæ Sole: *Qui custodiunt* (ait) *mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi*. Atque hinc est, quòd Patres communi consensu, vnoque ore Beatam Virginem, matrem iustorum; matrem electorum, matrem omnium viuentium frequenter compellant. S. Epiphanius hæres. 78. sic loquitur: *Beata mater Dei, Maria per Euam significatur, quæ per ænigma accepit, vt mater viuentium vocetur: ab illa Eua omnis generatio ducta est in terra, hic autem verè à Maria hæc vita mundo genita est, vt viuentem gigneret, & fieret Maria mater viuentium. Eua mortis causa facta*

Gene. 3. Ruper. lib. 3. de Trinit. cap. 19. Ioan. Apoc. 12. S. Epiph. hæres. 78.

facta est hominibus: per ipsam enim mors ingressa est in mundum: Maria verò causa vitæ, per quam genita est nobis vita, & per hanc filius Dei aduenit in mundum. Hæc Epiphanius. D. Chrysologus sermone 14. *Benedicta tu in mulieribus quia in quibus Eua maledicta puniebat viscera, tunc in illis gaudet, hortatur, suscipitur Maria benedicta; & facta est verè nunc mater viuentium per gratiam, quæ mater ante exitii morientium per naturam.* Hæc Chrysologus, noster sanctus Bernardinus tom. 3. sermone 6 artic. 2. cap. 2. loqueas de consensu, quem Angelus Gabriel postulauit Virgini, vt mater Dei fieret, hæc scripsit: *Virgo per hunc consensum in incarnationem filij, omnium electorum salutem viscerosissime expetijt, & procurauit, & omnium saluti, & saluationi per hunc consensum se singularissimè dedicauit, ita vt ex tunc omnes in suis visceribus baiularet, tanquam verissima mater, filios suos.* & sermone 11 art. 2. cap. 1. *Vnde* (inquit) *ab ipso Patre æterno beata Virgo recepit fontalem fœcunditatem ad generandos omnes electos, etiã ipsos Angelos.* Sed iam variis ratiocinationibus idipsum demonstremus; nam eo ipso, quòd Christum Dominum vtero suo corporaliter concepit, nos omnes in eo spiritualiter genuit; vt his mellifluis, ac verè cælestibus verbis doctissimus, ac pijssimus Guilielmus in sigillo, verba illa Cantor. 4 exponens: *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ*, sapienter speculatur *ipsa quidem, quia & acuta videbat intentione contemplationis, & velociter currebat alacritate sanctæ actionis, per capream rectè figuratur. Erat autem huic capreæ hinnulus vnus, mediator Dei, & hominum Christus Iesus, qui corporalibus piæ matris vnius vberibus pascebatur. sicut enim non decebat, matrem Verbi, etiam alios parere, ita nec matrẽ Verbi alijs sacra illa vbera admouere. Proinde, sicut materna viscera sibi sanctificarat, quibus vnicus aleretur, ideò dictum est ei: Beatus est venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. Porrò, eo ipso, quo sibi magnum illum hinnulum* (id est, verbum incarnatum) *corporaliter genuit, duos sibi hinnulos, id est, teneriora eius membra in vtroque sexu, spiritualiter adoptauit. Siquidem per hoc, quod facta est incarnati Verbi mater corporalis, facta est membrorum eius mater spiritualis per hoc, quod caput nostrum secundùm carnem concepit, membra eius lacte pietatis alenda suscepit. Habet ergo vnicum, quem pro tempore lacte corporeo nutriuit, habet & gemellos, id est, ex vtroque sexu adoptatos, quos lacte pietatis nutrire non desinit, illi corporalia matris vbera erant fons proprius, cui communicare non poterat alius. his duo spiritualia eiusdem matris vbera erunt fons itidem proprius, cui nõ communicat alienus.* Hæc doctissimus Guilielmus. Quòd si Apostolus 1. ad Cor. 4. eos, quos ad fidei veritatem sua prædicatione, & doctrina perduxerat, filios pleno ore appelat: *Vt filios meos charissimos moneo: nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nam in Christo Iesu per euangelium ego vos genui*; quibus persimilia sunt illa alia ad Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*: potiore iure B. Virgo, quæ doctrina sua ipsos etiam Principes Ecclesiæ, & clarissimos Doctores, & iustos etiam quotidie instruit, dicere poterit: In Christo Iesu ego vos genui: maximè, quòd gignendo Christum, necesse erat gignere eius membra. B. autem Virginem, communem fuisse omnium magistram, & doctricem, testatur expresse S. Brigitta in suis reuelationibus ser. Angelico cap. 19. vbi ait: *Ascendente filio ad suum Regnum, Virgo Maria in hoc mundo ad bonorum consolationem, & errantium correctionem remanere permissa est. Erat enim magistra Apostolorum, confortatrix Martyrum, doctrix Confessorum, clarissimum speculũ Virginum, consolatrix Viduarum, & coniugio viuentium saluberrima monitrix: atq; omnium in fide Catholica perfectissima roboratrix. Apostolis namque ad se venientibus omnia, quæ de suo filio perfectè non nouerant, reuelabat, & rationabiliter declarabat: Martyres quoq; ad tribulationes pro Christi nomine sufferendas animabat.* Hæc ibi: quibus consonant, quę Ruper. in c. 5. Cant. in hæc verba scripsit:

Rupertus in 5. cant.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? opportuna percontatio, si respiciamus ad illa tempora, quando tu dilecta propter euangelium dilecti, præsens aderas, & in corpore detinebaris magistra necessaria, & testis valdè idonea contra Iudæos blasphemantes, & hæreticos Christianam veritatem corrumpere laborantes. Pulsandum igitur erat ad ostium veritatis, & consulendum oraculum Spiritus sancti, scilicet, sacrarium pectoris tui, vt viua voce omnem necessariò tenendam demonstrares regulam fidei, cũ testimonio scripturarum, quas memoria tenebas, prophetissa magna, & capax omnium prophetiarum. Hæc Rupertus. Imò D. Cyrillus homil. 6. in Nestorium, loquens ad Virginem, hæc longè maiora protulit: *Per te omnis creatura idolorum errore detenta, conuersa est ad agnitionem veritatis, & fideles homines ad sanctum baptisma peruenerunt, atque in toto orbe terrarum constructa sunt Ecclesiæ: te adiutrice gentes veniunt ad pœnitentiam.* Hæc D. Cyrillus. Accedit, quòd si seraphicus P. noster S. Franciscus (vt refert S. Doctor Bonauentura in eius vita capit. 6.) eos, qui exemplo, & precibus aliorum conuertuntur, filios eorundem appellabat; verba sancti Bonauenturę hæc sunt: *Præferendum concionatori vano* (dicebat S. Franciscus) *fratrem simplicem, & elinguem, qui bono exemplo alios prouocat ad bonum: illud quoque verbum, donec sterilis peperit plurimos; taliter exponebat: sterilis est frater pauperculus, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium, hic pariet in iudicio plurimos, quia quos nunc priuatis orationibus conuertit ad Christum, suæ gloriæ tunc Iudex adscribet.* Hęc D. Bonauentura; quanto plures filij B. Virgini adscribentur, cuius immaculatæ vitæ exemplo pænè innumeri viri, & fœminæ euangelicam vitam sunt amplexi. Vnde D. Augustinus libr. de sancta Virginitate cap. 6. dixit: *Hæc mater spiritu membrorũ Saluatoris, quia cooperta est charitate, vt fideles in Ecclesia nascerentur.*

Cyrill hom. 6 in Nestorium.

Bonauen. in vita S. Francisci ca. 6.

Aug. lib. de Virginitate cap. 6.

Isa. c. 33.

Ad hæc Christus Dominus ab Isai. c. 33. vocatus est: *Pater futuri sæculi*; & meritò, quia per baptismum in nouã creaturam iustos regenerauit, Apostolo dicente ad Galatas vlt. *Nouæ creaturæ in ipso efficiuntur, quia pretioso suo sanguine eos redemit, & in filios adoptauit.* Vnde & Dauid in persona Christi, Psalm. 21. de filiorum Dei semine, ac prole copiosa, quam habiturus erat, dixit: *Anima mea illi viuet, & semen meum seruiet ipsi.* Cùm ergo Christus Dominus Pater sit omnium iustorum, & B. Virgo mater est eorum, ad eũ certè modum, quo Sara Isai. 51. dicitur peperisse Hebræos ex eo ipso, quòd genuerit Isaac, ex quo propagati sunt Hebræi. Quare non immeritò, iuxta expositionem Diui Ambrosij libr. de institutione Virgin. cap. 13. beatissimæ Virgini dicitur: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs.* Quamuis enim virgineo Deiparæ vtero vnicum fuerit granum frumenti, quia tamen ex Diuo Ambrosio: *Granum frumenti postea in Cruce mortuum, plurimum fructum attulit: ideò de vno grano tritici aceruus est factus, & completum est illud propheticum dictum, & valles abundabunt frumento.* Ita Diuus Ambrosius, & Epiphanius sermone de laudibus Deiparæ: *Ipsa* (inquit) *est ager minimè cultus, quæ Verbum, velut granum frumenti suscipiens, etiam manipulum germinauit.* Sic ille. Cùm ergo granum illud innumeros electos, quorum Christus caput est, atque parens, virtute contineat; consequens etiam est, vt omnes illi sanctissimæ Dei Genitricis spirituales filij, velut aceruus tritici in eius vtero censeantur.

Isai. 51.

D. Ambr. lib. instit. Virg. c. 13. Cant. 7.

Psalm 21.

Psalm 64.

Epiph. serm. de laud. Virg.

Secundam iam subnecto ratiocinationem; quia Christus Dominus in lecto Crucis iacens, Beatam Virginem constituens matrem dilecti discipuli, & Ioannem filium eius, dicens: *Mulier, ecce filius tuus*, eandem nostram matrem effecit, & in filios eius nos adoptauit; vt S. Antoninus his verbis palàm edixit: *Quia verò Ioannes interpretatur: in quo est gratia, cuilibet etiam, qui Ioannes dicitur, existit, in quo scilicet est gratia gratum faciens; datur*

Ioan. 17.

Virgo

Virgo Maria in matrem. Sicut enim Christus nos genuit verbo veritatis ad esse gratiæ spirituale, in cruce patiendo; ita & Beata Virgo Maria nos genuit, & peperit in maximis doloribus filio compatiendo, pœnas immensas pro nobis patienti. Et quidem Christus Dominus pro singulari eius in nos pietate, ac plusquam regia munificentia, non satis sibi visum fuit, si nos fecisset æterni sui Patris filios, nisi etiam, quo sibi coniunctiores nos redderet, etiam in Ioanne, matris suæ filios efficeret; vt ex vtraque parte tam Patris, quàm matris fratres illius essemus. Quare Diuus Bernardus sermone super signum magnum: *Gratias* (inquit) *age ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione prouidit.* Et hoc fuit legatum, seu hæreditas illa pretiosissima, inter summos cruciatus à Christo nobis relicta, cùm Deiparam Ioanni, & in Ioanne nobis eam tradidit: quod non obscurè in Eliæ pallio figuratum accepimus. Sicut enim olim Elias 4. Regum 2. in curru igneo per turbinem euectus, ascendens in Cœlum, Heliseo pallium suum reliquit, per quod ipse Heliseus 3. Regum 19. à laborioso, & humili arandi opere, ad salutarem, & honorificam Heliæ sequelam antea fuerat traductus, & in quo postea admirabilia effecit, cum Iordanis aquas, vt per eas sicco vestigio pertransiret, diuisit; ita Christus per turbinem passionis, in curru Crucis, flammis charitatis vndequaque flagrante, recedens, Beatam Virginem, quæ suum erat pallium; ita enim illam appellat sanctus Methodius in Hypopante Domini: *Tu es impollutum illius indumentum, quia reuera, ventre suo, velut indumento, aut pallio illum circumdedit: illud, tanquam legatum in testamento suo nobis reliquit, cùm in Ioanne, eam in matre nobis tradidit, cuius virtute, & precibus pœnè innumeræ peccatorum conuersiones fiunt; ac portenta multa quotidie patrantur. Et quemadmodum Heliseum adduci nequiquam potuit, vt Eliam, priusquam raperetur, desereret, sed ad finem vsque illi adhæsit, & ita huius pallij hæres factus est: audierat item Eliam sibi duplicem eius spiritum in se fieri postulanti, ita dicentem: si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petisti; ita & nos, vt tantum Christi pallium hæreditate possideamus, & spiritum eius duplicem, vberem nimirum eius gratiam consequamur, exemplo sancti Ioannis, iuxta crucem Iesu cum matre eius in finem vsque persistamus, per crebram ac deuotam passionis eius meditationem cum animi gratitudine, & charitatis ardore coniunctam, certi, quod* (vt ait Apostolus ad Corinthios 1.) *Si fuerimus socij passionum, etiam & consolationis erimus.*

Tertiam tandem ratiocinationē accipe: quia Christus Dominus frater noster est Diuo Bernardo sermone de aquæductu dicente: *An trepidas ad Christū accedere? frater tuus est, & caro tua tentatus per omnia absque peccato, vt misericors fieret, hunc tibi fratrem Maria dedit, ergo & ipsa mater nostra est.* Quare D. Bonauentura in speculo B. Virg. cap. 8. dixit: *Maria non solum est mater Christi singularis, sed etiam mater omnium fidelium vniuersalis. Vnde D. Ambrosius ait: Si Christus est credentium frater, cur non ipsa, quæ genuit Christum, credentium sit mater? eia charissimi omnes nunc gaudeamus, nunc omnes gaudendo dicamus: benedictus frater, per quem maria est nostra mater, & benedicta mater, per quam Christus est noster frater.* Hinc bene Anselmus ait: *Domina mater, per quam talem fratrem habemus, quid gratiarum, quid laudis tibi retribuemus?* Hactenus D Bonauentura.

Ceterum, sicut B. Virgo non solū mater, sed & nutrix fuit Christi Domini, vtero suo secundùm carnem illum concipiendo, & vberibus suis lactando: ita nō contenta, iustos secundùm spiritū concepisse, eosdem etiam spiritualibus suis vberibus materna prouidentia nutrit, & lactat. Vnde verba illa Isa. 66 quæ secundùm litteralem sensum de Deo, vniuersali omnium parente intelliguntur, rectè etiam in B. Virg. communē omnium matrem conueniunt: *Sugetis & ad vbera*

Bernar. serm. super signum magnum.

4. Reg. 2.

3 Reg. 19.

S Metho. in hypapan Domini.

Ioan. 19.

3. Reg. 18.

Ad Cor. 1.

D Bern ser. de aquæduc. Ad Heb.

D. Bonan. in spec. B.V. c. 8.

Ambr. relatus à D. Bonauent.

Anselm. relat. à D. Bonau.

Isa. 66.

Portabimini, & super genua blandietur vobis, sicut mater blanditur filio suo. id quod probè intelligens mellifluus Guilielmus in cap. 6. Cant. exponens illa verba: *Vbera tua sicut botri.* hæc scripsit: *Habet autem pia mater, & spiritualia vbera, quibus nimirum datum est illi adoptiuos fratres filij sui spiritualiter enutrire, & de his quidem vberibus eius potest intelligi, quod in Prouerbijs dicitur: Cerua charissima, & gratissimus hinnulus, vbera eius inebrient te omni tempore, & in amore eius delectare iugiter. Cerua enim charissima est, quæ habet gratissimum hinnulũ, Maria scilicet, quæ peperit Iesum. Cerua ista magnorum planè, nobiliumque ceruorum filia est, quorum vnus: quemadmodum* (inquit) *desiderat cerus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Magnus itidem; nobilisque cerus fuit Abraham, à quo exorsus est magnorum successiones ceruorum, dixitque Matthæus vsq; ad ceruam charissimam de qua natus est hinnulus gratissimus, id est, vsque ad Mariam, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Vbera* (inquam) *eius inebrient te omni tempore, & in amore eius delectare iugiter: bis dicitur, eius, vnum refert ad ceruam charissimam, alterũ verò ad gratissimum hinnulum sic, vbera eius, id est, ceruæ charissimæ, inebrient te in omni tempore, & in amore eius, id est, gratissimi hinnuli, delectare iugiter, nempè parum est, amare gratissimũ hinnulum, nisi in amore eius delecteris, cùm sit & amor crucians, magis quam delectans. Plenum est vberibus maternum illud pectus intus, & foris: foris quidem, habet duo vbera, quibus pro tempore pia mater aluit filium Dei: intus idẽ duo vbera habet ad alenda membra eius, vnũ compassionis, alterum congratulationis; vt enim eorum infirmitatibus maternè compatitur, sic eorum profectibus maternè congratulatur, non quòd nostris tribulationibus, perpetuas eius, quibus fruitur, delicias minuamus, vel bonis nostris, quibus vtiq; non eget, beatitudini eius addere valeamus; sed ipsam nobis compati, est, in pressuris, quas patimur, gratiam nobis consolationis à filio impetrare, & nobis congratulari, est, profectibus nostris perseuerantiam, & augmentum à filio postulare. Cùm ergo infirmitates nostras pijs precibus sublenat, lactat nos vbere congratulationis; sic duo eius vbera, sicut duo hinnuli capreæ gemelli.* Hæc ille. Quibus consentanea sunt, quæ in eadem verba Cant. eleganter disseruit Haylgrinus: nã duo hæc vbera interpretatur affectũ pietatis, seu deuotionis, & affectum misericordiæ, de quibus dulcedo piæ deuotionis, velut lac sugitur, & quæ, adiuncta discretione, velut acuto capreæ lumine considerant, qua, & quanta quisque ope indigeat, & per talem considerationem discurrunt, & per promptam subuentionem accurrunt velociter, vt hinnuli, quibus affectus hi comparantur propter varios subuentionum modos, quia pellis hinnulorũ pulchra maculariũ varietate distinguitur: gemellos vocat, quia hi affectus valdè similes sunt, eo quòd ex vno fonte, misericordiæ, & pietatis officia manant; ijdem in ingratis moriuntur, & deficiunt, sed in illis nutriuntur, & adolescunt, qui candore, & odore bonorum operum lilijs assimilantur. Vbera ista Deiparæ, tota hac præsenti vita lac suum propinare non cessant, donec veniat dies illa, quæ corporibus de puluere reformatis, aspirabit spiritum vitæ, & vitam gloriæ; donec vmbrę præsentis miseriæ inclinentur, &c. Inter alia multa, quæ de vberibus Philosophi naturalium arcanorum diligentes inuestigatores commemorant, illud singulare est, quòd habent vim conuersiuam; hac enim ratione natura cordi, vitalis caloris perenni fonti, vicina illa constituit, vt sic copiosiore eius participatione coctionẽ sanguinis facilius efficiant, & in lac illum conuertant, lac enim nihil aliud est, quàm sanguis bis coctus, semel in venis, & iterum in mammillis. Vnde lac dicitur à voce Græca: *Leucos*, quod album significat, quia sanguis in vberibus fit albus, vt adnotauit Archid. in cap. denique, dist. 4. Hac mirabili vi conuersiua prædita multifariã agnosco spiritualia Beatissimæ Virginis vbera, quę sunt, eius Pietas, & Charitas, quibus

Guliel. in ca 7. Cant.

Prouer. 5.

Psa. m. 41.

Matth. 1.

Prouer. 5.

Haylgrin. in 7. Cant.

Cant. 2. Philosophi naturales.

Archid. in c. denique dist. 4.

iustos

iustos cõsolatur, & nutrit: multiplicem tamẽ, quam conficiunt, conuersionem, satis vtiq; mihi insinuasse videtur Deipara Ecclesiast. 24. cùm dixit: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Conuertunt spiritualia pię huius matris vbera frigus nostrum in calorem, quia à nobis spiritualem expellens torporem, feruorem diuinæ dilectionis in nos effundit: *Ego mater pulchræ dilectionis.* Vnde Seraphicus noster Doctor S. Bonauent. in spec. B. Virg. c. 7. versans illa verba Isa. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet,* hæc eruditè & piè de thesauro suę deuotionis profert: *Quicunque septiformem Spiritum sancti gratiam adipisci desiderat, ipsum florem Spiritus sancti in virga quærat, per virgam enim ad florem, per florem ad spiritum in ipso requiescentem peruenimus, per Mariam ad Christum accedimus, & per Christum gratiam Spiritus sancti inuenimus. propterea Bernardus Mariam alloquens, ait: per te accessum habeamus ad filium, ô benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, vt per te suscipiat nos, qui per te datus est nobis.* Hæc D. Bonauent. Conuertunt prętereà mœrorem vani timoris in gaudium timoris filialis: *Ego mater timoris.* est enim proprium huius timoris animam recreare, iuxta illud Ecclesiast 1. *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium in longitudinem dierum.* Conuertit ignorantiæ nostræ tenebras in lucem, lacte suæ doctrinæ nos nutriens: *Ego mater agnitionis:* sicut enim nutrix cibaria, quibus vescitur, sibi incorporat, & in dulce lac cõuersa, per os mammillæ ori pueri infundit, sic Deipara Virgo secreta fidei arcana, ac difficiles, quas audiebat sentẽtias, memoria sua ruminans, iuxta illud Lucæ 2. *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Postea illa iam digesta, discipulis Christi effundebat, vt adnotauit Beda in comment. illius loci: *Huiusmodi autem lac non potuit nisi optimum esse, quia non scaturiebat è limo terrenæ sapientiæ, vel secularis literaturæ, sed cælitus ex alto defluebat, instar matutini roris, & serotini imbris.* Vnde melius, quàm Moyses Deuter 22. canere potuisset illud: *Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum: quasi imber super terram, & quasi stillæ super gramina.* Conuertunt tandem hæc sacra B. Virginis vbera vacilliationem animi, illum perturbantem, infirmissima spe animam stabilientia: *Ego mater spei.* spes animam firmat, iuxta illud ad Heb. 6. *Confugimus ad tenendam propositam nobis spem, quam sicut anchoram animæ habemus tutam, ac fixam.* ego sanè ita fixè collocatam in pietate B. Virginis spem meam habeo, vt meritò cum Dauid canere possim Psal. 21. *Spes mea ab vberibus matris meæ.* etenim in alijs matribus sanguis ex excessiuo calore accẽditur, & sic ad iracundiam corda earum concitantur: at in pissima Virgine, ac amãtissima matre excessiuo calore sanguis accẽsus, locum non habet; sed vbera eius pietatis lacte turgentia nobis exhibet; nihil enim seuerum, aut austerum in ea cernitur, tota lactea, tota mellea: vt propterea, meritò ei dixerit sponsus, Canticorum 4. *Mel & lac sub lingua eius.* Vnde D. Bernardus super missus inquit: *Reuolue totam scripturæ seriem, & si quid in Maria austerum inueneris, de cæteris eam suspectam habeas, & ad ipsam accedere verearis.* ipse autem D. Bernard. serm. 3. in Cant. Salue Regina: ita in B. Virgine spem suã firmarat, vt non dubitaret ei dicere: *Omnibus firmamentis firmius firmamentum, tu Domina, quæ Dominum Cæli concepisti, portasti, & non defecisti.*

Ecl. 24. Deuter. 22. Eccles. 24. Ad Heb. 6. Psalm. 21. Cant. 4. D. Bern. sup. missus est. D. Bern. ser. 3. in Cantico Salue Regina.

Ad extremum ex his omnibus efficitur, vt, dum Beatissima Virgo nos, tanquã filios spiritualiter regenerat, & nutrit, Christi etiam Domini spiritualis mater, & nutrix efficiatur, nam Matth. 10. Dominus dixit: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* quæ verba explicans D. Gregor. homil. 3. in Euangel. *Sciendum* (inquit) *nobis est, quia qui Christi soror & frater est, credẽdo efficitur mater præ dican-*

Matth. 10. Greg. hom. 3. in Euang.

Eccl. 24. — S. Bonau. in spec. B. Virg. c. 7. — Isa. 11. — Bernard. — Eccles. 24. — Eccles. 1. — Eccles. 24. — Luce 2. — Bed. in com. Luce 2.

dicando; quasi enim parit Dominum, qui eum cordi audientis infundit, & mater eius prædicando efficitur, si per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur. Hæc Diuus Gregorius. Cùm ergò Deipara sanctissima multis modis, vt in aliorum cordibus Christus gigneretur, effecerit, consequens est, vt spiritualis eiusdem mater sit effecta. Imò & Diuus Iustinus martyr quæstione 136. exponens illa verba Matthæi 12. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est*, duplicem in Beatissima Virgine respectu Christi maternitatem agnoscens: *Non matrem* (inquit) *debito honore fraudat Dominus, sed docet, qua* (vt ita dicam) *ex maternitate Virgo sit beatissima. Si enim is, qui verbum Dei audit, & seruat, Dei est frater, & soror, & mater, quorum vtrumque in eius mente inerat, perspicuum est, matrem ipsius ex hac matris ratione beatam dici oportuisse.* & Diuus Augustinus libro de sancta virginitate capite octauo inquit: *Faciens voluntatem Dei, corporaliter tantummodo mater est, spiritualiter autem & soror, & mater.* & Guarric. Abbas sermone decimoquarto, de Assumptione Beatæ Virginis dixit: *Ipsa Virgo voluntatem Patris in tantum faciebat, vt de ipsa prædiceret Deus per Isaiam capite sexagesimo secundo. Vocaberis voluntas mea. Igitur, vbi eam filius negligere videtur, ibi amplius illam honorasse inuenitur, dum ei materni nominis honor duplicatur pro eo, quòd eundem filium, quem aluo gestauerat incarnatum, etiam nunc animo gestabat inspiratum.* Cui propterea sit honor, & gloria in sæcula sæculorum.

Amen.

Iust. in mart. q. 136. super illa verba Matth. 12.

D. August. li. de sancta virgin. c. 8.

Guarr. Abb. ser. de assūpt. B. Virg. Isa. c. 62.

HOMILIA XVIII.

Vindicatur Deipara ab iniuria, quam Hæretici ei irrogant, aduersus eam perperam intorquentes verba illa Christi Domini: Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud: quorum germanus, & Catholicus apponitur sensus iuxta receptissimam Patrum illius loci expositionem.

HAEretici, sacratum Scripturarum manifestissimi deprauatores, insanissimè opinantur, verba illa, quæ respondit Christus mulieri: *Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, reprehensoria fuisse, quòd stultè dixisset: *Beatus venter, qui te portauit.* Lutherus tamen, præsertim in Euangelium de die Conceptionis Mariæ, introducit Christum Dominum his verbis taxantem insciti am huius mulieris: *Grauant me carnales laudes, nec mater mea hinc beata est, tua laus nullius momenti est, non enim adhuc ea, quæ Dei sunt, assequeris, cor tuum ab his friuolis, inanibus, & vanis cogitationibus auerte.* Verùm, tam Lutherus, quàm omnes eius assecłæ certatim eximiam Matris Dei dignitatem deprimere satagentes, & venerationem vteri virginei hostiliter oppugnantes, hoc tãtum (me iudice) assequuntur, vt quò acriùs in Deiparam Virginem debachantur, eò plures, & præstantiores Marianæ dignitatis præcones, & vindices emergant. Vtinam in eorum numerum referar, qui non absque speciali diuini numinis prouidentia hoc subeant munus, quod Gabriel benedictam in mulieribus, & Elisabetha beatam prædicans, ac præsens Euangelica mulier, vterum eius beatificans, ad B. Virginem celebrandam præclarè sanctęq; admodum inchoarunt: nec enim aliter fieri potest,

Hæret. scrip. deprauat. Lucæ 11.

Lutherus in Euan. de die Concep. B. V.

Luc. 1. & 2.

poteſt, quin perpetuum robur, ac vigorem, inceſſantemq; curſum habeat, quod diuino eſt oraculo prænunciatum, atq; ſancitum, vt Mariã, cui (vt ipſa cecinit) magna fecit, qui potens eſt, Beatam dicant omnes generationes. Vnde, quam perperam aduerſus celſiſſimam Deiparentis dignitatem verba illa hi Hæretici intorqueant, meridiana luce clarius commonſtrare, noſtrum erit abſque labore munus.

Et quidem in primis Hæreticorũ ſocordia, & in ſacris Scripturis perſcrutãdis oſcitantia, dum affirmant, per phraſim illam loquendi: *Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei*, negari, quod nuper dictum fuerat, & affirmari, quod poſtmodum dictum eſt: ex quo inferunt, Chriſtum negare, matrem ſuam beatã fuiſſe, quia illum genuit, aſſerere verò eos eſſe beatos, qui verbum Dei audientes, illud cuſtodiunt; omninò abijcienda, ac deteſtanda eſt: nam ſi vim vocabuli reſpiciamus, Eraſmus, qui magis Latinus eſt, quàm Theologus, in c. 11. Luc. expreſsè ait: particulam illam, *Quinimò*, non eſſe negantis, in eo autem quod ſubdit, neq; eſſe affirmantis, mentitur in caput ſuũ: nam præterquam Patres omnes in commentario illius loci (quos neminem adeò mentis inopem eſſe putarim, qui non iudicet Eraſmo præferendos) in ſacris Scripturis elucidãdis, vnanimi cõſenſu docẽt, vocem illam, Quinimo, idem valere, quod imò potius, qui autem dicit potius vtrunq;, & quod dictum, & quod eſt dicendum, affirmat; vt exempli gratia, ſi quopiam dicente, bonum eſt argẽtum, reſpondeas, imo potius aurum, nõ negas, ſed affirmas, argentum eſſe bonũ, cæterùm, aurum melius eſſe dicis. Sacra etiam eloquia eadẽ voce, quinimò, nonnunquam vtuntur, vt planè ſit aſſeuerãtis. etenim & 1. Reg. 20. legimus, Dauid Ionathæ loquens, dixit: *Quinimò viuit Dominus, & viuit anima tua, quia vno tantum, vt ita dicam gradu ego, morſque diuidimur.* quod (vt obſeruant Hebraicæ linguæ periti) idem fuit, ac ſi diceret: *Profectò viuit Dominus.* Vnde & Græci interpretes ſuper cap. 11. Luc vbi vulgatus interpres legit: *Quinimò beati*, ipſi vertunt: *Quin profectò beati.* Vox igitur, *Quinimò*, non ſemper eſt aduerſatiua, ſed addit etiam id, quod potius eſt. Vnde cùm Chriſtus Dominus dixit, quin potius beati, perinde fuit, ac ſi dixiſſet, quin potius beatiores; id enim conſonat prhraſi Hebreæ, quæ frequẽter poſitiuo vtitur pro comparatiuo, vt cùm Dominus dixit Thomæ: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: beati*, id eſt, beatiores, *qui non viderunt, & crediderunt.* Vnde noſter D. Bonauentura in Commẽtario huius loci expreſsè docet, Chriſtum Dominum approbaſſe laudem illius mulieris: verba eius ſunt hæc: *Quantum ad approbationem laudis expreſsè ſubdit, quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, hoc non dicit aduerſando, ſed potius ſuperaddendo; non ſolùm beatus venter, qui portauit me, Verbum caro factum, verùm etiam beatior, qui ſuſcipit Verbum à me prolatum. Vnde & Maria non tantum beata fuit, quia Chriſtum geſtauit in carne, verùm etiam beatior, quia ipſum perfectiſsimè geſtauit in mente.* Hæc D. Bonauentura. Nunc accipe, quæ ſingulari eruditione in Commentario huius loci ſcripſit Venerabilis Beda in hæc verba: *Pulchrè Saluator atteſtationi mulieris annuit, non eam ſolummodo, quæ Verbum Dei corporaliter generare meruerat, ſed & omnes, qui idem Verbum ſpiritualiter auditu fidei concipere, & boni operis cuſtodia vel in ſuo, vel in proximorum corde parere, & quaſi alere ſtuduerint, aſſeuerans, eſſe beatos; quia & eadem Dei Genitrix, & inde quidem beata, quia Verbi incarnandi miniſtra facta eſt temporalis; ſed inde multò beatior, quia eiuſdem ſemper amandi cuſtos manebat æterna: qua ſententia ſapientes Iudæorum clam percutit, qui verbum Dei non audire & cuſtodire, ſed negare, & blaſphemare quærebant.* Poſtea verò nonnullis interpoſitis citatis verbis illis, *Beatus venter, qui te portauit*, ſubdit: *At ille teſtimoniũ veritatis prolatũ libenter accipiens, continuò reſpondit:*

Eraſmus in pertim Theologie in c. 11. Luc.

1. Reg. 20.

Hebraicæ linguæ diſſerenti

Græci interp. ſup. c. 11. Luc.

Phraſis Hebrea.

Ioan. 20.

Bonauent. in commen huius loci Lucæ 11.

Venerabilis Beda in cõmen. Luc. 11.

Beati,

Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud: ac, si apertè dicat: Quamuis singulare priuilegium habeat, quæ Filium Dei incarnatum Virgo in vtero gestare, parere, ac nutrire digna extitit, atque præcipuum (hoc est, præclarum, & honestum) id iudicetur, tamen in eadem vita perpetuæ beatitudinis locum, & ipsi sunt habituri, qui eius fidem, ac dilectionem casto in corde concipiunt, qui sedulam in mente præceptorum eius memoriam portant, qui hanc & in mente proximorum solerti cohortatione nutrire satagunt. Euthymius nobilis interpres super eundem locum hęc scribit: *Euthy. super eundem locũ Lucæ 11.* *Non ergo hic sermo abnegantis consanguinitatem illorum iuxta carnem; neque enim dixit non sunt, sed præponentis eam, quæ secundùm virtutem est, ac dicentis, nullam illius esse vtilitatem, nisi & hæc adsit. Quòd si nec Dei matri genuisse illum profuisset, nisi virtutem secuta fuisset; cui alteri proderit viri sancti esse cognatum, si virtutem non habeat. Contigit enim & cognatos non haberi pro cognatis, & non cognatos pro cognatis haberi: illud quidem propter vitam dissimilem, hoc autem propter conuersationis bonæ similitudinem.*

His Patrum testimonijs insistẽs Cornelius Iansenius in sua concordia Euangelica cap. 50. ait: *Iansenius in cõcordia Euang. c. 50.* *Est autem, quinimò pro quo Græcè verti potest, certè: coniunctio, qua non negatur, quod dictum est, sed cùm affirmatione dicti infertur, quod est certius itaque non negat hoc responso Dominus, matrem ob conceptum sui, & enutritionem esse beatam:* Hæc ille.

Cæterùm, vt clariùs innotescat hæreticorum delirium, dum per illa verba: *Quinimò beati, qui audiunt Verbum Dei*: insanissimè putant, Christum Dominum abnegasse matrem suam esse beatam, etiamsi Dominus disertis verbis dixisset: non est beatus venter, qui me portauit, sed beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud; non posset inde inferri Christum negasse, quod mulier illa dixerat; nam quemadmodũ ex eo, quòd dixit Marci 9. *Marci 9.* *Misericordiam volo, & non sacrificium*, colligi minimè potest, Deum sacrificium nolle, sed minus, quàm misericordiam id velle, & similiter ex eo, quod dixit apud Matth. cap. 10. *Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Non sequitur, non fuisse Apostolos, qui loquerentur, sed Spiritum sanctum potius fuisse, qui in ipsis loquebatur; tale iamsi Christus dixisset: non venter, qui me portauit, sed qui audit verbum Dei, & custodit illud; certè non negasset, beatum ventrem, qui se portauerat, sed minus beatum, quàm qui Verbum audiret, & custodiret illud significasset: enim in his, & alijs similibus locutionibus id, quod absolutè negari videtur, non absolutè, sed alterius comparatione negari. *Matth. 10.*

Ad hæc, dum hæretici falsò opinantur, Christum Dominum negasse illis verbis: *Beati, qui audiunt Verbum Dei*, Virginem Mariam esse beatam: quia vtero suo portauit illum, ipsi Christo iniuriam inferunt, iudicantes hunc errorem in mentem eius cadere potuisse; nam mulier illa, cùm dixit: *Beatus venter, qui te portauit*, planè id intellexit de ventre, qui dignè illum portasset: altiùs enim aliquid cogitauit de B. Virgine, quàm quod corporale in illa erat; vt hoc loco fatentur Beda, & Iansenius. Dignè autem vtero concipere Filium Dei, ipsammet gratiam significantem, apertè includit: etenim ipsa prius corde, quàm corpore, prius mẽte, quàm ventre, prius fide, quàm reipsa Christum concepit. Causa autem reddens illam dignam ad Christi cõceptionem fides fuit, & assensus charitate informatus, quem præstitit, vt Verbum caro fieret in ea. Certè *Bed. Iansen.* *Ioan. 1.* in cæteris matribus nõ requiritur fides, vt concipiant: fiunt enim ipsa natura, & congressu viri fœcundæ, non merito, & fide, nec mirũ, cùm parituræ sint miseros peccatores, reos, ac filios iræ. At Beatissima Virgo peperit iustum, & sanctum, imò & ipsum Dei Filium: *Ad Ephes. 2.* *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* *Lucæ 1.* Quàm dignam igitur reddi oportuit,

quæ

quæ tanti filij mater esset? non hic naturæ, sed Spiritus sancti virtus requirebatur: *Qui non habitat in corpore subdito peccato, nec in maleuolam animam ingreditur.* itaque dignitatem maternę animæ precedere oportuit, vt & conceptio Verbi consequeretur. Cùm ergò mulier illa intellexerit, beatam esse Virginem ex eo, quod dignè vtero suo cōcepisset, & portasset Christum Dominum, nullus nisi insanissimus, & à fide Catholica longè aberrans, dicet Christo Domino, displicuisse laudem, quam illa mulier protulit. Verùm, vt hæreticorum petulantiam magis compescam, demus illis, mulierem illam nihil sublimius de B. Virgine cogitasse, sed id præcisè, quod Christum vtero cōcepisset, & vbere suo illum lactasset, adhuc ex hoc solo capite veracissimè locuta fuisset mulier illa, beatum appellans Mariæ Virginis ventrem, nam si Christus Dominus dixit: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis*; quanto potiore iure verum dixit, beatum esse ventrem, qui illum portauit, cum & excellentius multo sit, generare Christum, quàm illum oculis corporeis videre, incomparabiliterq; maius beneficium B. Virgini fuerit collatum, cum effecta fuit Mater Dei, quàm quod collatum est his, qui corporaliter illum videbant? Quòd si Dauid dixit: *Adorate scabellum pedum eius.* Psalm. 89. cur non adorandus venter, qui illum portauit? cum reuera (vt Richel. adnot. in cap. 10. Luc.) Beata Maria inæstimabiliter dignificata, & deificata manserit ex filij vnione, communione, contuitu, & obsequio. Quòd si etiam Isaias glorificauit Christi sepulchrum illis verbis: *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* nemoque id inficiatur, aut reprehendat: ergo nec inficiandum, aut reprehendendum est, quod mulier illa beatificauerit virgineum ventrem: nam si sepulchrum inanime inanimatum Christi corpus continens, gloriosum est, multò gloriosior censeri debet animatus venter Deiparæ Virginis animatum corpus Christi concipiens, & gestās, maximè cum Christus nonnisi tribus diebus in sepulchro iacuerit, in vtero autem virgineo per nouem menses requieuerit. & si Regina Saba prudenter iudicauit, beatos esse, qui ita propinqui erant Salomoni, vt frequenter possent audire sapientiam eius; dubium nō est, quin beatiorem iudicasset B. Virginem, quæ ita propinqua erat Christo, de quo dictum est: *Ecce plusquam Salomon hic,* vt vtero suo illum conciperet, & gestaret, & natum, vbera eius sugentem, gremio suo contineret.

Accedit, quòd qua ratione infœlix, & infortunatus appellari potest venter muliebris, quatenus concipit filium, peccati originalis næuo deturpatum, ac inimicum Dei, & secundùm præsentem iustitiam ad inferni barathrum destinatum: vnde ad id respiciens Iob cap 7. dixit: *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo*: ita à contrario sensu virgineus Mariæ venter beatissimus est, ac fœlicissimus est prædicandus, qui non peccatorem, sed iustum, non in peccatis genitum, sed Spiritu sancto cooperante conceptum, non filium iræ, sed Filium Dei, non destinatum ad infernum, sed beata, & Dei clara visione fruentem, non inimicum Dei, sed sibi dilectum, in quo sibi benè complacet, & per quem accessum habemus apud Patrem, vtero suo concepit, & baiulauit. Deinde, quia apud omnes nationes communi locutione beatus appellatur, qui bonis abundat, aut ille, cui fœlix aliqua sors maximi honoris, aut dignitatis contingit. Cùm ergò Beatissimæ Virgini fœlicissima illa sors ex diuina prædestinatione obtigerit, vt ad culmen dignitatis matris Christi Domini ascendisset, meritò per solam illam maternitatem potuisset mulier illa beatam, immò & beatissimam nuncupare Mariam, maximè, cùm & omnia bona venerint ei pariter cum illa, & maternitatis dignitas causa extiterit, ob quam

Sapient. 1.
Luce 10.
Psal 89.
Richel. in c. 10 Luc.
Isa c. 11.
Ioan. 19.
3. Reg. 10.
Matth. 12.
Iob c. 7.
Matth. 17.
Roman. 5.

veria cœlestia charismata diuinitus ei fuerint collata: alioquin si Christum vtero suo non concepisset, minimè illi conferenda.

Rursus. Certè si verba illa: *Beatus venter, qui te portauit*, dissonam B. Virginis laudem, minimeq; ei congruentem cõtinerent, vtique Ecclesia Catholica non passim vsurpasset similẽ loquendi phrasim, sæpè autem canit: *Beata es Virgo Maria quæ omnium portasti Creatorem, & beata vicera Mariæ Virg. quæ portauerunt æterni Patris Filium*; atque alia his similia, quæ in festo immaculatæ Conceptionis, & Natiuitatis Deiparæ habetur. Denique, quia ipsamet Virgo diuino spiritu afflata prophetauerat, ab omnibus generationibus beatam se fore prædicandam propter magna, quæ Dei omnipotentia in ea effectura erat: *Ecce enim, ex hoc beatã me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est.* Quis autem, nisi omninò desipiat, magnum quidpiam esse B. Mariam, Christum Deum, & hominẽ concipere, & vtero suo illum gestare negabit? Vnde sacri Euangelistæ ad maiorem B. Virginis honorem, sæpiùs illam nominant *Matrẽ*. Propter hoc igitur magnum, quod ei fecit Dominus, meritò appellari potest, & debet beata. Non ergò perfidi hæretici intelligunt, quale, quantumq; hoc B. Mariæ sit donum, etiam secundùm carnem Dei Matrem existere: intellexit tamen D. Ansel. qui lib. de excell. Virg. c. 2. sapienter dixit: *Hoc solum de sancta Virgine prædicari, quòd Dei Mater est, excedit omnem altitudinẽ, quæ post Deũ dici, vel cogitari potest.* Quare cùm D. August. tract. 10. in Ioannem in persona Christi dicit: *Mater mea, quam appellastis fœlicem, inde fœlix, quia verbum Dei custodiuit, nõ quia in illa Verbum caro factum est, & habitauit in nobis* non negat, fœlicem fuisse ex maternitate, sed præfert fœlicitatem, quam habuit ex custodia Verbi diuini. idq; clarè constat ex alio loco eiusdem D. August. lib. de sancta virgin. c. 3. dum ait: *Beatior fuit Maria percipiendo fidẽ Christi, quàm concipiendo carnem Christi.* ecce comparat illa duo, & supponens Virginem beatam esse ex primo affirmat, beatiorem ex secundo. Atque ex his omnibus infero, tantùm abesse, vt Christus Dominus laudem illam matri suæ delatam: *Beatus venter, qui te portauit*, abiecisse aut refutasse voluerit, vt potius illam admittens, eandem perfecerit, & confirmauerit, subiungẽs aliam potiorem rationem, per quam Virgo beata erat prædicanda, nempè quia audierat Verbum Dei, & custodierat illud: ipsi enim præcipuè dixit Dauid pater eius: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.* inclinauit certè, cum Angelo ad se destinato assensum præbuit, dicens: *Fiat mihi secundum verbũ tuum.* Deinceps etiam tam sollicitè verbum Dei custodiebat, vt D. Lucas cap. 1. de illa dicat: *Conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Conseruauit in vẽtre memoriæ: *De abscenditis tuis adimpletus est venter meus.* Psal. 16. Conseruauit in ventre cordis: *Ad tactum eius intimuit vẽter meus.* Conseruauit in ventre mentis suæ: *Fili hominis, venter tuus comedet, & viscera tua implebũtur volumine isto.* Conseruauit in ventre appetitus sensitiui: *Conglutinatus est in terra venter noster*, excepto tamen B. Mariæ, quæ caruit peccati fomite. Conseruauit in ventre gratiæ, vt D. Gregorij vtar phrasi, qui exponens illud Iob cap. 38. *De eius vtero egressa est glacies*, inquit: *Quid enim in vtero, nisi gratiæ sinus accipitur?* Cùm ergo B. Virgo non solùm Verbum incarnatum vtero corporis custodierit, sed verbum prædicatum vtero cordis sui diligenter conseruauerit, fœlix, & beata est ex primo; fœlicior tamen, & beatior est ex secundo. Vnde Beda in Commentario huius loci ait: *Eadem Dei genitrix, & inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis, sed inde multo beatior, quia eiusdem semper amandi custos manebat æterna.* quib. consonant verba D. August. lib. de sancta virginitate c. 3 dum ait: *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi prius Christum*

Eccl. Cath in offic. natiu. & concept. B. Virg.

Luc. 1.

Ibidem.

Isai. 19.

D. Ansel. lib. de excel. virgin c. 2.

D. Augustin. tract. 10. in Ioan.

D. Augustin.

lib. de sanct. virgin. c. 3.

Psal. 44.

Luc. 1.

Ibid.

Psalm. 16.

Cant. 5.

Ezech. 3.

Psal. 43.

D. Gregor. in Iob. c. 38.

Beda.

D. Aug. li. de sancta virgin. cap. 3.

Christum corde, quàm carne gestasset. Quare illis verbis generalibus: *Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*: vberius multò affirmauit Christus, matrem suam esse beatam, quàm mulier illa verbis illis peculiaribus: *Beatus venter*, &c. Nam Christi Domini verbis laudata est eius anima, verbis autem illius mulieris commendatum est eius corpus: illa quidem sermone suo extulit corporea concipiendi, & lactandi munera. Christus autem spiritualia liberi arbitrij, cœlesti gratia perfusi officia, in credendo, & amando Deum commendauit; quę verbi diuini custodia complectitur. Deinde, cùm Christus Dominus respondit illi mulieri: *Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiũt illud*, videtur mihi quoddam cõsolationis genus exhibere ei voluisse in præmium; quod alijs omnibus, qui aderant, cum blasphemantibus, ipsa sola in laudes eius prorupisset. Consolatio autem hæc fuit: Si tanti facis ventrem, qui me portauit, vt beatum illum voces, ne desperes, appellationem beatę te cõsequi posse; nam si verbum Dei audieris, & illud custodieris, beata quoque tu eris: vel dicamus aliter: Tu matrem, & gestatricem Verbi prædicas beatam. in illa Deum laudas, & me simul honoras; quod autem de matre affirmas, eq; dem non negauerim, quin eam etiam beatam esse confirmo; nolim autem, vt quisquam putet, illam solam beatitudinis participem esse, sed generatim hoc dixerim, iustos & beatos etiam omnes posse censeri, quicumq; idem illud verbum, quod à me prædicatur, corde, sicut illa, susceperint, atq; opere fideliter adimpleuerint. Itaque Christus Dominus non negauit, Virginem fuisse beatam, ex eo, quod ventre suo illum cõcepisset, sed ex hoc occasionem accepit, Verbum Dei, quod prædicabat, commendandi, quod beatiores homines, quàm vẽtrem, & vbera posset facere. nam & ipsa mater sua beatior erat, quod mẽte, quàm quod vẽtre Christum concepisset. Hoc autem genus beatitudinis omnes poterant ex diuino auxilio obtinere: beatitudo enim, & fœlicitas gestandi in vẽtre Christum Dominum, vni soli Mariæ data erat, nec alteri vnquam communicanda: beatitudo autem audiendi, & custodiendi verbum Dei, omnibus poterat esse communis. Falluntur igitur omnes hæretici, dum ex voce Christi Domini, *Quinimò*, perperam intellecta, tot, ac tantas turbas excitãt, vt Dei Genitricis honorem obscurent: Cui sit cum Filio eius honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Augustinus.

HOMILIA XX.

Christus Dominus verbis illis: Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, humanas laudes longè abijciendas esse nos docet.

NON desunt graues huius loci interpretes, qui putarint, Christum Dominũ propterea duriusculis illis verbis secundùm speciem respondisse mulieri, se & matrem suam laudanti, vt tãquam perfectionis Euangelicæ archimagister, humanas laudes contemnendas significaret, nec de aucupãda populari aura Christiano homini quidquam curandum esse doceret. Quod genus argumenti tanto libentius pertractãdum suscipio, quantò & ad vanæ gloriæ pestẽ expiandam vtiliùs, & omnibus statibus hoc vitij genus familiarius esse iudico. Etenim illud singulare in vanæ laudis, & humanæ gloriæ appetentia nõ semel obseruaui, quod, licèt non omnia vitia omnium corda subintrẽt; quędam enim sunt familiaria diuitibus, alia sapientib. alia principibus, alia subditis; humanæ tamen gloriæ appetitus, instar passionũ entis (vt Philosophi loquũtur) quæ omnia trãscendunt; omnũ pulsat animos, & instar vniuersalis pestis, vndiq; grassatur, & per oẽs serpit, vt cãcer: ad quod

alludēs Socrates (vt auctor est Stobæus ser. 31.) vanæ laudis appetitus morbum in hunc modum pulchrè descripsit: *Si quis in theatro iuberet coriarios solos surgere, illi soli surgerent; similiter, si fabros ferrarios, textores, aut alios generatim: si verò prudentes, aut iustos iubeat surgere, hic omnes illico consurgent, quia omnes tales videri volunt.* Appetitum hunc vanæ gloriæ in diuitibus frequenter dominari quis ignorat? Paulo dicente 1. ad Timoth. 6. *Diuitibus huius mundi præcipe non superbè sapere.* Sapientes, & literis conspicuos hoc eodem appetitu sæpè intumescere, idem D. Paulus testatur, dicens: *Scientia inflat.* Iustos etiam, & Sanctos hac eadem passione crebro agitari testatur D. Thomas dum ait: *Cum alia vitia locum habeant in seruis diaboli, inanis gloria locum habet in seruis Christi.* Hæc ille. Hi enim non semel proprijs suis operibus humanam laudem aucupantur, quos in hunc modum c. 58 Isaias increpat: *Numquid tale* (inquit Dominus) *est ieiunium, quod elegit per diem affligere animam suam? nunquid cōtorquere, quasi circulum caput suū?* vbi originale Hebræum legit: *Nunquid contorquere, quasi hamum collum suū?* Quibus verbis non obscurè significauit, quod sicut piscatores hamo vtuntur ad capiendos pisces, sic multi, qui spirituales haberi volunt, dum ieiunant, orant, vel alijs bonis operibus vacant, quasi hamum ad collum contorquent, ad vanas hominum laudes captandas: hi sanè oleum, & operam perdunt, & mercedem æternam, quam æternum gloriæ pondus vocauit Apostolus pro inanis gloriæ mercede, quæ instar fumi, nullius prorsus ponderis est, insipienter, ac infœliciter commutant. Atque huc facit, quod cùm olim recreandi animi gratia Imp. Nero piscaretur, hamus verò, quo pisces capere tentabat, cùm non ferreus, sed aureus esset; videns hoc Romanus quidam ei irrisit: *Vt quid* (inquiens) *quæso perditio hæc? piscis sæpè oboli precium non excedit, & frequenter secum in profundum hamum trahit, qui centuplū maioris valoris erat.* Opera in charitate facta, aurea quidem sunt, vtpote charitatis auro decorata; hæc tamen si omninò propter vanam gloriam fiunt, pereunt, solumque ventū vanæ gloriæ in præmium obtinent: vt quid ergò perditio hæc? Finge modo, agricolam toto anni decursu terram colentem, arantem, seminantem, rigātem, expurgantem, metentem, triturantem, ac tandem magno labore triticū in horrea inducētem; si posteà cum tritico vti oportet, à gurgulione deuastatum illud reperiret infœlicem se proculdubio exclamaret, & frustra tot expensas fecisse doleret. Non dissimiliter, qui per anni circulum seminauit eleemosynas, orationes, ac pia alia opera, ac propterea putasset, per multa bona opera in æternæ patrię horrea se induxisse, ad Dei tamen iudicium vocatus, videat omnia illa vanitatis gurgulione omninò deperdita, meritò se infœlicem exclamabit, & dicet: *Vt quid perditio illa?* frustraque dolebit, se tot expensas inaniter fecisse. Sanctus Fulgentius libro Myterologiæ, sic hieroglyphicè vanam gloriam descripsit. Iuuenem quendam depinxit facie pulchrum, & reti indutum, iuuenē, quia vana gloria à primis parentibus vsque ad nos perdurans, nunquam emarcuit, immò quotidiè efflorescit, & iuuenscit: pulchrum facie, quia vanæ gloriæ vitio stimulatus, pulchra sua secundùm faciem ab omnibus videri cupit: reti tandem indutum, quia vani hominis illa præcipuè cura & sollicitudo est, vt vbique rete expandat ad humanas laudes capiendas, & quidem cum illa sint instrumenta ad venandum, appositè Sanctus Fulgentius in ea sua vanæ gloriæ descriptione reti vsus est, quia hoc venandi instrumentum commune est ad capiendos ex aqua pisces, ex terra quadrupedia, ex aere volucres, quo apertè significauit, vanæ gloriæ stimulis agitatum ad omnia, vbicunq; potest quidpiam vanæ laudis aucupari, rete suum

Stob ser. 31.
1. Tim. 6.
1 Cor. 8.
S. Tho. 2. 2. q. 132. art. 3.
Isai. 58.
Originale Hebræum.
2. Cor. 4.
Exemplum.
S. Fulg. libro Meterol.

cautè,

cautè, & simulatè extendere, vt periti solent ad capienda animalia præstare venatores.

Præterea illud etiam valdè singulare est in hoc vitij genere, quòd cùm omnia alia vitia nonnisi à vitijs, & à materia vitiosa generentur, foueantur, perficiãtur; otium inuitat ad gulam, gula ad luxuriam, luxuria ad prodigalitatem, prodigalitas ad rapinas, & furta, furtum ad iniuriam, iniuria ad maleuolentiam: quæ omnia, vel generant viciſſim, vel generantur, vel fouent mutuo, vel foueantur: sed eadem omnia virtutibus extinguuntur, & corriguntur: sola superbia ex ipsis virtutibus nascitur, nonnisi bonis insidiatur, ex pietate ortum, & incrementum capit: quemadmodum enim ignis sulphureus aqua iniecta roboratur, ipsa aqua materiam ei, & alimentum prębente, quæ tamen cæteros ignes solet extinguere: sic superbia, crescente virtute, & rebus præclarè gestis apparẽtibus, magis inflammatur; illis, quasi materia vtitur, quæ cætera vitia solent perimere. Iam verò cætera vitia, singula singulas perdunt virtutes, auaritia liberalitatem, libido castitatem, gula tẽperantiam, iracundia beneuolentiam: at vna superbia omnes perdit, omnia bona tollit, omnia præclarè gesta euacuat, Luc. 18. mercede spoliat, Deo reddit exosa, vt in ieiunijs, ac decimarum solutione illius pharisæi apparet. Ediderat Eleazarus præclarum facinus, occiso elephante, 1. Mach. 6. nisi illato imperitè vulnere ab eodem etiam fuisset miserè interfectus: quoties aut peccato resistimus, aut virtutem operamur, quasi elephantem occidimus, vt vel Mundum, vel Diabolum, vel Carnem, sed nisi à blandiente propriæ laudis memoria caueamus, ab eodem bono opere ipsimet occidimur. Dẽnde cætera peccata saltem cum ætate languescunt, & vinci se tandem patiuntur: libidinem ætas extinguit, odium, & maleuolentiam redintegrata amicitia absumit, auaritiã inducta liberalitas profligat, gulam, & ebrietatem parsimonia reprimit, solius superbiæ tanta est pertinacia, vt alijs vitijs omnibus profligatis, sola audeat in campo manere, virtutiq́ue pugnam per totam ætatem inferre. Quemadmodum enim vmbra corpus, (nisi vndequaque corpus illustretur, vt cùm in Zenith medio Sol stat) semper consequitur, vel ante, vel ad dexteram, vel ad sinistram, sic superbia virtutem semper comitatur, & ex aliquo latere insidiatur, nisi quis ita luce virtutis effulgeat, vt vitiorum tenebris, seu vmbris nihil loci relinquat; totusque & vndique cautus ab omni parte sibi prospiciat.

Porrò inanis gloriæ fugiendæ causæ sancti Patres nos monent, vt opera nostra abscondamus, ne videntium hominum oculi illa inficiant, aspectu suo ad vanam gloriam nos excitantes. Vnde D. Ioann. Chrysost homil. 2. in Ioann. *D. Io. Chrys. hom. 2. in Ioann.* *Homines* (inquit) *nihil nobis vtilitatis afferre possunt, sed tantùm inspicere quæ facimus, ac inspiciendo lædere, laboremq́; nostrum inanem reddere.* Exod. 2. videns Moysis mater eum elegantem, abscondit, sic tu si elegantem, pulchrumque habes filium, id est, si quid, quod laudem mereatur, à Deo accepisti, absconde, ne hominum oculis fascinetur, ac per inanem gloriã corrumpatur. Orig. homil. 2. in Exod. refert: *Ait scriptura, quòd de tribu Leui quædam genuit masculum, & videns infantem esse elegantem, occultauit eum mensibus tribus; vnde si non propterea nobis præcipitur, ne bonos actus in publico geramus, ne iustitiam nostrã coram hominibus faciamus, sed vt clauso ostio oremus Patrem in occulto, & quod facit dextera, nostra nesciat sinistra, nisi enim in occulto fuerit, diripietur ab Ægyptijs, inuadetur ab hostibus, in flumen iactabitur, & fluctibus submergetur. Ergo, si faciam eleemosynam, quia opus Dei est, masculũ genero, sed si ita faciam, vt hominibus innotescat, & ab hominibus laudem quæram, & non occultauero, rapta est ab Ægyptijs, & in flumen demersa.* Hæc Origenes. ad Colossens. capit. 3. Græco

Lib. Exod. 2.

Orig. hom 2. in Exod.

Matth. 6.

Ad Coloss. 3. vocabulo : *Ophtalmodulia.* vtitur Diuus Paulus, quod huic rei, de qua sermo est, maximè inseruit: significat enim oculorum seruitutem: ait ergo D. Paulus: *Non ad oculum seruientes:* & si verbum verbo reddere velis, non in oculorum seruitutibus. Quod autem ille seruis, hoc cunctis hominibus dici potest: Non in *Ophtalmodulia*, id est, non in oculorum seruitute vitam traducatis, ne sitis quæso oculorum serui, ne hominum oculis, qui omnia fascinant, seruiatis: quo certè vitio laborant plerique: quorsum enim pretiosæ, bombicinæque vestes gemmis, auroque distinctæ? quorsum magnifici prādiorum apparatus? quorsum equorum, argento, auroque radiantes phaleræ? quorsum famulorum ingēs caterua? quorsum aurea peristromata? multorumque nummorum aulea? nonne vt hominum oculis seruiatur? Hæc verò oculorum seruitus, quàm sit grauis, in comment. epistol ad Roman. homil. 17. his verbis ostendit: *Elegerim potius innumerorum barbarorum seruitutem, quàm semel vnius inanis gloriæ: neque enim captiuis illi suis talia præcipiunt, qualia subditis suis ista iubendo mandat; omnium* (inquit) *seruus esto, animam contemnito, virtutem negligito, libertatem rideto.* Item *vanæ gloriæ cupidus similis est illis, qui tempestates ferunt, semper timens, innumerosque Dominos obseruans; qui verò extra illam est tyrannidem, recte comparatur iis, qui in portu constituti, integra iam libertate potiuntur. Alius verò non item, sed quàm multis est cognitus, tam multos habet Dominos, omnibus coactus.* Fugiamus ergo, opinor, halmoduliam, oculorumq; humanorum seruitutem, in oculos Dei oculos nostros conijciamus, & in illius conspectu, theatroque perpetuò versemur. Duo sunt theatra: alterum sursum amplissimum, vbi Rex Regum, hoc est, Deus nobilissimis Angelis stipatus, ad spectandum sedet; alterum deorsum angustissimum, vbi viles homunculi, & peccatores turpissimi multi adstant. Vnde D. Paul. 1. Corinth. 4. dixit: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* magna igitur insania est, amplissimum Dei, Angelorumque theatrum repudiare, & in paucorum, eorumq; vilium hominum theatro versari, illorūque oculis magno labore inseruire: qui hoc facit, eum D. Ioan Chrysost. hom. 17. in epist 2. ad Rom. his verbis increpat: *Seruus ad oculos hexi sui respicit, mercenarius operator ad operis sui dominum præmia illi daturum, discipulus ad præceptorem tu verò omninò contrarium facis, Deum, qui remunerat, Dominumque relinquens, ad conseruos respicis: etiamsi scias, quòd Deus rectè factorū tuorum etiam in futurum recordetur; homo tamen cùm sis vilis, ad præsens tantùm respicis. Et cùm habeas in Cœlo theatrum constitutum, in terra tamen spectatores tibi colligis? athleta quidem vbi certat, ibi & probari cupit: tu, cū in superioribus certes, in inferioribus coronari quæris? & quidnam poterit hac amentia peius fieri?* Hæc D. Ioan. Chrysost.

D. Ioa. Chrys. hom. 17. in epist. 2. ad Roman.

Orig. in comment. epist. ad Roman. hom. 17.

1. Cor. 4.

Verùm dicat quis, si fugere debemus hominum oculos, ne opera nostra videntes, illa aspectu suo inficiant, oportebit adire deserta loca, in quibus nulli appareant hominum oculi: minimè quidem, sed quærenda deserta voluntas ab omni inanis gloriæ, quàm oculi hominum pariunt, cupiditate. Si in oculis omnium hominum præclarum opus gesseris, non hominum curans oculos, sed Dei abscondite, & siniſtra ignorante, geres; si verò nullo cernente homine, feceris, videri tamen cupiens, hominumq; se laudes captans, coram hominibus siniſtra sciente facies. Author imperfecti in cap. 6 Matth ait: *Qui non ideò facit, vt ab hominibus videatur, & si coram hominibus fecerit, tamen non videtur coram hominibus fecisse.* Chrysol. ser. 9 *Deus arguit largientem ad suam famam, non ad pauperis famem, vota culpat, non loca: docuit misericordiæ author, vt misericordia non terræ sit nota, sed Cœlo, non hominibus insinuata, sed Deo.* Theophyl. etiam in c. 6 Matth. *Licet coram hominibus eleemosynam facias, non tamen ideò facias, vt videaris ab hominibus,*

Auth. imperf. in c. 6. Matth.

Chrysolog. serm 9.

Theoph. in ca. 6. Matth.

non condemnaris; sin vanæ gloriæ scopum speculaueris, etiamsi in penetralibus prompturarij tui facias, condemnaris: voluntatem enim, vel coronat, vel punit Deus. hæc ille. Atque huc facit, quod Christus Dominus ad fugiendam inanem hominum gloriolam, monuit, ad eleemosynam elargiendam, non esse tuba canendum: *Cùm facis eleemosynam, noli tubâ canere* tubis vtebantur olim Iudæi ad conuocandam plebem, sicut & nos vtimur cymbalis Vnde Dominus Numer. 10 Moysi dixit: *Fac tibi duas tubas argenteas, quibus conuocare possis multitudinem* Noster Lyranus, Cardinalis Caietanus, & Episcopus Abulensis, Iansenius, & alij putant, tunc homines humanæ gloriæ cupidos solitos fuisse tuba pauperes conuocare; mihi tamen D. Ioan. Chrysostomi sententia probatur asserentis, tropum esse & figuratum loquendi modum continere verba illa: *Noli tuba canere ante te*: quia perinde est, ac si dixisset: noli arroganter eleemosynam tuam ostentare: verba D. Chrysostomi hæc sunt: *Non quia hypocritæ eleemosynam ad signum erogant tubarum, sed maximam in eis volens notare ostentationis insaniam, translatione verborum, vitij redundantiam publicauit.* eleemosyna, & in vniuersum omnia opera bona insidiatrice habent gloriam inanem: alia vitia in terra nobis insidiantur, hæc verò in ipso Cœlo, vt D. Basil. loquitur; quia in ipsismet virtutibus de Cœlo delapsis, clarè ostendit. Etenim in Constitutionibus Monasticis ca 11 inquit: *Callida insidiatrix vana gloria, vel in ipsius cœli connexis insidiarum aduersus nos est collocatrix*, & ibidem ait: *Vana gloria virtutes, ramis in cœlum vsque licet expansis, adornatas profligare, ac deturbare contendit.* Letus sub virili hedera sedebat Ionas; ea verò à verme subitò corrosa exaruit: virescit, floretq; opus bonum, quàdiu à verme inanis gloriæ, ac superbiæ nõ corroditur; si tamẽ ab inani gloria corrodatur, exarescit. Vnde D Basilius eleganter eodem libr cap. 11. dixit: *Fugiamus inanem gloriam, dulcem spiritualiũ operum spoliatricem, iucundum animarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum depredatricem, eandemque messis illius fraudis suæ veneno coloratricem, & mortiferi hominum mentibus poculi porrectricem.* quibus consonant verba D. Ioannis Chrys. homil. 72. in cap. 22. Matth. dum ait: *Hæc est tinea cœlestis thesauri, hic est fur, qui æterna regna furatur, qui immarcessibiles à nobis diuitias aufert, qui, tanquã contagiosus morbus, omnia corrumpit.* Qui polum arcticum intuẽtes nauigant, buccinæ figuram intuentur, qui verò alterũ cernentes polum, fluctus sulcant, intuẽtur figuram Crucis. Etenim in polo arctico, stellæ sunt in speciem buccinæ; in polo verò antarctico in formam dispositæ Crucis. Ad eundem modum, ex his, qui mare magnum huius sæculi nauigant quidam vanæ laudis cupidi, buccinas, id est, placidas hominum laudes, inanemque gloriam aspiciunt: alij verò humanam hanc gloriam despicientes, laudum buccina, seu tuba contempta, in Crucem conijciunt oculos, cum Diuo Paulo ad Galatas 6. dicentes: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Quare, si cum eleemosynis, ieiunijs, & alijs bonis operibus vacamus, volumus ante nos tuba canere, hæc non debet esse tuba ostentationis, sed tuba extremi iudicij, qua si cecineris ante te, sonitu eius terribili, humanam deterrebis gloriam, ac humanas laudes longè fugabis. Si verò malueris humanæ laudis tuba canere; continget tibi illud Iob 15. *Congregatio hypocritæ sterilis.* Etenim humanæ laudis cupidus, congregat varia bona opera, sed eorum sterilis hæc est congregatio, quia per hæc, quæ vanè agit, fructum æternæ retributionis non recipiet, in eoque palam verificatur illud Oseæ 8. *Culmus stans, non est in eo germen, non faciet farinam, quòd, & si fecerit, alieni comedent eam.* benè ait, culmus stans non est in eo germen, quia sicut vitis racemi, si in sublime non attolluntur, in terram iacent,

Matth. 6.
Num. 10.
Lyran. Card. Caiet. Abule. Iansen.
D. Chrysost.
D. Basilius in Constit. Monast. c. 11.
Idem ibid.
Ionæ 4.
D. Basil. vbi supra.
D. Chrysost. hom. 72. in cap. 22 Matth.
Ad Gal. 6.
Iob ca. 15.
Oseæ c. 8.

iacent, & facilius putrescunt propter humiditatem terræ; sic bona opera, si recta intentione in cœlum non subleuantur, in terra iacent, ac putrescunt. benè etiam ait, germen non faciet farinam, quia humanam laudem appetentis opera sunt infœcunda, nihil aliud producentes, quam humanæ gloriæ paleas: benè tandem ait, quòd, etsi fecerit, alieni comedent eam: quia, vt rectè dixit D. Gregor libr. 12. Moral. cap. 24. *Cùm fecerit farinam, hanc alieni comedunt, quia, & cùm bona opera hypocritæ ostendunt, de his malignorum spirituum vota satiantur: qui enim per hæc placere Deo non appetunt, nequaquam agri Dominum, sed alienipascunt* Hæc ille. Christus Dominus præuidens dominantem in nos inanis laudis appetitum, dixit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, & glorificent Patrem vestrum;* non dixit, vt glorificent vos: nam hic nostræ lucis scopus debet esse, non vt nomen nostrum celebretur, sed vt diuinum illustrius fiat; iuxta illud Psal 113. *Nō nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Cauete* (ait Dominus Marc. 8) *à fermento Pharisæorum* vis Pharisæorum videre fermentum? Matth. 23 *omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Hoc multi sunt infecti vitio. A magno Alexandro, narrat Plutarch. in fin. lib. de profectu morum, nuncium summa lætitia gestientem, dexteraq; protensa accurrentem, his verbis exceptum: Quid mihi, vir bone, nunciabis aliud, q ā Homerum reuixisse? nil videlicet (vt ait idem author) sibi deesse his verbis contristatus est, quàm famam insignem apud posteros. hoc enim vnum cupiebat, Homerum poetarum principem in vitā reuocari, vt res, quas gesserat, principe carmine celebratæ, homericoque pennicillo depictæ, ab omnibus hominibus cognoscerentur: scilicet fermento feruebant Alexandri viscera. Adumbrat autem superbiam, inanemque gloriam; nam quemadmodum fermentum massam inflat, sic superbia, inanisque gloria inflat hominem. Vnde Philo propterea putat, ab altari repulsum in libro de offerentibus victimas, quia iubet legislator, oblationem omnem sine fermento fieri propter tumiditatem, quam efficit figurato præcepto; ne quis elatus ad altare accedat, tumidus fastu, & arrogantia. Præterea, quemadmodum fermentum (vt ait Apostolus) massam, sic inanis gloria opus, etsi præclarum corrumpit Saul 1. Reg. 15. post victos Amalæcitas fornicem triumphalem sibi erexisse dicitur. Similem in modum (ait D Gregorius in comment. 1. libr. Reg. arrogantem doctorem, & inani gloria inflatum, post victa concionibus aliqua Auditorum vitia, veluti fornicem triumphalem sibi erigere, dum superbit. Arrogantes (inquit) Doctores, dum magna dicunt, se in sublime æstimationis erigunt, & quales se intus aspiciunt, per iactantiam, & ostentationem, foris innotescunt. Cùmque & illud, quod per se alij proficiunt, ad fauorem propriæ laudis trahunt, quid aliud videntur agere, nisi altum victoriæ signum insigni titulo demonstrare? In eos, qui vanam sectantur gloriam, illud quadrat Psal. 105. *Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.* mutant enim gloriam veram ac cœlestem gloriam quoque Dei, ad quam sua opera dirigere debuerant, in vitulum, qui fœno pascitur; hoc est (vt Ricchardus Victorinus moraliter interpretatur) in appetitum inanis gloriæ, & popularis auræ, quæ fœnum est, quod hodie viget, & cras in clibanum mittitur. Vitulus, sive potius taurus cornupeta, est inanis appetitus gloriæ, cornu petit ille, caueto: petit (inquam) cornu, & alios, & illum, à quo pascitur. Ricch. libr. 1. de erudit. intern. homin. part. 1. cap. 4. Cùm (inquit) scriptum sit Isai. 40 *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri,* quid aliud erit vitulus fœnum comedens, nisi humani fauoris appetitus, carnalem, & temporalem gloriam ambiens? Fœno pasci-

D Greg. li. 12 Moral. c. 24

Psal. 113.

Marc. 8.

Matth 23.

Plutarch.

Philo.

1. Reg. 15.

D. Greg. in comment. 1. lib Reg.

Psal. 105.

Ricch. Vict.

Ricch libr. 1. de erudit. inter hom. part. 1. cap. 4. Isa. 40.

pascitur popularis auræ captator, siue potius aere, & aura: at solidam qui quærit gloriam, is diuinis, ac cœlestibus fruitur pascuis, fugiendo gloria quæritur; si vanam atque inanem fugiamus, solidam ac veram consequemur. Non ergo inficiamur, fratres charissimi, inani gloria cupidi, sed gloriam Dei in omnibus sincerè quæramus. Refert Ludouicus Granarensis tom. 1. de temp. quòd Thales Milesius iam senex admirandam quandam rationem de Cœlo commentus, eandem Mandritæ philosopho Cirenensi communicauit, qui cũ hoc nomine magnas gratias ageret, rogaretque, quàm mercedem pro tanto documento veller; satis (inquit Thales) mihi erit, (ô Mandrita) si id, quod è me didicisti, cùm proferre volueris, tibi nõ adscripseris, sed me eius repertorem prædicaueris. Quantò magis Deus hoc summo iure à nobis flagitat, vt omnem virtutem, scientiam, prudentiam, ac fortitudinem, si quam habemus, non nobis, sed illi acceptam referamus, quoties ea vtimur? quantò magis summa ratio docet, & Theologos, ac Christianos, vt omnes ingenuè agnoscant, per quos profecerint?

Ludou. Granatens. to. 1. de temp.

Sed perge quæso pleraque alia in idẽ argumenti genus edisserere. Basiliscus, animal venenatum, & hominis hostis capitalis, si primus te videt, interficit certissimè, si à te prius conspiciatur, facilè superatur. Sic vana gloria si à te primum expenditur, facili negocio repellitur, si incautum te occupet, opprimit; quod quali ex facia, sapienter describit S. Basil. dicens: *Inanis gloria, spiritualium operum est latro blandus, animarum hostis, tinea virtutum sub mellis illitu fraudis suæ venena propinat, & poculum mortiferum porrigit, quos captiuos tenet, eos ad omne nefas facile impellit, vt id faciant, quod admirationi esse animaduertunt, quantumcunque id turpe, & inhonestum sit: sic non modo honestas omnes actiones subuertit, sed & ad improbas uer facit.* Hæc ille. Refert Plinius, quòd aquilæ pullis (quæ in alto semper nidificat) serpens, qui vocatur Parias, insidiatur, qui videns, se propter altitudinem ad illos accedere non posse, trahit ad se ventum, & venenum emittit, vt aer infectus per venenum, ad pullos deductus, illos occidat; sed aquila ex instinctu naturali, vt huic malo occurrat, nido suo inædificat lapidem, qui vocatur gagates, & semper in illa parte, quæ est cõtra ventum, illum ponit. Iste autem lapis, venenum expellit, ne ad pullos accedat. Simili industria, & cautela debemus nos pullos nostros, id est, bona opera, quæ per Dei gratiam in sublimi virtutum exercitio operamur, tueri, ne à vento superbię Diaboli excitato, pereãt, & dissoluantur. Christum lapidem, seu Dei gloriam inter opera nostra, & ventum vanę glorię ponere satagentes. Eleganter dicebat S. Arsenius: *Qui bona quidem opera facit, sed vt studeat hominibus placere, similis est perpetuò haurienti aquam, & in canalem perforatum continuò infundenti.* & certè sicut dementissima res esset, pretiosis gemmis, atq; lapillis ruinosi alicuius parietis rimulas implere, atq; fulcire, sic pro virtute humanos fauores desiderare, & rem cœlo dignam Iulij pretio venalem exponere. Porrò, sicut ineptus ille mercator esset, qui merces optimas paruo præsenti pretio venderet, certo sciens, si ad aliquot dies expectaret, centuplo plus se accepturum; sic inepti illi operatores sunt, qui bonas oderationes præsenti hominum laude, eaque leui, & momentanea vendunt, cũ certò sciant, post hanc vitam futurum, vt ampliss imam mercedem accipiant, si tantisper expectent: & quum vix vsquã tam ineptus mercator reperiatur, ineptos istos operatores vbique locorum inuenies.

Similitudo comparata.

S. Arsenius.

S. Basil.

Plin. de hist. animal.

Quid plura? qui statim virtutem suã ostentare contendunt, sunt tanquam amygdalus, quæ florem citò emittit, & flante vento, celeriter amittit; qui autẽ occultant, morum imitantur, quæ cùm

serò emittat flores, nullo vnquam vento, aut gelu offenduntur. Natura prouidit, vt nō esset in manu, & potestate mulierum parere: nam, si quando vellent, ipsæ parerent, multa monstra vtique emitterent; & aliæ spatio vnius mensis, aliæ duorum, aut trium parerent: sic opus est labore, & manu Dei obstetricante, vt virtus, sicut fœtus in ventre abscondatur, & laboret in hac vita, donec tempus pariendi adueniat, de quo Christus Dominus dixit: *Mulier, dum parit tristitiam habet, cùm autem peperit, non meminit pressuræ propter gaudium*; sic vos contristabimini, in multa patientia bonum operantes, *sed tristitia vestra vertetur in gaudium*. Quòd si ante tempus prodire, & parere virtus vult, & hic gloriam quærere, vt fœtus immaturus, variis casibus extinguetur, vel superbia sua, vel inuidia, aut adulatione aliena. Animalia apud Ezechielem habebant quatuor alas, quarum duæ erant erectæ: illæ, sunt opera virtutum sursum tendentia: alijs duabus alis tegebant corpora sua: istæ sunt timor, & humilitas, quibus virtutum actus, & substantiæ à vana laude teguntur. Qui iter longum faciunt, solent secum duas crumenas ferre, quarum altera monetam auream includunt (hanc semper ducunt absconditam) altera minoris valoris, & vulgarem asseruant, & hanc in hospitijs manifestant hospitibus, ex ea symbolum soluentes: alteram occultant, ne latronibus insidiandi ansam præbeant. Sic abscondita debet esse virtus, vt, sicut Christus monuit, *nesciat sinistra manus, quid faciat dextera*, id est, (vt exponit Diuus Ioannes Chrysostomus) *nesciat voluntas carnis, quæ Deo semper est contraria, quid faciat voluntas animæ, & superioris rationis Deo subdita. Certè, vt thesaurus absconditus tutior à latronibus est, & vt virgo domi clausa, facilius castitatem seruat, quàm ea, quæ vagatur; sic virtus occultata à superbia, & diaboli laqueis tutior est: & quemadmodum fructus arborum, quæ iuxta viam publicam crescunt, rarissimè matureſcunt, quia à transeuntibus præpostera auiditate comedendi, ante maturitatem colliguntur; sic virtutū opera, quæ in hominum conspectu fiunt, vel vt ab hominibus spectentur, ostentantur, nunquā ad veram soliditatem perueniunt, quia statim humano fauore intumescere operantē faciunt, ideoque eum distentum ad progrediendum in virtute, vel ad alia virtutum opera capessenda prorsus inidoneum reddunt. Postremò, sicut gallina, quæ ouo deposito, statim cantillat, causam præbet, cur statim collectis ouis, nunquam pullos pariat, sic, qui suas virtutes statim prædicant, aut prædicari cupiunt, id agunt, ne vllos virtutum suarum fructus amplius producant.* Hæc sapienter D. Ioannes Chrysostomus. Sic aurum, vestemque pretiosam cùm in publico ponimus plurimos ad insidias prouocamus, si verò ea recōdamus, atque occultemus domi, in tuto cuncta seruabimus. Sic, si diuitias virtutum in memoria quasi venales assiduè portemus, armamus hostem, irritamus inimicum, & dolosum inuitamus ad furtum. Sin verò nemo alter id scierit, nisi ille, quem nulla occulta latere possunt, tutissimo in loco pretiosa quæque consistunt. Certus enim rectè factorum thesaurus obliuio. Vnde Apostolus: *ea, quæ sunt retrò, obliuiscens*: memoria quippè præteritarum virtutum impedimentum est sequentium, dum ex præteritis ita sibi quisque inaniter placet, vt plus sibi ad cumulum addi, aut non necesse putet, aut negligat; ita cum inani gloria crescere, aut maturari virtus non potest. Verum quidem est, *Quòd virtus laudata crescit*, quando vera virtus & solida est, quæ laudatur, id est, quæ propter solùm Deum suscepta fuit, & non propter laudem humanam. Quemadmodum enim aurum, si verum, & purum est, in fornace purgatum manet, si adulterinum in fumum abit; sic virtus laudata, si vera, & pura virtus est, crescit, & solidatur; si falsa, & fucata, euanescit. Vnde Salomon ait: *Quomodo probatur in conflatione argentum, & in fornace aurum,*

Ioan. 16.
Ibidem.
Ezech. 1.
Matth. 6.
D. Chrysost.
Philip. 3.
Dictū antiq. apud Cass. in collat.
Prouer. 27.

aurum, sic probatur homo ore laudantis. Iustis sanè illa est gloria, de qua D. Paulus
2.Cor.1. 2. ad Cor. 1. *Gloria mea hæc est: testimonium*
1.Cor.2. *conscientiæ meæ*; & iterum: *Mihi pro minimo est ab hominibus iudicari, aut ab humano die*, id est, fauore, & existimatione. Qui conscientias suas in alienis labijs posuerunt, modo magni, modo parui, modo
Eccle.27. nulli sunt: *sic stultus, vt luna mutatur*, & crescit, & decrescit pro laudatorum arbitrio. Polycletus statuarius duo simulachra fecit, vnum ad arbitrium plebis transponens, & commutans, prout quisque accedens, atque aspiciens, mutandum diceret, & vt cuiusque voluntati morem gereret, in publico opus suum effingebat. Alterum verò ex artis suæ peritia, domi suæ fabricabat: cùm vtrumque in foro posuisset, & domesticum omnes admirationi haberent, publicumque omnes deriderent, vtpotè, in quo vix vllum membrum alterius proportioni responderet. *Atqui* (inquit Polycletus) *quod vituperatis, à vestra arte profectum est; quod verò suspicitis, ego mea facultate sum fabricatus.* Hippomachus, pugillandi magister, quum athleta quidam ex eius discipulis specimen exhiberet artis, & circumstans multitudo vniuersa acclamaret, percussit eum virga, inquiens: *Sed tu perperam fecisti: nam si quid artificiosum præstitisses, ignari isti non te collaudarent.* Antisthenes Philosophus dicenti sibi cuidam: *Multi te laudant, Quid enim* (ait) *mali feci?* Turpe est, Christianos Sacerdotes Theologos hoc non videre, quod isti Ethnici viderunt. Acutè hoc in Diogene taxauit Plato. Stetit aliquando Diogenes gelidissimo tempore in aquis pænè congelatis nudus; cùm magna multitudo hoc spectans, commiseratione hominis tangeretur, superueniens Plato, multitudini dixit: *Si huic homini misereri vultis, eumque hac molestia liberare, discedite.* Accedit ad hæc, omnia ex virtute laudem humanam aucupari velle, per se malum esse, & superbiæ specimen, seu speciem; ideoque Deo exosam, & (vt D. Ioannes Chrysostomus loquitur) *Matrem gehennæ: qui enim se extollit, id est, suas laudes prædicat, vel se laude dignum, & cæteris præferendum iudicat, humiliabitur, id est, ad barathrum detrudetur.* Nam, *vt humilis exaltatio* (de qua Christus Dominus illic loquitur) *est cælestis gloria, sic superbi hominis humiliatio est inferni pœna.* *Vitia cætera in peccatis*, (ait D. Augustin.) *superbia verò etiam in rectè factis timenda est, ne illa, quæ laudabiliter facta sunt ipsius laudis cupiditate amittantur.* Quare hanc vanitatem pestiferam, naufragium in portu esse docet D. Chrysost. *Sicut nauis*, (inquit) *quæ multos fluctus transijt, multasque tempestates effugit, in ipso autem portu tandem in scopulum impingit, & iacturam totius in se reconditi thesauri infeliciter facit; ita qui post multos labores, ac virtutes, linguam, & mentem à cupiditate laudis non temperauit, in ipso portu naufragium patitur.* Hac de causa valdè appositè Plato superbiam vocat: *Vltimam vestem, quam anima deponit, quasi in exuendo vetere homine, extremus sit superbiæ pānus.* Deinde vana hæc laus, quam captare intendimus, fallacissima, & mendacissima est; similemque ac præstigia in oculis nostris deceptionē parit. Quemadmodum enim imago, quanto artificiosius rem repræsentat, fallacior est, quia tantò magis persuadet rem ipsam esse, non imaginem eius, sicut imago Bucephali ab Apelle depicta, equum ad hinnitum concitauit; & vuæ depictæ à Zeusi, aues deceperunt; nec non Parasij linteum depictum, Zeusim decepit: sic certè humanæ laudis honores quantò maiores sunt, eò maiora sunt mendacia, & deceptio maior: quia tunc magis videntur veri esse, cùm alioquin falsi, & non veri sint, sed verorum tantummodo imago. Atque hinc est, quòd Diuus Iacobus in epistol. sua capit. 4. de huiusmodi humana gloria dixit: *Vmbra est, & vapor ad modicum parens.* Certè, vt vmbra, cuiuscunque corporis vmbra sit, siue candidi, siue nigri, siue viridis, siue flaui, ipsa tamen semper nigra

Polycletus.
Hippomach.
Antisthenes.
Plato.
Ioan.Chryſ.
Matth.18.
D.Auguſt.
D.Chryſ.
Plato.
Apelles.
D Iac epiſt. cap 4.

est, & obscura, & quædam vacuitas, & lucis priuatio; sic omnis huius sæculi gloria, atque humana laus, ex quacunq; re nascatur, siue à litteris, siue à virtute, siue ab alijs quibuscumque animi dotibus, nonnisi vmbra est, & inane quidpiam, sola fallaci opinione consistens. Et quidem, qui ex qualibet virtute, quæ in illo effulget, vel ex quolibet suo opere se extollit, humanamque gloriã venari curat, persimilis mihi videtur ei, qui ita debilis cerebri, & infirmi capitis est, vt modico accepto vino facilè inebrietur: quemadmodum pueri ludentes, ex fœno coronam alicui imponunt, coronatum autem irrident; sic sæpè fit, vt qui te in faciem prædicant, postea clamculum subsannent: attollunt, vt deijciant, exaltant hosanna, dicentes, & mox, crucifige, vociferantur.

Matth.21.

Matth.26.

Cæterum, quando illud solum malum humanæ laudis appetitus secum ferret, quòd debitam Deo gloriam surripit, ob hanc solam rationem vehementer huiusmodi vitium detestandum esset Isaiæ cap. 24. *Gloriam meam alteri non dabo*, ait Dominus. liberalissimus est Deus, cœlum, & terram, *Et quidquid cœli, & terræ ambitu continetur*, nobis Deus dedit, imò & sanguinem, & carnem, & merita sua; at tantus est gloriæ suæ Zelator, vt dicat: *Gloriam meam alteri non dabo.* Hanc sibi reseruauit, vtpote supremo omnium conditori debitam. Nunc igitur attende: *Gloriam meam alteri non dabo*, ait Dominus: superbus autem dicit, eam, licet non dederis mihi, vsurpabo. Vide hominis temeritatem, vide hominis superbi infidelitatem. Rectè sanctus Bernardus sermone 13. in Cantica ait: *Fidelis reuera famulus es, si de multa gloria Domini tui, & si non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nihil manibus tuis adhærere contingat. quare audies & tunc: Euge serue bone, & fidelis, supra multa te constituam. Ioseph, cùm domum, & omnia bona Domini sui sibi credita sciret, Dominam non ignorauit exceptam: non est (inquit) ex omnibus bonis Domini mei, quod non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es; mulierem nouerat esse gloriam viri, & iniquum sibi iudicauit, vice contraria inglorium facere illum, qui se fecerat glorioſum. Quid ergo homo zelat gloriam suã, & Deum audet velle fraudare, de sua quasi nõ zelantem? audi ergo, quid dicat: gloriam meã alteri non dabo.* Ita S. Bernardus. Quod si adeò zelat Deus gloriam suam, vt sibi honor, & gloria danda sit, quid audes gloriam vsurpare?

D Bernard. serm 13. in Cantica.

Matth.17.

Gene.38.

Ratio autem, quare Deus gloriam sibi vendicet soli, hæc est: quia omnia opera bona nostra, ipse, tanquam bonorum Princeps, & author, operatur in nobis omne datum, quantumuis optimum, & *Omne donum seu bonum perfectum, de sursum est, descendens à Patre luminum.* Vnde optimè sanctus Bernardus sermone 13. in Cant. *Quis credat parieti, si se dicat parturire radium, quem suscipit per fenestram? aut si glorientur nubes, quòd genuerunt imbres? quis non irrideat? mihi liquidò constat, nec de canalibus oriri riuos aquarum, nec de labijs, vel dentibus verba prudentiæ, etsi sensus noster corporeus vltra non attingat. Si quæ sanè in sanctis digna laude, vel admiratione video, laudo Deum in sanctis suis, siue sit Heliseus, siue magnus ille Elias, mortuorum vtique suscitatores: ipsi enim non imperio suo, sed ministerio exhibent insueta. Deus verò in ipsis manens, ipse facit opera, qui inuisibilis est, & solus mirabilis, qui facit mirabilia magna solus, nec laude calami laudabilis est pictura, aut scriptura, nec gloria labiorum sermo bonus, & nunc loquatur Propheta: nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eũ, à quo trahitur?* Ita S. Ber. Quamuis enim in bonis operibus concurrat liberè, ipsam tamen facultatem liberè operandi à Domino Deo accipit, imò & ipsum opus liberum, cùm ex diuina, & efficaci eius motione procedat, sine qua nihil prorsus operaretur. Reddat igitur Deo gloriam, qui operatur in eo velle, & perficere pro bona sua voluntate; nam si artifici, qui expen-

1. Cor 12. Iacobi.

D Bernard. serm.13.in Cant.

Ad Philip.

expensis alterius opus aliquod conficit, non licet stemmata propria in eo apponere, quomodo licebit tibi in operibus, quorum es artifex, gloriam quærere, cũ ad ea efficienda necessarias expensas tibi suppeditet Dominus, imò eadem illa ipse principalius efficiat? omnia enim opera operatus est in nobis Dominus; quomodo (inquam) tibi licebit illorum operum tibi gloriam captare? Quod si gloriam, & honorem tibi arrogaueris, & non glorificaueris Deum, Deus vindictam sumens, debitam sibi gloriam restituet. Quare Exodi 14. *Glorificabor* (ait) *in Pharaone, & in omni exercitu eius*, quia eum, & exercitum suum in mare proiecit, & fuit Deus punitione illa glorificatus, qui non fuerat ab eo honoratus. *Exodi c.14.*

Magna in Ezechiam Deus contulit beneficia, at (ô humanam fragilitatem) 2. Paralipomenon 32. hæc de illo verba scripta extant: *Non iuxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia elevatum est cor eius, & facta est contra eum ira, & contra Iudam, & Ierusalem, responderetur, ortam ex legatione Regis Babyloniæ.* Etenim Babylonij Astrologiæ periti, Solis illam admirandam retrogressionem obseruauerant, & Regis Ezechiæ causa tantum portentum accidisse audiuerant. Ea re commotus Babyloniorum potentissimus Rex Merodach Baladan, legatos ad Ezechiam, cum epistolis ac muneribus misit; qui tanto hoc honore elatus, thesauros omnes, & quidquid in domo, & potestate regia erat, Babylonijs patefecit, diuitiasque suas, & potentiam ostentauit, 4. Regum 20. *Non fuit, quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, & in omni potestate sua.* An introduxerit legatos in templum, eiusque diuitias ostentârit, dubium est. Rabbi Salomon ait apud Lyranum, ostendisse ea etiam, quæ in templo summa cum reuerentia occultabantur, scilicet vnctionem Regum, & Pontificum, & tabulas testimonij. Respondemus, non esse verisimile religiosissimum Regem, ethnicos in templi penetralia intromisisse, aut tabulas testimonij, quæ in Arca fœderis erant, ostendisse. Opus verò templi, si quæ non in templo, sed in ædibus templo coniunctis asseruabantur, forsitan ostendit. Sãctus magnus Dionysius Areopagita in epistola ad Polycarpum ait: *Solis admirandam retrogressionem Babylonios Ezechiæ absque pugna subiecisse. Hoc* (inquit) *miraculum Babylonios tunc meritò terruit, & absque pugna Ezechiæ (vt qui Deo putaretur æqualis, ac mortalibus cæteris virtute præstare) subiecit, sed non est existimandum, Regem Babylonis tributum soluisse Ezechiæ. fuit hæc inanis gloriæ tentatio, in qua dereliquit Ezechiam Deus, ideoque victus est, 2. Paral. 32. in legatione Principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, vt interrogarent de portento, quod acciderat super terram, dereliquit eum Deus, vt tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde eius.* Erat autem in corde Ezechiæ gloria inanis, hæc nota est facta. Non priuauit illum Dominus omni penitus auxilio; quod enim opus est, ne in peccatum incidamus, largitur: priuauit eum auxilio maiori ob superbiam occultam, quæ in corde illius erat. Caueamus ergò peccata, ne maioribus auxilijs nos priuet Deus, ijsque priuati, tentationibus succumbamus. Ad Philippenses 2. ait Apostolus: *Cum timore, & tremore vestram salutem operamini: Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Vide, quam reddat rationem timoris, & tremoris D. Paulus, Deus est enim, qui operatur, quasi dicat: Timete valdè, ne impediatis opus Dei, ne obsistatis auxilijs diuinis; Deus namque est, qui suis auxilijs operatur in vobis velle, & perficere. Hinc ille Sanctorum timor, de quo Diuus Leo sermone octauo Epiphaniæ: *Hæc* (inquit) *sanctis causa est tremendi, ac metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati, deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ, &c.* Sit nobis exemplum Ezechias, desertus ope gratiæ, qui remansit

2. Paral. 32.

4. Reg 20.

Rabbi Salomon

S. Dion Areo pag. in epist. ad Polycar.

2. Paral. 32.

Ad Philip. 2.

D Leo ser. 8. Epiphan.

manſit in infirmitate naturæ, & abſque maiore illo Dei auxilio tentationi ſuccubuit.

Tandem, Angelos ſuperbientes, & ſe ipſos exaltantes ad ima detruſit Deus. Dauidem, quia eleuatum eſt cor eius, & iuſſit populum numerari, vt gloriaretur, peſte per omne eius Regnum graſſante, affecit. Chore, Dathan, & Abyron, quia ſe ipſos exaltare voluerunt, dicente illis Moyſe: *Multum erigimini filij Leui*; viui in infernum deſcenderunt, vt legimus Numerorum 26.

1. Reg. 24.

Num. 26.

Ab huiꝰ humanæ laudis, & vanę gloriæ comparandæ cura, & ſollicitudine longè abeſſe debent viri diuinæ gloriæ zelatores, prout antiqui Patres, tam veteris, quàm noui Teſtamenti exemplo ſuo nos docuerunt. Daniel ſecundo Daniel vocatus à Nabuchodonoſor, & ſapientię nomine commendatus, vt ſomnium eius interpretaretur, reſpondit, omnem à ſe ſapientiæ opinionem, & laudem remouens: *Eſt Deus in Cœlo, reuelans myſteria mihi quoque non in ſapientia, quæ eſt in me, pluſquam in cunctis viuentibus: ſacramentum hoc reuelatum eſt, ſed, vt interpretatio Regi manifeſta fieret.* Sic & ſanctus Ioſeph Prætereà Phariſæi Ioannem potius pro Meſſia agnoſcere parati erant. Sanctus Ioannes Baptiſta, cùm ei honorem illum Phariſæi detuliſſent, Meſſiæ dignitate illum inuitantes *Confeſſus eſt, & non negauit, & confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* Actorum 14 Cùm in Lyſtris Sanctus Paulus, & Sanctus Barnabas verſarentur propter miraculum quoddam à Paulo perpetratum, vtrumque adorare voluerunt, dicentes, Paulum quidem eſſe Mercurium, & Barnabam Iouem: quare hoſtias illis offerre voluerunt. quid tũc Apoſtoli? *Conſciſſi* (inquit textus) *tunicis, exilierunt in turbas, clamantes, & dicentes: Viri, quid hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines*: pondera: *Conſciſſi tunicis clamantes*; quia quod alij facere conſueuerunt, cum quadam magna iniuria, vel damno fuerint affecti, vti feciſſe legimus Iobum, & Iacob, & alios plures, hoc idem Apoſtoli tunc præſtiterunt præ dolore, quem conceperant ob gloriam Deo debitam, ſibi attributam. Sanctus Bernardus, cùm multa ſigna, & miracula per varias Galliæ partes faceret, ne ſibi quid propterea plus cæteris tribuerent, anxietate maxima proſpiciens, in hæc verba prorupit: *Ex ſcripturis didici, ſigna fieri, vel per perfectos, vel per fictos; ego nec perfectionis mihi ſum cõſcius, nec fictionis: nihil ergo mihi ob ſigna iſta tribuere debetis; quandoquidem meæ illæ famæ magis, quam vitæ nouerim exhiberi, nec ad meam fieri commendationem, ſed ad commonitionem potius, & ad fructum aliorum, & ad fouendam bonam de me opinionem.* Sic videlicet in hoc ſancto viro vincebat ſublimitatem nominis humilitas cordis, nec tantum poterat vniuerſus Mundus eum erigere, quãtum ſe ipſe deijcere ſolus, pulchra ſcilicet ratiocinatione, ac magno ſtudio inuenta, ſanctitatis de ſe opinionem à mente ſua remouit: nec minus laborauit, ne Sãctulus videretur, cùm eſſet ſanctiſſimus, quàm alij laborant, vt ſanctiſſimi, & doctiſſimi, fortiſſimi, & prudẽtiſſimi videantur, cùm nihil minus ſint, quã ſancti, docti, fortes, prudentes. Idem ſtudium in alijs Sanctis fuit. S. Gregorius Turonenſis Epiſcopus (cùm multa per eum, Deum miracula facere animaduerteret) ſemper Sanctorum reliquias collo circumferebat, eo fine, vt quoties diuina virtꝰ aliquid per eum geſſiſſet, non ſuis meritis, ſed virtuti reliquiarum, quas circumferebat, tribueretur. Sed in hoc genere excelluit S. Eligius Nouiomen. Epiſcopus, vir nobilitate, eruditione, ac pietate celeberrimus. Mendicus quidam cœcus à S. Eligio, adhuc laico nobili, ſed vulgi opinione, viro ſancto, eleemoſynam acceſturus, manum ſubtraxit, orans, vt oculis potius eius Crucis ſignum imprimeret, viſumque præberet: cui ille diſſimulans, ac ſubridens: *tu* (inquit) *amice, necdum noſti te ſignare? docebo te*: mox ſe ſignum

Ioan. 1.

Act. 14.

D. Bernard.

Grego. Tur.

S. Elig. Nouiom. Epiſc.

gnum Crucis imprimens, illius oculos aperuit, totumque hominis illius fidei tribuēdum asseruit. Idem, quum pauperem, aridam manum habentem, & eleemosynam petētem, arrepta arida manu, similiter sanasset, vt miraculum à se factum occultaret. *Ego* (inquit) *putaui illum fingere, vt à me facilius eleemosynam posset petere.* Idem vir sanctus, quum quēdam, in publica via transiens, suspensum cerneret, cumque, vt sepulturæ corpus daret, per suos deposuisset, alijs fossam parantibus, cœpit tacitè orās illud ab imis, vsque ad summa palpare: vbi autem sensit adesse animam, mira arte à se virtutem facti repellens: *O quam grande* (inquit) *scelus (nisi Dominus iuuisset) perpetrare poteramus si corpus hoc humo texissemus, quum anima eius in ipso sit?* hæc dicens, mirantibus famulis, iussit eum vestimentis indui, & quiescere paululum, quo surgente, & ita recreato, quasi nullam passus esset molestiam, discessit vir sanctus cum suis, ac si nullum virtutis signum fecisset. Rara sunt hæc, sed pulcherrima verę humilitatis exempla, quando sic vana gloria fugitur, vt ne quidem in veris virtutibus, veraque laude dignis vllo modo admittitur. Vnum igitur adhuc aliud subijciam S. Anni Archiepiscopi Coloniēsis, ad quem cùm accederet cœcus quidam, qui in visione accepisse se dixerat, fore, vt visum reciperet, si aqua, qua manus suas ad altare lauisset, oculos suos ablueret, ideoque ab eo, iam ad sacrum faciendum se præparante, hanc gratiam petisset; Episcopus multum cōmotus, eum acribus verbis reiecit, fallacem, & impostorem vocans: cœcus nihilominus in fide persistens, obtinuit clanculum à clerico, qui celebranti Episcopo ministrauerat, aquam predictam, moxque oculos ea abluens, visum recepit. Cùm autem, finito sacro, ad Episcopi pedes se peruoluens, accepti beneficij gratias agere vellet, Episcopus, re intellecta, eum vehementer iterum obiurgauit, quod ita Deum tentare ausus fuisset: clerico verò leuiter alapam dedit, quod huiusmodi facto, vanam de se apud populum opinionem concitare voluisset; vtrique autem sub graui anathemate iniunxit, vt se viuo, nemini hoc propalaret, sed soli Deo acceptum referret, eique soli gratias ageret. Sanctus Pachomius, vt legimus in vita eius apud Surium tomo tertio, tanquam vir admirabilis sanctitatis, & prudentiæ, cùm animaduertisset, quēdam ex suis fratribus duas paruas storeas vno die factas (cùm cæteri fratres vnicam quisque faceret) sic ex aduerso loci, vbi vir ille sedebat, sub vesperam posuisse, vt ab illo viderentur, simulque vt à Pachomio laborantis industria prædicaretur, dixit adstantibus: Tristis frater iste à mane hucusque laborans, totum suum laborem diabolo donauit, nihil sibi fructus ex opere relinquens, sed magis amans hominum gloriam, quàm Dei. Quare, eum acerrimè increparum seuerè puniuit, vt hoc in eo vanitatis vitium sanaret. Sanctus Dominicus rogatus, cur in Carcasona diœcesi libentius moraretur, quàm in Tholosana, vbi tot hæreticos conuerterat, sapienter respondit: *In Tholosana multos inuenio, qui me honore afficiunt, in Carcasona verò omnes me impugnant.* Sanctus Marcellus Abbas, vt tradit Surius, cùm dæmones multis precibus coniuraret, vt ex obsessis corporibus exirent, clamabant illi: *Iube nos exire, quoniam in nos accepisti potestatem*; ille perseuerabat in oratione, donec virtute diuina expellerentur. Cùm autem causam rogarent, qui tunc aderant, cur dæmonibus se cessuros confitentibus, ab initio nihil præcepit, ille respondit: *Quoniam dicentes, me in eos accepisse potestatem*, non aliud agebant, quàm vanæ gloriæ laqueis me conarentur implicare. Sanctus Ioannes Canonicus regularis, vt idem Surius scribit tomo quinto, in Anglia ante annos ducentos, inclusam quandam, vt spiritualib. eius colloquijs frueretur, visitauit: illa, post prima verba, visionem

Idem.

Idem vir sanctus.

Ann. Archi. Coloniensis.

S. Pachom. Sur. tom 3.

S. Dominic.

Marcellus Abbas.

Surius.

Ioan. Canon. Regularis.

Surius to. 5.

nem se illa nocte vidisse affirmauit, de aquila circumuolante cum chartula in rostro, cui inscriptum erat: *Iesus est amor meus*: *tu verò pater* (inquit illa) *hæc aquila es pro excellentia tuorum meritorum*: quod ille audiens: *Nos quidem* (inquit) *eo animo huc accessimus, vt mutuis colloquiis Dei gratiam nobis conciliaremus; at nunc* (vt video) *malus dæmon, vitiorum nostrorum sagax explorator, per hos inanes sermones in animos nostros aditum sibi parat: atque his dictis, statim abscessit.* Quid de sacratissima Virgine dicam, quæ à beata Elisabeth mirificè laudata, & exaltata, cùm propriam laudem non quæreret, continuò illam in Deum retulit, ad magnificandum illum se conuertens? *Magnificat anima mea Dominum: & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* non exultauit in humanis laudibus, sed in Iesu salutari suo. Quid tandem dicam de Christo Domino, à quo omnes Sancti humanam gloriam floccipendere didicerunt? nonne Diuus Ioannes capite decimo narrat, quod, cùm Regis gloriam, & honorem Iudæi ei deferre vellent, consultò se abdidit: *& fugit in montem ipse solus* & Diuus Matthæus narrat, quòd, cùm leprosum imperij sui virtute sanasset, illum monuit, vt taceret: *Vide, nemini dixeris*; & Ioann. 5 legimus, ipsum dixisse: *Charitatem ab hominibus non accipio*: etenim, sicut Sol à lucerna lucem accipere non potest, ita Sol Iustitiæ Christus fatetur, se hominum laudibus non indigere, atque adeò, tanquam rem vanissimam, illas despicere.

Lucæ 2.

Ioan. 10.

Matth c. 8.

Ioan. 5.

Ad extremum, nonnulla selectiora, quæ sancti Patres in hoc vtili, ac perneccessario argumenti genere, suis scriptis nobis contestata reliquere, silentio prætorire non patiar. Sanctus Ioan. Chrysostomus homilia quinta, in secundã epistolam Diui Pauli ad Corinthios, rem hanc mirabili eloquentia prosequitur: *Hæc summa virtus est, omnia Deo accepta referre, nihil nostrum ducere, nihil ad humanam gloriam facere, sed ad Dei placita: quia is est, qui rationem exacturus est. nunc verò ordo inuersus est: illum namque, qui pro tribunali sedet, & causas excutit, non admodum metuimus; eos verò, qui nobiscum sunt, simulque iudicantur, timemus. Vnde igitur hic morbus, vnde in nostras animas inuasit? ex eo, quod non assiduè versamur animo, quæ illic sunt, sed rebus præsentibus affixi sumus. Hinc venit, quod in prauas actiones facilè prolabimur: & si quid boni facimus, ad ostentationem facimus. Itaque, ne respicias ad conseruos; nam etiamsi laudet homo, nulla hinc vtilitas, si Deus non approbet. rursum, quamuis damnet homo, nullum detrimentum, si non condemnet Deus. negligamus igitur laudem ab hominibus venientem: quousque viles, & humilium rerum admiratores sumus? quousque Deo, nos ad Cœlum erigente, ipsi studemus humi repere? consideremus, quod & Abraham, cùm hostiam afferret, ac gladium teneret manibus, non vxorem, non seruum, non alium quenquam passus est adesse: itaque nec tu sinas, seruilium, illiberaliumq; affectuum quicquam adesse tibi, sed solus ascende in montem, quò ascendit ille, quo fas non est, quempiam alium ascendere. Quod si quæ talium cogitationum conentur tecum ascendere, imperato illis, cum auctoritate, ac dicito: sedete hic, ego vero, & puer adorato Domino reuertemur; & asina, & pueris deorsum relictis, aut si quid aliud brutum est, ac mentis indignum: si quid est rationale assumito, atque ascenãito, quemadmodum ille assumpsit Isaac, aramque, sicut & ille ædifica, tanquam nihil habens humanum, sed velut à natura factus alienus.*

D. Io. Chrys. hom. 5. in 2. epist. D. Pauli ad Cor.

Idem Diuus Ioannes Chrysostomus explicans illa verba 2. Paralipomen. 26. *Et fecit Oziæ, quod rectum est in conspectu Domini*, sic habet: *Hoc testimonio magnam illius virtutem declarauit: non enim solum fecit, quod rectum erat, verum etiam fecit in conspectu Domini; non apud homines ostentans, quemadmodum apud Iudæos faciebant illi, qui ante eleemosynam tuba canebant, & ieiunij facies suas obscurabant, qui orabant in compitis: quibus rebus quid potest esse miserius, vbi post toleratos labores omni præmio frustra-*

Io. Chrysost. sup. illa ver. 2. Paral. 26.

frustrabantur? quid facis homo? alij redditurum es rationem factorum tuorum, & alium testem citas eorum, quæ facis? alium habes Iudicem, & alium adhibes spectatorem? non vides aurigas, qui prætereuntes totam illam stadij partem, qua vniuersa ciuitas è sublimi spectat, sedens in equestri certamine, ibi contendunt concertatorum currus subuertere, vbi Cæsarem viderint sedentem, & vnum oculum digniorem, cui fidant, ducunt, quàm tot hominum vultus? at tu, cum videas ipsum Angelorum Regem tuo cursu agonothetam, hoc est, certaminis Iudicem, & præmiatorem præsidere; eo prætermisso, ad conseruorum fugis oculos? tuque, ideò sanè post innumerabiles luctas, incoronatus recedis, post sudores plurimos absque brachijs venis ad agonothetam. at non talis erat Oziæ, sed in conspectu Domini faciebat, quod rectum erat. Idem dicit, quod infœlicius credatur esse, quàm cum in portu sedens, naufragium pateris etiam? Hoc autem faciunt hi, qui ob inanem gloriam bona operantur. Ne igitur istud eueniat, cum boni quidpiam feceris, noli à me gratiâ flagitare, vt Deum certè habeas debitorem: accipit enim ille fœnus, à quibus non putatur accipere: habes igitur locupletissimum debitorem, cur illum relinquens, me exigis, hominem pauperem prorsus, ac tenuẽ? nunquid enim indignatur hic debitor, cùm fœnus exigitur? num aut verax in soluendo non est? aut soluere spontè dissimulat? non cernis eius nullo explicabiles sermone thesauros? non liberalitatem illam inenarrabilem donatoris? ipsum igitur tene, ipsumque exige; hac enim exactione iactatur: nam si ab alio exigi viderit, quæ ipse debet, suam reputabit iniuriam, nec tibi vltrà iam reddet, quinimò se sibi vltionis faciet debitorem.

S Chrysost. hom 13. Matth. 6.

Idem Sanctus Chrysostomus homil. 13 operis imperfecti, exponens illa verba: *Non habebitis mercedem apud Patrem vestrum*, dicit: *Quid enim à Deo accipies, qui Deo nihil dedisti? nam quod propter Deum fit, Deo datur; & ab eo recipitur; quod autem propter homines fit, in ventos effunditur, & à nullo speratur: quid est enim aliud hominum laus, quàm ventorum transeuntium sonus? cessauerunt homines loqui, & perdidit fructũ suum, quia propter homines fecit, vt ab eis laudaretur: quæ est autem sapientia res dare, & verba vacua comparare? aut certè mercedem Dei contemnere in perpetuum manentem in Cœlis, & fugitiuos hominum sermones eligere? melius est sanè non facere, quàm propter homines facere; nam qui non facit, etsi in Cœlo non inuenit, vel super terram, nihil perdit, saltem super terram nihil perdit; qui autem propter homines facit, & in terra perdit, & in Cœlo non inuenit: vel illum aspice, à quo laudem expectas; ideò te laudat, quia propter Deum te facere putat: si autem intelligeret, quia propter eum facis, vituperaret potius. Quid ergò illi placere festinas, qui, si te aliquando intellexerit, deridebit? sic est homo, qui propter homines facit bonum, sicut mercenarius malus, qui intra tempus locationis suæ comedit omnes mercedes suas; cùm autem tempore completo recesserit, nudus egreditur: sic ergò vacuus vadit ad Deum, qui mercedem omnium bonorum suorum accipere desiderauit in sæculo.* Idem homilia secunda in Ioannem, explicãs illa verba: *Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt de synagoga non eijcerentur: potiùs enim hominum, quàm Dei gloriam optarunt*, ait: *Nullo pacto fieri potest, vt is, qui tanto studio sæculari gloriæ seruiat, diuinam vnquam assequatur: idcircò his verbis reprehenduntur: quomodo potestis vos credere, qui gloriam inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis. Intolerabilis quædam ebrietas est inanis gloria, ideoque quem suæ subiecit ditioni, is ægrè in sanctitatem restituetur; & quàm pestifera rabie infecit animam, à cœlo abscindens, terræ affigit.*

Idem hom. 2 in Ioan. 12.

D. Bern ser. 13 in Cant.

Diuus Bernardus sermone 13 in Cantica, inquit: *Homo zelat gloriam suam, & Deum audet velle fraudare, de sua quasi non zelantem: sed audi quid dicat gloriam meam* (inquit) *alteri non dabo, quid ergo, dabis nobis Domine? pacem* (inquit) *do vobis, pacem relin-*

Isa. 42. Ioan. 14.

relinquo vobis, sufficit mihi, gratanter suscipio, quod relinquis, & relinquo, quod retines, sic mea interesse non dubito. Abiuro gloriam prorsus, ne fortè si vsu pauero non concessum, perdam meritò & oblatum. Cautus sum, nec ingratus forem beneficio datæ pacis, nec sacrilegus inuasor gloriæ tuæ: tibi Domine, tibi gloria tua maneat illibata: mecum benè agitur, si pacem habuero. Goliath prostrato: lætatus est populus pace recepta, sed Dauid singulariter 1. Reg 17. Iosue 10. Iudicum 15. Iudicum 7. Iudith 13. 1. Machab. 3. 4. 5. 8. extitit gloriosus, Iosue, Iaphte, Samson, Gedeon, & Iudith gloriosè in diebus suis triumpharunt de hostibus, sed pace, cum gaudio fruentibus cæteris, nemo eis communicauit in gloria. Iudas Machabæus multis, & ipse inclytus victoriis, cum frequenter exultanti populo pacem fortiter pugnando tribuisset, nunquid gloriam quandoque est partitus alicui? Denique, & facta est (inquit) lætitia magna in populo, lætitia, non gloria. quid minus ab his omnibus conditor omnium fecit, quominus & ipse debeat gloriari singulariter? solus cuncta creauit, solus de hoste triumphauit, solus captiuos liberauit, & socium habebit in gloria? quid ergò mihi cum victoria, si nec in prælio fuit impudentissimè mihi arrogo, vel gloriam absque victoria, vel victoriam sine pugna. Sed suscipite montes pacē populo, pacem suscipite nobis, non gloriam, ipsi soli eam seruantes, qui solus & pugnauit, & vicit: ita quæso, ita sit gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis; at verò non bonæ, sed planè inquæ voluntatis, qui nequaquam pace contentus: superbo oculo, & insatiabili corde, inquietus anhelat ad gloriam Dei, nec pacem proinde retinens, nec gloriam apprehendens: & nonnullis interiectis sic loquitur: Eant ergò vani filij hominum, mendaces, & decipiant ipsi de vanitate in idipsum; nam sapiens gloriator probabit opus suum, atque ad lumen veritatis diligenter examinabit, & sic habebit in semetipso gloriam, & non in ore alterius. Stultus sum, si cistellæ labiorum tuorum gloriam meā credidero, & cœpero mendicare eam abs te; cùm habere voluero. Retineo gloriam meam penes me, & ei repono seruandam, qui potens est depositum meum seruare in illum diem iustum Iudex, cautus in custodiendo, fidelis in re-

Luce 2.

Psal. 71.

Psal. 100.

2. Tim. 1.

stituendo: secura tunc erit vnicuique laus à Deo, his duntaxat, qui humanas laudes contempserint; nam gloria in cōfusione eorum, qui terrena sapiunt, dicente etiam Dauid: qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Fratres, si hæc scitis, nemo vestrum velit laudari in vita ista, quia, quidquid hic fauoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris; tibi enim vnde gloria putride puluis? de vitæ sanctitate? sed spiritus est, qui sanctificat, non tuus, sed Dei. An blanditur popularis fauor, quòd verbum bonum, & benè fortè depromperis? sed Christus donauit os & sapientiam: nam lingua tua, quid nisi calamus scribæ? & hoc ipsum mutuo accepisti: talentum creditum, est repetendum cum vsura, si inuentus fueris ad opus impiger, ad fructum referendum fidelis, pro labore tuo mercedem accipies. 2 Cor. 4. Philip. 3. Psal. 31. Psal. 44.

Diuus Augustinus lib. 1. de sermone Domini in monte capite 4 sic loquitur: Cordis mundatio est tanquam oculus, quo videtur Deus, cuius simplicis habendi tantam curam esse oportet, quantam eius rei dignitas flagitat, quæ tali oculo conspici potest; huic tamen oculo magna ex parte mundato difficilè est nō surripere sordes aliquas de his rebus, quæ ipsas nostras bonas actiones comitari solent, veluti laus est humana siquidem non rectè viuere pernitiosum est, rectè autem viuere, & nolle laudari, quid est aliud, quàm inimicum esse rebus humanis? quæ vtique tanto sunt miseriores, quantò minus placet recta vita hominum: si ergo, inter quos te rectè viuentem non laudauerint, illi in errore sunt, si autem laudauerint, tu in periculo, nisi tam simplex cor habueris, & mundum, vt ea, quæ rectè facis, non propter laudes hominum facias, magisque illis rectè laudantibus gratuleris, quibus id, quod bonum est, placet, quàm tibi, nisi quia rectè viuis, etiamsi nemo laudaret, ipsamq; laudem tuam tunc intelligas vtilem esse laudantibus, si non te ipsum in tua bona vita, sed Deum honorent; cuius sanctissimum templum est omnis, qui benè viuit. Qui autem bonitatem simulant, duplici corde sunt: non ergo habet simplex cor, id est, mūdum cor, nisi qui transcendit humanas laudes, & illum solum intuetur, cùm rectè viuit, Augustinus lib. 1. de ser. Dom. in monte c. 4.

viuit, & ei placere nititur, qui conscientiæ
salus inspector est. De cuius conscientiæ purita
te quidquid procedit, tanto est laudabilius,
quanto humanas laudes non desiderat. Hæc
Diuus Augustinus, qui etiam libro soli-
loquiorum hæc valdè obseruanda scri-
psit: Aperuisti mihi oculos lux, & excitasti,
atque illuminasti me, & vidi, quoniam tenta
tio est hominis vita super terram, & quod glo-
riari nō valeat ante te omnis caro, quia, si quid
boni est parui, vel magni, donum tuum est, &
nostrum nonnisi malum est. Vnde gloriabitur
omnis caro? nunquid de malo? hæc non est glo-
ria, sed miseria: sed, nunquid de alieno? tuum
Domine est bonum, tua gloria; qui enim de
bono tuo gloriam sibi, & non tibi quærit, hic
fur est, & latro, similis diabolo, qui voluit fu-
rari gloriam tuam: qui enim laudari vult de
tuo bono, & non quærit in illo gloriam tuam,
sed suam, hic, licèt propter tuum donum, laude-
tur ab hominibus à te tamē vituperatur, quia
de tuo dono non tuam, sed suam gloriam quæ-
siuit. Qui autem ab hominibus laudatur, vitu-
perante te, non defendetur ab hominibus iudi-
cante te, neque liberabitur, condemnante te. At
tu Domine, formator meus ex vtero matris
meæ, nō me sinas cadere in illam exprobratio-
nem, vt exprobretur mihi, furari voluisse glo-
riam tuam: tibi enim sit gloria, cuius est omne
bonum; nobis autem confusio faciei, & mise-
ria; quorum est omne malum: nisi tu volueris
misereri. Hæc ille.

Idem D. Augustinus epist. 46. ad Au-
relium Episcopum ait: Qui laudatur, mi-
nus sibi assumere debet, quàm offertur: sed ta-
men ab eis, qui se honorāt, nec totum, nec nihil
accipiendo, & id quod accipitur laudis, aut ho-
noris, non propter se, qui totum coram Deo esse
debet, & humana contemnere, sed propter illos
accipiatur, quibus consulere non potest, si ni-
mia dilectione vilescat; ad hoc enim pertinet,
quod dictum est: nemo adolescentiam tuam cō-
temnat: cū hoc ille dixerit, qui alio in loco ait:
si adhuc hominibus placerem, Christi seruus nō
esse m: magnum est de honoribus & laudibus
hominum non lætari, sed omnem pompam ina-
nem præcedere, & si quid inde necessarium re-
tinetur, id totum ad vtilitatem honorantium,
salutemque conferre. Non enim frustra dictum
est: Deus confringet ossa eorum, qui hominibus
placent, & placere volunt; quid enim languidius, quid tam sine stabilitate, & fortitudine, quod ossa significant, quàm homo, quem male-
loquentium lingua debilitat, cum sciat falsa
esse, quæ dicuntur, cuius rei dolor nullo modo
animæ viscera dilaniaret, si non amor laudis
ossa eius confringeret. Mecum considera, quam
sint grauia, quam difficilia quæ dico; non enim
huius hostis vires sentit, nisi qui ei bellum in-
dixerit; quia, etsi cuiquam facilè est, laude ca-
rere, dum denegatur, difficile tamen est, eanō
delectari, cùm offertur, & nihilominus tanta
mentis in Deum debet esse suspensio, vt si, non
merito laudemur, corrigamus eos, quos possu-
mus, ne arbitrentur, aut in nobis esse, quòd non
est, aut nostrum esse, quod Dei est, aut ea lau-
dent, quæ quamuis sint in nobis, nequaquam
tamen sunt laudabilia, velut sunt bona omnia,
quæ vel cum pecoribus habemus communia,
vel cum impiis hominibus: si autem meritò
laudamur propter Deum, gratulemur eis, qui-
bus placet verum bonum, non tamen pro hū,
quia placemus hominibus; sed si coram Deo ta-
les sumus, quales nos esse credunt, & non tri-
buitur nobis, sed Deo, cuius dona sunt omnia,
quæ verè, meritoque laudantur. Hæc mihi ipse
canto quo idie, & tamen vehementer cum ad-
uersario dimicans, sæpè ab eo vulnera capio,
cum oblectationem oblatæ laudis mihi auferre
non possum.

Diuus Gregorius libro 2. Moralium capite quinto, exponens illa verba: si vi-
di solem, cùm fulgeret: hæc valdè no-
tanda, ac tanto Pontifice digna scripsit:
Sciendum est, quia, ne immoderatis laudibus
erigamur, plerumque miro rectoris nostri mo-
deramine, etiam detractionibus lacerari per-
mittimur, vt, cùm nos vox laudantis eleuat,
lingua detrahentis humiliet; quia, & arbor
sæpè, quæ vnius venti impulsu ita impellitur,
vt pænè iam erui posse videatur, alterius
è diuerso venientis flatu erigitur, & quæ hac
ex parte inflexionem pertulit, ab alia ad sta-
tum redit. Vnde & illa arbor aliè radi-
cata, quasi inter aduersantes ventos fixa ste-
terat, quæ dicebat: Per gloriam, & igno-

Y 2 bilita-

Augustin. epist. 64. ad Aure-lium Episc.

Salat. 1.

Psal. 73.

Greg libro 2. Moral. c. 5.

relinquo vobis, suffi. it mihi, gratanter suscipio, quod relinquis, & relinquo, quod retines, sic mea interesse non dubito. Abiuro gloriam prorsus, ne fortè si vsu pauero non concessum, perdam meritò & oblatum. Cautus sum, nec ingratus forem beneficio datæ pacis, nec sacrilegus inuasor gloriæ tuæ: tibi Domine, tibi gloria tua maneat illibata: mecum benè agitur, si pacem habuero. Goliath prostrato: lætatus est populus pace recepta, sed Dauid singulariter extitit glorioſus, Iosue, Iaphte, Samson, Gedeon, & Iudith gloriosè in diebus suis triumpharunt de hostibus, sed pace, cum gaudio fruentibus cæteris, nemo eis communicauit in gloria. Iudas Machabæus multis, & ipse inclytus victoriis, cum frequenter exultanti populo pacem fortiter pugnando tribuisset, nunquid gloriam quandoque est partitus alicui? Denique; & facta est (inquit) lætitia magna in populo, lætitia, non gloria. quid minus ab his omnibus conditor omnium fecit, quominus & ipse debeat gloriari singulariter? solus cuncta creauit, solus de hoste triumphauit, solus captiuos liberauit, & socium habebit in gloria? quid ergò mihi cum victoria, si nec in prælio fui? impudentißimè mihi arrogo, vel gloriam absque victoria, vel victoriam sine pugna. Sed suscipite montes pacē populo, pacem suscipite nobis, non gloriam, ipsi soli eam seruantes, qui solus & pugnauit, & vicit: ita quæso, ita sit gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis; at verò non bonæ, sed planè inquæ voluntatis, qui nequaquam pace contentus superbo oculo, & insatiabili corde, inquietus anhelat ad gloriam Dei, nec pacem proinde retinens, nec gloriam apprehendens: & nonnullis interiectis sic loquitur: Eant ergò vani filij hominum, mendaces, & decipiant ipsi de vanitate in idipsum; nam sapiens gloriator probabit opus suum, atque ad lumen veritatis diligenter examinabit, & sic habebit in semetipso gloriam, & non in ore alterius. Stultus sum, si cistellæ labiorum tuorum gloriam meā credidero, & cœpero mendicare eam abs te; cùm habere voluero. Retineo gloriam meam penes me, & ei repono seruandam, qui potens est depositum meum seruare in illum diem iustum Iudex, cautus in custodiendo, fidelis in restituendo: secura tunc erit vnicuique laus à Deo, his duntaxat, qui humanas laudes contempserint; nam gloria in cōfusione eorum, qui terrena sapiunt, dicente etiam Dauid: qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Fratres, si hæc scitis, nemo vestrum velit laudari in vita ista, quia, quidquid hic fauoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris; tibi enim vnde gloria putride puluis? de vitæ sanctitate? sed spiritus est, qui sanctificat, non tuus, sed Dei. An blanditur popularis fauor, quòd verbum bonum, & benè fortè depromperis? sed Christus donauit os & sapientiam: nam lingua tua, quid nisi calamus scribæ? & hoc ipsum mutuo accepisti: talentum creditum, est repetendum cum vsura, si inuenius fueris ad opus impiger, ad fructum referendum fidelis, pro labore tuo mercedem accipies.

1. Reg 17. Iosue 10. Iudicum 15. Iudicum 7. Iudith 13. 1. Machab. 3. 4. 5. 8. Psal. 71. Lucæ 2. Psal. 100. 2. Tim. 1. 2. Cor. 4. Philip. 3. Psal. 51. Psal. 44.

Diuus Augustinus lib. 1. de sermone Domini in monte capite 4. sic loquitur: Cordis mundatio est tanquam oculus, quo videtur Deus, cuius simplicis habendi tantam curam esse oportet, quantam eius rei dignitas flagitat, quæ tali oculo conspici potest; huic tamen oculo magna ex parte mundato difficilè est nō surripere sordes aliquas de his rebus, quæ ipsas nostras bonas actiones comitari solent, veluti laus est humana. siquidem non rectè viuere pernitiosum est, rectè autem viuere, & nolle laudari, quid est aliud, quàm inimicum esse rebus humanis? quæ vtique tanto sunt miseriores, quantò minus placet recta vita hominum: si ergo, inter quos te rectè viuentem non laudauerint, illi in errore sunt, si autem laudauerint, tu in periculo, nisi tam simplex cor habueris, & mundum, vt ea, quæ rectè facis, non propter laudes hominum facias, magisque illis rectè laudantibus gratuleris, quibus id, quod bonum est, placet, quàm tibi, nisi quia rectè viuis, etiamsi nemo laudaret, ipsamq; laudem tuam tunc intelligas vtilem esse laudantibus, si non te ipsum in tua bona vita, sed Deum honorent; cuius sanctißimum templum est omnis, qui benè viuit. Qui autem bonitatem simulant, duplici corde sunt: non ergo habet simplex cor, id est, mūdum cor, nisi qui transcendit humanas laudes, & illum solum intuetur, cùm rectè viuit,

Augustinus lib. 1. de ser. Dom. in mōte c. 4.

vivit, & ei placere nititur, qui conscientiæ ſolus inſpector eſt. De cuius conſcientiæ puritate quidquid procedit, tanto eſt laudabilius, quanto humanas laudes non deſiderat. Hæc Diuus Auguſtinus, qui etiam libro ſoliloquiorum hæc valdè obſeruanda ſcripſit: *Aperuiſti mihi oculos lux, & excitaſti, atque illuminaſti me, & vidi, quoniam tentatio eſt hominis vita ſuper terram, & quod gloriarinō valeat ante te omnis caro, quia, ſi quid boni eſt parui, vel magni, donum tuum eſt, & noſtrum nomiſi malum eſt. Vnde gloriabitur omnis caro? nunquid de malo? hæc non eſt gloria, ſed miſeria: ſed, nunquid de alieno? tuum Domine eſt bonum, tua gloria; qui enim de bono tuo gloriam ſibi, & non tibi quærit, hic fur eſt, & larro, ſimilis diabolo, qui voluit furari gloriam tuam: qui enim laudari vult de tuo bono, & non quærit in illo gloriam tuam, ſed ſuam, hic, licèt propter tuum donum, laudetur ab hominibus à te tamē vituperatur, quia de tuo dono non tuam, ſed ſuam gloriam quæſiuit. Qui autem ab hominibus laudatur, vituperante te, non defendetur ab hominibus iudicante te, neque liberabitur, condemnante te. At tu Domine, formator meus ex vtero matris meæ, nō me ſinas cadere in illam exprobrationem, vt exprobretur mihi, furaxi voluiſſe gloriam tuam: tibi enim ſit gloria, cuius eſt omne bonum; nobis autem confuſio faciei, & miſeria; quorum eſt omne malum: niſi tu volueris miſereri.* Hæc ille.

Idem D. Auguſtinus epiſt. 46. ad Auguſt. epiſ. 64. ad Aurelium Epiſc. telium Epiſcopum ait: *Qui laudatur, minus ſibi aſſumere debet, quàm offertur: ſed tamen ab eis, qui ſe honorāt, nec totum, nec nihil accipiendo, & id quod accipitur laudis, aut honoris, non propter ſe, qui totum coram Deo eſſe debet, & humana contemnere, ſed propter illos accipiatur, quibus conſulere non poteſt, ſi nimia dilectione vileſcat; ad hoc enim pertinet, quod dictum eſt: nemo adoleſcentiam tuam cōtemnat: cū hoc ille dixerit, qui alio in loco ait:* Pſalt. 1. *ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus nō eſſem: magnum eſt de honoribus & laudibus* Pſal. 72. *hominum non lætari, ſed omnem pompam inanem præcedere, & ſi quid inde neceſſarium retinetur, id totum ad vtilitatem honorantium, ſalutemque conferre. Non enim fruſtra dictum eſt: Deus confringet oſſa eorum, qui hominibus placent, & placere volunt; quid enim languidius, quid tam ſine ſtabilitate, & fortitudine; quod oſſa ſignificant, quàm homo, quem maleloquentium lingua debilitat, cum ſciat falſa eſſe, quæ dicuntur, cuius rei dolor nullo modo animæ viſcera dilaniaret, ſi non amor laudis oſſa eius confringeret. Mecum conſidera, quam ſint grauia, quam difficilia, quæ dico; non enim huius hoſtis vires ſentit, niſi qui ei bellum indixerit; quia, etſi cuiquam facilè eſt, laude carere, dum denegatur, difficile tamen eſt, eanō delectari, cùm offertur, & nihilominus tanta mentis in Deum debet eſſe ſuſpenſio, vt ſi, non merito laudemur, corrigamus eos, quos poſſumus, ne arbitrentur, aut in nobis eſſe, quòd non eſt, aut noſtrum eſſe, quod Dei eſt, aut ea laudent, quæ quamuis ſint in nobis; nequaquam tamen ſunt laudabilia, velut ſunt bona omnia, quæ vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impiis hominibus: ſi autem meritò laudamur propter Deum, gratulemur eis, quibus placet verum bonum, non tamen pro his, quia placemus hominibus; ſed ſi coram Deo tales ſumus, quales nos eſſe credunt, & non tribuitur nobis, ſed Deo, cuius dona ſunt omnia, quæ verè, meritoque laudantur. Hæc mihi ipſe canto quo idie, & tamen vehementer cum aduerſario dimicans, ſæpè ab eo vulnera capio, cum oblectationem oblatæ laudis mihi auferre non poſſum.*

Diuus Gregorius libro 2. Moralium capite quinto, exponens illa verba: ſi vidi ſolem, cùm fulgeret: hæc valdè notanda, ac tanto Pontifice digna ſcripſit: *Sciendum eſt, quia, ne immoderatis laudibus erigamur, plerumque miro rectoris noſtri moderamine, etiam detractionibus lacerari permittimur, vt, cùm nos vox laudantis eleuat, lingua detrahentis humiliet; quia, & arbor ſæpè, quæ vnius venti impulſu ita impellitur, vt pænè iam erui poſſe videatur, alterius è diuerſo venientis flatu erigitur, & quæ hac ex parte inflexionem pertulit, ab alia ad ſtatum redit. Vnde & illa arbor alibi radicata, quaſi inter aduerſantes ventos fixa ſteterat, quæ dicebat: Per gloriam, & ignobilita-* Greg libro 2. Moral. c. 5.

bilitatem, per infamiam, & bonam famam: & lætatum est in abscondito cor meum. qua attestatione quid nobis innuitur, nisi, quòd nobis magno metu & circumspectione opus est, ne mens nostra vnquam de suis laudibus, vel tacita lætetur; quamuis nonnunquam etiam sancti viri de bona sua opinione gaudeant, sed, cùm per hanc ad meliora proficere audientes pensant, non iam de opinione sua, sed de proximorum gaudent vtilitate: quia aliud est fauores quærere, & aliud de profectibus exultare. Cùm humanæ linguæ attestatione laudamur, occulta pulsatione requirimur, quid de nobis ipsis sentiamus, vt in hoc humiles permaneamus. Superba etenim mens, etiam cùm de falsa, bona dicuntur, exultat, quia non apud Deum, qualiter viuat, sed apud homines, qualiter innotescat, excogitat. Iudicium enim de se omnipotentis Dei despiciens, & solummodo hominum quærens, inter auditas laudes extollitur, & quæ hoc solùm quæsierat, quasi de brauio operis lætatur. At contra, si cor veraciter humile est, bona, quæ de se audit, aut minimè recognoscit, & quia falsa dicuntur, metuit, aut certè, si adesse ea sibi veraciter sciat, eo ipso formidat, ne ab æterna retributione Dei sint perdita, quo hæc considerat hominibus diuulgata, pauetque vehementer, ne spes futuri muneris in mercedem permutetur transitorij fauoris: qua ex re agitur, vt electorum animus magno laudum suarum igne crucietur: cauta enim consideratione trepidat, ne aut de his, in quibus laudatur, & non sunt, maius Dei iudicium inueniat; aut de his, in quibus laudatur, & sunt, competens præmium perdat. Vnde benè per Salomonem dicitur: sicut probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ita probatur homo ore laudantis: argentum quippe, vel aurum, si reprobum est, igne consumitur, si verò probum, igne declaratur; sic mirum est, & sensus operantis; nam qualis est in eo, quod laudatur, ostenditur: si enim se auditis suis laudibus extollit, quid est aliud, quàm aurum, vel argentum reprobum fuit, quem vndelibet fornax linguæ consumpsit? si autem fauores suos audiens, ad superni iudicij considerationem redit, ac ne de his apud occultum arbitrum grauiter metuit, quasi expurgationis igne ad magnitudinem claritatis excrescit; & inde incendium trepidationis sustinet, inde clarius effuiget.

Idem Sanctus Gregorius homil. 32. in euangelia tom. 3. dicit: *Ipsis virtutib. quædam vitia mixta, & iuxta sunt: è vicino namque abstinentiam carnis nonnunquam vana gloria obsidet, quia, dum tenuitas in corpore, dum pallor in vultu respicitur, virtus patefacta laudatur, & tanto se celerius foras fundit, quantum ad humanos oculos per ostensum pallorem exit; & plerumque fit, vt hoc, quod causa Dei agi creditur, pro solis humanis fauoribus agatur; quod benè Symon ille significat, qui inuentus in itinere, Crucem dominicam in angaria portat: aliena quippe onera in angaria portantur, quando per vanitatis studium aliquid geritur: qui ergo per Simonem designantur, nisi abstinentes, & arrogantes, qui per abstinentiam quidem carnem affligunt, sed fructum abstinentiæ interius non requirunt. Crucem ergò Domini in angaria Simon portat, quia, cùm ad opus bonum ex bona voluntate non educitur, rem iusti sine fructu peccator operatur. Vnde idem Simon crucem portat, sed non moritur, quia abstinentes, & arrogantes per abstinentiam quidem corpus afficiunt, sed per desiderium vanæ gloriæ mundo viuunt.* Hæc ille. Greg. hom. 32. tom.

Idem S. Gregorius, exponens illa verba: *Ionathas extendit summitatem virgæ, quã habebat in manu, & intinxit in fauo melis, & conuertit manum suam ad os suum; & illuminati sunt oculi eius.* Sic habet. *Quid est, virgam extendere, & manum ad os cum melle reuocare, nisi, tam de prædicationis verbo, quã de studio boni operis, vani fauoris gustum recipere? sed quia more electorum peccat, non virga, sed extremitate virgæ mel leuare dicitur: virgam quippe, & manum melle plenam ad os conuertunt, qui iuxta veritatis vocem omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus: Dum enim suis laudibus saturãtur, mel non ad tenuem gustum habent in summitate virgæ, sed vel in tota virga, vel in manu ad plenam refectionem.* Hactenus ille. Greg. super illa verba, 1. Reg. 14.

Ac tandem Sãctus Ioannes Climacus in sua schola spirituali gradu 21. inquit: Ioan. Clima. cui in schola

Inanis

inanis gloria, est laborum dissipatio, sudorum perditio, thesaurus insidiæ, perfidiæ alumna, superbiæ præcursor, in portu naufragium, in area formica, quæ & tenuis est, laboribus tamen omnibus, & fructibus insidiatur: Expectat formica, dum perficiatur triticum cenodoxia vero, dum congregentur opes; gaudet illa, vt dissipet, hæc autem, vt fruatur; gaudet desperationis spiritus cùm videt multiplicari vitia, cenodoxia verò, cùm virtutes multiplicari videt: prioris ianua, multitudo vulnerũ: secundi verò diuitiæ laborum. Obserua diligenter, & vsque ad mortem, & sepulchrum inuenies, hanc nefariam labem quotidie vestibus, vnguentis, pompis, aromatibus, & alijs florere. Lucet omnibus affatim Sol, omnibusq; studijs cenodoxia adgaudet, verbi gratia: ieiunio inaniter glorior, latendi causa soluo ieiunium, tanquam prudens, iterum glorior: si splendidè vestior, vincor ea peste: si vilius induor, denuò glorior: si loquar, hac superor, si taceam rursus superatus sum; quocunque hunc tribulũ iecero, erecto perstat aculeo: Eiusmodi vero gloriosum est fidelis idolorum cultor, qui Deum quidem colore, venerari videtur, hominibus verò, non Deo placere studet. Hactenus S. Ioannes Climacus.

Idem S. Ioannes Climacus in eodem graduait: *Notauit quidam ex his, qui videre acutius poterant, narrauitque, quid viderat. Cùm sederem (inquit) in cœtu quodam, aduenientes ad me cenodoxiæ, & superbiæ dæmones, iuxta me, ex vtraque parte sederunt, & vnus quidem ex his, digito illo suo vaniß mo pulsauit latus meum, hortans, vt aliquid, quod ad contemplationem pertineret, siue opus quodlibet in deserto à me gestum loquerer; quem, cùm à me repulissem, dicens: Conuertantur retrorsum, & erubescant, qui mala mihi cogitant, protinus is, qui à sinistris erat, ad aurem mihi dixit eia benè fecisti, magnumque effectum es, quippe, qui impudentissimam matrem meam vicerit; ad quem ego ritè sequentes versus resumens, dixi: Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi: euge benè fecisti.* Hæc S. Ioannes Climacus, quibus, & gloriam hominum fugiendam, Christi verò solùm quærendam docet. Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Idem Ioannes Climacus in eodem graduali.

HOMILIA XXI.

Prosequimur idem argumentum aduersus inanis gloriæ appetitum, cuius grauitatem, & stultitiam multiplici eruditione tam ex sacra Scriptura, quàm ex sanctis Patribus, ac ingenti conceptuum copia palam demonstramus in eadem verba: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei.



Vemadmodum Christus Dominus (id referente D. Matthæo ca. 14. auditis illis verbis: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te,* ex illis occasionem arripuit docendi auditores, omnem carnis, & propinquitatis affectum longè esse propulsandum, maximè eum impedit, quę Dei sunt, præstare: sic enim respondit: *Quæ est mater, & qui sunt fratres mei? quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Ita nunc auditis verbis humanæ laudis, quę mulier illa protulit: *Beatus venter qui te portauit, & vbera, quæ suxisti,* asperiorem illam responsionem dedit: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei,* vt auditores exemplo suo doceret, humanis laudibus non libenter aures esse accommodãdas, sed fugiendas potius, & refutandas. Sanè inter alia pleraque, quæ humanæ laudis effrænem appetitum compescere deberent, illud maximi ponderis iudico, quòd, qui laudem humanam suorum operum aucupatur, diuinæ gloriæ sacrilegus fur, & iniustissimus depredator efficitur, D. Augustino dicente: *Tuũ, Domine, est bonum, tua gloria, ideoq; qui de bono tuo gloriam sibi quærit, & non tibi quærit, hic fur est, & latro, & similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam.* Equidem cũ

Matth. 14.

Luc. 11.

D. Aug. lib. soliloq. c. 15.

1. Iacob.

laus, & gloria non debeatur nisi bono, & omne bonum de sursum sit, descendens à Patre luminum, ipsi debetur laus, & gloria, non nobis. Vnde, qui illam sibi vsurpat, fur est, & latro diuinæ gloriæ. Ad Phil. 2. Diuus Paulus ad Philippenses ca. 2. vt explicaret, omnium bonorum nostrorum operum Deum esse authorem, dixit: *Ipse est qui operatur velle, & perficere pro bona voluntate sua.* Mos est sacræ Scripturæ, vt cùm vult aliquid plenè comprehendere, extrema illius exprimat, vt sub illis intermedia complectatur, sicut cùm dixit Moyses: *In principio creauit Deus cœlum & terram*, Genes. 1. planè significauit, non solùm illa, sed omnia intermedia creata fuisse à Deo, vt adnotarunt D. Chrysost. homil. 2. in Genesim, & D Augustinus lib. 2. contra Manichæos ca. 3 & Chrysost. in Genes. D. Aug. li. 2. con. Man. Christus Dominus ad exprimendam plenam potestatem, quam super omnem creaturam acceperat, dixit Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Matth. 28. Quibus planè indicauit, etiam ea, quę interiacent inter cœlum & terram, suæ potestati subesse. Certè *velle & perficere*, duo extrema sunt, inter quæ totius boni operis structura continetur, cuius primum principium est velle, finis est perficere: quare dicere voluit, Deum totius nostri boni operis esse authorem, & nihil esse in eo, quod non Deus ipse in nobis pro bona sua voluntate operetur. Isai. 26. Dixerat Isai. Deum operari in nobis omnia nostra opera. Apostolus tamen non solùm hoc dixit, sed addidit, ita omnia opera nostra in nobis operari, vt quicquid bonum est in vnoquoque eorum operetur, non quod homo sit tanquam inanime organum (vt Hæretici contendunt) sed quia ab ipsius Dei virtute, & auxilio procedit quicquid est boni in opere, quod homo operatur, quod & Dauid dixit illis verbis, quæ S. Patres, Psalm. 88. sacraque obseruant Concilia: *Quoniam gloria virtutis eorum tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.* Habet homo potentiam, aut virtutem benè operandi, sed huic virtuti Deus dat virtutem, sine qua nihil penitus operabitur: habet cornu fortitudinis, id est, potentiam liberi arbitrij, quam nemo cogere potest, nisi tamen cornu hoc exaltetur, hoc est, nisi potentia, & facultas liberi arbitrij supernaturali Dei auxilio eleuetur, neutiquam minimum etiam opus meritorium elicere valebit.

Quam autem sollicitus zelator sit Dominus gloriæ suæ, præclarè mihi indicasse videtur Exod. 30. persuauissimũ odorem thymiamatis, quem sibi soli reseruari præcipit. *Sume tibi* (inquit ad Moysen) *stacten, & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia, faciesque thymiama pu um, & sanctificatione dignissimum*: id est, quod Deum deceat, aptumque sit ei offerri, & illo subfumigare Sanctum Sanctorũ, erit vobis thymiama, id est, sanctissimũ, purissimum, Deo soli reseruatum. *Talem compositionem non facietis in vsus vestros, quia sanctum est Domino*, id est, quia Deo ipsi consecratum, & dicatum. *Homo quicunque fecerit simile, vt odore illius perfruatur peribit de populis suis.* Per thymiama igitur ex omnibus aromaticis speciebus compositum, omnium virtutum operationem intellexit: nec enim contentus est Deus, si vnam solummodo teneas virtutem, qui te in omnibus perfectum exposcit: & idcirco (vt D. Basil. adnotat) eas aromaticas species expressit, quę vniuersa continere viderentur: quatuor enim species aromaticę, ex quibus componendum erat thymiama, ad quatuor referuntur elementa, ex quibus omnia componuntur, quorum singularem tenent similitudinem. Stacte namque refertur ad aquam, quia est recentis myrrhæ incisæ pinguedo cum aqua expressa, aut (vt alij volunt) gutta, quam arbor quædam aromatica distillat. Onyx ad terram ob retortidam ariditatem. Galbanus ad ignem, propter calorem præferuidum. Thus verò aerem repræsentat, quòd transparentis sit, & dilucidæ perspi- D. Basil.

perſpicuitatis. Quod Deus ſibi reſeruat, eſt ſuffimentum, aut odor, ex his ſpeciebus aromaticis conſurgens. Ex virtutum namque vniuerſarum operibus intet ſe commixtis, quando ſcilicet ieiunium eſt humile, miſericors, & orationi coniunctum; quando oratio eſt copulata ieiunio, miſericordiæ, & humilitati; quando humilitas ſecum tenet orationem, & miſericordiam, vt D. Ambr. li. 5. in Luc. in illud: *Beati pauperes.* D. Auguſt. li. 6. de Trinit cap. 4 ac D. Greg. li. 22. Moral. ca 1. loqui ſolent, quorum doctrinam excellenter D. Tho. explicat 1. 2 q 65 ar. 1. ex quibus conſurgit odor ſuauiſsimus, aut ſuffimentum laudis, honoris, & gloriæ. Hoc Deus ſibi ita reſeruat, vt prohibeat dicens: *Talem compoſitionem non facietis in vſus veſtros*, id eſt, ad veſtram gloriam, & honorem, *quia ſanctum eſt Domino*, id eſt, Deo dicatum, & debitum; ideoque *homo quicunque fecerit ſimile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis.* Pereat Lucifer, & æternæ perditioni tradatur, quia odore virtutum, donorum, & gratiarum, quibus fuit ornatus, perfrui voluit, gloriam, & honorem inde procedentem ſibi aucuparivolens: cui dictum eſt (vt S. Th. explicat) eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, in terram proieci te. Pereat Rex Tyri, qui gloriam, & honorem, quem in Deum referre debebat, propter diuitias, & potentiam, quibus fuit donatus, in ſuum voluit vſum conuertere, cui dictum eſt, eò quòd eleuatum eſt cor tuum, quaſi cor Dei, id eſt, intendens gloriam, quæ tantummodo Deum decebat, idcirco ego adducam ſuper te alienos robuſtiſſimos, qui interficient te. Pereat Herodes, qui ſplendore regio fulgens, gloriã ab adulatoribus ſibi delatam, quam Deo tenebatur ſeruare, acceptauit; ideo percuſſus ab Angelo expirauit, de quibus ſupra. Expendit S. Ioannes Chryſoſtomus iuſtam Regis Oziæ percuſsionem; quem Deus inſanabili lepra percuſsit, ex qua mortuus fuit. Verè enim res digna eſt grandi animaduerſione. Fuit Ozias (quem aliquando Scriptura Azariam vocat) Rex, qui fecit, quod rectum erat in oculis Dei, cumque requireret Dominum, direxit eum Dominus in omnibus, vnde inſignes comparauit victorias, reſque grandes fuit adorſus. Hinc egreſſum eſt nomen eius procul, eò quòd auxiliaretur ei Dominus, & corroborasſet illum. Nihilominus percuſsit eum Dominus; orta eſt enim lepra in fronte eius coram Sacerdotibus in domo Domini, ſuper, id eſt, iuxta altare thymiamatis: & Sacerdotes feſtinatò expulerunt eum, & fuit leproſus vſque in diem mortis ſuæ. Inquirit D. Ioannes Chryſoſtomus, cur tam grande ſupplicium intulerit Deus Regi, qui fecerat, quod rectum erat in oculis eius, & tandem docet, rationem fuiſſe eam, quam ipſamet Scriptura ſacra expreſsit: quia ſibi voluit arrogare gloriam, & honorem, non Deo ipſi, ſed eius Sacerdotibus reſeruatum circa thymiamatis ſuffimentum, aut oblationem; hoc enim coram Deo offerre, & incendere ſolis Sacerdotibus volebat Deus eſſe conceſſum. Cùm autem Ozias roboratus eſſet: *Eleuatum fuit cor eius in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deum ſuum.* Ingreſſus enim templum, voluit adolere incenſa ſuper altare thymiamatis. Si ergo ex eò ſolùm, quòd hic Rex ſibi vſurpare voluit, quod ad ſolos Sacerdotes pertinebat, ſcilicet offerre Deo thymiama, ita acriter Deus illum puniuit; dubium nõ eſt, quin acerbiore pœna illum plecteret, ſi odorem Deo ſoli reſeruatum, ſibi vſurpare voluiſſet. In hoc ſanè peccati genus incidunt, qui cùm bona opera operentur, contendunt odorem laudis, ex eis procedentem, in ſe ipſos conuertere, gloriam Deo debitam tyrannicè ſibi arrogantes: nam ſic Diuus Paulus, cùm diceret 2. ad Corinth. 2. *Chriſti bonus odor ſumus Deo.* Ecce odorem bonorum operum non ſibi arrogabat, ſed Deo deferebat. Diaboli proprium eſt,

Ambr. lib. 5. in Lucam. *D. Aug. de Trin c. 4.* *Greg. lib 22. Mor. ca 1.* *D. Th. 1. 2. q. 65. ar. 1.* *D. Th. 2. 2. q. 145. diſt. 2 ad 3.* *Ezech. ar. 28. 17.* *Ezech. 28. 6.* *Act. 12. 31.* *Geneſ. 207.* *S. Ioa. Chryſ. hom. 1. & 4. in illud: Vidi Dominum.* *4. Reg 15. 1. ca 2. Paral. 26 4. 5.* *4. Reg 15 1. & 2. Paral. 26. 19.* *2 Paral. 26 16.* *Ioann. Chryſ.* *Ezech. 28.*

Dei

1. ad Thim. 1.17. Dei gloriam velle capere; ille enim, qui quasi prædator in via exprimordijs suę conditionis, voluit Dei gloriam sibi vsurpare, & nunc opera bona, quæ in Dei obsequium fieri conspicit, totis viribus furari conatur, excitando desiderium, & appetitum inanis gloriæ, auferendo ab ipsis insigne, quod ille seruari vult illesum: soli Deo honor, & gloria; ita multa bona, quæ operatus fuerat Pharisæus ille, de quo Christus Dominus loquitur, rapuit, idque illi conuenire potest, quod S. Iacob dixit de Dan: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi; vt cadat ascensor eius retrò.* Omnibus ambulantibus in via huius vitæ se exponit diabolus, tanquam coluber, eo modo, quo primis parentibus nostris, suadens, Dei mandatum contemnere, terrena appetere, & in vetitum lignum manum mittere. Quoniam autem multi sunt, qui eligunt semitam illam strictam, quæ ducit ad vitam, quam perambulant per opera sancta mortificationis, pœnitentiæ, religionis & omnium virtutum istis se exhibet, tanquã cerastem, qui paruus serpens est, summa cupiditate exoptans deijcere equitem, quem videt pulchro currentem equo, ideoque inter pulueres se abscondit, & illo transeunte, mordet vngulas equi, vt recalcitrans equus equitem retrò deijciat: ita diabolus, quando videt iustum & sanctum virum, per strictam virtutis semitam currentem, quem non potuit impedire à bonis operibus, inter pulueres humanarum laudum, & vocum se abscondens, latenter vngulam mordere conatur, vngulæ nomine, recta mentis intentio designatur, qua quis mouetur, & progreditur in bono opere: hanc mordere, & inficere summopere procurat, appetitum inanis gloriæ calidè ingerens, vt generosum animum, Dei gloriam intendentem à sublimi intentione cadere, & deficere faciat. Istorum miseriam deplorans sanctus Thadæus epistola sua canonica, inquit: *Væ illis, qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt.* Tria personarum genera exprimit, quibus quasi iam damnatis compati possumus, & quibus sanctus Apostolus grande comminatur supplicum, illam præmittens comminatricem interiectionem væ: quæ quando inducitur, vt D. Ioannes Chrysostomus annotauit, horrendam, supremam, & irremissibilem pœnam exprimere solet. Primum illorum, qui in via Cain abierunt, inuidos significat; hoc namq; fuit peccatum Cain, per quod ad execrandum fratricidiũ peruenit, cui ipsemet Deus, quasi compati visus fuit, volens illum à suo torquente affectu reuocare, dicẽs: *Quare iratus es? & quare concidit facies tua? nonne si bene egeris, recipies?* quasi dicat: Cur de fratris tui bono irasceris, & doles, qui magis inde lætari debes? Non imputes fratri tuo, quòd à me contemnaris, sed tibi, qui si similis illi volueris esse, similes reportabis fauores. Aliud est eorum, qui in contradictione Core perierunt, isti superbi sunt, & ambitiosi, atque Prælatis suis, qui loco Dei sunt constituti, rebelli se contradictione opponunt. Aliud tandem eorum, qui cum Balaam mercede effusi sunt, satis nota est hæc historia. Fuit Balaam (vt Origenes, & D. Augustinus dicunt) famosissimus in arte magica, & carminibus noxijs præpotens incantator, quem Basilius vocat: *Augurem, & diuinatorem*, vt qui dæmoniacam sibi doctrinam per augurandi superstitionem comparasset, quem & falsum prophetam fuisse probat D. Ambrosius, vocans eum *Ariolum*. nihilominus, quando vocatus fuit à Rege Balac, vt populo Dei malediceret, verissima prophetasse docent Patres, Origenes, Augustinus, Basilius, Ioannes Chrysostomus, & signanter D. Gregorius censet, grandi Spiritu Dei fuisse illustratum, per quem cognouit veri Dei maiestatem, & populi illius excellentiam, & felicem sortem eorum, qui ipsi

Luc. 18.

Gen. 49. 18.

Genes. 2.

Iudæver. 11.

D. Ioa. Chrys. hom. 7. in Gen. & li. de virg. ca. 21.

Genes. 4.

Origenes. Augustin. Basilius. Ambros.

Origenes. Augustin. Basilius. Ioan Chrys. Gregorius.

ipsi obsequuntur, ideoque exclamasse: *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.* vero ergo spiritu prophetico fuit tunc illustratus: sed mercede effusus est, quia, vt eleganter dixit Origenes, prophetiæ verba tantùm habuit in ore; dictum enim fuerat illi à Deo: Verbum, quodcunque dedero in ore tuo, hoc loqueris: in corde autem desiderium erat mercedis, & cupiditatis pecuniæ à Rege percipiendæ. Etenim, quia per prophetiam, quam in Dei, & populi eius honorem, & gloriam protulit, non à Deo præmium, sed quam mercedem posset ab hominibus reportare, solummodo concupiuit; ideò meritò (inquit Origenes) vocatus est Balaam, qui interpretatur, populus vanus. Expende illud, mercede effusi sunt: effundere est se totum omni affectu, & ex toto corde in aliquid demittere, quomodo Dauid: *Effundite coram illo corda vestra.* & iterum: *Sicut aqua effusus sum.* totam mentem, affectum, & omne cordis sui desiderium in obtinenda à Rege Balac mercede pro opere illo, quod, Deo suggerente, perficiebat, constituit. pariter autem cum eo dicuntur mercede effusi, qui solam mercedem temporalem propter bona sua opera ab hominibus expectant: & quidem Balaam diuitias multas accepit, quæ apud carnales homines magnoperè æstimantur Quid si nonnisi solam, & nudam exteriorem laudem pro pretio, & mercede requireret? væ igitur hypocritis, qui in hac via Balaam ambulantes, minorem mercedem, quàm Balaam, ab hominibus exposcunt; à quibus tantùm quærunt conspici, & videri.

Num. 23. Origenes. Psal. 60. Psal. 21.

Porrò, illud etiam magni ponderis esse autumo ad detestationem humanæ laudis, quòd qui operibus suis non Dei gloriam, sed propriam exaltationem quæritant, in quoddam idololatriæ genus miserè prolabuntur, cùm gloriam, & laudem, quam Deus in suæ veræ deitatis protestationem exposcit, sibi tribuant. Vnde opere ipso Deum abnegant, & loco illius, se ipsos, tanquam Deum constituunt. ad quod magis intelligendum explicare iuuabit, quid sibi voluerit Iacob, cùm dixit: *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, erit mihi Dominus in Deum.* Nunquid putabat Iacob, quòd Dominus non esset Deus eius, nisi ipse haberet illum in Deum? minimè quidem: rectè enim sciebat, per hoc, quod assumeret illum in Deum, non constitui illum Deum suum nam etiam illo renuente, necesse erat Deum illius esse: & quidem nomine Dei omnes nationes intelligunt primam omniū causam, à qua cuncta procedunt, & in quam, velut in vltimum finem, omnia diriguntur: habere ergo Dominum in Deum, est ab illo omnia bona, tanquam ab vniuersorum bonorum fonte, & origine expectare, & in illum se, & omnia sua, tanquam in finem referre, dirigere, & ordinare. idque sibi volunt verba Iacob: *Erit mihi Dominus in Deum*, non dixit erit mihi Dominus pro Deo, sed in Deum: nam, vt D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 2. docuit, præpositio *In*, significat motum animi tendentis in aliquid; ex quo explicat illud Symboli: *Credo in Deum.* Quare, Iacob habere Dominum in Deum, nihil aliud erat, quàm toto corde, & animo, se suaque bona omnia in illum, tanquam principium, & authorem referre, & omnem gloriam ex illis resultantem illi offerre ad imitationem cœlestium incolarum, de quibus Ioann. Apoc. 4. inquit: *Procidebant, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem quia tu creasti omnia.* Hinc est, quòd, quæ laudē, & gloriam propter opera sua bona Deo debitam sibi vsurpant, in quoddam genus idololatriæ incurrunt, dum non ad Deum, sed ad se ipsos, tanquam ad vltimum finem referunt illa, vt contigit Regi Tyri, cui propterea quòd gloriam,

Gene. 24. D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 2. Apoc. 4.

& honorem ex bonis suis operibus re-
Ezech 28. sultantem, sibi arrogabat, propheta Eze-
chiel capit. 28. dixit se pſum constituisse,
tanquam Deũ, ac vero Deo neglecto, in
Cathedra eius sedere non erubuisse: *Eleuatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, & in Cathedra Dei sedi.* ecce hominem va-
num, sui ipsius idololatram factum. Ac-
cedit, quòd inter omnes prauos affectus,
qui disponunt ad infidelitatem inducẽ-
dam, & à fide apostatandum, primas te-
net appetitus proprij honoris, & gloriæ.
Aug de ciu Dei c 14. Vnde D. Augustinus de ciuit. Dei ca. 14.
vocat vanæ laudis appetitum; vitium
valdè piæ fidei inimicum: quod & pro-
Ioan Chry. hom 2. in Ioan. bat Diuus Ioannes Chrysostomus ho-
mil. 2 in Ioannem ex illis verbis Christi
Domini Ioan. 5. *Quomodo vos potestis cre-*
Ioan. 5. *dere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & glo-*
riam, quæ à Deo solo est, non quæritis? quibus
Ioan. 12. consonant illa alia Ioan. 12. *Ex principi-*
bus multi crediderunt in eum, sed propter Pha-
risæos non confitebantur; magis enim dilexe-
runt gloriam hominum, quam Dei ecce in-
gentem huius praui affectus impietatẽ,
cùm per illum homo coronam gloriæ,
ipsi Deo debitam, ab ipsius Dei capite
auferat, & sibimetipsi imponat: ac tan-
dem, per illum, ad negandum Deum, &
seipsum tanquam Deum, colendum mi-
serrimè disponatur.

Cæterùm, postquam inanis gloriæ
grauitatem ostendimus, ad eius stulti-
tiam, multifariam, multisque modis
manifestandam, sermonem conuerta-
mus. Inter pleraque naturæ opera admi-
Iob 30. ratione digna, quæ Deus Iob ante ocu-
los posuit, illud de struthione singulari
speculatione dignum arbitror: pennæ
struthionis similes sunt pennis herodij,
& accipitris: priuauit illum (inquit ipse
Iob) sapientia, nec dedit illi intelligen-
tiam: signum autem non obscurum suę
stoliditatis est, quòd, cùm alioquin auis
sit æqualis magnitudinis cum camelo,
caput habet paruum ad modum anatis,
Plin 16. ca 1. vt testatur Plinius libr. 10. capit. 1. Apud
Physiognomos autem paruitas capitis
insipientiam indicat, & vt refert Pierius Pier. li 25.
libr. 25. olim antiqui struthionem pro
stoliditatis symbolo vsurpabant. hoc
loco Deus tam multa de struthione cõ-
memorat, vt nulla ratione credi possit,
ad struthionis naturam explicandam il-
la dixisse, sed, sicut quando de bobus lo-
cutus est, de ipsis non curabat, sed de re
significata per illos, vt dixit Diuus Pau-
lus ad Corinth. 9 *Nunquid de bobus cura* Ad Cor. 9.
est Deo? ita dum Deus ex professo de stru-
thionis natura, & stoliditate sermonem
instituit, non tam de illo, quàm de re si-
gnificata per ipsum, intelligenda vult
ab eo commemorata: iustum enim est,
vt natura gratiæ deseruiat, & vt sapien-
ter dixit Diuus Gregorius libr. 21. mo- Greg. li 21.
ral. capit. 1. de libro Iob loquens: *Multæ* moral ca. 1.
quidem eius sententiæ tanta allegoriarum con-
ceptione sunt grauidæ, vt quisquis eas ad so-
lam historiam tenere nititur, earum notitiæ
per suam iniuriam priuetur. Quare idem D. Greg. li 31.
Gregorius libr. 31. moral. capit. 5. docet moral. ca. 5.
Deum hoc loco hypocritam vanæ lau-
dis cupidum, ex professo describendum
assumpsisse, multaque de eius insipien-
tia, & stoliditate edixisse, vt inde nos
sapientes, & cordatos efficeret: idque
planè verba illa indicant: *Priuauit illum* Iob 30.
Deus sapientia. nam cùm nemo dicatur
priuari re, cuius non est capax; nec e-
nim lapis dicitur priuatus visu, cùm in-
capax sit illius; manifestè relinquitur,
Deum verba illa direxisse ad hypocritã,
qui capax est sapientia priuari. In pri-
mis ait Iob, pennas struthionis esse in- Iob 30.
star hærodij, & accipitris, subtiles scili-
cet, magnas, & latas: in eo tamen valdè
dissimiles sunt, quod accipiter, & hæro-
dius adeò in sublime erigũtur, vt ipsum
Cœlum contingere videantur: struthio
autem suis pennis, nec per latum vn-
guem à terra se eleuat. Vnde Diodor. li. Diod li 3.
3. rerum antiquarum, vocauit illum me- rerum anti-
dium inter aues, & bestias, quia habet a- quarum.
las sicut aues, sed à terra non eleuatur,
sicut bestiæ: & Strabo libr 16. propter Strab li 16.
eandem rationem struthiones aues cer-

uinas

uinas appellauit, quia licet alas habeant instar auium, currunt tamen super terram instar velocium ceruorum, vt scribunt Helian. libr. 14. ca. 20. & Xenophon lib. 1. de cerui expeditione: non dissimiliter hypocritæ, licet alioquin habeant pennas similes accipitris, & hærodij pēnis, hoc est virorum sanctorum, qui instar istarum auium in sublime se eleuāt, & Cœlum contingentes, cum D. Paulo dicunt: ad Philippens. 3. *Nostra conuersatio in Cœlis est.* terram verò, hoc est terrenos affectus non deserunt: ieiunijs se exasperant, orationes in Ecclesia fundūt, eleemosynas erogant: pennæ sunt istæ sine dubio, quibus sancti sursum eleuātur: at ipsi, dum propter vanam hominum laudem aucupandam illis vacant, in terra fixi manent. Deinde struthio, quamuis tanta fœcunditate vigeat, vt plus quàm octoginta oua in lucem edat, vt scribit Helian lib. 14. ca. 19. & sequentibus, nullum tamen eorum protegit, aut fouet, sed in puluere relinquit, nihil curans, si à transeuntibus bestijs conculcentur: imò licet oua, & filios ex eis productos, magno pepererit dolore, quasi sæua nouerca, omni cura destituta relinquit, beato Iob dicente capit. 39. *Duratur ad filios suos, quasi non sint sui, frustra laborauit, nullo timore cogente.* vel vt Pagninus vertit: *Crudelis fuit pullis suis, ac si non essent sui,* seu, vt transfert regia: *Duriter tractat filios suos, non sibi.* Etenim licet struthio pullos suos diligere videatur, vt indicat Michæas cap. 1. quia illorum visu valdè delectatur, ita tamen efferato, & crudeli animo erga illos se gerit, vt nec eos foueat, nec pascat, neque eorum amissionem timeat: ad quod alludens Hieremias dixit: *Filia populi mei, crudelis, quasi struthio in deserto.* ad eundem modum hypocritæ multis bonis operibus secundùm faciem studeni, ieiunant, orant, eleemosynas faciunt, sicut & pharisæus dicebat Lucæ 18. *Ieiuno bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ possideo.* & in illis superbè complacent, & eorum aspectu mirificè delectantur, adeoque stulti sunt, vt fœtus istorum bonorum operum, quos multo cum labore pepererunt, à crudeli vanæ gloriæ fera dilacerari, & conculcari sinant, nec lachrymādam eorum amissionem quicquam timeant. Hanc eandem stultitiam columbæ Metaphora explicuit Dominus Oseæ 7 cùm dixit: *Factus est Ephraim, sicut columba seducta non habens cor.* vel (vt originale Hebræum habet) *sicut columba stulta, seu stolida* in cuius loci commentario Diuus Hieronymus obseruat, præterea columbam stultam, & vecordem nuncupari, quòd, cùm illa frequenter varios fœtus producat, illos tamen non custodit, neque à raptore defendit. Certè gallina, quamuis alioquin imbecillis, & pusillanimitatis simbolum sit, rostro tamen, alis, & vnguibus pro pullis defendendis rapaci miluo se opponit: hirundo anxia cura pullos custodit, circumuolans, & pipiens, quando raptorem timet, ac tandem omnes aues in tuto curant nidos suos locare, ne filij nocumentum patiantur sola columba non curat custodire oua, aut pullos suos, nec si auferri eos videat, illos defendit, & quasi corde careret, nullo tristitiæ affectu propter pullorum amissionem excitatur, imò è contra, quasi lætari videtur, cùm editos pullos raptos videns, ad alios edendos statim se conuertit, quasi ad hoc tantum illos peperisset, vt raperentur. Ita hypocritæ stulti adeò sunt, instar columbæ, at quamuis omnes bonorum operum pulli absumantur, & rapiantur ab inani gloria, id non dolent, imò alacriores se exhibent, quando spectatorum oculi fœtus suos deprædantur, & ad alios edendos, & à spectatoribus similiter rapiendos se statim conuertunt.

Sed eundem Iob capit. 8 audiamus, hanc eandem hypocritæ stultitiam singulari metaphora delineantem: *Non ei placebit vecordia sua, & sicut tela aranearum*

Helian. lib. 14. ca 20.
Xenop lib. 1. de cerui expedit.
Paulus ad Philipp. ca. 3.
Helian. li. 14. ca 19. & seqq.
Iob 39.
Pagninus.
Regia.
Mich. ca. 1.
Thren. 4.
Luc 18.
Oseæ 7.
Originale Hebræum.
D Hieron.
Iob 8.

Originale Hebræum. D. Gregor.

fiducia eius. vel (ſicut originale Hebræū legit:) *Non placebit ei fatuitas ſua, & ſicut domus aranearum, fiducia eius.* Conſideranda ſunt cum Diuo Gregorio multa circa aranearum telas, ex quibus domunculas illæ ſibi faciunt Primum, nullum eſſe opus ſubtilius, nec maiori ordine compoſitum, inter animalium opera, quàm telam araneæ; quam ſæpè admirantes conſpicimus, ſecundum nullum eſſe animal, quòd ita laboret in opere ſuo, ſicut aranea: cætera namque conficiunt opera ex his, quæ extrinſeca ſibi ſunt: ex paleis, & luto collectis, hirundo, cæteræque aues nidum extruunt: aranea verò ex intimis præcordijs, ex ipſiſmet ſuis viſceribus fila trahit, quibus telam ordiatur. Deinde cætera animalia domunculas, aut nidos, aut foueas ſibi ſub breui temporis ſpatio conficiunt; aranea autem hinc inde texens procedit, egreditur, & regreditur, & ſæpè ab vno loco in alium longè diſtantem opus extendit. Tertiùm, nullum eſſe opus, quod facilius diſſipetur, & pereat: nec enim requiruntur mallei ferrei, aut ſecures, aut bombardarum ictus, aut lancearum vibrationes, ſed ſufficit leuis aer ad telam penitus diſſipandam, vt vltra non ſolùm ipſa tota, ſed nec eius pars, aut filum appareat. Tandem, totum opus tanto labore confectum ordinatum tantummodo eſt ad muſcas, & cinifes capiendos, quibus aranea ſuſtentatur; talis certè paſtus tali animali dignus. Vide, quid hypocritæ agant, certè non aliud, quàm telas aranearum. Videntur primò eorum opera ordinatiſſima, & magna diſcretione perfecta: hoc enim tantò magis procurant, quantò ſollicitius contendunt, ne aliquis defectus in eorum actionibus deprehendatur: ſecundò ſummo cum labore talia opera faciunt, mira abſtinentia ſe affligentes, & (vt inquit Diuus Gregorius) *Omne robur corporis atterunt, & quaſi carnis vitam in carne viuentes extinguunt, ſicque per abſtinentiam mortis appropriant, vt pænè quotidie morientes viuant*, veritate atteſtante, quæ ait: *Exterminant facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes.* nam ora palleſcunt, corpus debilitate quatitur, & pectus interrumpentibus ſuſpirijs vrgetur. Tertiò, tam facilè quis diſſoluitur, & tela, quam orſi fuerunt, conſumitur, vt leui flatu venti diſſipetur, & pereat; quia quicquid hypocrita cum labore peragit, (inquit D. Gregorius.) *Aura humani fauoris tollit, & dum in appetitu laudis opus deficit, quaſi in ventum labor euaneſcit.* tandem, ſi inquiras, quid miſer grandi ſuo labore intendat? inuenies eius ſpem ſimilem eſſe araneæ, quę nihil aliud, niſi muſcas, & cinifes reſonantes captare conſtituit, humanam ſcilicet laudem, tranſitoriamque, momentaneam, ac inanem gloriā, qua paſcitur, quam aucupatur, ſimilis Ephrahim, de quo Propheta Oſeas dixit: *Ephraim paſcit ventum.* Obſeruauit ſanctus Maximus homil. in Euangel. *Nolite fieri, ſicut hypocritæ triſtes.* quod cùm Apoſtolus dixit ad Galat. 5. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi*, non prohibuit Dominus gloriæ appetitum, quia, vt idē Apoſtolus dixit ad Romanos 2. *Gloria, & honor operanti bonum.* ſed ſolùm vetuit appetitum vanæ, & inanis gloriæ, qualis eſt illa, quæ ex hominum æſtimatione procedit: vt enim adnotauit Diuus Thomas in caput 5. ad Galat. lectione 6. *Vanum, & inane eſt, quod nec firmum, nec verum, neque vtile eſt; humana autem gloria firma non eſt, aut ſtabilis*, Iſaia dicente capit. 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quaſi flos agri, exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.* quibus perſimilia ſunt, quę dixit ſanctus ſenex Matathias: *A verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius ſtercus, & vermis, & cras non inuenietur, quia conuerſus eſt in terram ſuam, & cogitatio eius perijt.* Eſt etiam humana gloria non vera, ſed falſa, cū de eius amatoribus Iſai. c. 5. ſcripſerit: *Dicunt malum bonum, & bonum malum.* quæ ſumma falſitas eſt, ſuperbiam, magnitudinē animi æſtimant crude-

D. Greg.

Matth 6.

D. Gregor.

Oſeæ 12.

S. Maximus homil. in Euang. nolite fieri ſicut hypocritæ. Matth. 6. Ad Gal 5. Ad Rom 2.

D Tho. in ca. 5. ad Gal. lect. 6.

Iſa. 40.

1. Mach 2.

Iſa. 5.

crudelitatem, & vindictam fortitudinem, mordacem loquelam eloquentiã, humilitatem animi vtilitatem iudicãt, parsimoniam auaritiam, remissionem illatæ iniuriæ pusillanimitatem appellant, facti in his omnibus, instar dolosæ stateræ, falsi æstimatores, vt prædixerat Dauid Psalm. 61 *Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Tãdem est humana gloria inutilis, & infructuosa: nam quantamcunque magnam ab hominibus nanciscatur homo vanus gloriam, non solùm non consequitur suum vltimum finem, propter quem possidendum creatus est, sed illum in æternum amittit. Quare Diuus Ioannes Chrysostomus homilia 21. & 72. in Matth. dixit: *Si gloriam quæris, veram gloriam quære, & concupisce, si gloriam amas, magis ama eam, quæ à Deo est.*

Psal. 61.

Chrys. hom. 21. & 72. in Matth.

Cæterum, ex multiplici alio capite demonstrare pergo stultitiam, & stoliditatem eorum, qui appetitu humanæ laudis bona opera exercent. Hi laborem suum penitus perdunt, & proprio suo gladio se iugulant: accidit enim illis, quod Eleazaro filio Saura, concupienti nomen, quod omnium stultissimum est, æternum sibi acquirere; cùm filij Israel ad prælium prouocati fuissent ab hostibus, & quod maiorem timorem illis incutiebat, elephantes erant, ligneas turres supra dorsum portantes, in quibus multi armati homines latitabant; decreuit Eleazarus in præcipuum illorum, quem regijs ornamẽtis phaleratum vidit: visum est enim ei, quòd in eo est Rex, acriter inuadere, quod & perfecit, sub elephantes se constituens, & gladio suo illum occidens, sub ipso tamen, quẽ extinxit, ipse etiam interijt, & occubuit, & vt pulchrè dixit D. Ambrosius primo officio. cap. 4. *suo remansit triumpho sepultus.* Non secus vanæ laudis cupidis euenit, laborioſa multa opera bona faciunt, ieiunant, carnem macerant, &, vt ait Diuus Matthæus *exterminant facies suas*, qui sibi de propria concupiscentia triumphare videntur, tamen sub hoc suo triumpho occumbunt, & cadunt, dum de illo gloriam aucupantur humanam: nõ ob aliud illa facientes, quàm vt videantur ab hominibus iacturam hanc bonorum operum explicuit Hieremias oliuę metaphora cap. 12. in hæc verba: *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocauit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta eius.* Manifestum est, Prophetam non loqui de oliua materiali, cum respectu illius nulla sit humana vox, quæ illam comburere possit: loquitur ergò de hypocrita, qui cùm alioquin instar fructiferæ oliuæ varijs operibus bonis abundet; blanda tamen vox, seu loquela humanæ laudis, ac inanis gloriæ igne succendit, & omnia eius fruteta consumit; grandis exarsit ignis in ea: tanta autem est operum bonorũ iactura, quæ humanam laudem consequitur, vt Oseas dicat sacerdotibus cap. 5. *Victimas declinastis in profundum.* Ad cuius loci intelligentiam obseruare oportet, Deum ibi sacerdotes arguere, quod omnia, quæ in bonum erant constituta, illi in malum detorquerent, & quæ profectum adijcere debebant, in perniciem conuerterent; sacrificia quidem, & victimæ ad Deum placandum debebant ordinari: ipsi autem in suam solùm vtilitatem illa conuertebant; atque hac ratione victimas, quæ ad Deum tendere debebant, in profundum declinabant; vnde per sacrificia, quibus sancti viri ad cœlum volabant, illi ad profundum tendebant. Hæc est igitur hypocritarum nõ exigua stultitia, quòd per mactationem, & iugulationem carnis, per quam iusti cœlestia appetunt, ipsi in profundum tendunt barathrum. Equidem quòd per atrocia scelera quispiam in profundum feratur, nihil sanè mirum, cùm graue sit põdus, iniquitates eorum: at quod per opera sancta, quæ pennæ sunt, quibus ad cœlum sancti volant, in profundum tendant,

Ose. 5.

Ambr. 1. off. cap. 4.

Matth. 6.

dant, hoc mirandum valdè est. Quod pergat in infernum Cain per inuidiam, & fratricidium, & Giezi per simoniam, & Balaam per auaritiam, & Zambri per impudicam, & inuerecundam fornicationem; non mirum: sed quod per ieiunia, orationes, & eleemosynas in tartarum tendat homo, hoc summam redolet tristitiam; atque huc in idem argumentum faciunt illa eiusdem Prophetæ verba: *Multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum, factæ sunt aræ ei in delictum.* Certè, quòd lupanaria sint in delictum luxuriæ, nundinæ in delictum auaritiæ, ciuitates in delicta diuersi generis, non mirum: sed quod aræ, & altaria sint in delictum, & perditionem, hoc mirandum, miserandumque est: si videres duos agricolas æqualiter laborantes, eiusdem generis semina iacientes, easdem expensas facientes, quorum vnus abundantissimos fructus colligeret, alter verò nollet nisi spinas, & tribulos reportare: quid diceres? si duos aspiceres in aurifodinis laborantes, æqualiter desudantes, & simili lassitudine se conficientes, quorum vnus aureos lateres extraheret, alter verò cùm similes posset, nollet, nisi vermes fœtidos reportare; nonne hãc magnam existimares stoliditatem? hæc est igitur istorum stultitia, & insipientia, vt per eundem laborem, per eundem sudorem, per easdem victimas, & iugulationes, per quas iusti æternam gloriæ coronam consequuntur, hypocritæ nisi spinas, vermes, & æternam cõfusionem reportent. Quare existimo, quòd, licet omnia vitia generaliter charitati cõtrarientur, appetitus humanæ laudis è diametro cum charitate pugnet; tum quia, sicut charitas bona opera in Deum, & ipsius gloriam, & laudem, tanquam in finem vltimum dirigit, vt docet D. Thomas 2.2.q 23. ita humanæ gloriolæ inordinatus effectus in nos ipsos, & in gloriam nostram, tanquam in finem, illa refert: tum etiam quia sicut charitas est virtus, bona opera vitæ æternæ meritoria reddens, ita vana gloria vitium esse perhibetur, æternæ mercedis demeritoria illa reddens.

Genes. 4. 4. Reg. 5. 3. Reg. 16. Num. 23.

Ose. 8.

D. Tho. 2.2. q. 23.

Deinde aliam istorum stultitiam mihi detegit, quod Christus Dominus docuit Matthæi septimo, stultum scilicet super arenam ædificare. Stultus ædificat domum super arenam, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit. Sanè, qui benè operantur, ædificium quoddam spirituale constituunt, vt S. Apostolus loquitur 1. ad Corinth. 3. & ideò oportet, vt vnusquisque videat, quomodo superædificet: apertè Christus Dominus illis verbis demonstrauit hypocritarum stultitiam, qui totum suorum bonorum operum ædificium extruunt super arenam, & pluuerem humani applausus, cuius quidem ædificij futuram ruinam Dominus prædicit: humanæ enim laudis Zephirino vento flante, continuò illud corruet. E contra faciunt iusti, qui tanquam sapientes, ne ædificium bonorum operum corruat, non super arenam, sed super petram ædificent. Sapiens, ait Christus Dominus Matthæi septimo. *Ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram,* hoc est, supra Christum, iuxta illud Dauidis 2. Regum 22. *Dominus petra mea, & refugium meum.* & Psalmo 17. *Petra, refugium hæreditatis.* Qui super hoc stabili fundamento ædificant, omnia in Christum, & propter Christum operantes, cùm vanæ gloriæ venti perflant in eorum ædificium, illud non corruit, quia fundatũ est supra firmam petram.

Matth. 7.

1 ad Cor. 3.

Matth. 7.

2. Reg. 22. Psalm. 17.

Ad extremum, in illam summam omnium stultitiam, & stoliditatem incidunt hypocritæ, & vanæ laudis appetitores, quod æternæ gloriæ retributionem pro brevi, & futili humana gloria commutant, Christo Domino dicente: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

Matth. 6.

Quam

Quam autem hoc genus abiectissimè, & inanis præmij operibus illorum congruat, ethymologia ipsius nominis hypocritæ, luculenter ostendit: hypocrita vox est Græca. Aymon credit, significare *deauratum*, à chrysos, quod est aurum, metaphora sumpta à simulachris, de quibus dicebat sanctus Propheta Baruch, quod cùm sint lignea inaurata, & inargentata, scietur postea, quia falsa sunt ab vniuersis gentibus, & Regibus. Hæc ethymologia placuit etiam Diuo Augustino, vt refert Cardinalis Toletus, ad eamque alludere visus est Christus Dominus, dum dixit: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi: hypocritæ*, id est, deaurati, *quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris apparent quidem hominibus speciosa, intus verò sunt plena ossibus mortuorum.* Quæ verba ad hoc institutum expendūt D. Isidorus, S Gregorius, & Origenes, qui obseruant illud: *Plena ossibus mortuorum. Tanta* (inquiunt) *ossa in eis sunt, & immunditiæ, quāta opera simulantur bona ex malo affectu.* Sūt igitur sicut simulachra inaurata, quę exteriori specie nitent, intus verò immūditia sunt plena. Cardinalis Toletus in cap. 6. Lucæ, annotat. 76. refert ex eodem Diuo Augustino: hypocritam dici *ab hypo*: quod est falsum, *& crisis*, quod est iudicium, quasi falsum iudicium, quia hypocrita homines decipit, & falsum eorum iudicium quærit, intendens iudicari bonus, & sanctus, cum omni bonitate & sanctitate careat; communis tamen est sentētia, hypocritam dici à verbo Græco, *hypocrino*, quod est, simulo: & inde deriuatur: hypocrisis, id est, simulatio, & hypocrita, id est, simulator: instar histrionis, mimi, seu repræsentatoris in scenis: nam quemadmodum hi in hoc toti positi sunt, vt vnam personam teneant, & aliam repræsentēt à sua longè diuersam, rusticus enim repræsentat personam Regis, & vir personam fœminæ; ita hypocritæ, cùm sint in sua persona iniqui, & peccatores, hoc solummodo contendunt referre, & repræsentare in theatro huius mundi personam sanctorum, vt communi consensu Patres docent. Origenes homil. 4. & 25. in Matthæum Basilius homil. 1. de ieiunio. D. Augustinus serm. 59. de tempore, & lib. 2. de serm Domini cap. 2. Euthymius, & Theophylactus in caput 6 Matthæi. & singulariter D Ambrosius libro de Elia cap. 10. & D Ioannes Chrysost homil. 21. in Matth singularius tamen D Thom. 2.2. quæst. 112. art 2. Vnde, sicut tales histriones solummodo procurant aliorū personam gerere, quamdiu spectatores coram se habent, & tanto viuacius quāto plures, attentioresq; habent auditores, & illis deficientibus, cessant illi repræsentatione: ita hypocritæ agunt. Cū igitur opera illorum fictam solum sanctitatem, & simulatam probitatem contineāt, premium ex iustitia eis debitum, non aliud est, quàm gloria ficta, & simulata, & (vt ita loquar) in mercedem eis correspondere debet, non vera gloria, sed gloriæ hypocrisis. etenim cùm huiusmodi opera sint instar nucis vacuæ, vana; hoc est, sanctitate, & vero merito carentia, præmium eis correspondēs, debet esse vanum, & omni vera gloria vacuum: cuiusmodi est humana laus, quam Christus Dominus testatur hypocritas in operum suorum mercedem recepisse. huiusmodi erant opera Episcopi Sardicensis, cui Ioannes Apocalyp. 3. dixit: *Non inuenio opera tua plena coram Deo meo*, reprehendit illum, quod opera eius vacua erant sanctitate, & quòd inuentus esset in illis minus habens.

Ad hæc, tantus est boni operis meritorij valor, quantumuis minimæ aquæ potus, vt si Deus in præmium illis tibi donaret cœlum, & terram, imò & ipsos Angelos, quotquot creauit, vt tibi ministrarent, & in perpetuum ad nutū seruirent, omnesq; diuitias, quas omnipotentia Dei creare potest, tibi soli conferret, non persolueret ad æqualitatem minimum illud opus meritorium, quia, cū Deus

Aymon.
Baruch. 3.
Aug. relat. à Toleto.
Matth. 23.
Isidorus. Gregorius. Origenes.
Tol. in 6 ca. Luc. annota. 76.
Ex eodem August.
Orig. in hom. 4 & 25. in Matth.
Basil. hom. 1. de ieiun.
Aug. ser. 59. de temp.
Amb. lib. de Elia c. 10.
Chrysost. ho. 21. in Matt.
D. Tho. 2.2. q. 112. art. 2.
Matth. 6.
Episc. Sard. Apoc. 3.

Deus per suam promissionem fidem suam adstrinxerit, se ipsum daturum in præmium bonorum operum, vt locutus

Genes. 15. est Abrahæ: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*, & vniuersaliter Sapien-

Sapien. 5. tes 5. de omnibus iustis legimus: *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum*: non potest persoluere opera meritoria pretio minoris valoris, quàm sit ipse. Vnde cùm Chri-

In hist. Ord. 2. par. c. 24. & in summa in princ. in eius vita. stus Dominus Diuo Thomæ dixit: *Bene scripsisti de me Thoma, quam ergò recipies pro labore mercedem*? ipse continuò respondit: *non aliam, Domine, nisi te ipsum*. Si igitur stultissimus censeretur, qui veros, ac pretiosissimos adamātes pro fictis commutaret, quanto maiore stultitia laborare censendi sunt, qui æternum gloriæ pondus operibus bonis promissum pro vili humanæ gloriolæ pretio, imò pro solo applaudentium hominum aspectu commutant: etenim, qui (vt Christus

Matth. 6. Dominus ait) opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus, præmium essentiale, quod secundùm D. Thomam 1 parte,

D. Tho. 1. p. q. 12. quæst. 12 consistit in videre Deum: ipsi commutant pro videri ab hominibus, quorum aspectus tantùm abest, vt beatos illos faciat, vt potiùs illos fascinās, miseros, & infœlices reddat: Zacharias, cùm præuidisset, Iudam vili pretio triginta argenteorum venditurum esse Christum, dixit in persona illius ironicè, & irrisoriè: *Decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis*, sic sanè dicere licebit

Zach. 11. irrisoriè hypocritis, opera sua pro solo oculorum applausus pretio vendentes, decorum pretium, hoc est, vilissimum, & abiectissimum. Ad hæc: Dic mihi, quæso, si duo essent emporia, in quorum vno solùm adessent pauperrimi homines, & qui merces nihili facerēt, ac proinde vilissimo pretio vellent eas emere; in altero autem conuenirent plurimi ditissimi illarum mercium cupidi, & ad illas, magno etiam pretio emendas paratissimi, nonne mercator stultissimus iudicaretur, qui emporio isto relicto, omnes suas merces ad illud primum vēdendas deferret? Sanè opera bona, quæ homines faciunt, merces sunt quædam, pro quibus vnusquisque pretium accipere satagit: dico autem sunt emporia, in quibus illa vendere possint primum est huius mundi platea, in qua plurimi resident, ita tamen inopes, vt nec minimum opus meritorium cum digno pretio persoluere possint: ipsis dicentibus Psalm 78 *Pauperes facti sumus nimis*; adeò *Psalm. 78.* quidem, vt nonnisi ventum laudantis vocis in pretium dare queāt; nam si hominis vita ventus est, vt dixit Iob: *Ventus est vita mea*; quid erit eius vox, quæ *Iob 10.* humana vita futilior esse perhibetur? alterum emporium est Cœlum, vbi magna suppetit diuitiarum copia: *Gloria, & diuitiæ in domo eius.* Psalm. 111. ibi bona *Psalm 111.* opera tanti habentur, vt tres diuinę personæ non minus, quàm infinito thesauro minimum opus bonum persoluant, pro potu aquæ frigidæ sitienti dato, pro lacera veste nudo misericorditer præstita, pro suspirio ad Deum ex corde emisso, æternæ gloriæ corona reposita est: quis ergò stultissimos non iudicet humanę laudis appetitores, dum, relicto cœlesti emporio, merces operum suorum deferunt ad nundinas huius mundi emptoribus illas exponentes, nullum aliud pretium pro illis, quam humanæ laudis auram porrigentibus, quæ adeò cito transit, vt de ea dictum sit, gaudium hypocritæ instar puncti: in quo etiam alia eorum detegitur stultitia, dum pro breuissima gloriola captanda, æternitatis indicibile præmium amittere nō curant. Atque huc etiam faciunt verba illa Apostoli Iudæ in sua Canonica: *væ illis*, atque hoc est, quod dicit: *receperunt mercedem suam*, id est, præmium suis meritis dignum, mercedem suis operibus congruam. *Indignæ sunt* (inquit Diuus Augustinus) *huiusmodi passiones, & opera ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis; ideò non illam accipient pro mercede.* Cōdigna tamen sunt huius trāsitoriæ, inanisque

Iud. epist.

D. Aug. ad Rom. 1.

nisque gloriæ, quam propterea, tāquam suam mercedem recipiunt. Ex eisdem explicat D. Augustinus honorem, & gloriam terrenam, qua Deus Romanos fecit illustrissimos, mercedem fuisse bonorum operum, quæ egerant, & agebāt. Grādia siquidem, & eximia, ac pænè innumerabilia erant virtutum opera, quæ fecerant; priuatas namque res suas (inquit D. Augustinus) pro re communi, hoc est, Republica, & eius ærario contempserunt; auaritiæ restiterunt; consuluerunt patriæ consilio libero, neq; delictum, secundùm suas leges, neque libidini obnoxij, vt longo, eloquentique catalogo plurium illorum miranda acta D. Augustinus prosequitur. Brutus pro libertate patriæ filios suos sponte occidit, de quo Poeta: *Vicit amor patriæ.* Romanorum princeps Torquatus filium, non quia contra patriam, sed etiam pro patria; tamen, quia contra imperium suum, id est, contra quod imperauerat pater Imperator, ab hoste prouocatus, iuuenili ardore pugnauerat, licèt vicisset, occidit, ne plus mali esset in exemplo imperij contempti, quam boni in gloria hostis occisi. Furius Camillus etiam ingratam patriam, à cuius ceruicibus acerrimorum hostium Veientium iugum depulerat, damnatusq; ab æmulis fuerat, à Gallis iterum liberauit, quia non habebat potiorem, vbi posset viuere glorioſus. Mutius, vt cum Porsenna Rege pax fieret, qui grauissimo bello Romanos premebat, quia Porsennā ipsum occidere non potuit, & pro eo alterum deceptus interemit, in ardentem aram, ante eius oculos dexteram extendit, dicens, multos tales, qualem se viderat in eius exitium coniurasse; cuius fortitudinem, & coniurationem talium perhorrescens Porsenna, sine vlla dilatione se ab illo bello, facta pace compescuit. Curtius armatus, equo cōcito, in abruptum hiatum terræ se præcipitem dedit, deorum suorum oraculis seruiens, qui iusserant, vt illuc id, quod Romani haberēt optimum, mitteretur; nec aliud intelligere potuerunt, quam viribus, armisque se excellere: vnde, videlicet, oportebat, vt deorum iussis in illum interitum vir præcipitaretur armatus. Decij, vt iram deorum sanguine suo placarent, Romanusq; liberaretur exercitus, se occidendo, certis verbis quodammodo consecrantes, deuouerunt. Marcus Regulus, ne crudelissimos hostes Carthaginēses iurando falleret, grauissimis supplicijs necari elegit. Lucius Valerius, qui in suo defunctus fuit Consulatu, vsque adeò paupertatis fuit amator, vt nummis à populo collatis, eius sepultura cararetur. Quintius Cincinnatus cùm quatuor iugera possideret, & ea suis manib. coleret, ab aratro adductus fuit, vt Dictator fieret, victisque hostibus ingentem gloriam consequutus, in ea paupertate permansit. Fabricius summis muneribus Pyrrhi Epirotarum Regis oblatis, promissa etiā quarta parte Regni, à Romana Ciuitate non potuit diuelli, solius boni publici promotionem omnes intendebant; ideoq; cum Remplublicam, id est, rem populi, rem patriæ, rem communem haberent opulentissimam, sic ipsi in suis domibus pauperes erant, vt quidam eorum, qui bis iam Consul fuerat (de Cornelio Rufo, id narrant Valerius Maximus, Titus Liuius, & Aulus Gellius) ex illo senatu pauperum hominū pellereretur notatione Censoria, quod decem pondo argenti in vasis habere compertus est, &c. Hæc & alia D. Augustin. prosequitur. Opera igitur illorum insignia erant, sed terrena: non terram transcendebant, quippe cùm non propter Deum facta fuerint: tantùm enim suam gloriam, honorem, & laudem apud homines intendebant; idcircò dignā mercedem eis reddi statuit Deus, nō quidem cœlestem, quia (vt dictum est) terram nō transcendebant eorum opera; sed terrenam: quia tamen inter opera bona, quæ terram non transcendunt, illa fuerunt suprema, eximia, & excellentia, supremis

D. August.

Val. Max. Tit. Liuius. Aul. Gell.

mis terrenis bonis voluit compensari: nam suprema gloria, honore, diuitijs, imperio, dominatione donati fuerunt. Honorati sunt in omnibus ferè gentibus, Imperij sui leges cunctis nationibus imposuerunt, hodieq; literis, & historijs glorioſi sunt pænè in omnibus gentibus, totum orbem suo subiecerunt imperio, & omnium prouinciarum obtinuerunt dominium. Vt enim, quæ profani auctores scribunt, dimittamus, apertè dicitur in Scriptura, iam tempore Machabæorum subiecisse Galatiam, Hispaniam, & eius metalla auri, & argẽti, & Philippum, & Persen Cateorum Regem, & Antiochum magnum Regem Asiæ, qui eis pugnam intulerat, habens centum viginti elephantes, & equitatum, & currus, & exercitum magnum valdè, contritum ab eis, & regionem Indorum, & Medos, & Syrios, &c. Tempore, quo Christus Dominus natus fuit, toti Orbi imperabat: *Vnde exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus Orbis.* & tandem (inquit D. Augustinus) rectissimè istorum gloria donati sunt Iudæi, qui terrenis bonis erant addicti, istam gentem possidentes, vt omnium bonorum terræ dominari viderentur. hæc omnia mercedis loco acceperunt; ad humanam namque gloriam, præsentis temporis satis digna vita, operaque illorum existimabantur, quæ condigna non erant futuræ gloriæ, quæ reuelabitur in nobis; sicut ex Apostolo dictum est. Per huiusmodi terrena bona, quod illi merebantur, Deus persoluit, ideoque non est, quod aliam expectantes ab illo mercedem, de summi & veri Dei iustitia conquerantur: perceperunt enim mercedem suam. Tales sunt hypocritæ, & quotquot ex bonis suis operibus gloriam, laudemque humanam quærunt; de quibus dicitur: *Amen dico vobis, receperũt mercedem suam.* merces sanè inanis, vilis, & contemnenda, cuius vanitatem, & inanitatem nullus melius poterit explicare, quàm ipsimet, qui ipsa donati sunt; & qui manibus comprimentes, quantæ esset vanitatis, tandem experti fuerunt; nam & Brutus, & Torquatus, & Furius Camillus, & Decij, & Scæuolę, & Curtij, cæteriquè inter Romanos excellentes, ex illis sunt, quos in Inferno positos exhibet Spiritus sanctus loquentes, nobisque referentes, qualis fuerit mercedis suæ stabilitas, & magnitudo: quid (inquiunt) nobis profuit superbia vitæ? in Græco, iperiphania, quæ significat fastum illum tumentem, quo quis tumẽs, cæteros, tanquam inferiores contemnere videtur: vocaturque Latinè fastus; quantum existimo ex sono, quem aspirando ore resonat: quòd Hispanè dicũt aliqui, fau, fau, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? quis posset Romanorum diuitias enumerare, qui (vt doctus quidam auctor refert) in publico ærario innumerata pecunia auri, & argenti habuerunt simal collectos aliquãdo sexcentos milliones, vt ita loquamur? Hoc maximè credibile facit, quod de eis Scriptura enarrat, quod multa fecerunt in Regione Hispaniæ, & in potestatem suam redegerunt metalla auri, & argenti, quæ illic sunt, & possederunt omnem locum consilio, & patientia, & omnes Orbis Reges sibi tributarios fecerunt, à quibus innumeras diuitias quotannis recipiebant. Transierunt omnia illa, tanquam vmbra, & rãquam nuncius velociter percurrens, & tanquam nauis, quę pertransit fluctuantem aquam, cuius, cùm præteriret, non est vestigium inuenire; aut auis, quę transuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius: sed tantùm sonitus alarum verberans leuem ventum: aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum: diuisus aer continuo in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius; sic & nos nati continuò desiuimus esse, &c. singula expende; nec enim ab omnibus oratoribus posset aliquid dici, quod elegantiùs rem propositam explicaret: considera similitudinem à

Luce 20.

Auctor quidam.

Roman. 8.

quia-

quinque rebus petitam, vmbra, & nuncio præcurrentibus; naui fluctuante, aue volante, & sagitta emissa: considera similiter illud: Nos nati, continuò desiuimus esse, &c. & rectè illos iudicasse probat Spiritus sanctus, subdens:

Sap. 5. c. 15. quoniam *Spes* (inquit) *impij, tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est, & tanquam memoria hospitis diei prætereuntis.* ecce, quid humana gloria, terrenus honor, mundi laus, lanugo, spuma gracilis, fumus, memoria vnius diei, &c Hæc expendens D. Augustinus, acutissimè obseruat, ipsosmet, qui Romanorum facta laudant, quod per ea excellentem claramque gloriam apud homines compararunt, vocasse eosdem infœlices: vnde Poeta laudator Bruti, assumens illius laudes decantandas, quoniam ex amore patriæ filios proprios occidit, infœlicitati illius perhibet testimonium; ait enim:

Natosq; Pater, nona bella mouentes
Ad pœnam pulchræ pro libertate vocabat;
Infœlicius, &c.
Vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido.

Quæ autem maior potest esse infœlicitas, quàm pro tam insigni opere, tam vilem, inanem, fallacem, & breuem reportare mercedem, post quam nullam amplius posset alteram expectare: *Merces autem sanctorum* (inquit D Augustinus) *longè alia est, quam Spiritus sanctus, post quam vilitatem mercedis humanæ gloriæ expressit, subdidit, dicens: iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio eorum apud altissimum.* D. August.

Sed, vt iam sermonis vela cõtraham, illud supereſt mihi dicendum, sanguineis lachrymis plangendum esse, quod, cùm hoc vitij genꝰ adeò Deo infensum, ac detestabile, & homini nociuum sit, vt luculenter huscusque ostendimus; pauciſſimi tamẽ sunt, etiam ex sanctiſſimis viris, qui eo quandoque non inquinentur. etenim licet opera sua propter Dei gloriam agere proponerent, & inciperent; tamen humanæ laudis appetitus in prosequutione, vel in fine operis, clãculum ingreditur, & (vt ait D. Basilius de constit. monast. c. 11. *Intrat blandè, leniter, suauiter, insensibiliter, & ipso operante inadueretenter, vniuersum bonum opus inficit, vt supremo Angelo conuenit.* Nam iuxta D Tho. sententiam 1 p. q. 63. laudis propriæ appetitus latenter, & inaduertenter, cùm tamen aduertere debuisset, voluntatem eius occupauit, & supernaturalia eiꝰ bona diripuit, adeò vt ex excellentissimo Angelo pessimum omnium diabolum fecerit, vt dixit D Ioannes Chrysostom. hom. 1. in illud; vidi Dominum: vnde B. Petrus Chrysologus ser. 7. respiciens ad penetrantem vim, quam hoc venenum habet, dixit: *Hoc malum subtilissimum esse virus, & latentissimè eos impetere, qui recta agere cœperunt* & S Ioannes Chrysostom. homil. 19. in Matth. ait, hoc vitium esse malam bestiam, quæ clàm ingreditur, & cũcta benè orientia, intus maxima cum quiete, & absque vllo sensu perdentis exportare. Hoc experientia in semetipso deprehendit Gregorius, à quo tam validè se inaduertenter impetitum fuisse sensit, vt ad suffragia, & orationes aliorum quærendas se conuerterit. Cœpit ille opus illud insigne expositionis moralis in lib B. Iobi, & quidem sine dubio ad id agendum excitatus fuit Dei amore, & desiderio laudis, & gloriæ ipsius, & id ipsum intendens, cœpit, & profequutus fuit opus; sed quid ad finem operis ei acciderit, nullus ipsomet poterit melius explicare: *Ad me* (inquit) *intrinsecus rediens, dum ipsum subtiliter radicem meæ intentionis inspicio, Deo quidem ex ea me summopere placere voluisse cognosco, sed eidẽ intentioni, qua Deo placere studeo, furtim se* (nescio quomodo) *intentio humanæ laudis interserit; quod, cum iam post modum tandem discerno, inuenio, me aliter agere, quod scio me aliter inchoasse. Sic etenim sæpè intentionem nostram, dum ante Dei oculos rectè inci-*

D. Basil. de con. monast. c. 11. D. Tho. 1 p. q. 63. Io. Chrysost. ho. 1 in illud vidi Dom. Pet. Chrysol. serm. 7. Io Chrysost. hom 19 in Matth. D. Greg in B. Iob.

pitur, occultè sibi subiuncta, & eam, velut in itinere comprehendens, intentio humanæ laudis assequitur; sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipso esu, dum furtim gula subrepit, edendi delectatio permiscetur: vnde plerunque contingit, vt refectionem corporis, quam salutis causa cæpimus, causa voluptatis expleamus. Extendum est igitur, quod rectam quidem intentionem nostram, quæ soli Deo placere appetit; nonnunquam intentio minus recta, quæ de donis Dei placere hominib. quærit, insidiando comitatur. & paulò infrà: *Lacerationem igitur vulnerum meorum non abscondo & quisquis hæc legerit, apud districtū Iudicem solatium mihi suæ orationis impendat.* D. etiam Chrysologus iniquitatem huius vitij probè agnoscens, eloquenter & sapienter ser. 7. dixit: *Inanis gloria subtile est malum, secretum virus, venenum latēs, virtutum fucus, tinea sanctitatis.* Ac tādem eius malitiam latiùs describens, dixit: *Aduersa omnia nitūtur viribus suis, armis suis pugnant, & impugnant palàm; vnde, & cauentur tam facilè, quam videntur: hæc tamen crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum; ieiunium ieiunio perimit, oratione orationem euacuat, misericordiam miseratione prosternit.* Vide excellentem ponderationem, quam eisdem ferè verbis S. Cyprianus prosequitur: *Res quæuis suis pugnat viribus cōtra sibi contrariā, & quantò vnius vires fuerint fortiores, tantò alterius robur magis langueſcit; sed quis vnquam vidit inimicum aliquem tanto maiores vires resumere, quanto ipsius inimicus potentior fuerit factus? Luxuria non sumit vires ex castitate, quæ potius, quanto castitas fuerit potentior, redditur infirmior; auaritia non roboratur ex liberalitate, imò quanto hæc robustior, tanto illa debilior; infirmitas non sumit vires ex sanitate, sed potius quanto sanitas validior, tanto infirmitas impotentior; inanis tamen gloria & superbia, quanto virtutes fuerint potentiores, tāto magis acuitur, & potentiore impetu insurgit, & ad mensuram, qua virtutes augentur, illius etiam augetur vis & impetus. Virtutes propterea truncat mucrone virtutum; nam ex earum excellentia vires resumit ad easdem obtruncandas, & ieiunio ieiunium perimit, quia ex ipso vires sumit ad ipsummet perdendum.*

Pet. Chrysol. serm 7.

S. Cypr.

Quibus etiam consonāt, quæ D. Cyprianus lib de ieiunio, & tentatione Christi in hæc verba scripsit: *Castigatio carnis spiritum inflat, & macies corporis extenuatum, arrogantem impinguat, contemptus venerationem veneratur; fames, & calamitas laudibus saturatur, mens hoc veneno imbuta in miseriis deliciatur, & occupata hac scabie in vlceribus gloriatur, & religio fit superstitio.* Id sanè expertus est D. Augustinus, qui (vt legimꝰ epistola 64. ad Aurelium Episcopum) *quāto validius ad inanis gloriæ inimicum expugnandum insurgebat, tanto illa potentius cōtra ipsum dimicabat; quia quasi ad aurem sibi hæc verba dici videbantur: O quàm excellenter inanem gloriam, & superbiam expugnas? quàm eleganter eius malitiam ostendis, quam efficaciter eam fugiēdam demonstras? Ecce ex ipsa, quam prostrabat, inanis gloriæ expugnatione, seipsum acrius ab illa impugnari sentiebat; atque eadem via, qua illam abijciendam ostendebat, aditum illi aperiebat, vt ad se veniret.* Vnde acutè, & ingeniosè, vt assolet, D. Chrysostomus serm. 7. dixit: *Fratres fugiendum est hoc virus, pestilentia hæc cauēda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimē, placationem facit iratum, generat de propitiatione discrimen.* Atque hinc est, quòd Sancti Patres difficultatē experti ingentem in expugnando hoc inanis gloriæ sæuo tyranno, D. Augustinus dixit: difficile, D. Bernard. mirabile, D. Gregorius ratum, D. Hieronym. quasi impossibile; oblatis humanis laudibus propter bonū opus, quod agitur, nō delectari, & in eis non complacere. Concludo, verba illa 1. Reg. 12. recitans: *Nolite declinare post vana, quæ non proderūt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt;* sed omnes, cùm bene operamur, pleno ore clamemus: soli Deo honor, & gloria per infinita sæcula. Amen.

D. Cypr. li de ieiun. & tēt. Christi.

D. Aug. epist. 64. ad Aur. Episc.

D. Pet Chrys. sol. ser. 7.

D. August. D. Bernard. D. Gregor. D. Hieron.

1. Reg. 12.

HO-

HOMILIA XXI.

De verbi Diuini vtilitate, & efficacia, varia eruditione differimus: nec non de multiplici discrimine circa auditionem verbi Dei inter reprobos, & prædestinatos, in illa verba: Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

Titus Bostrenorum Antistes in comment. Luc. 11

SApienter doctissimus Titus Bostrenorum Antistes adnotauit in commentario huius loci, opportunè satis Christum Dominum verba hæc pronunciasse: *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*; quando nimirum multi erant, qui eum non solùm non audiebant, sed etiam eos, qui ad illum audiendum confluebant, acriter increpabant, in ius vocabant, & certis pœnis mulctabant: illis autem verbis, & illos persecutores incredulos modestè reprehendit, & eos, qui audiebant, confortauit, omnesque ad audiendum sermones eius excitauit, nobisque ansam dedit, vt de vtilitate verbi Diuini, & eius custodia sermonem instituamus. Sanctus Thomas lectione sexta super epistolam ad Hebræos, vtilitatem verbi Diuini egregiè præfiguratam agnoscit in buccinarum clangore, & Israeliticarum gentium clamore, quibus muri fortissimi Hierico penitus corruerunt, vt libro Iosue legimus: *Ibi enim, ait, moraliter Hierico, interpretatur luna, siue defectus, & significat mundum istum; muri autem mundi sunt impedimenta, quibus aliqui detinentur in mundo: per buccinas, quibus Sacerdotes, & Leuitæ intonabant, vox prædicatorum significatur; per circuitum septē dierum, totus designatur decursus temporis præsentis, qui per septem dies completur: per quæ datur intelligi, quòd omnia Mundi huius impedimenta ad continuam vocem prædicationis cadunt.* ita sanctus Thomas. Sanè iuxta expositionem Diui Anselmi super epist. 2. ad Corinth. cum cap. 10. Apostolus dicit: *Arma militiæ nostræ non sunt, sed potentia à Deo ad destructionem munitionum*, interpretatur, verba concionatoris, arma esse spiritualia, quibus animæ hostes profligantur, & munitiones eorū destruuntur. sed luculenter idem Diuus Paulus ad Ephes. 6. dicens: *Galeam salutis accipite, & gladium spiritus, quod est Verbum Dei*. imo, & Philo Iudæus libro de Cherubin, & flammeo gladio, Verbum Dei intelligit mysticè significari per flammeum gladium: erudita verba eius sunt hæc: *Sermo, flammeus gladius dicitur, quia feruens est igneus, nunquamque moueri desinit properans semper, expectando bona, fugiendoque contraria: an non vides, quòd & sapiens ille Abraham, quando incepit iuxta Deū metiri omnia, nihil creaturæ tribuens, accepit ad ignei gladij similitudinem, ignem & gladium?* Genesis 22. *Resecare, & exurere quicquid mortale habebat, cupiens, vt expedita cogitatione sublimis ad Deum euolaret. At Balaam ille, id est, vanus populus, induitur inermis desertor militiæ, & belli imperitus: sic enim alloquitur asinam, hoc est, brutum vitæ propositum, cui omnis insipiens insidet, si gladium haberem, iam te transfixissem.* Numerorum 22. *Gratia maxima conditori, quæ sciēs imprudentiæ rabiem, non dedit tanquam furenti gladium, verbi videlicet facultatem, ne quoscunque obuios magna clade conficeret* hæc ille. Deinde in eo mirificè Verbi diuini vtilitas effulget, vt nulla sit praua animi affectio, nullus spiritualis morbus, cui mederi non valeat, præsentissimum ei conferens remedium. Dic, obsecro, ingreditur quis huc, tristitia, & negociorum sollicitudine oneratus, & ingressus huc, ita mœrore obrutus est statim, vt audiuit prophetam dicentem: Psal. 41. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus*; sufficienti consolatione suscepta, abit, & omnem illam mentis tristitiam excutit. Alius item extrema premitur inopia, grauatim fert, & mœret, videns

D. Anselm. super epist. 2. ad Cor.

Ad Ephe 6.

Philo Iudæ. lib. de Cherubin, ac flammeo gladio.

Gene. 22.

Num. 22.

Psalm. 41.

S. Th. lect. 6. sup. epist. ad Hebræos.

alios affluere, & valdè inflari, & magno apparatu, ac pompa ſtipari: audit & hic eundem prophetam, dicentem Pſalm. 54. *Iacta in Dominum ſollicitudinem tuam, & ipſe te enutriet.* & iterum Pſalm. 48. *Ne timeas, cùm ditatus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius, quoniam cùm interierit, non ſumet omnia.* eſt & alius quoque, qui inſidias, & calumnias ſuſtinens, dolet, & inſuauem putat vitam, nuſquam humanum inuenire valens auxilium, docetur & ab eodem propheta in talibus anguſtijs non ad humanum præſidium confugiendum. Vnde Pſalm. 108. dicit: *ipſi detrahebant mihi, ego autem orabam*: alij dolos plectebant, ego autem ad inexpugnabilem murum confugio, ac tutam anchoram ad potum, fluxuum expertem, preces inquam, per quas omnia difficilia, leuia, & facilia mihi fiunt. Alius ab amicis contemnitur, & hoc eſt, quod mentem eius maximè conturbat, ſed & hic, ſi huc venerit, audit beatum illum dicentem: *Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam, & qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates*, & fraudulentias tota die meditabantur. Vidiſti ſtruentes inſidias vſque ad mortem ipſam, & perpetuum bellum gerentes, quia hoc indicat: tota die, hoc eſt per totam vitam. quid ergo ille interim egit, has paſſus inſidias? *Ego autem*, inquit, *quaſi ſurdus non audiebam, & quaſi mutus non aperiens os ſuum, & factus ſum, quaſi homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.* illi dolos ſtruebant, ipſe aures obturabat, ne audiret: illi omni tempore non ceſſabant linguã acuere, & vanitates, & fraudolentias meditari; hic autem ſilentio illorum inſaniam comprimebat. Vidiſti, quomodo quacunq; calamitate humanam naturam premente, conueniens ex ſcripturis antidotum accipere liceat, & omnis vitæ huius repellatur cura, ne alĩ vllo, quod accidit, grauemur. Atq; huc faciunt verba Diui Auguſtini li. 9. contra Rodamantum Manichæum tom. 6. vbi explicans verba illa Prouerb. 6. *Vade ad formicam, ô piger*, hæc dicit: *Illud de formica ita poſitum eſt, vt ſicut illa æſtate colligit, vnde in hyeme paſcatur, ita vnuſquiſque Chriſtianus in rerum tranquillitate, quam ſignificat æſtas, colligat verbum Dei, vt in aduerſitate, & tribulationibus, quæ hyemis nomine ſignificantur, habeat, vnde ſpiritualiter viuat: non enim in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo Dei.* Concinunt eiſdem preclara verba Diui Bernardi ſermone de multiplici vtilitate verbi Dei, dum ait: *Licet mortuus in peccato, ſi audieris vocem Dei, viues: ſermo enim, quem loquitur, ſpiritus, & vita eſt. Si cor tuum induratum eſt, memento ſcripturæ dicentis: Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea. Si tepidus es, & eorum iam formidas, non diſcedas ab eloquio Domini, & inflammabit te, quia eloquium eius ignitum valdè. Quòd ſi tenebras ignorantiæ plangis, diligenter audi quid loquatur in te Dominus Deus, & erit lucerna pedibus tuis verbum Domini, & lumen ſemitis tuis. At fortaſſis tantò amplius doles, quantò clarius peccata etiam minima illuminatus agnoſcis: ſed ſanctificabit te Pater in veritate, quæ eſt vtiq; ſermo eius, vt inter Apoſtolos audire mereare: Iam vos mundi eſtis propter ſermonem meum. Iam verò cùm laueris manus tuas, ecce parauit in conſpectu tuo menſam, vt non de ſolo pane viuas, ſed ex omni verbo, quod procedit de ore Dei, & in fortitudine cibi illius curras viam mandatorum Dei, vbi, ſi conſiſtant aduerſum te caſtra, & procliuium tentationis inſurgat, arripe gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, & in eo facilè triumphabis. Quòd ſi fortè (vt eſt certaminis conſuetudo) contigerit aliquando vulnerari, mittet verbum ſuum, & ſanabit te, & eripiet de interitionibus tuis, vt in te quoque impleatur, quod ait Centurio: Domine dic tantùm verbo, & ſanabitur puer meus. Sed ſi titubas adhuc, clama ad Dominũ, & in verbis tuis confirmabit te, vt experimento diſcas, quoniam verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Si tepidas, neſciens, vtrum amore, vel odio dignus*

Aug. lib. 9. contra Rodamant. Manichæum tom. 6. Prouer. 6.

D. Bern. ſer. de mult. vti. verbi Dei.

Pſal. 54.
Pſalm. 48.
Pſal. 108.

ſis,

sis, tunc maximè, memor esto verbi tui seruo tuo Domine, in quo mihi spem dedisti, vt ab auditione mala non timeam. Ac tandē verba illa Apostoli ad Hebr. cap 4. *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti* quamuis de Verbo ipso increato illa intelligant in commentario illius loci, D. Ioannes Chrysostomus, Theophylactus, OEcumenius, imò & D. Ambrosius in ca. 66. Isaiæ, quæ expositio est valdè conformis sequētibus verbis: *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius.* Nihilominus tamen Diuus Ambrosius libro 3 de Virginibus, & Diuus Augustinus epistola 58. secuti Originem homil. 13 super Numeros, illa interpretantur de Verbo creato. Vnde & Theodoretus in capit. 3. Cantic. gladij similitudinem de Verbo Dei agnoscit in illis verbis: *En lectulum Salomonis sexaginta ambiunt de fortissimis Israel, vniuscuiusque ensis super fœmur suum*: vbi sapienter obseruauit huiusmodi viros binos gestare gladios, vnum super fœmur, in manu alterum, vnum videlicet reprehensionis, & alterum intelligentiæ: illum in promptu ad coarguendum, hunc mysticum, & tamquam in vagina reconditum ad mysteria perueſtiganda. Atque hinc Philo Episcopus Carpasius tractatu suo in Cantica, & refertur in appendice Bibliothecæ sanctorum Patrum, per ensem, seu gladium, verbum Dei intellexit. Quicunque verbum Dei corde, & opere complent, hi sunt fortissimi pugnatores; hi sunt, qui in manibus suis, hoc est, rectis operibus, propriæ conscientiæ, gladium suum tenēt, non alienum: non enim alienis precibus solummodo præfidunt, sed carnem suam cum vitijs omnibus, & concupiscentijs mactant; ob idque ensem super fœmur suum tenere dicuntur: nam fœmur, carnis illecebras, & voluptates significat. Illud autem gladius Diuini verbi singulare habet, quòd cùm alij omnes feriant, & occidant, & vitam auferant, hic mortuos ad vitam reuocat. Propterea enim Christus Dominus dixit, Ioannis 5. *Amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent.* Scio D. Ioannem Chrysostomum, & Euthymiū verba hæc de mortuis iam iam per Christum excitandis, & ad vitam reuocandis exposuisse: mortui enim dicuntur audisse vocē, quia virtus vocis Christi Domini in eos peruenit, resurrectionem in illis operando: voce enim, velut diuinitatis instrumento vtebatur, vt cùm dixit: *Lazare veni foras.* Verum in sensu spirituali D. Augustinus libr. 20. de Ciuitate Dei capit 6. & sermone 64. de verbis Domini, & tractatu 22 verba illa interpretatur de mortuis morte peccati, qui prædicatione verbi Christi ad gratiæ vitam reuocati sunt. ecce, quomodo cùm alij gladij trucident, & occidant, gladius verbi Dei viuificat, & resuscitat, in quo certè mira eius effulget & vtilitas, & efficacia. Cæterum, inter alia, quæ hanc efficaciam Verbi diuini luculenter ostendunt, est colloquium illud Abrahami cum diuite, in tormentis ab eo exigente, vt mitteret Lazarum ad fratres conuertendos verbis suis; in hunc enim modum illi respondit: habent Moysem, & Prophetas, audiant illos. Et cùm ille replicasset: non, Pater Abraham, sed, si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent, cui Abraham, si Moysem, & Prophetas non audiunt, neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Ecce, quàm magna sit Verbi Dei efficacia; cuius virtutem tantam esse agnouit Abraham, vt non dubitârit dicere, quòd etiam si quis ex mortuis ad illos veniret, & enarraret horribilia gehennæ tormenta, quæ ipse patitur, non maiorem hæc narratio habitura esset efficaciam, quàm Verbum Dei prædicatum à Moyse, & Prophetis. Certè viua vox habet nescio quid latentis energiæ. Dauid sapientissimus

erat,

Ad Hebr. 4.
S. Ioan. Chry. Theophyl. Œcumen. D. Amb in c. 66. Isa.
D. Ambr. 3. de Virgin. D. Aug epist. 58. Orig hom. 13. sup. Num. Theod. in 3. Cant.
Philo Epis. Carp. tract. in Cant. In Append. Biblioth. SS. Patrum.
Ioan Chry. Euthymius.
Aug libr. 20. de Ciu. Dei c. 6. & serm. 64. de verb. Domini, & tract. 22.
Luc. 24.

erat, & magnam Dei cognitionem attigerat, & diuinis reuolationibus donabatur; nihilominus hæc omnia nihil ei profuerunt toto tempore, quo in peccato vixit; sed tamen protinus vt ad eum venit Nathan propheta, ad viuam vocem prædicantis conuersus est. Similiter & Nabuchodonosor contemplabatur illam arborem, quę statum suum designabat, nihil tamen ipse hac cogitatione mouebatur; sed, cùm adiuncta fuit visioni, & contemplationi viua vox prophetæ Danielis, pœnitentiam egit. Doctus erat Paulus in lege, qui præclara didicerat ad pedes Gamalielis, sed hæc nil ei profuerunt; cum autem viuam vocem de cælo dicentem: *Saule, Saule cur me prosequeris?* audiuit; statim attoni- & stupefactus cecidit, dicens: *Domine, quid me vis facere?* vide, quomodo illum, quem scripturæ lectio, & libri non conuerterant, vox prædicantis conuertit, Verbum Dei non solum eum, qui in peccatis iacet iustum efficit, sed etiam iustum pascit, alit, & sustinet. Ne autem à verbis Christi Domini recedamus: *Beati qui audiunt verbum Dei; & custodiunt illud.* Satis vtique mira eius efficacia in eo detegitur, quòd beatos, eius auditores reddat. Beati, qui audiunt verbum Dei. Hoc genus beatitudinis considerans Dauid Psalm. 126. dixit: *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum: Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta.* Cassiodorus in commentario huius loci, per filios excussorum, seu, quod idem est; emissorum, intelligit Prædicatores verbi Dei, qui, quasi sagittæ excussi sunt à Deo, vt verbis suis, velut sagittarum spiculis corda penetrēt audientium. ait ergo: *Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis*, vel, vt originale Hebræum legit: *Beatus vir, qui impleuit pharetram suam ex ipsis*, id est, qui verborum sagittas, quas emittit concionator, in pharetra cordis sui recondit, & quibus postea occurrentibus occasionibus, velut armis, ab inimicis se tuetur. Offert se alicui occasio iniusti lucri: memor autem Verbi Dei: *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentū patiatur?* à peccaminoso illo lucro se abstinet. offert se occasio vindictā sumēdi ab inimico, memor tamen Verbi Dei: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos*; vindictæ desiderium cōpescit. offert se tandem occasio explendæ libidinis, qua quis acriter vexatur: memor tamen Verbi Dei: *Vincenti dabo manna absconditum*, libidinis tentationem gloriosè vincit. ei igitur, qui hoc modo se gerit, conuenit, quod Dauid ait: *Beatus vir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis*; nec non & id, quod sequitur; *non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.* portam dicit mortem; nam per illam ex hac vita egredimur, & in aliam ingredimur. In hac porta conueniunt nos hostes infernales, & vehemēter accusant coram Deo; tunc verò non confundetur legitimus Verbi Dei auditor, cùm ostēderit, sagittis Verbi Dei, quibus pharetram cordis sui impleuerat, immissas ab eis tentationes superasse.

Porrò, obseruandum maximè est, quòd, cùm Christus Dominus dixit: *Beati qui audiunt verbum Dei*, continuò adiecit, *& custodiunt illud*. Quia audire, & non custodire, nihil deseruit ad vitam æternam custodiendam, Apostolo dicente ad Romanos 2. *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Quibus consonant illa D. Iacobi epist. cap. 1. *Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos, quia, si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro, considerāti vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est, qualis fuerit.* Quasi dicat, qui audit verbum Dei, & non custodit, perinde est, ac ille, qui intuens in speculo vultum suum maculatum, maculas nō curat abstergere. Hinc Diuus Ioannes Apocal. 1. postquam dixerat:

2. Reg. 17.

Daniel 4.

Actor. 22.

Luc. 11.

Psal. 126.

Cassiodorus in commentario huius loci.

Origin. Hebræam.

Matth. 16.

Luc. 35.

Apoc. 2. 17.

Psal. 126.

Luc. 11.

Ad Rom. 2.

Iac. epist. 1.

Apoc.1. xerat: *Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ huius*; continuò subiunxit: *Et seruat ea, quæ in ea scripta sunt*. Quod idem mihi delineasse videtur propheta Ezechiel cap.10. cùm dixit: *Apparuit in Cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum*. Etenim Cherubim interpretatur, plenitudo scientiæ: pennæ etiam symbolum sunt doctrinæ, & speculationis; per manus autem, quibus operamur, nemo ignorat opera significari: per coniũctionem ergo manuũ cum pennis Cherubim, apertè docemur, copulanda nobis esse opera cum doctrina Verbi diuini, quia audire, & non custodire, maiorem potius condemnationem affert, vt D. Petrus docuit epistol. 2. cap 2. dicens: *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est à sancto mandato.* Hinc D. Ioannes Chrysostomus auditores suos in hunc modum eruditè, & sapienter hortatur. nam hom 78. præclara hæc scripsit: *Non hoc solùm requiritur, charissimi, vt per singulos dies huc conueniamus, & de eisdem audiamus continuè; si in nihil ex eo, quod hic assiduè conuenimus, admonemur: hoc enim non solum nihil nobis prodesset, verum maioris fieret occasio damnationis, cùm neque iracundius, mitius efficiatur, nec in benignitatem inuidus se reducat, neque pecuniarum captus insania, à vitio desistens, ad misericordiam, & pauperum se transferat sustentationem; neque impudicus, continens euadat, nec superbus inanem gloriam contemnere discat, veramque perquirere gloriam; nisi hos supremos morbos per singulos dies huc conuenientes, & continuè vacantes auditioni, tantamque consequentes doctrinam, quæ nobis erit venia? quænam excusatio? dic quæso, si tu videas, filium scholam petentem, & temporis simili progressu nihil inde lucrantem, nunquid patienter feres? nonne flagella puero infliges? & præceptorem accusabis? quòd si posteà noueris à præceptore nihil esse prætermissum, sed omniũ causam fuisse pueri negligentiam, nonne causa liberans præceptorem, omnem in puerum trãsferes indignationem? Idem & hic fieri iustum est; nos enim quodammodo sumus à diuina gratia constituti præceptores, quasi spirituales filios ad hanc scholam quotidie vocantes, salutarem vobis doctrinam apponimus, non quæ veniunt ex propria mente loquentes, sed documenta nobis à Domino per diuinas donata Scripturas in medium proponentes: si nobis itaque omne studium exhibentibus, vos in eisdem permaneatis, quantus nobis erit dolor? quanta vobis damnatio? cogitate. Licet enim nos insontes faciat, quod nihil ad vestram ædificationem congruum omiserimus; veruntamen, quia vestræ salutis curam gerimus, non possumus æquè tolerare, quia, cùm præceptor, cùm discipulum viderit ex studio suo proficientem nihil, non mediocriter dolet, sese frustrà laborasse conspiciens.* Ita sanctus Ioannes Chrysostomus, & in eadem homilia 1. si medelam, & multa remedia à medico adhibita, ægrotus sumere non acquiescat.

Ezech.10.

2.Pet.2.

Ioan. Chry. hom.78.

Cæterùm, obseruatione etiam dignum arbitror in hoc genere argumenti, quòd, cùm nemo absque speciali Dei reuelatione, agnoscere possit, an in prædestinatorum felicem sortem sit adnumeratus, & in libro vitæ scriptus, vt æterna fruatur vita; illud reliquum est solaminis, si quis signa quædam æternę prædestinationis à sacris eloquijs probata in se experiatur. Inter hæc Christus Dominus annumerauit, libenter audire verbum Dei: *Omnis qui ex Deo est, verba Dei audit.* Ioannis 8. cui consonant verba D. Lucæ Actorum 14. *Audientes gentes: gaudisi sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Certè sustinere triduo docentem Iesum, nec habere, quod mãduces, vt quondam turba illa, sedere ad pedes Christi, ibique cum Magdalena audire verbum Dei, nec ab ore loquentis pendentem posse auelli, non ob ministeria domestica, non ob murmur sororis, non pænè ob fustuarium (vti, nec sic Diogenes ab Antisthene abigi aliquando potuit) ego prædestinationis indicium valdè apparens esse sentio. nõ

Ioan.8.

Actor.14.

ignorabat hoc Dauid cùm Psal. 38 dixit:
D. Hieron. ex Hebræo. *Aures autem perfecisti mihi*, quæ verba D. Hieron. ex Hebræo vertit: *Aures fodisti mihi*; hoc est, seruum me tuum in perpetuum feci-
Exod. 21. sti, iuxta id, quod Exod. 21. de seruo dicitur: *Serui perpetui signũ erat, auris perforatio*; ita serui Dei perpetui signũ est auris ad diuina verba obedienter excipienda aperitio, ad audienda verò dæmonis, mundique verba occlusio. Incircumcisas Iudæorũ aures Hieremias vocat ca. 6. Incircumcisæ autem aures illæ
Hierem. c. 6. sunt, quæ ad verba noxia audienda circumcisæ non sunt, quæ mundum, dæmonemque, veluti Prophetas falsos, ac mendaces audiunt. *Cui loquar* (ait Dominus Hieremiæ 6.) *& quem contestabor, vt audiat? ecce incircumcisæ aures eorum hæc audire non possunt.* Theodoretus: *Vocat* (inquit) *aures incircumcisas, quæ sine discrimine excipiunt omnia.* Illud est discrimen, inter alia multa, inter reprobos, & prædestinatos, quòd prædestinati audiunt verbum Dei, vt ei obediant. Cùm enim
Ioan. 8. Christus Dominus dixit Ioan. 8. *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam*; auditionem verbi sumpsit ibi pro adimpletione eius: alioquin non statim subderet: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* nam illi etiam audiebant, sed
Idem ibid. quia non parebant auditis; ideò non audiuisse dicuntur: illi ergo ex Deo sunt, illi electi, & prædestinati, qui audiunt verbum Dei, & illi obediunt: reprobi autem audiunt verbum diuinum, conuertentes illud in concentum, aures suas demulcentem, vt Ezech. 33. dixit: *Filij*
Ezech. 33. *populi tui audiunt sermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt illos; & ex eis quasi carmen musicum faciunt, quod suaui, dulcique sono canitur.* Egregia sanè similitudo: nam sicut, qui suauissimam audit musicæ harmoniam, instrumenti sono, ac voce solummodo delectatur; facta verò illustrium virorum, quæ in cantico concinuntur, non intendit imitari; sic plurimi conciones audiunt, quò prædicatoris stylo, dicendique modo delectantur, nec verò ad doctrinam, quam prædicat, attendunt: illam enim imitari non intendunt: quos in hunc modum D. Io. Chrys. carpit hom. 2. ad Populum: *Non est theatrum Ecclesiæ,* Ioan. Chryso. hom. 2. ad Populum. *vt ad delectationem audiamus, auditores hinc oportet recedere lucratos amplius: temerè enim, & frustra hinc proficiscemur, si ad tempus refrigerati, sic recesserimus vacui, & dictorum vtilitate inanes facti; ita ille Infelicem se mercator iudicat, si in forum negociandi causa progressus, inde sine lucro in domum redierit. forum spirituale est Ecclesia, & nos mercatores sumus bonorum æternorum; propter huius mercaturæ lucrũ in Ecclesia conuenimus: stultus sanè est, qui sine lucro, sola auditus delectatione contentus, recesserit: sed, proh dolor, multi sunt hi stulti, qui ad audiendum verbum Dei non accedunt, vt id, quod concionator monet, faciant, sed, vt concionatoris eloquentia, & ratiocinandi acumine recreentur, quos ego non incongruè comparauerim otiosis pueris, qui ex silice ferro ignem excutiunt, non vt ignẽ accendant, sed vt videant, quomodo euolent scintillæ, & eas salientes contemplentur; percutiunt silicem, & vix scintilla exiluit, cùm clamant: en, vt hæc scintilla volauit! percutiũt iterum, & aiunt: plus ista volauit; sed quamuis plures iterent ictus, nunquam tamen ignem accendent, quia escam non admouent silici, nã si admouerent, ignem statim conciperet. Auditorum intellectus, est tanquam silex, prædicatores verò sunt, tanquam ferrum (hoc est eloquium) Vos igitur auditores huc conuenitis, vt prædicatores suis vocibus, & aures, & animos vestros feriant, non vt charitatis ignis in vobis accendatur, sed vt videatis, quænã scintillæ plus euolent, quisnam in verbis ornatior sit, quis in rebus plus eruditus, quis in gestu venustior, quis in pronunciatione clarior, & decentior, & ita dicitis: plus volat hic, quàm ille, melior est his prædicator, quàm ille, & nunquam diuini amoris ignem accenditis, quia non applicatis escam (quæ est voluntas) vt ignem concipiat; nam si, cùm intellectus, quod prædicator docet, apprehendit, statim voluntas tanquam esca illud amplecteretur, & amaret, magnus in animis vestris ignis excitaretur.* Sed audia-

audiamus iterum D. Ioannem Chryſo. hos curioſos, magis, quã religioſos verbi diuini auſcultatores in hæc verba reprehendentem hom. 38. ad Populum: *Hoc Eccleſiam ſubuertit, quod non quæritis ſermonem compunctiuum audire, ſed qui delectare valeat, & verborum compoſitionem, tanquam cytharœdos, & cythariſtas auditis, & nos ſegniter, & ærumnoſe facientes, veſtras ſequimur concupiſcentias, cùm illas excidere opus eſſet, & idem fit, ac ſi pater aliquis frigido, & molli filio, licet ægrotanti placentam offerat, & aquã frigidam, & quæ duntaxat delectare ſolent, vtilium verò nullam ingerat curam, & poſtea à medicis incuſatus, ſe purget dicens, quid faciã? ille ita cupiebat miſer, & infelix, & proditor, neq; enim huiuſmodi patrẽ dixerim: & quanto melius eſt, breue contriſtatum, ſemper incolumen reddere, quàm momentaneam hanc lætitiam continuæ mœſtitiæ facere materiã? hæc & nos patimur, verborum fucus conquirentes, & compoſitionem, & elegantem iuncturam, vt delectemus, non vt proſimus, attendimus, quomodo videamur admirabiles, non quomodo mores componamus: credite mihi, vera dico, dum mihi applauditur dicenti: per ipſum tempus, humanum aliquid patior: cur enim non verum fateor, & exulto, ſed poſtquam domum ingreſſus, plauſores nihil adiutos cogitauero, & ſi quid profeciſſe debebant, per plauſum & laudes amiſiſſe, doleo, gemo, lugeo, & tanquam omnia temerè dixerim, ſic afficior, & mihimetipſi dico: quæ mihi ſurdorum vtilitas, cùm nihil lucrati ſint auditores? omne igitur ſtudium, fratres, ad dicta ſuſcipienda præſtetur. Vnde deridendus eſt auditor, qui apud alios, benè (inquit) concionator dixit, quid verò dixerit, pronunciare non ſum idoneus: hoc quidẽ aſſentationis eſt. Nam cytharœdos quidem audiens, hoc iure potiretur, vtpotè, qui dictionem ſimiliter proferre neſciant, vbi verò non cauta eſt oſtẽtatio, neq; vocis, ſed ſententiarũ, & philoſophiæ facultas, cuiq; dicere erit facilè quomodo igitur non accuſatione dignum eſt, ſi quis laudans cauſam, neque at dicere, quam dicens laudauit?* Hactenus D. Ioan. Chryſ.

Idem ho 38. ad Populum.

Hoc idem diſcrimen inter prædeſtinatos, & reprobos pulchrè delineatum repetio in in meraphora cibi. In ſacris litteris ſatis perſpicuum eſt, verbũ Dei cibum, & alimentum animæ vocari, Amos 8. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & mittam famem in terram, non famem panis, nec ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini.* Sanè fami ſatisfieri non poteſt, niſi per cibum, & Matth cap. 4. Chriſtus Dominus dixit: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Amos 8. Matth. 4.

Vnde D. Hieronymus Matth 4. *Si quis* (inquit) *non veſcitur verbo Dei, iſte non viuit.* Et D. Auguſtinus ſerm. 56 de tempore: *Certiſſimè* (inquit) *ſcitote, quia qualis eſt caro, quæ poſt multos dies percipit cibum, talis eſt anima, quæ aſſiduè non paſcitur verbo Dei. Quomodo caro per famem ſicca, & tenuis, veluti quoddam ſimulacrum efficitur, & inutilis, & ad nullum opus bonum congrua inuenitur. Itaque, ſicut cibus eſt neceſſarium alimentum, quo natura ad ſui reparationem indiget; nam cum perpetuo per inſenſibilem euaporationem, actionemque caloris naturalis humidum radicale conſumatur, natura per famis affectionem, quaſi clamat, petens neceſſarium cibum; ne natiuus calor extinguatur, ſicuti lampas, ſi non ſuperfundatur oleum; ita ſimiliter & anima propter continuum concupiſcentiæ ardorem, & labores, quos patitur, minuitur viribus, & deficere aliquando videtur, ideoque oportet ei cibum verbi Diuini præparari, cuius continua ſubminiſtratione reparentur vires, & facultates roborentur; & ſicut ad hoc, vt cibus nutriat, ac deperditum calorem reſtauret, non ſufficit illum deglutire, ſed neceſſe eſt, vt ſtomachus illum retineat, coquat, ac digerat, & in reliquas corporis partes diſpertiat; ita, niſi cor animi cibũ quod eſt Dei Verbũ conſeruet, intelligat, conſideret, & in actiones hominis diſtribuat, quid proderit? Verbum Dei non retinere eſt cibum ſumptum euomere, quod imbecillis admodum eſt ſtomachi.* Vnde D. Greg ho 15. in euangelia: *Cibum* (ait) *eſt ſermo Dei, & quaſi receptus cibus ſtomacho lãguente reſcitur, quando auditus ſermo in ventre memoriæ non tenetur: ſed qui quis alimẽta non retinet, huius profectò vita diſperatur; tales ſunt reprobi, cor aũt bonũ, & optimũ, cuiuſ-*

Matth. 4. D. Hieron. Matth. 4. D. Aug. ſer. 56 de tempo. D. Greg hom. 15 in euangelia.

modi est iustorum, & prædestinatorum, Stomachus est animi validus, & alimenta retinet, considerando coquit, & in cunctas dispergit actiones; nam cor per verbum Dei, actiones, negotiaque omnia moderatur, & dirigit. Vnde de homine sapiente ait Ecclesiast. *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis*; non in ore corporis, sed in ore cordis. quare hortatur idem Sapiens: *Fili mi, ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat.* Hi re vera audiunt verbum Dei, non, vt statim obliuiscantur, sed, vt postea meditentur in lege veteri, vt legimus Leuitici ca. 11. animalia, quæ ruminabant cibum, munda erant; in lege verò noua, animæ, quæ verba Dei audita meditantur, & quasi in propriam substantiam actione conuertunt, ad magnam munditiam perueniunt. hunc esse illius legis spiritum D. Prosper sententia 103. manifestè testatus est: *Verbi auditor* (inquit) *similis esse debet animalibus, quæ ob hoc, quod ruminant, munda esse dicuntur, vt non pigeat cogitare, quæ in aluo cordis accepit, & cùm audit, sit similis ruminanti.* Affert certè ruminatio hæc varias vtilitates. nam primò hac ratione prohibentur inutiles, ac noxiæ cogitationes, quas otiosæ, vel vacuæ menti diabolus solet suggerere. Cùm enim duas res simul cogitare non possimus, si, vt aliquid aliud cogitando, non cogitemus immunda: (inquit Diuus Gregorius) si autem huiusmodi cogitationes accedant, facilè abiguntur, cùm iam alij hospites mentis nostræ domicilium occupauerint. Deinde, ita percipitur, ac sentitur suauitas doctrinæ sacræ seu rerum diuinarum, de qua propheta Dauid Psal. 118 *Quam dulcia faucibus meis, eloquia tua, super mel ori meo*, & ibidem, *narrauerunt mihi iniqui fabulationes*, seu delectationes suas, vt legit Diuus Augustinus, quas habent in vanitatibus, ac voluptatibus suis; sed non, vt lex tua. Suauiores enim, ac solidiores sunt, quæ percipiuntur ex meditatione legis Domini, de qua & sanctus Augustinus, affectiones habet tabula, theatrum, venatio, aucupium, piscatus, & non habeant opera Dei, & non habeant meditationes Dei interiores quasdam affectiones suas? ex hac delectatione, in meditatione percepta, sequitur alia vtilitas, quòd homo iam incitetur ad ipsum bonum, quo delectatur, exequendum, vnde propheta Dauid Psal 83. *Dominus dabit suauitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Et in illum Psalm. conc. 8. libr. 2. capit. 9. cont. 2. epist. Pelag. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum. Cordis dilatatio* (inquit Diuus Augustinus) *iustitiæ est delectatio; sine qua non solum non perficitur, sed nec inchoatur bonum ex nobis.* Denique hæc ruminatio, seu mentis consideratio hãc affert vtilitatem, quòd hominem, etiam exurgente tentatione, in opere bono confirmet, ac conseruet: *Scriptum est,* (inquit Diuus Augustinus) *cogitatio sancta conseruabit te.* Cogitatio præsentiæ Dei conseruauit Susannam matronam pudicissimam, ne tentationi succumberet, qua ad impudicitiam sollicitabatur, proposita etiam infamia, ac morte, ni consentiret: *Melius est mihi* (inquit) *absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Cogitatio potentiæ, ac iustitiæ Dei conseruauit Eleazarum nonagenarium senem, ne tormentis cederet, cùm iuberetur carnes porcinas contra legem Dei manducare, vel saltem hoc simulare, vt mortem, & alias pœnas grauissimas euaderet: *Etsi* (ait) *in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam.* Quid Machabæos fratres variis, acerrimisque pœnis fecit superiores? cogitatio vtique futuræ remunerationis, ac gloriosæ resurrectionis, quorum vnus cõstanter ad tyrannum: *Tu quidem, sceleratissime, in præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit.* Et alter linguam, ac manus postulatus, vt ampu-

Prouer. 20.
Prouer. 3.
Leuit. 11.
D. Prosper sent. 103.
D. Greg.
Psal. 118.
Ibid.
Psalm. 83.
D. Aug. Psal. 118 & in eundem Psal. conc. 7 lib. 2. ca. 9. cont. epist. Pelag.
S. August.
Daniel. 13.
Machab. 12.
Mach. 2 c. 7.

amputarentur, cum fiducia aiebat: *E cœloista possideo, sed propter Dei leges, nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso ea me recepturum spero.* Cogitatio nouissimorum Dauidem Regem conseruauit à graui lapsu, ad quem propendebant pedes eius; cùm videret afflictionem bonorum, & peccatorum pacem, ac prosperitatem;
Psalm.72. *Existimaui* (inquit) *vt cognoscerem hoc*; id est, conatus sum, hoc intelligere, cur boni affligantur, mali presperentur? labor est ante me, id est, exorta est mihi difficilis quæstio, & solui non potest; donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum. Ibi enim (in-
Augustin. in Psal.72. quit Diuus Augustinus) *Cognoscebat, & considerabat totum genus humanum, omnem istam massam mortalitatis venturam esse ad examen, venturam ad librum, vbi appendentur opera hominum: cuncta modo nubes inuoluit, sed Deo cognita sunt merita singulorum. Ibi manifestabuntur, vt mali æterna supplicia, boni verò æterna recipiant præmia.* Quia tamen non sufficit mandere, ruminare, imò & digerere cibum, nisi postea in alimētum conuersus, distribuatur per omnia corporis membra, vt vires singulis præstet ad propria munia exercenda, oculis ad videndum manibus ad palpādum, pedibus ad deambulandum, & sic de reliquis.

Hoc etiam est discrimen inter prædestinatos, & reprobos; probos, & prauos diuini verbi auscultatores, quòd probis, & prædestinatis prodest cibus verbi Diuini ad petulantiam sensitiuarum potentiarum compescendam, & ad effrænem earum concupiscentiam in officio continendam; oculis prodest ad modestè, & cautè videndum, manibus, vt à prohibita tangendo arceantur, pedibus, vt ab iniquis gressibus abstineant, ac tandem omnibus potentijs vires suppeditat, vt animæ noxia submoueant, & Creatori suo perseueranter inseruiant. Atque hinc intelligenda veniunt verba illa Diui Ioannis capite decimo suæ Apocalyp. cui, cùm datus esset liber in cibum, vt illum comederet, dixit: *Et erat in ore meo, tanquam mel dulce,* Apoc.10. *& cùm deuorassem eum, amaricatus est venter meus.* Etenim, licèt multi interpretes existiment, librum hunc significare vaticinia rerum futurarum extremis mūdi temporibus, quem in ore quidem dulcem, in ventre autem amarum sensit Ioannes; quia primum fuit ipsa rerum prænotione creatus, sed paulò pòst amplius in earum contemplatione versatus, cernensque terribilia illa iudicia, quæ adhuc manent mortales, incredibilem animo concepit dolorem. Angelicus tamen Doctor in commentario huius loci, interpretatur librum hunc, verbum Dei esse auditum, quod, quia rationi superiori animæ suaue est, tanquam mel dulce in ore suo esse dixit; quia tamen sensualitati, & carni, quam coercet, displicet, & insulsum illi est, ideò subiunxit, amarum fuisse ventri eius. Certè, quod verbum Dei dulce sit rationi, palàm cecinit regius Vates: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super* Psal 118. *mel ori meo*: in quem locus Diuus Hie- D.Hieron in ronymus expendit, non sine mysterio Psal.118. dictum esse: faucibus, quia nimirum traiecto per guttur melle, vel alio cibo palatū nullum vltrà saporem habet: at verò diuina eloquia siue in ore, siue in faucibus semper sunt dulcia meditantibus. Notauit quoque Remigius non so- Remig. lùm dictum esse faucibus, sed etiam ori; quia diuina verba prædicatores tunc sentiunt in faucibus dulcia, cùm ex ipsis ædificationi propriæ student; tunc verò in ore, cùm eorum dulcedinem alijs etiam eructant, & communicant. Denique Diuus Ambrosius explicauit adhiberi mellis similitudinem; quia, *Sicut* (inquit) *ori amara, quæ febribus, vel* D.Ambr. *aliis ægritudinibus acciderunt, mel mitigat, ita mœsta, & tristia corda ob delictorum pœnitentiam, diuino sermone dulcescunt.* Quod verò sensualitati, & carni verbum Dei videatur acerbum, inde proficiscitur, quòd carnis rebellionem comprimat,

depraua atque naturæ licentiam compescat; qua quidem in re diuinum verbum est pillulæ cuidam inauratæ quam simillimum, quæ dulciaris inuoluta in ore quidem dulcescit, sed postea ventrem, vniuersumque corpus commouet, nec sine molestia, & nausea prauos humores pellit, & sanitatem affert, atq; ad hoc ipsum significādum, vir ille, qui
Ezech. c. 1. Ezechiel. capi. primo apparuit, cùm in superiori parte esset ex electro, in inferiori tamen totus erat igneus; quia Deus superiori quidem mentis nostræ parti totus est dulcis, instar electri, amorem nostrum blandè concilians: in inferiori autem igneus, hoc est, omnem inferioris partis corruptionem seuerè non sine sensu doloris adurens. Vnde Diuus Augustinus homilia 8. in Apocal explicans prædictum locum Ioannis, di-
D. Aug. ho. 8. in Apoc. xit: *Cùm perceperis verbum Dei, delectaberis eloquij diuini dulcedine, sed amaritudinem senties, cùm prædicare, & operari cœperis, quod intellexeris, sicut scriptum est: Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.*

E contrà verò reprobi, ac praui, verbi Diuini auditores, licèt verbi Diuini esca deuoretur, illam tamen non retinent, non decoquunt, sed facile euomunt; vt
Eccl. c. 21. enim Ecclesiast. cap. 21. *Cor stulti quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit.* Vnde, sicut cibus, quem quis euomit, nullas corporis membris vires subministrat, ita cibus verbi diuini nihil illis prorsus prodest ad infrænandos sensus, ac proprias concupiscentias resecandas. Quare de illis Dauid Psalmo 100. dixit:
Psal. 100. *Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis.* Per hoc verbum omnem escam, Dei verbum significatur, quod esca est perfecta: phrasis enim est sacræ Scripturæ, hoc verbum omne, pro perfecto accipere. ita illud Diui Pauli intelligitur: *Vt*
1. Timoth. 1. *in me ostenderet Christus Iesus omnem patientiam*; id est, perfectam patientiam; & quoties in suis epistolis ait: in omni patientia intelligi debet in perfecta patientia, & illud Sapientiæ: *Panem de cœlo*
Sapien. 16. *præstitisti illi omne delectamentum in se habentē, & omnis saporis suauitatē.* Omne delectamērū, id est, perfectum: ita hic oēm escam, id est, perfectā escam, & cùm Dei verbū esca sit tā perfecta, & animis tātæ vtilitatis, certè eam abominari, est mortis, & æternæ condemnationis portis propinquum esse, non obscurum signum, atque adeò in numerum reproborum esse redactum, &c. Atque ad hoc mihi respexisse videtur Diuus Ioannes Chrysostomus homilia quarta in Genesim, dum ait: *Videns alacrem, & quo-*
Io. Chrysost. hom. 4. in Genes. *tidianum vestrum in hoc templo conuentum, magnam percipio voluptatem misericordemque Deum in profectu vestro glorificare non cesso. Nam, sicut esurire, sanitatis corporalis indicium est, ita, & studio magno audire diuinæ eloquia bonæ animæ valitudinis, certissimum est argumentum. Is enim Domini nostri mos est, vt quoties videt animam aliquam multo desiderio, promptitudineque intenta spiritualibus inhiantem, liberaliter illam gratia, & opulentis donis suis locupletet.* His addo ex Diuo Bernardo dicrimen aliud ex metaphora cibi depromptum inter prædestinatos & reprobos: ille enim docens, quod aliter reprobis, aliter electis verbum Dei sapit, sic
D. Bern. exorditur: *Legimus in Euangelio, quod, prædicante Domino, dixerint, durus est hic sermo, & ex hoc iam non fuerint cum eo: interrogati verò discipuli, an & ipsi vellent abire? Domine* (inquiunt) *ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Ita dico vobis, vs-*
Ioan. 6. *que hodie quibusdam manifestum est, quoniam verba, quæ loquitur Iesus, spiritus, & vita sunt, & propterea sequuntur illum: aliis dura videntur, & miseram alibi quærunt consolationem. Sapientia siquidem in plateis*
Prou. 1. *clamitat, in lata videlicet, & spatiosa via, quæ ducit ad mortem, vt reuocet ambulantes per eam. Semel locutus est Deus, semel vtique, quia semper: vna enim, & non interpolata, sed continua, & perpetua locutio est. reuocat autem peccatores ad cor, de cordis*

errore redarguit pro eo, quod ibi habitet ipse, ibique loquatur faciens animi um, quod dicuit per Prophetam dicentem: loquimini ad cor Hierusalem; nam Babylon, quoniam terra
Isai. 4. est, nec potest sustinere vniuersos sermones eius, elongatur à corde, & in carne magis ambulat, tanquam mortua à corde, imò tanquam columba seducta, non habens cor. vult enim lætari, cum malè fecerit, & exultare in rebus pessimis, audiensque vocem Domini, huiusmodi gaudia nullatenus approbantem, sed detestantem, sed arguentem, sed condemnan-
Gen 3. tem, fugit, & abscondit se, sicut Adam, ne Dominum audiat. Audies vocem iudicij, quæ vocem consilij contempsisti. Salubriter modo admonet nos Propheta, dicens: Hodie si vo-
Psalm. 94. cem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra: vtilius namque, & multo salubrius est, hodie audire consulentem, consolantem, admonentem, docentem, condemnantem bonum mihi propter verba labiorum eius, eum Propheta custodire vias duras, quam pariter cum impio interfici spiritu labiorum eius. Hæc D. Bernardus. Consonant his, quę D. Ioannes Chrysostomus scribit homilia 38. oper. imperfecti in cap. 21. Matth. dicens:
Io. Chrysost. hom 38 oper. imperfecti in c. 21. Matth. Sicut, stomacho ministrante, vnumquodque membrum suscipit nutrimentum, & conuertit ipsum in se secundum suam naturam, viputa, quod suscipit iecur, totum fit sanguis, quod autem suscipit fel, bilis efficitur totum; quod vero ascendit in pulmonem, phlegmata fiunt, quod autem in mammillas, totũ efficitur lac; sic sacerdotibus in ecclesia loquentibus, verbum omnes suscipiunt; vnusquisque autem cõuerit illud secundum proprium cor, ita vt vnum, atq; idem verbum in cordibus quidem rectis procedat ad vitam, in cordibus autem peruersis suscitet iracundiam, quasi bilis; in alijs autem operatur dilectionem ductissimam, quasi phlegma nociuum, & expuendum. Non dissimilia sunt alia originis homilia 5. in cap. 4. Iudicum, vbi explicans mortem Sysaræ, quæ facta est à Iahele, quæ
Orig. hom. 5. in c. 4. Iudi. dedit ei lactis potum, dicit: Verbum Dei, quod incipientibus datur, lac dicitur, sed iste cibus iis quidem, qui ad bonum proficiendi propositum gerunt, vitam tribuit, & salutem, iis verò quibus contraria placent, quibus luxuria, auaritia, & omnis impietas cordi est, huiusmodi doctrina necem, & interitum præstat. Sic ergò fit, vt ex iis, atque iisdem cibis: quibus eluntur boni, suffocentur mali, & in quo pijs vita est, ibi sit impijs mors. Denique, vt exemplo res, quam dicimus, planior fiat, vinum sanos, & commodè degentes iuuat, & cor hominis lætificat: febricitantibus verò, si sumpserint, perniciem continuò, & interitum parit; ita fit, vt eadem res eodem modo sumpta, vni quidem vitam, alij autem conferat mortem. Sic intelligendum est, & Sysaram istum, animalem hominem & vitiorum principem per doctrinam Ecclesiæ, quam ex fide non suscepit, extinctum; sed & vnaquæque anima satis agat, lacte isto euangelico, atque Apostolico sopire in semetipso, & extinguere Sysaram: si enim per hæc edoctus quis mortificauerit membra sua, quæ sunt super terram, auaritiam, fornicationem, Sysaram in semetipso videbitur peremisse, vt hæc non solùm in persona Ecclesiæ consummari, verum etiam vnusquisque in sua anima ostendat impleri.

Ad extremum. Quidam diuini verbi auditores, ita duræ ceruicis esse perhibentur, vt quotidie verbum Dei audiãt: illi tamen obedire non curant, vt fructum ferant, sed potius voluptatibus dediti, animas suas diabolo venales faciunt. Hi sanè, non beati, sed infœlices sunt, cùm animas suas diabolo perpetuo possidendas tradant. Leuit. cap. 28. ait Dominus: *Qui vendiderit domum intra* Leuit. 28.
Vrbis muros, habebit licentiam redimendi, donec vnus annus impleatur, si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor possidebit eam, & posteri eius in perpetuum. Per Vrbem Ecclesiam significari docet Isaias cap. 26. *Vrbs fortitudinis nostræ Syon sal-* Isai. 26.
uator, ponetur in ea murus, & antemurale. Muralis ergò, qui in Ecclesia Catholica vitam degit, peccatis tamen deditus, audire non vult vocem in Canticum: *Ve-* Psal. 37.
nefici incantantis sapienter, sed potius obturat aures suas: licentiam habet redimendi per veram pœnitẽtiam domum suam,

ſuam, hoc eſt, animam ſuam, quam diabolo vendidit, intra annum illum, de quo Chriſtus olim per Iſaiam dixerat: vt prædicarem annum placabilem Domino: ſi enim in hoc tempore gratię redimere illam noluerit, væ illi: nam peracta vita, emptor diabolus, atque poſſeſſores eius, hoc eſt, cæteri dæmones in perpetuum poſſidebunt eam. Hi ſunt, de quibus Dominus per Iſaiam ait cap.

Iſai. 3. 3. *Populus ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre, & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis, quæ recta ſunt, loquimini nobis placentia.* Quaſi dicant peccatores omnes: nolite nobis videre, quæ recta ſunt; ne gehennæ flammas comminemini, ſed promittite nobis regna Cœlorum, vt poſt luxuriam, & delicias pendatur nobis Paradiſus. Quid mihi oſtendis viam Domini, per quam non libenter ingredior? quid replicas verba ſancti Iſraelis, quod mei pectoris arcana non penetrat? væ hominibus iſtis. nam eueniet illis, ni ſapiant, quod ſtatim Do-

Idem ibid. minus minatur, dicens: *Pro eo, quod reprobaſtis verbum hoc, & ſuperaſtis in calumnia, & tumultu, & innixi eſtis ſuper eo, propterea erit vobis iniquitas hæc, ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo; quoniam ſubito, dum non ſperatur, veniet contritio eius, & comminuetur, ſicut conteritur lagena figuli contritione perualida, & non inuenietur de fragmentis eius teſta, in qua portetur ignis culus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea.* Quaſi dicat: vt pars muri, minans ruinam, repētè cadit, & ſecum magnam muri partem trahit, ſic iniquitas veſtra, & fiducia hæc vana, quam habetis in opibus, & in hominibus, erit in cauſa, vt vos breui ruatis miſerrimè; & ita conteremini, ſicut hydria figuli, quādo in minuta fruſta cōminuitur. Aſpice perditiſſimorū hominū corruptelam & cæcitatē. Aſpice eorū pœnā, & infœlicē exitū. Talis erat Achab, qui interroganti Ioſaphat, vtrum eſſet aliquis Propheta Domini, qui virtutem prædiceret? hæc verba reſpondit: *Remanſit vnus, per quem poſſumus interrogare Dominum, ſed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, ſed malum.* Et paulò poſt refert Scriptura, eundem Regem iratum vaticinio propheţę, eum in carcerem coniecisſe, vbi pane afflictionis, & aqua anguſtiæ ſubſtentaretur. Et Aſa alium Prophetam illi veritatem dicentem in carcerem relegauit. Sed Achab ſeductus per falſos prophe-

3. Reg. 22.

Ibidem. tas, miſerrimè perijt in bello. Aſa verò dolore pedum vehemētiſſimo affectus, infœliciter mortuus eſt, &c. Confugiamus igitur, ſi Dei vindictam fugere volumus, ad verbum Dei, inueniemus doctrinam, ſalutarem virtutis indagatricem; vitiorum expultricem, medicinam animis medentem, eoſque in ſuam dignitatem reuocātem. Hoc enim eſt fons vberrimus, cuius haſtu, atque potu conceptam viſceribus ſitim ſedamus, ardoremque extinguimus, hoc eſt, flamma

Exod. 3. illa, quam vidit Moyſes ardentem, rubumque non comburentem, vbi Deus eſt, animos noſtros incendens, æternæque beatitudinis deſiderio inflammans. Hoc eſt, ſcala illa, quam vidit Iacob, quę

Geneſ. 28. ſummitate cœlos tangebat, per quam à terra ad cœlum patet aſcenſus. Hoc eſt

Geneſ. 41. cellarium Ioſeph in AEgyptio huius mundi conſtitutum, ad quod vndique recurrere debemus, vt famem expellamus, hoc eſt, manna illud cœleſte, minutum, ſed candidum, & dulce, omnes ad veram promiſſionis patriam euntes, reficiens. Hoc eſt ros de cœlo deſcendens; hoc pluuia animam fœcūdans, hoc mel in ore, & melos in aure, hoc diuinum ſemen mirificos fructus producens: hoc fauus gratiæ dulcedinem in animam diſtillans, hoc ſalutis ſcientia, hoc lampas in caliginoſo loco lucens, hoc ſplendidum ſpeculum, hoc ſpiritus, & veritatis doctrina, hoc liber ſignatus, quem qui addiſcunt, ſapientes fiunt. Hoc eſt turris

Cant. 4. Dauid munitiſſima, quæ, vt eſt Canticorum libris mandatum, ædificata eſt cum propugnaculis, ex qua pendent mille

mille clypei, omnisque fortium armatura: hoc est, mentis speculum, hoc est, thesaurus sapientiæ, hoc est, quod vitæ tranquillitatem largitur, hoc est, lucerna pedibus nostris: hoc est, quo aduersus dæmonem, mundum & carnem contendimus; est enim verbum Dei gladius spiritus, vt ait Apostolus, quo inimicos percutimus, & prosternimus, & de quibus quotidie victoriam reportamus: est gladius ille, de quo Isaias aiebat cap. suo

Isai. 27. 27. *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuiathan, serpentem tortuosum*, & quo Dominus in fine mundi percutiet, atque fugere faciet eũ, qui nunquam fugere consueuerat. Libenter igitur suscipiamus, & in animis custodiamus verbum Dei, cum eius custodia tot, tantorumque bonorum sit fons, & scaturigo.

At (proh dolor) ea est diuini verbi audiendi negligentia, & pigritia, vt, si longè absit templum, vbi Diuini verbi concio habetur, molestè ferant multi eo conuenire; & ne quidquam incommoditatis sentiant; facilè verbi diuini auditionem prætereunt; quos satis confundunt antiqui philosophi, qui non solùm philosophię addiscendæ gratia, sed & illius solum magistros videndi desiderio inflammati, non dubitarunt asperrima conficere itinera, quorum Diuus Hieronymus meminit epistola 1. ad

D. Hier. ep. 1. ad Paulinũ. Paulinum: *Legimus in veteribus historiis, quosdam lustrasse prouincias, nouos adijsse populos, maria transijsse, vt eos, quos ex libris nouerant, coram quoque viderent. Sic Pythagoras Memphyticos vates, sic Plato Ægyptum, & Architas Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam Magna Græcia dicebatur, laboriosissimè peragrauit; vt qui Athenis magister erat, & potens, cuiusque doctrinam Academiæ gymnasia personabant, fieret peregrinus, atque discipulus, malens aliena verecundè discere, quàm sua impudenter ingerere. Denique cùm literas, quasi toto fugientes orbe persequitur, captus à pyratis, atque venundatus, etiam tyranno crudelissimo paruit captiuus, vinctus, & seruus. Tamen, quia philosophus maiore mente se fuit, ad Titum Liuium lacteo eloquentiæ fonte mouentem de vltimis Hispaniæ, Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus, & quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus sæculis, celebrandumque miraculum, vt tantam Vrbem ingressi, aliud extra Vrbem quærerent. Appollonius philosophus intrauit Persas, pertransiuit Caucasum, Albanos, Scythas, Masagetas, opulentissima Indiæ Regna penetrauit, & ad extremum latissimo Physon amne transmisso, peruenit ad Brachmanos, vt Hiarcam in throno sedentem, inter paucos discipulos de natura, de motibus syderum, ac dierum cursu audiret dicentem. Inde per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæstinos reuersus Alexandriam, perrexit Æthiopiam, vt gymnosophistas (qui sic vocati sunt, quia nudi in syluis agunt) & famosissimam Solis mensam videret in sabulo. inuenit ille vir vbique, quod disceret, & semper proficiens, semper se melior fieret. Quid loquor de sæculi hominibus, cùm Apostolus Paulus* 1. Cor. 15. *vas lectionis, & magister Gentium, qui de conscientia tanti in se hospitis loquebatur. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? post Damascum, Arabiamque lustratam, ascenderit Hierosolymam, vt videret Petrum, & manserit apud eum diebus quindecim, à quo futurus gentium prædicator instruendus erat. Habet enim nescio quid latentis energiæ viua vox, & in aures discipuli de auctoris ore transmissa fortius sonat. Vnde & Æschines, cùm Rhodi exularet, & legeretur illa Demosthenis oratio, quam aduersus eum habuerat, mirantibus cunctis, atque laudantibus suspirans, ait: quid, si ipsam audisses bestiam sua verba resonantem?* Hactenus Diuus Hieronymus. Antiquissimus autem Origenes, hos desides, ac oscitantes verbi Dei auditores homilia decima in caput 24. Genes. in hæc verba carpit: *Vereor, ne adhuc in tristitia, & gemitu Ecclesia filios pariat: an non est ei tristitia,*

Orig. ho 10. in c. 24. Gen.

stitia, & gemitus, cùm vos non conuenitis ad audiendum verbum? & vix festis diebus ad Ecclesiam proceditis? quid igitur ego faciam, cui dispensatio verbi credita est? qui licèt inutilis seruus sim, accepi tamen à Domino distribuendam familiæ Dominicæ tritici mensuram. quid ergò faciam? vbi, vel quando vestrum tempus inueniam? plurimum ex hoc, imò penè totum tempus mundanis occupationibus teritis in foro, aliud in negotiatione consumitis: alius agro, alius litibus vacat, & ad audiendum Dei verbum nemo, aut pauci admodum vacant. Sed quid vos de occupationibus culpo? quid de absentibus conqueror? præsentes etiam, & in Ecclesia positi, non estis intenti, sed communes ex vsu fabulas teritis, verbo Dei, vel lectionibus diuinis terga conuertitis. vereor, ne & vobis dicatur à Domino: Conuerterunt ad me dorsa, & non facies suas. quid igitur ego faciam? possum ne surdis, & auersis auribus ingerere margaritas verbi Dei? ac de-

Genes. 24. inde nonnullis interpositis subdit: *Rebecca veniebat cum filiabus ciuitatis haurire aquam de puteo. Rebecca quotidie veniebat ad puteos, quotidie hauriebat aquam, & quia quotidie vacabat ad puteos, idcirco inueniri potuit à puero Abraham, & in matrimonium sociari Isaac. Animarum est ista eruditio, & spiritualis doctrina, quæ te instituit, & docet, quotidie venire ad fontes scripturarum, ad aquas Spiritus sancti, & haurire semper, ac plenum vas domum referre, sicut & faciebat sancta Rebecca. Vult te Christus sibi desponsare, sed non fit hoc, nisi venias ad puteos, & haurias aquas, ne sitim verbi Dei patiaris, sed audias Dominum dicentem: Qui*

Ioan. 7. *sitit, veniat ad me, & bibat.* Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXII.

Agimus de religiosa translatione Iconis S. Mariæ Maioris ad celeberrimum Sacellum à Paulo V. Pont. Max. in honorem Deiparentis sacrum.

INter pleraque Summi Pontificis Pauli V. heroica patrata facinora, Pontificia ac Regia eius Maiestate digna, mihi hodierna die commẽdandum venit, ad Cœlumque vsque eferẽdum, religiosi cultus studium, quod in erigendo a fundamentis celeberrimo Sacello Sanctæ Mariæ ad Niues, & Imaginis illius honorifica translatione, vniuerso Populo Romano applaudente exhibuit. Potuissem equidem permulta alia, tanti Pontificis glorioſa gesta, nisi ea vniuerso Orbi nota fuissent, oratione persequi: potuissem recensere Catholicæ fidei illius zelum, cuius locuples testis est frequẽs admonitio, qua Regem Angliæ, vniuersa eius Regna, ac Prouincias ad veritatem fidei Catholicę reuocare impensè conatus est: commemorare possem immunitatis Ecclesiasticæ conseruandæ, ac sacræ libertatis iura inuiolata custodiendæ sedulam ac diligentem eius curam; in pace, & rerum abundantia, ad vitam humanam tranquillè, ac prosperè transigendam, singularem adeò prouidentiam, vt Populus Romanus eam benedictionem nactus videatur: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis*: incepti ædificij Basilicæ Principis Apostolorum, mirabilem structuram, vsque adeò auctam, vt potiori iure, non promotor, sed eius auctor, ac fundator dicendus videatur: sollicitudinem omnium Ecclesiarum, præter instantiam quotidianam, vt de Paulo Quinto, Pauli more 2. Cor. 11. loquar: varia Apostolica diplomata expedita, vt bono Reipublicæ Christianæ regimini, tam in spiritualibus, quàm tem-

temporalibus consulatur, & vnicuique ius suum indemne seruetur: beneficia innumera plusquam Regia munificentia in Rempub. Romanam collata, adeò vt de illa, Pontificum nemo benemeritus magis censeri possit: ingentem aquæ copiam, in agro Braccianensi, saluberrimis è fontibus collectam, veterib. aquæ Alsietinæ ductibus restitutis, nouisque additis, ductam, eamq; copiosam adeò, vt alijs fontibus deficientibus, ipsa præ nimia eius vbertate, ac totius Almę vrbis vsum, sola sufficere posset, Romam multifariam, multisq; modis sumptuosis, ac pulcherrimis ædificijs illustratam, præcipuè tamen illo in Monte Quirinali ad Summorum Pontificum vsum erecto, publicas vias, obliquitate sua vrbem deformantes, ad rectitudinem ita reuocatas, & aspetas in planas conuersas, vt mira inde iam in vrbe viarum pulchritudo effulgeat; Sapientiæ Academiam, non solùm recens exornatam, sed magnifici ædificij mole amplificatam. Quid plura? præstantes viros absque numero virtute conspicuos, ac literarum peritia insignes, varijs honorib⁹ cumulatos, & ad purpuream vsque dignitatem euectos; Vaticanam Bibliothecam, magni momenti codicibus manuscriptis, & alijs, iam typis mandatis, copiosè locupletatā, frequentes, ac quotidianas in pauperes Religiosorum familias, & alios indigentes, liberalissimā ad eorum inopiam subleuandam largitionem, vt meritò in eum conueniat: *Psal. 110.* *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.* Hæc omnia consultò taciturnitati committo, solum ad Pauli V. cultum, & deuotionem erga Deiparā Virginem in translatione Iconis S. Mariæ ad Niues nuncupatæ ad celeberrimū Sacellum ab eo, nullis pecuniæ sumptibus parcente, fœliciter extructum sermonem conuerto. Commemorāt sacra eloquia lib. 2. Reg. cap. 7. quòd Serenissimus Rex Dauid, alta mente perpendens arcam testamenti, quam alio nomine vocabant arcam fœderis, in humili loco collocatam, se tamen domum cedrinam inhabitare, exquisita structura affabre factam, dixit ad Nathan: *Vides ne quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium?* 2. Reg. 7. non dissimiliter Summus Pontifex Paulus V. diuino afflatus spiritu, in similem hāc Dauidis religiosam incidit cogitationem; nunquid ego in celeberrimo D. Petri Palatio aureis lacunaribus insignito habitabo, & animata arca Dei, Deipara scilicet Virgo, per veterem illam arcam egregiè adumbrata, in humili loco collocata iacebit? Minimè gentium, sed ex arcto, & angusto illo loco, ad augustum, & amplissimum domicilium illam transferam. Cogitatione pares intueor Dauidem, & Paulum Quintum; opere tamen dispares, quia quòd cogitauit Dauid, non perfecit, sed Salomon filius eius, iuxta diuinum oraculum ad Natham, dicens: *Ipse ædificauit domum nomini meo, & stabiliam thronum eius.* 2. Reg. 3. Summus autem Pontifex Paulus Quintus, non vir sanguinum, cuius causa Dauid repudiatus fuit à Deo ædificare sibi templum, sed velut alter pacificus Salomon, id quod de ædificatione sacri sacelli, ad religiosam collocationem arcæ animo præstituit, opere ipso compleuit, ea sanè magnificentia, & præclara structura, ac exquisitis lapidibus, & pretiosis gemmis exornatum sacellum erigēs, vt nulla quacunque facunda oratione æquari, aut pro dignitate extolli queat. Id tamen solùm non temere dicam, quòd cùm alioquin in Vrbe Roma reliquarum Vrbium Principe, tyrannorum Christianis persecutionibus extinctis, quadringenta templa Deiparæ consecrata fuerint, vt auctor est Andreas Fuluius lib. *Andr. Fulu.* de Antiquitate vrbis, & nunc etiam permulta illorum magnę vetustatis extent, & alia denuò extructa, aut restituta sint; vt Sācta Maria trans Tyberim, in Thermis, in Porticu, Ara Cœli, Rotunda, in Via lata, Schola Græca, à Palmis,

Annunciata extra Vrbis mœnia, in Dominica, de Populo, super Mineruam, in Via noua, Libera nos à pœnis Inferni, Crypta picta, à Triuio, in Aquiro, Scala Cœli, & alia plura, tam in Vrbe, quam extra Vrbem ejecta, vt meritò Diuus Antoninꝰ dixerit: *Generatio electorum Ecclesiæ, Beatissimam dicit Virginem ex multitudine Ecclesiarum dedicatarum sub titulo eius per totum Orbem*; nullum tamē templum præclara architectura, ædificij maiestate, gemmarum splendore, argenti, & auri copia, ac pretiosissimis alijs ornamentis cum Paulino Sacello valet, meiudice, vlla ratione comparari. Grande opus est, sed non cuicunque, sed Dei Genitrici præparatur habitaculum, in cuius obsequium quidquid ad ornatum templi eius impensum fuerit, pergratum sibi existere, vetusta antiquorum monumenta luculenter satis contestantur. Nam omisso illo insigni miraculo, cuius meminit Petrus Cluniacensis libro secundo mirac. ca. 3. cùm Virgo cereis accensis, nec assumptis illustrari solita erat; sanè Gregorius Turonensis libro de gloria Martyrum, capite nono, refert, Imperatorem Constantinum, Deiparæ Basilicam admirabili opere erexisse, in qua cum columnæ præ magnitudine leuari non possent, (habebant namque sexdecim pedum circuitum) Beatissima Virgo per visum ostendit artifici, quasnam machinas adhiberet, quomodo trocleas suspenderet, atque funes, iussitque, vt tres pueros è scholis ad tantum opus adhiberet. Quæ omnia, cùm ille euigilans perfecisset, tres illi pueri columnas, quas multitudo virorum fortium mouere nequiuerat, summa facilitate, & velocitate subleuarunt. Deinde Procopius nobilis auctor libro primo de ædificijs Iustiniani Imperatoris, rem mirabilem commemorat: Affirmat enim, quòd cum hic Imperator templum Dei Genitrici, pulchrum, ac permagnificum extrueret, & ad tectum illi imponendum arboribus sublimibus, artifices egerent, inuentam fuisse syluam quandam, cedris altissimis abundantem: ad columnas etiam, quæ molem superimpositam substinere valerent, mirabili Dei prouidentia vberem lapidicinam detectam fuisse, his verbis idem auctor scribit: *Cùm Regio Hierosolymitana longè à mari sita, & vndique præruptis montibus vallata, columnas aliunde inferendi locum non præberet, Deus in proximis montibus, lapidis naturam indicauit, huic operi satis congruam, qui lapis, aut prius existens hic delituit, aut nunc primum conditus est. Hic igitur ingentium columnarum, & ignis flammam quodam colore imitantium, magna copia, quæ suffulciebant templum, superne, & inferne, & ad porticus fere templum obeuntes.* Hactenus Procopius.

D. Antonin. 4 p. tit. 15. c. 24. § 3.

Petrus Cluniacensis.

Greg Turon.

Procopius.

Verum his omissis templis ad nostrum Sanctæ Mariæ Maioris redeat oratio. vultis nosse prudens, ac sapientissimum cōsilium Pauli Quinti in pulcherrimo illo extruendo Sacello? benignas quæso aures præbete ad memorabilem, ac inauditam historiam Sancti Henrici Imperatoris Augustissimi, cuius memoria in Romano Martyrologio die decimaquarta Iunij recolitur. Nauclerus insignis Historiographus in hæc verba illam narrat: *Fertur de Henrico hoc, quòd semper primam noctem ingrediens Vrbem, solitus fuerit in Ecclesia Sanctæ Mariæ Maioris manere. Contigit autem semel, quod, dum solitarius oraret, visus sit sibi Christus Pontificalibus indutus procedere, Missam celebraturus, quem sequebatur Sanctus Laurent. & loco Subdiaconi Vincentius, post hos Virgo Dei Genitrix cum multitudine Virginum, & Angelorum; deinc Ioannes Baptista cum Patriarchis, & Prophetis, post hos Petrus, & Ioannes, cum cæteris Apostolis, & Euangelistis, & Sanctus Stephanus cum Martyribus, Sanctus Martinus cum Confessoribus. Angeli inceperunt introitum: Suscepimus Deus misericordiam tuam, & dum cantaretur, Iustitia plena est dextera tua, omnes Christum, & Beatam Virginem imitantes, extenderunt digitos in Henri-*

Nauclerus generat. 34.

Introit. Missæ in Offic. Rom. Psal. 47.

Henricum: post Euangelium, indicibili iubilo Angelus librum deosculatum à Christo, præsentauit B. Mariæ, & post eam omnibus per ordinem deosculandum. Demum innuit B. Virgo Angelo, vt porrigeret librum etiam Henrico ad osculandum, dicens: Præbe ei pacis osculum, cuius mihi virginitas placet, & cùm præ nimio gaudio raptus nesciret ad plenum intendere, Angelus ipse in neruo tangens, dixit: Hoc tibi erit signum dilectionis Dei propter tuam castitatem, & iustitiam; & exinde vsque ad mortem (vt alter Iacob) claudicabat; ex quo euentu vocatus est Henricus Claudus. Hactenus Nauclerus. Cuius historiam non parum nostro argumento deseruire autumo. Nam cùm Paulus Quintus Pontifex Maximus Christi Vicarius sit, & ad Vicarium Patroni sui vestigijs insistere pertineat, ac regiminis eius exempla æmulari; certè ipse cùm præ omnibus alijs Vrbis templis, illud percelebre S. Mariæ Maioris, non solùm nitore cælitus delapsa, sed præsentia Christi in ea Missam celebrantis, in conspectu Henrici Imperatoris, mirificè honoratum, & illustratum, obseruauerit, vestigia Christi sequens, hoc idem Marianum templum honorare, illustrare, exornare, & locupletare præ omnibus alijs pariter, & sapienter elegit, pertsimilis & moribus factus ipsi Henrico Imperatori, cuius castimoniam, cœlesti dono sequutum, & iustitiam imitatum, non solùm Romanorum, sed exterorum fama peruulgat, ac per omnium ora gloriosè volitat.

Porrò, vt Summi Pontificis Pauli Quinti in erigendo hoc sacro sacello Deiparæ Virgini dicato, non solùm mira religio, sed singularis prudentia, imò & sacræ cuiusdam architecturæ peritia clarius, & rutilantius eniteat, attentè quæso perpendite, quòd cùm ad partem sinistram sacrosancti Templi S. Mariæ Maioris extructum esset permagnificũ sacellum, Pontificia munificentia à Sixto Quinto erectum, vbi Præsepe Bethleemiticum, in quo B. Virgo infantem recens natum deposuit, D. Luca dicente: *Pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio*; opus erat ad debitam illius templi proportionem, & æqualitatem, aliud pulchertimum ad dexteram partem extrui sacellum, è regione illi correspondens, quod diuino consilio factum, nemo inficias ibit, qui locum illum Cant. cap. 5 *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*, attentè perpenderit: super quæ verba D. Augustin. in Psal. 120. Origenes Homilia poster. D. Greg. Nyssenus, Beda, Rupertus, & alij non pauci, per læuam intelligunt merita, & labores præsentis vitæ; per dexteram verò mercedem, & gloriam futuræ, iuxta illud Dauidis Psal. 15 *Delectationes in dextera tua, vsque in finem*; Vt significaret ergo Deipara à dilectissimo Sponso suo cumulatam fuisse in hac vita laboriosis multis meritis, in futura verò gloriosis præmijs, idcircò dixit: *Læua eius sub capite meo*, scilicet in Ecclesia militante; & *dextera illius amplexabitur me*, in Ecclesia triumphante. Quibus duobus, merito scilicet, & præmio, complexa est B. Virgo, magna, quæ fecit illi, qui potens est, & sanctum nomen eius. Cùm igitur in sacro illo templo S. Mariæ Maioris, ita Dei Genitricis, proprio, vt cum niue de cœlo demissa illud delineârit, meritò dicere possit: *Elegi, & sanctificaui mihi locum istum*. Sacellum vnum ad sinistram esset extructum, labores Virginis, & præcipuè in Bethleem perpessos, iuxta Præsepe, quod ibi adest, ad amussim repræsentans, nec non etiam varia totius vitæ illius merita præclaris imaginibus ibidem depictis ad vmbram, ratio ipsa postulabat, vt aliud gloriosius sacellum ad dexteram partem à fundamentis erigeretur, quod præmium illorum laborum, ac insignium meritorum, ante oculos fidelium proponeret, prout factũ conspicimus, exaltatione Virginis in cœlum per Angelorum ministerium facta, artificiosè ibi constructa: vt sicut in illo, Virginis angustias, labores, ac me-

Luc. 2. Cant 5. D. August. Origen. D. Greg. Nyssen. Beda. Rupertus. Psalm. 15. Luc. 1. Deut. 7.

ita religiosè colebant, ita in hoc gloriæ præmium, illis respondens, deuotè venerentur. Et sicut in illo Bethleemitici porticus egestatem, quam Deipara sustinuit, in mentem reuocabant, ita in hoc diuitias, & maiestatem supernæ ciuitatis, quam virgo nunc inhabitat, in memoriam reducant. Etenim cùm Ioannes de superna ciuitate dicat: *Structura muri ex lapide Iaspide, & ex omni lapide pretioso ornata*; & sacellum Paulinum similiter marmoris, porphyri, iaspidis, & gemmarum pretiosis lapidibus compactum sit, facilè cœlestem Hierusalem, de qua Beata Virgo: *Et in Hierusalem potestas mea*, in mentem reuocabunt. Romanarum rerum Historiographi referunt, quondam in Vrbe duo fuisse præclara templa ædificata, quorum vnum dicatum erat Virtuti, alterum verò Honori; prius tamen illud fuit ædificatum, quam istud, imò nemini ingressus patebat ad hoc, nisi prius introisset in primum. Non secus diuina prouidentia factum intueor, vt prius extructum fuerit sacellum virtuti, & sanctitati Deiparæ ad sinistram partem illius templi dicatum, quod proinde totum per circuitum præclaris imaginibus scatet, sanctissimam Virginis vitam exprimentibus; postea verò ad dexteram partem fuerit aliud honori, & gloriæ eiusdem Virginis sacratum, vt glorioſa eius, quę ibi lego, epitaphia præseferunt: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim*, & illud: *Exaltata est Sancta Dei Genitrix super Choros Angelorum*, & similia alia, quæ præmia Virginis mirificè decantant. Quod si attendamus, dexteram partem orbis esse Meridionalem; lævam verò, seu sinistram Septentrionalem, hoc ipsum non obscure demonstrant: nam cùm pars Septentrionalis sit obscura, quia sol non plenè ad illam faciem suam conuertit, facilè intelligemus, aptè constructum sacellum, ad sinistram ædificatum, in honorem Deiparæ in hac vita degentis, ac Deum per obscuram fidem agnoscẽtis, Paulo dicente: *Videmus nunc per speculum in ænigmate*: & cùm aliundè pars dextera mundi sit Meridionalis, atq; adeò clara, & splendens, quia sol faciem suam in illam conuertens, claritatem luminis sui in eam diffundit: decebat proculdubio ad dexteram partem, splendidum sacellum Virgini sacrari, in cœlo iam regnanti, ac claro lumine gloriæ facie ad faciem Deum videnti.

Ad hæc duplex in Beata Virgine prefulget dignitas, in quibus similem nullam visa est, nec habere sequentem. Prima est, quòd Dei Genitrix sit, quam adepta fuit in terra Secunda, quòd Regina tam cœlestium, quàm terrestrium constitura fuerit: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*; & hanc obtinuit in cœlo. Congruebat ergo, vt sicut Virgini, quatenus Dei matri labores multos perferenti, ex ea maternitate ortos, sacellum ad sinistram partem sacratum erat, aliud eidem quatenus supremæ Dominæ, ac hominum, & Angelorum augustissimę Reginæ, religiosè sacraretur; quod non incongruè designari opinor per illas duas aquilas, vnam Ezechielis, & alteram Iobi: de illa ait Ezechiel, tulisse medullam cedri; de hac verò tradidit Iob, in arduis posuisse nidum suum. Aquila medullam cedri ferens, Beatam Virginem, quatenus Dei matrem, præclarè adumbrat: quæ verba illa proferens: *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, me dullam cedri, hoc est filium Dei ex vtero paterno ad nos tulit. Aquila verò Iobi, B. Virginem in cœlo regnantem, vbi super choros Angelorum erecta, nidum domicilij sui, instar regiæ aquilæ, in sublimi loco ædificantis constituxit, satis ad viuum exprimit. Duæ etiam illæ naues Salomonis, vna quasi institoris de longe portans panem; alia, quæ veniebat ex Tharsis, auro & argento plena, eandem Virginem designat, illa tanquam matrem cœlestem panem in alimentum

Apocal. 12. *Plutarchus, & alij.* *Apocal. 12.* *In off. Assumpt.* *1 Cor. 13.* *Psalm. 44.* *Ezechiel. 17.* *Iob 39.* *Luc. 1.* *Prouer. 31.* *2 Paral. 9.*

mentum fidelium nobis portantem: sic
Ioan. 6. enim Christus se vocauit: *Ego sum panis viuus, qui de Cœlo descendi*: Hæc verò, tanquam cœli Reginam, non argenti, & auri corruptibilibus opibus, sed spiritualibus diuitijs, non sibi solùm, sed & nobis affluentem, delineat. Deinde duplicem hanc dignitatem matris Dei, & Reginæ cœli, non obscurè mihi significari videtur in verbis eiusdem Virginis:
Cant. 4. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*. Per montem myrrhæ, vt pote amaræ, labores designari, nemo est, qui non videat; per montem verò thuris, cuius suaueolentia, & thurificatione, Deo, & Sanctis honorem deferimus, cœlũ tanquam sublimem honoris locum significare nemo refragatur. Virgini igitur matri, montem myrrhæ ingredienti, hoc est, laborioſi itineris in ciuitatem Bethlehem, & longissimæ profectionis in Aegyptum, amarissimam myrrham degustanti, meritò templum dicatũ fuit ad sinistram; eidem verò in montẽ thuris ascendenti, tanquam omnium Reginæ ab omnibus honorandæ, thurificandæ, & hyperduliæ adoratione colendæ, sacellum aliud dicari, structuræ ipsius templi pulchritudo, & ratio ipsa postulabat. Atque hinc arbitror factum, vt ad hanc duplicem Virginis dignitatem exprimendam, matris Dei, & Reginæ cœli, duplicem præcipuè appellationẽ Basilica Liberij sortita sit. nam & nomen habet S. Mariæ ad Præsepe, quod dignitatem matris indicat, in Bethleem filiũ suum parientis, & pariter etiã nuncupatur S. Maria Maior, quòd dignitatẽ Reginæ super omnes principantis, non obscurè ostentat. Quod autem ad ædificãda hæc duo sacella, duo se accinxerint Summi Pontifices, quorum quilibet Quintus in suo ordine numeratur, Sixtus videlicet Quintus, & Paulus similiter Quintus, singulari obseruatione dignũ iudico. Nam cùm Deus Opt. Max.
Sap. 11. vt ait Sapiens cap. 11. *Omnia fecerit in pondere, in numero, & mensura*, non potest impræsentiarum, numerus Quintus, peculiari aliquo mysterio carere. ego illud latere arbitror, quòd sicut olim Leuit. 5. *Leuit. 5.* quinta pars arietis dabatur Sacerdoti, ita Ecclesia Catholica ex Pontificibus Sixtis, & Paulis, quintam partem obtulit Deo ad templum matris suæ amplificandum, & exornandum, hoc est, Sixtum Quintum, & Paulum Quintum, vtriusque illius sacelli felicissimos fundatores, diuinitus ad id destinatos.

Ad extremum, in eo etiam summi Pontificis Pauli Quinti mirã sapientia enituit, quòd Marianum templum non solũ auro & argento, pretioſisq; lapidibus, sed antiquorum etiam Patrum, eius præclaris imaginibus illustrauit, sponsi verba illa complens Cantic. 1. *Muraenulas* *Cant. 1.* *aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*; vbi ex Hebræo aliqui vertunt: *Imagines masculinas faciemus tibi*. Quo loco planè fit alluſio ad id, quod in aulis Regum videmus. Etenim sicut in illis imagines auorum, & proauorum Principis regnãtis cernuntur, variaque stemmata, ac facinorum illorum insignia ostentantur, quæ in laudem ipsius Principis trahuntur. Non dissimiliter in Regia aula, ac augustissimo Sacello Reginæ Mariæ, Auorum eius Imagines apponi fecit Summus Pontifex cum stemmatibus, & insignibus ad eius laudem, & dignitatem declarandam, Abraham, gladium tenentem, Isaac, lignorum sarcinam humeris portantem, Iacobum cœlestem scalam videntem, Dauidem Regem, cytharam pulsantem, aliosque inclyti nominis Virginis Progenitores, quorum præclara monumenta, non possunt in magnam Dei parentis honorificẽtiam, non cedere. Sed & nostro argumento accommodatius dici potest, satis ad rem conducere lectionem septuaginta Interpretum: sic enim legunt: *Imagines auri faciemus tibi cum varietatibus argenti, dum Rex in accubitu suo est*. Priori enim sentẽtiæ, principiũ subsequentis connectunt. sequuntur hanc lectionem Ambrosius

ser. 3.

D. Ambros. *D. Hieron.* *D. Auguſt.* *B. Damian.* ſer. 3. in Pſal. 118. Hieron. lib. 1. contra Iouin. Auguſtin. libr. 1. de Trinit. Damian. epiſt. 38. & alij. Ergo conueniebat, Virgini parare locum, auro, & argento, lapidibus pretioſis, ac vario picturarum ornamẽto diſtinctum, dum Rex Chriſtus, in accubitu hoſtiæ, vt loquitur Ghiſler. in cap. 1 Cant. è regione in Sacello Sixti V. requieſcit.

Ghisler.

Cæterùm tanta eſt Virginis celſitudo, maieſtas, & excellentia, vt nullum, non dicam terreſtre, ſed nec cœleſte domicilium, niſi ſolum incomprehenſibile ipſius Dei cor, dignum tantæ Matris habitaculum eſſe mihi videatur. Rem magnam profero, inauditum præconiũ prodo, prærogatiuam ineffabilem fari tento, ſed non niſi ſacro teſtimonio innixus: nam Ioan. lib. Apocalypſis, duo ſecundùm faciem contraria affirmat; etenim ca. 21. poſt ad vnguem deſcriptã cœleſtem ciuitatem Hieruſalem, poſt relata fundamenta, poſt commemoratas portas, muros, ac plateas, ſubiungit: *Et templum non vidi in ea: Deus enim exercituum templum illius eſt*; cap. verò 11. dixerat: *Apertum eſt templum in Cœlo, & viſa eſt arca teſtamenti eius in templo*, ſeu vt ex Græco alij transferunt, *in medio eius*, quomodo, quæſo, templum apertum eſt in cœlo, ſi templum non vidit? an ipſe Deus, qui templum illius ciuitatis eſt, aperiri poteſt inſtar noſtrarum domorum? vtique ſuo modo aperitur: tanquã templum, cùm pectus eius apertum, & cor patens exhibet. Arca autem, quam in medio illius templi vidit Ioannes, *& viſa eſt arca*, B. Virgo eſt, quam Regius Vates arcam vocauit, Pſal. 31. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* Igitur cor diuinum factum eſt templum, & habitaculum Virginis; nullum ergo illo inferius, dignum cenſeri debet, Dei Genitricem in ſe ſuſcipere. Si quod tamen in terris Regiam eius Maieſtatem decet, ac dignitati tantæ Matris congruit, Paulinum eſſe Sacellum, cui reliqua omnia meritò cedere debẽt, non temerè affirmabo. Verum iam ad triumphalem, pariterque religioſam pompam, qua Imago Deiparæ Virginis ex anguſto illo ad auguſtum locũ tranſlata fuit, ſermonem dirigamus. Imitatus eſt Summus Pontifex Paulus V. piũ, ac religioſum Regem Dauidem: nam ſicut de illo legimus, ipſum, & omnem Populum Dei ſingulari pompa, & apparatu circumduxiſſe arcam, vt eam in locum ſuum inducerent: *Dauid* (ait ſacer textus 2. Reg. 6.) *& omnis domus Iſrael ducebant arcam teſtamenti Domini in iubilo, & in clangore buccinæ*; ſic ad præſentiã Summi Pontificis Pauli Quinti, ſacrorum hominum humeris, translata fuit ſacra Virginis Imago, quæ arca fuit, in qua non tabulæ legis, non virga Aaronis, non vas manna plenum, ſed plenitudo diuinitatis corporaliter delituit: aderant præter Summum Pontificem, Purpurati Principes Eccleſiæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi non pauci, Prælati innumeri, omnium Ordinum Monachi, Sacerdotum ingens multitudo, Confraternitatum laudabilis numerus, ſuum quæque inſigne ferens in ſublime erectum, modulantiũ Cantorum dulciſona harmonia, ingens Populi Chriſtiani vtriuſq; ſexus frequentia, luminaria multa geſtantis: ſicut autem ibi contigit, quod Michol, videns Regem Dauidem arcam concomitantem, ac ſumma lætitia coram ea tripudiantem, illum irriſit, & obmurmurauit, erubeſcens tamen illa, à Dauide audiuit: *Ante Dominum, qui elegit me potius, quàm Patrem tuum, & quàm omnem domum eius ludam*; ita hæreticorum ſathanica ſynagoga ſignificata per imprudentem Michol, videns gregem Pauli V. pium Dauidem adumbratum, celebri pompa, ac pluſquã regio apparatu, arcam, non teſtamenti, ſed ipſius teſtatoris, religioſo, feſtiuo, alacri, ac triumphali pompa in imagine Deiparæ deuotè colentem, non ſolum illud in ore muſſitat, *Quieſcere faciamus dies feſtos Dei à terra*, ſed & dentibus ſuis fremit, & tabe-

Apocal. 21. *Apocal. 11.* *Pſalm. 31.* *2. Reg. 6.* *Ibid.* *Pſalm. 73.*

beſcit, irridet, & floccipendit, in caput tamen ſuum, cùm Chriſtianus populus, non inferiori iure quàm Dauid, eius verba ſibi vſurpare poſsit: *Ante Dominum, qui elegit me potius, quàm patrem tuũ, & omnem domum illius Iudam.* quaſi dicat: Ego diem feſtum Deiparæ Virginis iubilans, & tripudians celebrabo, cuius filius me populum ſuum elegit, & repudiauit Caluiniſmum, Lutheraniſmum, & Atheiſmum, cum reliquis ſectarum delirijs, inuentis à mendacij parentibus, & Catholicę veritatis oppugnatoribus. Quare cum D. Ioanne Damaſceno orat. 2. de dormit. dicam: *Iubilemus in arca Domini Dei toto animo, & muri cadent Ierichuntini, contrariarum poteſtatum infeſtæ munitiones.*

D. Ioan. Damaſc.

Illuſtrem mihi, celebrem, ac triumphalem hanc pompam perpendenti, in mentem venit Comneni Imperatoris Conſtantinop. apparatus, ac triumphalis cultus, quo Beatiſsimę Virginis imaginem per publicas vias geſtari præcepit. Narrat Nicetas Choniates, quod hic Imperator poſt inſignes victorias, quas de Scythis, alijſque hoſtibus, auxilio, & ope Dei parentis reportauerat, inſtituto feſto, quod Pazzinicarum vocabant, in rei geſtæ monumentum, & grati animi teſtimonium, Deiparæ, tanquam vnicæ victrici, acceptas victorias referens, eidē religioſum parauit triumphum, quem in hæc verba ipſe Nicetas deſcribit: *Currus gemmis pretioſiſsimis ornatus, à quatuor equis candidiſsimis trahebatur, habenas viris potentiſsimis moderandas, & cognatis ſuis currum curandum dedit. In curru, Dei Genitricis imaginem collocauit, ipſe Crucem manugeſtans, pedes anteceſsit, & S. Sophiæ templum ingreſſus, atque in conſpectu omnis populi, ob ſucceſſum, gratijs Deo actis, in Palatium abijt.* Hæc Nicetas. Celebris ſanè hic triumphus, non diffiteor, ſed Paulino inferior, quia in illo imago Virginis ab equis ducebatur, trahentibus currum: hic verò ſacrorum hominum humeris impoſita geſtabatur: imaginem illam viri potentes ſtipabant, hanc verò Eccleſiæ Catholicæ Purpurati Primates, ac proceres circuibant: ſequebatur illam Imperator, ſequitur hanc Summus Pontifex, cuius cruciferis pedibus Imperatores procumbunt: ac tandem ille Comneni Imperatoris triumphus, diurnus, fuit, breuis, facilè labens: at triumphus quem Paulus V. Deiparæ parauit, ne fugaciter præteriret, ſed firmus, ſtabilis, & quodammodo perennis, ac immortalis ſemper perſeueraret, præter ampliſsimũ ſacellum, in quo imaginem Deiparæ à Diuo Luca depictam, ſingulari honore, ac maieſtate locauit; ante ſacri illius tẽpli ingreſſum, ingentis molis, ac magnitudinis, marmoream columnam erexit, in cuius vertice æneam ſtatuam Dei parentis, filium ſuum manibus ferentem, in perpetuam rei memoriam conſtituit. Vnde B. Virgo in ſublimi, ac eminenti loco ſtans, ſtellis coronata, & luna ſub pedibus eius, perpetuum triumphum agit, non immemor, Pauli V. obſequia gratificandi, ſed terreſtrem potius, ac temporarium hunc triumphum, ab eo ſibi paratum, cœleſti, ac æterno triumpho, vt de tantæ Reginæ magnificentia, meritò ſperari poteſt, glorioſè compenſatura. Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum.

Amen.

Nicetas in vita Comneni Imperat.

DE

SACRIS ARCANIS DEIPARAE VIRGINIS.

IN SACERRIMO EIVS Rosario latentibus.

LIBER DECIMVSSEXTVS.

HOMILIA I.

DE EXCELLENTIA, ET VTILITATE Rosarij, sed prius de eius nomine, antiquitate, & Auctore disserimus.

VTILISSIMVM hoc Mariani Rosarij argumentum copiosè pertractare satagẽtes, vt rem altius repetamus, à nomine eius inchoãdum censuimus. Apud diuersos diuersa nomina lego, & singulorum opiniones referre debeo: quidam Beatæ Virginis epithalamium illud vocant, alij canticum Virginis, alij coronam rosaceam, siue, quod in idem recidit, sertum rosarum, quia ex varijs salutationibus Angelicis, velut rosis, coronã conteximus ad Beatæ Mariæ caput cingendum. Nec nouum est, hanc precandi rationem ex his laudum orationibus, quasi varijs floribus conflatam, sertum, seu coronam dici, cùm Græci coronam laudum appellent, & D. Greg. Nazian. tragœd. de Christo patiente, de corona Deiparæ, mysticis precationum floscu-lis conflata, ceciniſſe videatur, cùm Deiparam sic alloquitur:

Eo fretus his, tibi me audentius, Greg. Nazi.
In verba supplex offeram, & suauissimo
Contextam ab horto, qua tuum exornem caput
Coronam, ô Domina, proferam, vt quæ gratia, &c.

Vel certè corona vocatur, quæ totidem granis

granis constat, quot fuerunt B. Virginis vitæ anni, sexaginta, scilicet, tres, vel septuaginta duo, quibus constitit, velut corona, circulus vitæ eius. Alij sacram quinquagenam illud appellant, cùm Alexand. in Bulla, quæ incipit: *Et si gloriosos.* quia quinquaginta salutationibus Angelicis constat. Alij attendentes ad numerum centum, & quinquaginta salutationum Angelicarum, quibus constat, B. Virginis Psalterium illud vocitare consueuere, ad imitationem Psalterij Dauidici, in quo illud præfiguratũ volunt, quod similiter centum, & quinquaginta Psalmos continebat; vel certè ad modum instrumenti musici, quod Græcè dicitur organũ, Hebraicè, nahalum: tali enim instrumento, in quo erant cẽtum, & quinquaginta fistulæ, cantabantur Psalmi Dauidici Deinde Psalterium dicitur, quia hoc genus musici instrumenti egregiè pijssimam Dei Genitricem delineat: vt his verbis edixit B. Alanus: *Diabolum expellit, vt Dauid è Saule per cytharam. Arcam Dei, hoc est, Verbi omnipotentis humanitatem, ad nos deducit cum Dauid in organis. Maria victoriam obtinet cõtra inimicos, cum Maria sorore Moysis canente in tympano Prophetiam sanctus tradit, sicut Elisæum per cantum psalterij Spiritum S. prophetiæ accepit; Spiritum S. per ipsam matrimonium inter Deum, & creaturam humanam in thalamo virginali effecit; Maria chorum cœlestis inbilationis ad diuinas laudes secũm trahit, sicut filiæ Hierusalem, quæ cantabant: Saul percussit mille, & Dauid decem millia, pax facta est per Virginem; filium enim ipsius fecit vtraque vnum, tanquam lapis angularis. Orbi Maria immensam attulit festiuitatem, ideò canitur eidem. Ipsa inuiolata obtulit pro mundo immẽsa Deo Patri holocausta, hoc est, Verbum incarnatum, & seipsam: ipsa cantauit canticum eximium, Magnificat, hæc autem fiebant dudum per Psalterium synagogæ.* Ista Alanus, psalterij conuenientias repetens ex parte almæ Virginis Deiparæ. Alij tandem formulam hanc orandi per calculos precatorios receptissimo apud fideles vocabulo, Rosarium vnanimiter appellant, & meritò; quia, sicut Rosarium locus est rosis consitus, quemadmodum Virgilius cecinit 4. Georgicorum:

Alex. Papa.

B. Alan. lib. de excel. Rosarij.

1. Reg 18.

Biffariq́ue Rosaria pæsti; *Virgilius 4. Georgicor.*

ita metaphorica similitudine formulã hanc precandi mysticis, ac odoriferis contextam rosis salutationis Angelicæ ad certum numerum redactis, Rosariũ nuncupamus, vel certè Rosarium vocatur, quia quemadmodum Rosariũ continet multitudinem fruticum gignentium suaueolentes rosas; ita hoc genus orandi continet multitudinem orationum Dominicarum, & Angelicarum, quæ frequenter repetitæ, miram fragrãtiam, suauemque lætitiam illis pariunt, qui patrem misericordiarum, & Virginem matrem deuota mente orant.

Porrò, explicato nomine Rosarij, ad antiquitatem eius venio, hanc, quoad substantiam, ab ipsius Euangelij primordijs arbitror repetendam: nihil enim Catholica Ecclesia in suis supplicationibus habet vetustius: nam salutatio Angelica, vox fuit Euangelica, Angelico ore cælitus delata: oratio verò Dominica prima fuit ad vbiq; orandum in spiritu, & veritate instructio diuina. Vnde, cum primitiua Ecclesia tunc maximè deuotione efferueret, dubium non est, quin vtriusque huius orationis vsus frequentissimus esset apud fideles; facitque ad id illa Theologorum communis regula, quam tradit Melchior Canus de locis Theologicis, nimirum, quòd in Ecclesiasticis rebus ab Ecclesia vniuersaliter receptis, quarum certum exordiũ non inuenitur, ab Apostolis manasse creditur. Hinc sapientissimus Aquensis ad Imperatorem August. Maximilian. li. quem conscripsit de rosacea Corona, eruditè dixit: [Salutandæ Mariæ ritus nouitijs inuentis haudquaquam adscribitur: siquidẽ, cum Ipsa pænè Ecclesia pullulauit; nam, cũ inter ipsa nascentis Ecclesiæ primordia, perfectiores

Canus de locis Theolog.

Aquensis.

quoque fideles tribus illis Dauidicorum psalmorum quinquagenis, diuinas laudes assiduè celebrarent: ad rudiores quoque, qui modò arctius diuinis vacabāt, pij moris æmulatio est deriuata; vt tamē non psalmos ipsos canerent: quippe quos nec legere satis, nec intelligere possent; sed ad mysticum illum numerū Angelici concentus carmine vterentur, rati id, quod erat, cuncta illorum psalmorum sacramenta cœlesti hoc elogio deliteſcere; siquidem cum, quē psalmi venturum concinunt, hunc iam adesse, hæc formula nunciauit; sicque trinas salutationum quinquagenas, (quod iusti psalterij vicem & vi & numero compensarent) Mariæ psalterium appellare cœperunt, oratione vtique Dominica in singulas decades vbique præpositā, prout à Psalmidicis obseruari ante aduerterent.] Alij cum Rebello tractatu de Rosario libr. 1. c. 6. art. 1. affirmant, hodie in partibus Asiæ apud Indos, Iaponenses, & Chinēses moris esse Rosarijs quibusdam vti, quibus certas orationes idolis offerunt, quod non obscurè indicat, peruetustam esse hanc consuetudinem orandi, cum dæmon multis retro annis inuidus huius Mariani cultus, similem sibi adhiberi suis cultoribus suaserit. Alij ex Palladio in Lausiaca cap. 2. tradunt, Abbatem Paulum trecentum orationes, quas faciebat, calculis in sinu numerare solitum, ne quidquam de hoc numero detraheret. Quod etiam legimus in historia tripartita lib. 8. c. 1. quod & alios fecisse per chordulam nodis distinctam nonnulli referunt. alij dicunt cum Polydoro Virgil. libr. 5. de inuent. rerum cap. 9. Petrum Heremitam, qui anno Domini circiter 1093. de bello sacro indicendo cum Vrbano secundo egit, & Christianos omnes ad illud suscipiendum vehementer exhortatus est, cū nondum inuenta esset ars impressoria, & difficultas foret, libros precum manuscriptos habendi, ad faciliorem orandi rationem inuenisse modum, Deum, Beatissimamque Virginem per lapillos, seu globulos precandi, quod etiam testatur noster Ioannes de Pineda libr. 20. Monarch. Ecclesiast. cap. 2. §. 4. & Arnoldus Vuion libr. 5. ligni vitæ ca. 104. Beatus autem Alanus de Rupe Ordinis Prædicatorū tractatu de Rosario refert ex quorundam sententia, Venerabilem Bedam, qui floruit anno septingentesimo, inuentorem fuisse Rosarij in Anglia, ab eoque tempore plures fabricatas imagines, Beatæ Virginis Rosarium manu tenentes.

Rebellus. *Palladius.* *Polydor. Virgil.* *Ioa. Pineda.* *Arnoldus Vuion.* *Alanus de Rupe.*

Cæterùm, indubitanter arbitror, formulam hanc Rosarij certo, ac statuto numero, quo oratio Dominica quindecies, & salutatio Angelica instar Dauidici Psalterij, centies, & quinquagies repetitur, ortum, & primordium habuisse à sanctissimo Dominico inclyto Ordinis Prædicatorum Patriarcha, qui illud distribuit in tres salutationum Angelicarum quinquagenas, quibus quindecim Christi, & eius Genitricis sacra mysteria meditanda proposuit. Etenim ad exterminandam Albingensium hæresim, per varia loca grassantem, à B. Virgine monitus, & edoctus, tanta magistra duce, Rosarij recitandi antidotum inuenit: hanc, quam Fratres Prædicatores illud recitandi formulam euulgant, non absque ingenti Dei miraculo edocens: quod, vt radicitus innotescat, ex authentica valde reuelatione ipsius Dei Genitricis facta B. Alano de Rupe, natione Theutonico Ordinis Prædicatorum, in diuinis Scripturis viro versatissimo, in concionibus habendis ad populum feruentissimo, vitæ sanctitate integerrimo, B. Virginis Mariæ amatori ardentissimo, ac Rosarij diligentissimo euulgatori, vt tradit Tritemius in catha-logo Scriptorum Ecclesiastic palam faciam. hic ergo insignis vir, quę ex ore B. Virginis acceperat, his verbis scripto consignauit libro de dignitate Psalterij B. Virginis ca. 10. *Cùm gloriosissimus Pater Prædicatorum Dominicus terras Hispaniarū per-*

S. Dominic. *Tritemius.*

per quindecim fere annos, causa prædicationis, ante mortem suam peragraret (fuit hoc sub annum Christi 1200.) nondum tamen ordine Fratrum Prædicatorum existēte, die quadam prope Sanctum Iacobum pyratis superuenientibus, charissimum meum Dominicum cum socio suo nomine Bernardo rapuerunt, & ad galleam, classemque nauium suarum in torturū durissimis remos tractaturum, velut ouem, & Dei agnum pertraxerunt: tribus fere mensibus remos assiduè marinos manibus delicatis, & iam pustulis repletis traxit cum doloribus non modicis: sed ego misericordiæ Mater totis visceribus charitatis super eum mota, contra scelestos homines quamplurimum sum irata: idcircò, me volente, & mandante, cœlum vertitur in nubilum, fulmina corruscant cum tonitruis terribilibus, & immensa ruit super eos pluuia: mare feruet, & tumet: tanta fuit tempestas, vt illi maris iam ac siderum ignari, penitus desperarent: sed in his Beatus Dominicus nil motus, profanos videns desperationi datos, prædicatione solita reuocat eos, dicens: Fratres pœnitentiā agite, & dulcissimam Mariam inuocate. Cumque eum prædicantem, vt fatuum subsannarent, desperando, imò tamquam reum instantis mali fustibus cæderent, iactis opprobriis, & quamplurimis blasphemiis (plerique enim fidem abnegauerant) aduenit nox beatæ Annunciationis, in qua ob reuerentiam festi, iste animarum zelator, vt tunc vel maximè pœniterent, singularissimè, humiliter, & deotè, vt valuit, & licuit, admonebat: quo audito, quasi in furiam versi, me, & filium meum horribiliter blasphemauerunt, illico tempestas creuit immensa, totaque nocte vagantur incerti maris, patrono fluctibus rapto prius, atque submerso. Cùm ergo mane ad tanti diei festiuitatem charissimus meus pro eorum salute deotius me precaretur, oranti apparui, luce sub immensa dicens, quod eius amore libens indulgerem inimicis, dummodo conditionem hanc prius admittere vellent, videlicet, omni die Psalterium meum dicerent, & Confratriam nouam, quæ Iesu Christi, & Virginis Mariæ nuncuparetur, inchoarent, quo acceptato, benedictione contra tempestatem facta per ipsum ea mox caderet vniuersa: sin ipse solus per aquas, vt per terras ambulando saluaretur, alijs in interitum missis. Prædicante Dominico, mox eius precibus corda ferrea, & diabolica sunt emollita, pœnitentiam profitentur futuram, & Confratriam hanc sanctam per se celerius promittant incipiendam; simul magnis vocibus, & lachrymis, eius prouoluti genibus, veniam precabantur, & auxilium: at ille pius pater, Ecce, inquit, iam diuinum vobis ostēdam subsidium: moxque manu dextera contra ventum extensa, ait: In nomine Iesu Christi, & per Mariam matrem eius pissimam, tace, & velocius obmutesce. Mirares, ac si nunquam fuissent venti, vel vndæ maris sic mox fuerunt omnia pacata; verum, cùm gubernaculum, & prora diruptа essent ex raptu saxi, & nauis impleretur fluctibus, adeò vt iam pæne mergeretur, & omnes ad genua in aquis starent; amico tamen meo Dominico soli visibiliter apparebam: nauim ex aquis eleuans, sicut in terra feci stare, partesque eius compaginans in meliorem pristino statum restitui vndis vacuas. Simul dixi eis: Filij, vasa, mercimonia, resque omnes, quas de naui proiecistis, simul in mari Britannico reperietis, nec ad terram declinabunt; donec ad ea secure attigeritis. quibus gratias immensas referentibus, voces protinus horribiles in mari clamantium auditæ sunt dæmonum: væ, væ nobis, quia hic Dominicus nos eneruat, prædam nostram rapit, maioraque intendit, ordinem fundare scilicet: non solum autem Beata Virgo, sed & Christus Dominus Beatum Dominicum docuit, ac præcepit prædicare populo Rosarij recitationem. nam Beatus Alanus de Rupe libro de dignitate Psalterij Beatæ Virginis capite 17. hæc scripsit: visibiliter ipsi Sancto Dominico apparuit Christus, & ait: Dominice, gaudeo, quòd non confidas in tua sapientia, sed cum humilitate potius affectas saluare animas, quàm vanis hominib. placere. sed multi Prædicatores statim volunt contra grauissima peccata instare, ignorantes, quòd ante grauem medicinam debet fieri præparatio, ne medicina sit inanis, & vacua quapropter prius homines debent induci ad orationis deotionē, & signanter ad Psalteriū meum Angelicū, quo- B. Alanus de Rupe.

quoniam si omnes cœperint hoc orare, non dubium est, quin perseuerantibus aderit pietas diuinæ clementiæ. prædica ergo psalterium meum. Atque hinc est, quod sacri Pontifices vnanimi consensu in Bullis suis in fauorem Rosarij expeditis, pleno ore magnum Patriarcham Dominicum eius institutorem vocant: fastidij tamen vitandi causa, solum nouissima verba Pij Quinti, & Gregorij Decimitertij referam. Ille in bulla, cuius initium est: *Consueuerunt*, sic loquitur: *Sancto Spiritu (vt pie creditur) afflatus Beatus Dominicus Ordinis Fratrum Prædicatorum auctor, simili, qua nunc temporis occasione, quo Albigensium hæresi partes Galliarum, & Italiæ miserè vexabantur, & tam multos excæcauerat sæculares, vt in Domini sacerdotes, & clericos sæuissimè fureret, læuans in cœlum oculos, & montem illum glorioſæ Virginis Mariæ almæ Dei Genitricis respiciens, in modum facilem, & omnibus peruium, & admodum pium orandi, ac precandi Deum, Rosarium seu Psalterium eiusdem Beatissimæ Virginis Mariæ nuncupatum, quo eodem Beatissima Virgo salutatione Angelica centies, & quinquagies ad numerum Psalterij Dauidici repetita, & Oratione Dominica ad quamlibet decimam cum cæteris meditationibus, totam eiusdem Domini nostri Iesu Christi vitam demonstrantibus, interposita veneratur, excogitauit, excogitatum per sanctæ Romanæ Ecclesiæ partes propagauit.* Deinde Summus Pontifex Gregorius Decimustertius in Bulla, quæ incipit: *Ad perpetuam rei memoriam. Monet Apostolus*, hæc verba habet: *Quia vero preces ad Deum oblatæ, eo gratiores ad illius cõspectum ascendunt, quo dignioribus intercessoribus, & pio aliquo orandi modo offeruntur, memores, Beatum Dominicum Ordinis Prædicatorum Institutorem, cùm & Gallia, & Italia à pernitiosis premeretur hæresibus, ad iram Dei placandam, & Beatissimæ Virginis intercessionem implorandam, pissimum illum orandi modum instituisse, quod Rosarium, siue Psalterium Beatissimæ Virginis Mariæ nuncupatur.* Hactenus Gregorius Decimustertius.

Pius V.
Greg. XIII.

Greg. XIII.

Porrò, vt de excellentia, ac dignitate Rosarij nonnulla dicere exordiar, certè cum præstantia totius, ex partium nobilitate, quibus componitur, venanda sit, non aliunde conuenientius excellẽtiam & dignitatem Rosarij petendam esse censui, quam ex dignitate & excellentia Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ, ex quibus Marianum Rosarium coalescit, in quo sanè præclarè, ac sapienter mihi videtur B. Dominicus has duas orationes copulasse, tum quia Dominicam precationem cum salutatione Angelica coniungentes, admonemur, quod, quemadmodum in lapsu humani generis sexus vterque corruit, & communis mortalium perditio ex Adam & Eua profluxit, ita ad restituendam humanam salutẽ vir vnus Christus Dominus, & mulier vna Deipara Virgo conuenere: tum quia coniungentes vtramque hanc orationem proaugustissimo Incarnationis sacramento, & Christo Domino carnem assumenti, & Genitrici eius ex proprio sanguine carnem illi conferenti, grates rependimus, si non pares, saltem quas imbecillitas nostra eis deferre potest: & quidem, quod attinet ad orationem Dominicam, nemo est adeò mentis impos, qui miram eius excellentiam non percipiat, dum credit à Christo Domino Sapientia patris institutam. Salomon Prouerbiorum capite 16. verba benè composita, fauum mellis appellat: *Fauum mellis composita verba, dulcedo animæ, sanitas ossiũ.* Prou. 16. In ore Leonis libro Iudicum capite 14. legimus, Samsonem fauum mellis inuenisse. Iud. 14. Diuus Ioannes in sua Apocalypsi cap. 5. vocauit Christum Leonem: *Vicit leo de tribu Iuda.* Apoc. 5. In ore huius fortissimi leonis dulcissimus Dominicæ orationis fauus fuit elaboratus, à quo illum Christiani Samsones, sacri scilicet Apostoli, & Euangelistę prius auxerunt, & nobis deguſtandum tradiderunt, lib. 2. Regum cap. 14. sacra referunt eloquia singularem industriã, qua vsus est Ioab

ad re-

ad reconciliandum Absalonem cum patre suo Dauide: posuit in ore mulieris Thecuitis verba quædam bene composita, quibus placaret Regem Dauid:
2.Reg.14. *Ingredieris ad Regem, & loqueris ad eum sermones huiusce modi: posuit autem Ioab verba in ore eius* Quibus auditis, continuò Rex Dauid dixit ad Ioab: *Ecce placatus, feci verbum tuum: vade ergò, & reuoca puerum Absalom.* Non dissimiliter Christus Dominus ad reconciliandum peccatores cum Deo, ab eo auersos, verba orationis Dominicæ in ore eorum posuit: quibus veniam ab eo deprecaremur: sicut autem Dauid agnouit verba, quibus loquuta est, submin istrata fuisse ei à Ioab: *Numquid manus Ioab tecum est in omnibus istis?* ita æternus Pater orationis Dominicæ verba à nobis prolata audiens, ac stylum eorum Christi esse agnoscens, petitionibus nostris annuit, & intuitu illorum, veniam peccatoribus impertit. Vnde meritò, cuilibet nostrum, cùm orationem Dominicam recitans, exauditus fuerit, vsurpare licebit verba illa
Iob 9. Iob: *Cùm inuocantem exaudierit me*, credo, quod non exaudierit vocem meam; quia reuera non tam exaudit vocem deprecantis, quàm ipsius Christi, à quo oratio Dominica fuit composita, & ab eo in os nostrum immissa, ad quod respiciens Diuus Cyprianus de oratione Do-
D.Cyprian. minica, inquit: *Qui fecit nos viuere, docuit & orare, vt dum orationem, quam filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur, & agnoscat Pater Filij sui verba, cùm preces fundimus.* Constat autem hæc deprecatio non absque mysterio septem petitionibus, quia sicut vniuersa hęc inferior mundi machina septem cœlis, qui sunt sub firmamentum stellarum, regitur, ac septem planetis in eam influentibus fouetur, & cōseruatur: & sicut homo tribus constat potentijs animæ, & quatuor elementis, siue illa sint formaliter, seu virtualiter in eo: & sicut spiritualis hominis perfectio ex septem virtutibus dependet, tribus Theologicis, & quatuor Cardinalibus: & sicut Spiritus Sācti dona, ac cœlestia charismata, quibus anima exornatur, septem esse perhibentur: ac tandem beatifici dotes septeno numero gaudent: tres enim pertinent ad animam, visio, amor, & fruitio, quatuor ad corpus spectant, impassibilitas, agilitas, subtilitas, & claritas: ita Christus Dominus cuncta, quæ voluit à nobis postulari, ad septem breuiter reuocauit, quibus nos quid petere debeamus, instruxit. Vnde Diuus Augustinus epistola 121. capite 12. dixit:
D. August. *Quisquis id dicit, quod ad istam euangelicam precem pertinere non possit, etiamsi non illicitè orat, carnaliter orat; quod ne scio, quemadmodum non dicatur illicitè, quandoquidem spiritu renatos, nonnisi spiritualiter decet orare: qui autem dicit in oratione, verbi gratia, Domine, multiplica diuitias meas, aut honores meos auge, aut quid huiusmodi, non attendens, vt ex his secundùm Deum prosit hominibus, puto eum non inuenire in oratione Dominica, quo possit hæc vota coaptare, quamobrem pudeat saltem petere, quæ non pudet cupere, aut si hoc pudet, sed cupiditas vincit, quanto melius hoc petitur, vt is etiam ab isto cupiditatis malo liberet, cui dicimus, sed libera nos à malo.* Hactenus Diuus Augustinus, cui adnecto Beatum Cassianum collatione
D. Cassian. 9 cap. 24. vbi ait: *Videtis ergò, qualis nobis ab ipso, qui per illam exorandus est, iudice, oratio sit modus, & forma proposita? in qua nulla diuitiarum petitio, nulla memoria dignitatum, nulla potentatus, ac fortitudinis postulatio, nulla corporeæ sanitatis mentio cōtinetur, nihil enim caducum vult à se, nihil vile, nihil temporale æternitatum Conditor implorari. Itaque magnificentiæ eius, ac munificentiæ maximam irrogabit iniuriam, quisquis his sempiternis petitionibus prætermissis, trāsitorium aliquid, & caducum ab eo maluerit postulare: & offensam potius, quam propitiationem Iudicis sui vilitate orationis incurrat* Ita Cassianus. Quare Diuus Ioannes Chrysostomus super Matth. 6.
D. Chrysost. *O quam fidelis* (inquit) *est beata hæc oratio, cuius ordinem nobis Doctor vitæ, ac magister*

magister cœlestis instituit; qua enim exaudiri non debemus, nisi in his, quæ spectant ad Dei honorem, & nostram vtilitatem: nos autem ignoramus, quid petamus. ideò dulcissimus Dominus, ne vagemur incerti, petendorum nobis in hac oratione formam dedit, vt ipsam deuotè dicens, confidenter speret postulata impetrare, iuxta illud Iacobi 1. Postulet in fide, & infrà sic ait: *Qui non sic orat, vt docuit Christus, non est Christi discipulus, nec pater libenter orationem exaudit, quam filius non dictauit. Cognoscit enim Pater sensum filij, & non recipit verba, quæ humana cogitatio excogitauit, sed quæ sapientia Christi exposuit.* Accedit Diuus Augustinus, qui homilia 42. ex quinquaginta in hunc modum loquitur: *Spem habemus obtinendæ causæ nostræ, quando talis Iurisperitus nobis preces dictauit, sicut confessi estis, qui sedet ad dexteram Patris, ipse est aduocatus noster, qui venturus est Iudex noster.* Causam verò tantæ illius efficaciæ ad impetrandum, Diuus Cyprianus principem in ipso spiritu, & orationis, & orantis ponit, dum sic ait: *Iam prædixerat, horam venire, quando veri adoratores adorarent Patrē in spiritu, & veritate; & impleuit, quod ante promiserat, vt qui spiritum & veritatem de eius sanctificatione percepimus, de ratione quoque eius verè, & spiritualiter adoremus: quæ enim potest magis spiritualis esse oratio, quàm quæ à Christo nobis data est, à quo nobis Spiritus sanctus missus est? quæ vera magis apud Patrem precatio, quàm quæ à Filio, qui est veritas, de eius ore prolata est: vt aliter orare, quàm docuit, non ignorantia sola sit, sed & culpa, quādo ipse docuerit, & dixerit: Reijcitis mandatum Dei, vt traditionem vestram statuatis. Oremus igitur, fratres dilectissimi, sicut magister Deus docuit.* & infrà: *Nam cùm dicat, quia quodcunque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis; quanto efficacius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione?* Hactenus Diuus Cyprianus. Sed, & illud singularem orationis Dominicæ sanctitatem, veneration emque declarat, quod Sanctus Gregorius epistola 63. lib. 7. commemorat; vbi ad Ioannem Syracusanum Episcopum ita scribit, rationem de Ordinatione Missæ reddens: *Orationem Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, vt ad ipsam solummodo orationem oblationis Hostiam consecrarent, & valdè mihi inconueniens visum est, vt precem, quam scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionem, quam Redemptor noster composuit, super eius corpus & sanguinem non diceremus:* sed & Dominica Oratio apud Græcos ab omni populo dicitur: apud nos autem à solo sacerdote.

Quod si magnam huius orationis vtilitatem tibi persuadere velim, non aliter melius præstabo, quàm ex his, quæ Christus Dominus beatissimo Patri Dominico reuelauit; vt enim auctor est Beatus Alanus de Rupe, libro de dignitate Psalterij cap. decimoseptimo, Dominus ei dixit: *Iam volo te prædicare meam Orationem Dominicam, vt alicias peccatores ad me laudandum, & hoc eis suadebis per vtilitates, quæ habentur in ista oratione.* quod obedientissimus Pater confestim executioni mandauit: nam illas omnes recitauit Auditoribus Tholosanis in Ecclesia maiori, in solemni festo Beatissimæ Virginis, vt idem Beatus Alanus scribit; concionis autem illius hoc compendium est.

Primò. Charissimi, in terra deserta paruulis filijs vix ambulare valentibus, numquid esset necessarium habere Patrem comitem, & eos dirigentem? nos sumus paruuli in deserto mundi, nec valemus ambulare, neque operari aliquid ex nostra sufficientia, quæ tota ex Deo est: ergo conuenienter oportet capere Orationem Dominicam, per quam habebimus Patrem nostrum præsentem, cùm dicimus, *Pater noster.*

Secundò. Si qui pertransirent terram, vbi omnes à serpentibus, aut draconib. icti morerentur, an non his necessarius foret vir sanctissimus, qui ab istis lædi non posset, & ipsos valeret occidere, &

Iacob. 1.

D. August.

S. Cypr. ser. 6. de orat Domin.

D. Grego lib. 7. epist. 63.

B. Alan. de Rup. lib. de dign. Psalt. cap. 17.

Idem ibid.

2. Cor. 3.

viato-

viatores humeris sublatos per flumina à deuia transportare ? At nos viuimus in terra draconum, inferni, peccatorumque omnium: Christus est pater noster fortissimus, & ter maximus, qui non moritur, mors illi vltra non dominabitur. ergo confiteamur illi, & dicamus, *quies.*

Rom.6.9.

Tertiò sumus, & ambulamus in terra tenebrosa caliginis, & vmbra mortis, quare indigemus claritate Cœli, Solis, Lunæ, ac stellarum. Sæpius igitur dicamus: *In cœlis*, quia Christus est cœlum cœlorum, & claritas omnium cœlorum secundùm Diuum Bernard & August. *Ipse est Sol Iustitiæ, & stella oriunda ex Iacob, &c.*

D. Bernard. D. August. Num.24.17

Quartò. Si quis iter ageret, vbi omnis in peccato mortali deprehensus, continuò morti addiceretur; ille, ne funditus periret, necesse foret, vel, vt haberet sanctitatem, vel, vt esset cum sanctis, qui eũ à mortè liberare possent. at nos sumus in tali terra; nam anima, quæ peccauerit mortaliter, ipsa morietur quoad gratiã, & ad mortem obligatur æternam. ergo dicamus ad Psalterium, *Sãctificetur*: quatenus possimus sanctificari, & à Sanctis Dei adiuuari.

Quintò. Iturus per Regionem ignotę sibi linguę, hanc ab eo vel addisci oporteret, vel vti fido interprete. Nos peregrinamur in terra aliena, & futuram Ciuitatem inquirimus, vbi linguis Angelorum loqui necesse est. Hæ igitur ante nobis discendæ sunt. Sunt autem duæ scholæ, in quibus lingua cœlestis addiscitur: oratio Dominica, & Salutatio Angelica. Dicamus ergo in illa sæpius, *Nomen tuum*: hoc enim nomen est Verbum Dei, & designat Verbum, per quod omnia creata sunt.

Sexto. Iter per Regnum Tyranni habiturus, qui quoscunque abripit, in seruitutem redigit: non is de regia potẽtia alicubi imploranda sibi circumspiceret, qua tutus ab tyranno foret ? Mundus, is Tyrãnus: regia igitur Dei potestas quę-

renda est, & sic oranda, *Adueniat Regnũ tuum*: quod est Filij Dei victoris omnium. Vnde Diuus Ioannes Chrysostom.

Regnum tuum, Iesu Christe, vniuersa mundi Regna deuincit, & quosque fideles securè facit transmeare ad Regna superna, quoniam tu es Rex Regum, & Dominus Dominantium. D. Io Chrysost. Apoc. 19.16.

Septimò. Tẽdenti per hostiles terras, aut saluum conductum, aut patẽtes habeat, aut captiuitatem subeat, necesse est. Nobis igitur in huius orbis hostilitate, sumamus, & vsurpemus hanc summi Regis libertatem, quæ est, *Fiat voluntas tua. Nam summa libertas est*, ait D. Augustinus, *diuinam facere voluntatem. Seruire Deo, regnare est.* D. August.

Octauò. Si cui peragranda foret aquis superfusa Regio, is aut naui, aut alia opus habebit vectura: nos verò sumus ij, qui præsentis vitæ miserijs circumfundimur; quoniam secũdùm Basilium, iste mundus non est, nisi diluuium peccatorum. Quare in Cœlo sit refugium nostrum, dicamusque, *Sicut in Cœlo*: hæc est illa maris Stella, Mater Dei alma. D. Basil.

Nonò. Quod si autem Terra peregrinationis tuæ aspera montibus, ac saltibus horrida foret, & inuia, seu cauernosa, aut lutosa, aut terræmotibus quateretur, alterutrum necesse est, vel, vt vltima perpessus pereas, aut quæ via se tibi ostendat, qua euadas: in tali terra corporis tui est anima tua; ea infirmitatibus est circundata, tribulationibus est spinosa, timoribus, & mutabilitate varia, interque spem ac metum dubia: inuade tramitem Orationis Dominicæ, & dic, *Et in terra*: Ex hac in cœlos via est per orationem.

Decimo. Fac ita esse: in terra degas sterili, vbi mira fames, & egestas rerum sit omnium, & plurima mortis imago contabescentium, an non de victu, potuque tibi prouidendum esset ? ita esset, aut moriẽdum. Atqui nos hic sumus in terra deserta, & in loco horroris, & vastæ solitudinis, famis, ac mortis. oratio

Deut. 32.

D. Basil. verò, secundùm Basilium, præstat panem, & potum vitæ. Accipe ergo Psalterium, in quo oretis: *Panem nostrum quotidianum.*

Vndecimò. Si qui se Principi totos ita dedissent, vt aliunde, nisi ex ipsius manibus nutriri non possent: is autem nulli quicquam elargiri vellet alimenti, nisi qui suum regale gestaret signum, tesseramque exhiberet; dementicè foret, hanc velle negligere. Nos sub potenti manu Domini agimus, quam is aperit, & implet omne animal, sed si data ab ipso tessera exhibeatur. Cùm ergo, secùndùm Chrysostomum, oratio Euangelica, sit signum verum diuinæ bonitatis, & potestatis; par est, dicamus in Psalterio, *Da nobis hodie.*

D. Io. Chrysost.

Duodecimò. Qui Seuero Regi essent grandi debito obstricti; vt, cùm ære non essent soluendo, capite luere oporteret; Rex autem omnia dimittere paratus foret, tantum vt pro remissione rogetur; demens, & infœlix esset, qui tantulum ipsi nollet deferre submissionis, & obsequij. Nos debitores Deo facti sumus, æternis mancipandi carceribus, & tortoribus: parua vtraque prece humili euadere possumus, sic enim Rex ipse: *Cùm clamauerint ad me, exaudiam eos, & ero illorum Deus*: oremus ergò sæpius: *Dimitte nobis debita nostra.*

Decimotertiò. Qui rei à Principe, & nexi, essent vltimo perdendi supplicio ob immania sua facinora, ni leuiusculis offensis proximorum ipsi veniam libēter dederint, hoc verò præstare nollent, sanè infœlices essent, & maledicti censendi. Hæc autem remissio ad proximos fit, cùm dicimus: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Decimoquartò. Si tentationibus Dæmonis, Carnis & Mundi mœroribus, ac miserijs agitati ab his, vnius lapilli gestatione immunes esse possent, & nollent tantillum, aut negligerent; ij insani, ac verè miseri essent existimandi: talis gemma est Oratio Dominica: *præseruat*, ait S. Augustinus, *à cunctis illusionib. & nocumentis.* Quare meritò in Psalterio sæpè orandum: *Et ne nos inducas in tentationem.* S. August.

Decimoquintò. Si denique nauigandum foret nobis, ac transmittendum mare infestum à Balænis, ab rupibus submersis, à vorticibus, à Charybdi, à Syrenibus, ab gryphibus, & tempestatibus, ac pyratis: starent verò in portu Rex, & Regina, offerentes duas gemmas, quæ ex omnibus istis malis eripiendi vim haberent, nos autem contemneremus; qui non vesanos diceret? Sat in hoc Mundi freto sunt dæmones, peccata occulta, luxuria, gula, auaritia, superbia, ira, inuidia. Christus suam orationem, salutationem suam Maria offerūt. acceptemus igitur, inque Psalterio semper dicamus, *Sed libera nos à malo. Amen.*]

Huic parabolicæ suasioni B. Dominici, vtilissimam aliam B. Alani adiungere non grauabor, quæ ad Dominicam orationem frequentādam factis potius, quàm verbis studet inducere. libet tamen illam ex Sancto Gregorio Nysseno de eadem præmittere sententiam, quòd quędam velut synopsis esse mihi videatur eorum, quæ hactenus sunt allata, eruntque deinceps de multiplici effectu ac fructu orationis commemoranda. sic enim S. Gregorius: *Oratio corporum robur est, abundantia domus, recta legum ac Iuris in Ciuitate constitutio, Regni vires, belli trophæum, pacis securitas, dißidentium coniunctio, coniunctorum conseruatio: oratio virginitatis sigillum est, matrimonij fides, viatoribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, nauigantium salus, eiusdem cum Angelis honoris conditio, præsentium fructus, futurorum repræsentatio.* sed B. Alanus. S. Greg. Nyss. lib. de orat.

Primò, ista nunc per exempla declaret Alanus, qui suis verbis sic ait: *Agnoui in VValdenbusen, qui homagium diabolo fecerat baptismo abnegato; sed miro modo per Psalterium hoc acceptum, filiationem recuperauit dimi-* B. Alan. lib. de dignitat Psalt. B.V. cap. 59.

diuinam: quia Pater noster orabat, inde etiam, vt pater esset multorum aliorum, Deo seruire volentium post modum promeruit,

Secundò Vidi mortuos hoc suffragio esse resuscitatos, quinimo & morti condemnatos in pestilentia, hoc salutari antidoto à morte vidi esse ereptos: quia, qui es, orarunt.

Tertiò. Perpendi propriis oculis, aliquos Religiosos omni vanitati deditos, sed salubri hac medicina prorsus cœlestiales effectos, quia, in Cœlis, orarunt.

Quartò. Meretrices, & vsurarios per hoc castimoniæ vinculum sæpius perpendi de nouo esse sanctificatos, quia, sanctificetur, orarunt.

Quintò. Blasphemos, & omni malignitate plenos, incorrigibilesque per hoc fidei oraculum scio perductos ad omnimodam nominis Dei reuerentiam, quia, Nomen tuum, orarunt.

Sextò. Fuit etiam quidam Rex, suo priuatus Regno tempore nostro, qui per hoc Psalterium acceptum, accepit Regnum, quia, Adueniat Regnum tuum, orabat, &c.

Septimò. Gaudium habui aliquando summum, quia perpendi, quosdam Apostatas à Religione, & à Sancta Dei Ecclesia apud infideles metu pœnarum conuersantes, sed gaudioso hoc suffragio sic ad diuinam redierunt voluntatem, vt martyrium fortissimè perferrent: inter quos, quidam Antoninus fuit de Ordine Prædicatorum temporibus nostris: quia, Fiat voluntas tua, orarunt.

Octauò Habui prodigium insigne per hoc oraculum salutare in clara experientia, quod in quibusdam terris, vbi fuit aurea maxima intemperies nociua supra modum hominibus: sed prædicato hoc cœlesti suffragio optata cunctis redijt serenitas, quia, sicut in cœlo, orarunt, &c.

Nonò Experimento probaui, sterilitatem in quibusdam terris, & pestiferam cladem horribiliter grassantem, sed stella Psalterij adueniente, terrigenis terrisq; est benedictio collata; quia, & in terra, orarunt.

Decimò. Pretiosissimam Eucharistiam nouimultos præ peccatorum suorum pondere habere in nausea, & irreuerentia, sed accepto hoc remedio deuotionis, singularem senserunt in tam mirabili Sacramento suauitatem. Christum Iesum ibidem sæpius sensibiliter intuebantur, quia, panem nostrum quotidianum, orarunt, &c.

Vndecimò. Læta etiam mente aliquoties perpendi, quosdam immisericordes & feroces, (vt in quodam milite, quem fama, non de nomine noui) qui acceptis armis Psalterij, sic dabant, & abundanter erogabant, vt cæteros clementia superarent; quia, da nobis hodie, orabant, &c.

Duodecimo. Virum cognoui, qui in tantam corruit desperationis voraginem, vt nemo posset aliquid de eius salute sperare: sed accepto Psalterij brauio, in spe & opere, multos etiam deuotissimos superabat: quia, & dimitte nobis debita nostra, orabat, &c.

Decimotertiò. Noui etiam prepotentem Baronem, & Comitem, qui capitali odio guerram gerebat contra similem sibi in potentia Principem. Vnde mala maxima contingebant, sed accepto pacis oraculo, pax tanta est firmata inter eos vt putarentur tanquam auunculus, & amicus, quia, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, orabant, &c.

Decimoquarto. Oculis propriis vidi à diabolo possessum, sed cùm portaret onus Psalterij huius Euangelicum, continuò liberabatur, cùm autem illud dimittebat, statim ab inimico vexabatur. Et similia plura sæpius vidi, & audiui, quia, & ne nos inducas intentationem, orabant, &c.

Decimoquintò. Conspexi viros, & mulieres, qui mihi dixerunt, sibi defunctos apparuisse sub verissimis fidei indiciis, tanquam Cruce signatos, qui dicebant, quòd cito essent liberati à pœnis, quia pro eis Psalteria dicebantur: orabatur enim, Sed libera nos à malo. Amen.

Hucusque Alanus, quæ sufficiant. De dignitate, & excellentia tamen orationis Dominicæ, cuius expositionem, qui desiderauerit, consulat Nyssænum, & Tertullianum l.b. de oratione, Cyprianum serm. 6. de orat. Domin. Cyrillum catech. 5. mystag. Chrysostomum hom. de oratione Domin. & in cap. 6. Matth. Hieronymum, Theophylactū, Euthymium *Nyssenus. Tertull. Cyprian. Cyrillus. Chrysost. Hieron. Theophyl.*

Euthym. mium in 6.cap. Matth. Diuum Ambro-
D. Ambr. sium libro 5. de sacramentis cap. 4. Au-
Auguſt. guſtinum epiſtola 121. cap. 9. 10. 11. & lib. 2. de ſermonibus Domini in monte cap. 4. & homil. 42. & 50. & ſermone de tempor. 126. 135. 182. & ſermone 9. ex diuerſis.
Chryſol. Chryſologum ſermone 67. Innocen-
Innoc III. tium III. libro 5. de myſt. Miſſæ cap 7.
Petr. Leodic. Petrum Laodicēſem, & Germanum Pa-
German. Patriarch. triarcham in expoſitione orationis Dominicæ. Caſſianum collat. 9. cap. 18 Maldonatum in 6. cap. Matthæi. Toletum
Caßian. in 2. Lucæ, Albertum Magnum vtro-
Maldonat. que loco; Cornelium Sennekis quin-
Toletus. que ſermonibus; Petrum Caniſium in
Alber. Magn. catechiſmo, & Durantium in rationa-
Cornel Sen. le, &c.
Petr Caniſ.
Durant.

Cæterum iam de dignitate, & excellentia ſalutationis Angelicæ nonnulla ſubijciamus. Tres illa habet auctores omni exceptione maiores, cùm per os illorum locutus ſit Deus. Primus eſt Archangelus Gabriel, dum B. Virgini di-
Lucæ 1. xit: *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus.* Secundus fuit Eliſabetha ad beatam Virginem, dicēs:
Ibid. *Et benedictus fructus ventris tui.* Tertius eſt Eccleſia Catholica, quæ illa ſubnectit verba: *Ieſus, ſancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis noſtræ, Amen* Hanc tanti fecerunt Chriſtus Dominus, Apoſtoli, & Angeli, vt
B. Alan. lib. 2. de ortu & progreſſ. frater. in c. 17. beatus Alanus libro ſecundo de ortu & progreſſu fraternitatis capite decimoſeptimo affirmet Dei Genitrice ſuperſtite, omnes illos ea vſos fuiſſe, imò addit etiam Beatam Virginem, illam vſurpaſſe, vt ſibi reuelauit in hæc verba: *Ipſe ſciens virtutem annunciationis Dominicæ, deuotius illam dicebam, ego, inquam, ſecundùm eſſe naturale humanum, orabam ipſam Mariam ſecūdum eſſe diuinum gratiæ, & gloriæ;* additque ibidem, *Sancti in cælo Angeli offerunt Mariæ Virgini hoc ſalutare* (ſcilicet ſalutationem Angelicam) *non voce, ſed mente. Sciunt enim, quòd tali auxilio eſt ruina Angelorum reparata Deus homo factus, & mundus renouatus.* Hinc ſalutationem Angelicam tam Apoſtoli, quàm alij ſancti Patres in ſuis lythurgijs recitandam præſcripſerunt: etenim Diuus Iacobus *D. Iacob. in ſua lythur.* in ſua lythurgia, poſt multam Deiparæ inuocationem per ſalutationem Angelicam, beatam Mariam ſalutat: quod idē præſtitit ſanctus Ioannes Chryſoſtom. *D. Chryſoſt. in ſua lyth.* in ſua lythurgia, totidem eam verbis in canone Miſſæ à ſe compoſito, vſurpandam præſcripſit; & vt tradit eruditus auctor Andreas Compeſten. in ſua claui *And. Comp. in ſua claui prædic. Roſar. lib. 1. c. 12.* prædicandi Roſarium libro primo, capite duodecimo. Apoſtoli, vt ad orationem Dominicam, ſic & ad ſalutationem Angelicam, ſanctum ſacrificium Miſſæ offerre conſueuerunt. Beatus etiam Baſilius magnus in ſua formula lythurgica eandem inſeruit ſalutationem *B. Baſil. in form. lyth.* Angelicam, qui cum Diuo Ioan. Chryſoſtomo præcitato loco arbitratur, proximum dignitatis, ac ſanctitatis locum, poſt terſanctiſſima conſecrationis verba, tenere ſalutationem Angelicam oportere; ſimul docens, quem in modum eadem piè, rectèque vti deceat in Eccleſia, cum grata videlicet memoria ſummi beneficij, atque ſupremi myſterij. Nam, vt Beatus Petrus Damianus *B. Pet. Dam. Ser. 1. de Natiu. B.V.* ait ſermone primo de Natiuitate Beatæ Virginis, Incarnatio Dei, redemptio hominum, & renouatio mundi in ea continetur. At, ſi effectus eius miram vtilitatem agnoſcere deſideras, recole, quæ piè & eruditè ſcripſit in hæc verba Beatus Alanus libro de Pſalterio beatæ *B. Alan. lib. de pſalt. Virgin. c. 70.* Virginis capite 70. *Auſcultet ſancti tui nominis amator, ô Maria. Cœlum gaudet, omnis terra ſtupet, cùm dico, Aue Maria, Sathan fugit, Infernus contremiſcit, cùm dico, Aue Maria, mundus vileſcit, cor in amore liqueſcit: cùm dico, Aue Maria, terror euaneſcit, caro marceſcit: cùm dico, Aue Maria, creſcit deuotio, oritur compunctio: cùm dico, Aue Maria, ſpes proficit, augetur conſolatio, cùm dico, Aue Maria, recreatur animus, & in bono confortatur æger affectus: cùm dico, Aue Maria, ſiquidem tanta eſt ſuauitas huius benedictæ ſalutationis, vt humanis nō poſsit explicari verbis*

verbis, sed semper altior manet, & profundior, quàm omnis creatura indagare sufficiat. Hæc oratio parua verbis, alta mysterijs, brevis sermone, alta virtute, super mel dulcis, super aurum pretiosa, ore cordis est iugiter ruminanda, labijsque puris frequentissimè legenda, ac deuotè repetenda: nam verbis paucissimis contexitur, & in latissimum torrentem cœlestis suauitatis diffunditur. Sic Alanus, &c. Atq; hinc est, quod Sancti Patres excellentiã pariter, & vtilitatem salutationis Angelicę probè agnoscentes, multifariam, multisque modis illam suadent: sanctus Athanasius super Euangelium de sanctissima Deipara, in hunc modum Beatam Virginem salutat: *Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo, quæ etiam à partu Virgo permansisti: Aue gratia plena, Dominus tecum. Beatam te prædicant omniũ Angelorum, & terrestrium Hierarchiæ: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: intercede hera, & Domina, & Regina, & mater Dei pro nobis.* Diuus Ioannes Damascenus in oratione de dormitione Beatæ Virginis, & idem etiam sanctus Doctor in Cantico ad sanctæ Genitricis Dei annunciationem, sic loquitur: *Piorum labia Dei Genitrici Angeli vocem sine intermissione modulantes, cum exultatione clamant: Aue gratia plena, Dominus tecum.* Sanctus Bernardus super missus est: hæc melliflua scripsit de salutatione Angelica: *Dum eam deuotè dicimus, Cœlum ridet, Angeli lætantur, dæmones fugiunt, infernus tremit, quoties cum reuerentia dicimus, Aue.* Ac rursus idem ait: *Est tibi ô Virgo Maria, quasi osculum imprimere, hunc audire versiculum: Aue Maria: toties enim ô Beatissima oscularis, quoties per Aue salutaris.* & addit: *Ergo fratres charissimi, ad imaginem eius accedite, genua flectite; oscula imprimite, Aue Maria dicite.* Hæc ille. S. Cyrillus Alexandrinus hom. 6. contra Nestorium, corã Patribus Concilij Ephæsini, sic Beatam Virginem honorat: *Salue sancta, & arcana Trinitas, quæ nos omnes ad hanc Deiparæ celebritatem conuocasti; salue & tu quoque Dei Genitrix, tu lampas inextinguibilis, tu virginitatis corona, tu rectæ fidei sceptrum, ac norma, tu templum inuiolatum, tu Virgo, & mater, per te benedicimus, qui venit in nomine Domini.* Antiquissimus Chrysippus Presbyter Hierosolymitanus sic illam salutat, & salutare docet: *Aue fons lucis, omnem hominem illuminantis; aue solis ortus, qui nullum ferre potest occasum, aue armarium vitæ, aue, quæ es hortus Patris, aue, quæ es pratum totius fragrantiæ sancti Spiritus, aue radix omnium bonorũ, aue specimen gemmæ, omne excedentis, aue vitis vuas pulchras producens, aue nubes pluuiæ potum animis sanctorum exhibens, aue, quæ es puteus semper viuentis aquæ, aue, quæ es rubus ardens igne spirituali, nusquam tamẽ adurens, aue porta clausa, soli Regi aperta; aue mons, vnde lapis angularis abscissus est sine manibus.* Hæc ille. Quæ & similia pænè infinita frequenter Patres edixere, quæ breuitatis causa silentio prætero. duo tamen minimè præteribo, quæ Beatus Alanus li. de psalterio refert valdè memoranda, quod malè affectum esse ad salutationem Angelicam, seu eius recitationem negligere, signum est hominis reprobi: etenim ca. 11. hæc scribit: *Scias enim, & securè intelligas, quod, & inde latè omnibus patefacias, quod videlicet signum probabile est, & propinquum æternæ damnationis, horrere, & attædiari, ac negligere salutationem Angelicam, totius mundi reparatiuã.* Alterum est, quod cap. 69. de sacra quadam moniali Beatæ Virginis deuotissima narrat. Hæc, post obitum suum cuidam sorori suæ apparuit, cum qua de vtilitate salutationis Angelicę d sserẽs, hæc valdè obseruanda ei dixit: *Si possem redire ad corpus, & vnum duntaxat Aue Maria orare, & si sine magna deuotione, ego propter meritum illius vellem tantum rursus sustinere cruciatum, quantum ante mortem perpessa tuli.*

S. Athan super Euang. de S. Deipara.

D. Ioan Damasc. orat. de dorm. B. Virg. & in Cant. de Annunciat.

S. Bern. sup. missus est.

Idem Bern.

Idem Bern.

D. Cyrillus Alex hom 6. cont. Nestor.

B. Alan. li. de psalt. B. Virg. c. 11.

Et cap. 69.

Deinde salutationem hanc ex quinq; inter alia commendabilem reperio, 1. ex parte mittentis, 2. missi 3 personæ, cui missa est, 4. causæ, ob quam missa est, 5. ex insolito, ac singulari modo salutandi.

di. Primũ ex eo patet, quia missa est à tota Trinitate, & Gabrieli ad Beat. Virginem Mariam deferenda commissa est. Vnde Pater ibi ostendit suam potentiã, dans Virgini vim, & potentiam concipiendi supra naturæ ordinem, & capiendi quem cœli cœlorum capere non possunt. Filius sapientiam ostentauit, dum ingrediens vterum virginalem, & egrediens, saluo virginitatis sigillo nouit filiam, matrem suam reddere. Spiritus S. gratiæ suæ thesauros manifestauit obumbrans Virginem, tantaque eam superadimplens gratia, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi. Innotescit etiam excellentia ex parte missi: nam nuncius fuit Gabriel, qui interpetatur fortitudo Dei, vel homo, & Deus, vt Christus homo, & Deus Iesus euangelizaretur: at licet principaliter esset missus Gabriel, tamen secundùm Albertum magnum super cap. 1. Lucæ, exercitus adfuit Angelorum, qui non ingressi ad eã, foris reuerenter expectarunt, ad eum certè modum, quo vnicus Angelus dicitur Pastoribus nunciasse gaudium, & subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis exercitus: quod & præfiguratum cerno in Eleazaro, quem vnũ misit Abraham seniorem domus suæ, multos tamen is viros habebat secum, vt Genes. 24. legimus. Vnde Sanctus Bernardus super missus est, ait: *Non solùm cum Gabriele descendit Angelorum exercitus, sed etiam Angelorum Dominus.* Excellentia deinde ex parte personæ, ad quam missa est, satis liquet ex eo, quòd fuit ad Mariam in matrem Dei electam, cui meritò dicere nobis licet, quod AEgyptii ad Ioseph: *Salus nostra in manu tua est, respiciat nos tantùm Domina nostra, & læti seruiemus Regi.*

Eccles 24. *Ezech 44.* *Alb mag in post sup. ca 1. Luc.* *Luc. 2. 13.* *Genes 24.* *Bern sup. miss. est.* *Genes 47. & 25.*

Rursus excellentia ex parte causæ salutationis Angelicæ satis nota est, cùm hæc fuerit diuini, æternique decreti exequutio, & redemptionis nostræ annunciatio, vt eleganter prosequitur sanctus Bernardus sermone de annunciatione, &c. *D. Bern ser. de annunc.*

Tandem eiusdem excellentia ex singulari, ac insolito salutandi modo deprehenditur. Daniel cap. 2. lego: *Rex in aternum viue.* 2 Regum 16 *Salue Rex* Tob. cap. 5. *Gaudium sit tibi.* 1. Corinth 1. *Gratia à vobis, & pax à Deo* Iud. 6. Gedeoni dicitur: *Dominus tecum.* Iudith capit. 13. *Benedixit te Dominus: benedicta es tu; benedictus Dominus.* Soli Mariæ dictum est: *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Tecum copiosissimè in mente & tecum per nouem menses erit incarnatus in ventre, &cæt. *Dan 2.* *2. Reg 16.* *Iob 5.* *1. Cor. 1.* *Iud. 6.* *Iudith 13.* *Luc. 1.*

Atque ex his facilè id, quod intendebamus, colligitur, nimirum, quòd cùm tanta sit excellentia orationis Dominicæ, & salutationis Angelicæ, ex quibus, tanquam ex partibus Rosarij formula componitur, non potest non Rosarij, seu Angelici psalterij dignitas magna esse. Vnde arbitror, quòd si Angelicum psalterium cum Dauidico conferatur, hoc ab illo nobilitate præcellatur; tum quia est causa finalis Dauidici; finis autem est nobilior his, quæ sunt ad finem secundùm philosophum: tum nobilius est in perfectione, quia habuit effectum nobiliorem, puta: *Verbum caro factum;* tum quia est initium Noui testamenti, quod nobilius est veteri, tum quia se excedũt, sicut figura, & figuratum, vmbra, & corpus: *Omnia enim in figura contingebant illis,* vt ait Apostolus: tum quia compositum est à Sanctissima Trinitate, ab Angelo pronunciatum, & Mariæ præsentatum. Dauidicum autem à peccatore factum, & Synagogæ collatum: tum quia Angelicum est consummatio Dauidici fructus, & perfectio, vnde accedente Testamento nouo, euanuit antiquum: tum quia Angelicum aperit cœlum, Dauidico clausum erat: tum quia per Angelicum facta est vniuersalis pax Dei patris, & hominis; per Dauidicum vero reconciliati non sumus: tum denique, quia Dauidicum psalterium *Ioan. 1.* *1. Cor. 10.*

Chri-

Christum, & Matrem eius à longe solùm vaticinabatur futuram, Angelicum autem, & Matrem Dei factam, & Deum ex ea incarnatum continet, & prædicat.

Ad extremum B. Alanus libr. de dignitate psalterij cap. 18. narrat hæc sibi dixisse B. Dominicum, cùm sibi apparuit: *Tu prædicas fili, sed tibi caueas, ne potius laudem humanam quæras, quàm animarum fructum audi, quid mihi Parisijs contigit. Debebam in maiori Ecclesia Beatæ Mariæ prædicare, & volebam curiosè, non iactantiæ causa, sed propter astantium facultatem, & dignitatem. Cùm igitur more meo per horam ferè ante sermonem in psalterio meo* (Rosariũ intelligit) *quadam in Capella post Altare maius orarem, subitò factus sum in raptu: cernebam amicam meam Dei Genitricem afferentem mihi libellum, & dicentem: Dominice, etsi bonum est, quod prædicare disposuisti, sermonem tamen longè meliorem attuli. Lætus librum capio, lego constanter, vt dixit, reperio, gratias ago, adest hora sermonis, adest Parisiensis Vniuersitas tota, Dominorumque numerus magnus. Quippe audiebant, & videbant signa magna, quæ per me Dominus operabatur. Itaque ambonem ascendo, (festum erat S. Ioannis Euangelistæ) de eo aliud non dico, nisi quòd custos singularis esse meruit Reginæ Cœli: deinde Auditores sic alloquor: Domini, & Magistri præstantissimi, aures reuerentiæ vestræ solitæ sunt curiosos audire sermones, & auscultare: at nunc ego non indoctis humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis loquar.*

B. Alan. li. de dignitate Psalt. c. 18.

Primò. Quæro, si hostilis esset Terra vobis peragranda, num saluum conductum velletis, & circumspiceretis? at qui in medijs hostibus agimus, & salutatio Angeli salutis est symbolum, iuxta hoc verbum, *Aue*, hoc saluo conductu liberabimur, quia Orbis est liberatus à maledictione Euæ, per, Aue.

Secundò. Cùm est eundum per cauernas, & obscura loca lucernam præferimus: at omnes per humanæ mortalitatis latebrosas tendimus cauernas: quare ad lucernam Mariam igne deuotionis accedamus, & illuminabimur. Ipsa enim est stella maris, & illuminatrix. *Ecclesia in hymn. Aue Maris stella.*

Tertiò. Facita esse, Regem Franciæ diris facinoribus tuis habeas offensissimum; an non egeres Reginæ gratia, Regis ad offensam placandam? nos sumus, qui in multis offendimus omnes Deum, hunc Reginâ Cœli potest, & vult reconciliare, tantùm illius à nobis recolatur gratia, & honoretur. Suadeo igitur, vel hodie arripiatis psalterium, cras fortè non omnes viuetis. quod sic accidit, nam artium studiosi quatuor, improbis moribus, eum, vt peroraui, despicatui habentes, aiebant: Magna quædam expectabamus, & ecce puerorum lectionem audiuimus: nocte proxima perpotant ijdem, & scortantur, in amplexibus scorti, iram extimulante libidine, ad rixam, ad arma ruunt, duo internecione occiduntur, alijs duobus ad mortem vulneratis. hi ambo in carceres retrusi, paulo post, ibidem, inter blasphemias animam exhalant. *Iacobi.*

Pergit ita S. Dominicus summatim.

Quartò. Qui iter cogitat per loca sola, per terras incultas, & humani victus egentes, is aliundè sibi plenè de commeatu prouideat necesse est. Hæc nostra peregrinationis terra inops est bonorum cœlestiũ inanis, & vacua. Quare, de plenitudine illius accipiamus, quę est plena, &c.

Quintò. Turbatur terra bellis, aut infestam habent latrunculi, vt nulli sit vnquam tuta salus, præterquam in vno Castro inexpugnabili. ad hoc, quis, nisi contemptor vitæ, non confugiat: talis est terra, in qua mortales agimus, & Dominus, est refugium nostrum. Hunc requiramus in salutatione, persæpè dicẽtes, Dominus.

Septimò. *Omnes peccauimus, & egemus gratia*; peccatores in tenebris ambulant, idque in terra belluarum plena. væ soli, ductore eges, & defensore: ora igitur Dominam, & assume eam tecum. *Rom. 3.*

Septi-

Septimò. Infames domos, & loca defugimus, aut soli non adimus: sin autem, periculum honoris incurrimus, quis tam infamis, ac mundus hic? & trāscurrendus est nobis. Comitem ergo Sanctam Mariam assumamus, dicentes illi sæpius, benedicta.

Octauò. In schola, qui est, cuius linguam ignorat, hanc addiscit. Nos in ea sumus, vbi nescimus, odio, an amore digni simus oremus ergo, aue, in quo hoc tu nobis id demonstrabis.

Nonò. Si stipem ostiatim colligeretis in terra, vbi viri omnes duri forent, mulieres autem natura mitiores; de harum misericordia vobis demerenda laboraretis. Maria est mater misericordię, etsi omnes Angeli, ac Diui per nostra in Deum peccata auersi fuissent à nobis, non tamen illa Virgo. Quare meritò eā benedicamus in mulieribus.

D. Greg. Decimò. Cùm teste S Gregorio, quotidie ambulemus vias mundi amaritudine plenas, gratissimus is Comes nobis fuerit, quia consolatione suauissimus. Hic, is est, & adesse vult nobis, cui dicimus, Benedictus: quin igitur eum nobis deuincire studeamus in Psalterio?

Vndecimò. Quid in itinere positis, labore fessis, fame, sitique exhaustis, destitutisque præsidio sui recreandi, quid his euenire posset gratius, quàm, vt in arborem optimis plenam fructibus, & manantem sub ea fontem incidant? nobis in vitæ huius via inaquosa, Beatissima Virgo occurrit arbor benedicti fructus, cum fonte vitæ. hanc igitur cum Angelo salutemus.

Duodecimò. Fingamus è vobis aliquem illi Regno dandum esse Regem, in quo steriles omnes, nemo pater, mater nemo fieri posset: gemma tamen Regi nouo demonstraretur, cui vis inesset omnes fœcundandi. hanc is, si sapit, minimè reijciet. In suo quisque corporis Regno Rex est, sed id in terra est maledictionis, & spinarum; hanc tamen fœcundabit, qui gemmam salutationis piè vsurpabit ventris dictam: nam B. Virgo pariens, omnem Orbi sterilitatem abstulit: tollit & suam.

Decimotertiò. Dictum est nobis: Negotiamini donec veniam. sed mendicus, & pauper sum ego: quisque dicere potest: aurum, & argentum non est mihi. Vnde igitur negociabor? Sit ergo Regina, quæ te copiosè donare pecunijs velit: non illius amabis gratiam? Maria est, cui dicendum est, *Tui*, in quo intelligimus, omnia ipsam possidere: tibi possidet, vt subueniat tibi, illi tu famulare in psalterio. *Actor. 3.*

Decimoquartò. Si quis vinculis nexus, & carcere clausus detineretur, oblatamque nollet clauim, qua apertis euadere foribus licitè, & gloriosè posset: cùm is, demens, tum in se se foret iniquus. Nos vincti, sedemus in mendicitate, & ferro. quin ergo clauim Dauid accipimus, qui est, Iesus, hic, per quam fuit conceptus, per eandem salutationē accipitur. *Psalm. 106.*

Decimoquintò. Agenti super terram pestiferam, & tabificam, nil perinde opus est, ac certum antidotum, seu vnguentum, quod aduersus omnem luem valeret. Hoc autem est Christus, cuius sicut vnguētum effusum nomen est; huius pigmentaria est Maria, quæ Christū dedit Orbi. dabit & tibi; tantùm salutatione Angelica ipsam ritè venerare. Cū igitur tot, ac tam innumeræ sint salutationis Angelicæ vtilitates, frequenter sanè salubri huius salutationis exercitio frequenter vacare deberemus. etenim vt dixit D. Bern. sermone de Purificatione, inuitat ad nos salutandam Gabrielis exemplum, infantis tripudiū, & resalutationis lucrū. vnde rectè quidam Poetarum dixit: *Cantic. 1.* *D. Bern. ser. de Purific.*

Virginis intactæ cùm veneris ante figuram,
Prætereundo caue ne sileatur Aue. *Quidam Poeta.*

HOMI-

HOMILIA II.

In percelebri festo Rosarij Beatam Virginem Rosæ comparamus: eius proprietates pulchrè ei accommodantes in illa verba, Quasi plantatio Rosæ in Iericho.

Eccles. 24.

CVM plurima, atque propemodum infinita epithera de sacerrima Virgine diuina eloquia proferant, nullum tamen, quantum capio, quantum sapio, prodiderunt, quod exactè magis vitam innocentem Deiparæ exprimat, quam quod plantatio rosæ dicta sit. nam quòd Stella matutina, Aurora consurgens, Luna, Cedrus, Platanus, Hortus conclusus, Fons signatus, Puteus aquarum viuentium, Porta orientalis, & alia eiusmodi de ipsa prædicentur, explicant illa quidem aut eius Virginitatis decus, aut eius gratiæ, ac pulchritudinis excellentiam. At verò plantatio rosæ totum cursum vitæ, dum hanc vitam nobiscum Virgo traduxit, indicat. Nam Ambrosius libro de Virginitate in rosa delicias Virginitatis agnoscit. Plantatio rosæ est integerrimæ Deiparæ vita. Rosa humilis est planta, cùm parum fructus ex humo se attollat. Beatissima Virgo speculum semper fuit humilitatis: *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Plantatio rosæ exiguas radices figit in terra: B. Virgo nihil vnquam terrenum expetiuit, vt ipsa testatur libr. 10. Reuelationum Sanctæ Brigittæ cap. 10. Rosa inter spinas nascitur, hispidisque aculeis rosæ hastilia recrudescunt, & quo magis crescit plantula, eo densiores, eo duriores spinæ concrescunt, multoque plures spinæ, quam rosæ cernuntur. non secus accidit Virgini. Benedicta Maria sanctificatur per gratiam ab omni labe, etiam originali illam præseruante: en rosa. Benedicta Virgo Patre orbatur: en spina. Beatissima Virgo in templo offertur: en rosa. Beatissima Virgo ieiunijs, ac vigilijs se affligit: en spinæ. Ab Angelo salutatur: en rosa. sed turbari videt Ioseph: en spina. Christum Virgo parit: en rosa. sed reclinat in Præsepe, quia non erat ei locus in diuersorio: en spina. Magos Christum adorantes cernit: en rosa. sed fugit in AEgyptum: en spinæ. Christum videt miracula facientem: en rosæ. sed eundem amarulentis odijs exceptum dolet: en spinæ. Tandemque, quo crescit rosa in Christi passione, ac morte, eò magis multiplicantur, ac recrudescunt spinæ. Sed miror rosæ constantiam: licet enim spinæ duræ, acutiores, & valentiores sint; rosa tamen, hoc est, Maria, consistit immobilis: *stabat iuxta Crucem*; cœlique, ac cœlestis floris influxu nutriebatur, ac sustentabatur. Cæterùm, licet Deipara Virgo varijs tribulationum spinis fuerit circundata, vt Christo Filio suo, spinis coronato, similiorem se exhiberet, nullius tamen peccati spina illam vnquam lacerauit. Vt enim adnotarunt Sanctus Basilius homilia 5. in Exameron, & Ambrosius ibidem, nec non & Procopius, illud interfuit discrimen inter rosas, ante Paradisum consitum, paratas, & eas, quæ post præuaricationem Adæ exortæ fuêre, quòd cùm istæ spinosæ nascantur, illas absq; omni spina terra illa nondum maledicta germinaret; tunc enim (aiunt hi Patres) spinis carebat rosa. postea verò pulchritudini floris adiunctæ sunt spinæ: à principio sine spinis prodierant rosæ, sed postea vepres accessere. non dissimiliter Beatissima Virgo, instar rosæ à principio creationis Mundi, & ante primi parentis lapsum productæ, omni peccati spina, virtute sanguinis Christi eam præseruantis, caruit. Quod, & metaphora cedri, Beatissima Virgo eleganter explicuit: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano*; id est, quasi cedrus inter cætera ligna, sic sum ego inter cæ-

Ambr. lib. de Virginit.

Luc. 1.

Lib 10. Reuelation. S. Brigit. c. 10.

Ioan. 19.

S. Bsil. ho. 5. in Exameron.

D. Ambros. ibid.

Procopius.

Eccles. 27.

Septimò. Infames domos, & loca defugimus, aut soli non adimus: sin autem, periculum honoris incurrimus, quis tam infamis, ac mundus hic? & trāscurrendus est nobis. Comitem ergo Sanctam Mariam assumamus, dicentes illi sæpius, benedicta.

Octauò. In schola, qui est, cuius linguam ignorat, hanc addiscit. Nos in ea sumus, vbi nescimus, odio, an amore digni simus oremus ergo, aue, in quo hoc tu nobis id demonstrabis.

Nonò. Si stipem ostiatim colligeretis in terra, vbi viri omnes duri forent, mulieres autem natura mitiores; de harum misericordia vobis demerenda laboraretis. Maria est mater misericordię, etsi omnes Angeli, ac Diui per nostra in Deum peccata auersi fuissent à nobis, non tamen illa Virgo. Quare meritò eā benedicamus in mulieribus.

D. Greg. Decimò. Cùm teste S Gregorio, quotidie ambulemus vias mundi amaritudine plenas, gratissimus is Comes nobis fuerit, quia consolatione suauissimus. Hic, is est, & adesse vult nobis, cui dicimus, Benedictus: quin igitur eum nobis deuincire studeamus in Psalterio?

Vndecimò. Quid in itinere positis, labore fessis, fame, sitique exhaustis, destitutisque præsidio sui recreandi, quid his euenire posset gratius, quàm, vt in arborem optimis plenam fructibus, & manantem sub ea fontem incidant? nobis in vitæ huius via inaquosa, Beatissima Virgo occurrit arbor benedicti fructus, cum fonte vitæ. hanc igitur cum Angelo salutemus.

Duodecimò. Fingamus è vobis aliquem illi Regno dandum esse Regem, in quo steriles omnes, nemo pater, mater nemo fieri posset: gemma tamen Regi nouo demonstraretur, cui vis inesset omnes fœcundandi. hanc is, si sapit, minimè reijciet. In suo quisque corporis Regno Rex est, sed id in terra est maledictionis, & spinarum; hanc tamen fœcundabit, qui gemmam salutationis piè vsurpabit ventris dictam: nam B. Virgo pariens, omnem Orbi sterilitatem abstulit: tollit & suam.

Decimotertiò. Dictum est nobis: Negotiamini donec veniam. sed mendicus, & pauper sum ego: quisque dicere potest: aurum, & argentum non est mihi. Vnde igitur negociabor? Sit ergo Regina, quæ te copiosè donare pecunijs velit: non illius amabis gratiam? Maria est, cui dicendum est, *Tui*, in quo intelligimus, omnia ipsam possidere: tibi possidet, vt subueniat tibi, illi tu famulare in psalterio. *Actor. 3.*

Decimoquartò. Si quis vinculis nexus, & carcere clausus detineretur, oblatamque nollet clauim, qua apertis euadere foribus licitè, & gloriosè posset: cùm is, demens, tum in se se foret iniquus. Nos vincti, sedemus in mendicitate, & ferro. quin ergo clauim Dauid accipimus, qui est, Iesus, hic, per quam fuit conceptus, per eandem salutationē accipitur. *Psalm. 106.*

Decimoquintò. Agenti super terram pestiferam, & tabificam, nil perinde opus est, ac certum antidotum, seu vnguentum, quod aduersus omnem luem valeret. Hoc autem est Christus, cuius sicut vnguētum effusum nomen est; huius pigmentaria est Maria, quæ Christū dedit Orbi. dabit & tibi; tantùm salutatione Angelica ipsam ritè venerare. Cū igitur tot, ac tam innumeræ sint salutationis Angelicæ vtilitates, frequenter sanè salubri huius salutationis exercitio frequenter vacare deberemus. etenim vt dixit D. Bern. sermone de Purificatione, inuitat ad nos salutandam Gabrielis exemplum, infantis tripudiū, & resalutationis lucrū. vnde rectè quidam Poetarum dixit: *Cantic. 1.* *D. Bern. ser. de Purific.*

Virginis intactæ cùm veneris ante figuram,
Prætereundo caue ne sileatur Aue. *Quidam Poeta.*

HOMI-

HOMILIA II.

In percelebri festo Rosarij Beatam Virginem Rosæ comparamus: eius proprietates pulchrè ei accommodantes in illa verba, Quasi plantatio Rosæ in Iericho.

Eccles.24.

CVM plurima, atque propemodum infinita epithetа de sacerrima Virgine diuina eloquia proferant, nullum tamen, quantum capio, quantum sapio, prodiderunt, quod exactè magis vitam innocentem Deiparæ exprimat, quam quod plantatio rosæ dicta sit. nam quòd Stella matutina, Aurora consurgens, Luna, Cedrus, Platanus, Hortus conclusus, Fons signatus, Puteus aquarum viuentium, Porta orientalis, & alia eiusmodi de ipsa prædicentur, explicant illa quidem aut eius Virginitatis decus, aut eius gratiæ, ac pulchritudinis excellentiam. At verò plantatio rosæ totum cursum vitæ, dum hanc vitam nobiscum Virgo traduxit, indicat. Nam Ambrosius libro de Virginitate in rosa delicias Virginitatis agnoscit. Plantatio rosæ est integerrimæ Deiparæ vita. Rosa humilis est planta, cùm parum fructus ex humo se attollat. Beatissima Virgo speculum semper fuit humilitatis: *Quia respexit humilitatem Ancillæ suæ.* Plantatio rosæ exiguas radices figit in terra: B. Virgo nihil vnquam terrenum expetiuit, vt ipsa testatur libr. 10. Reuelationum Sanctæ Brigittæ cap.10. Rosa inter spinas nascitur, hispidisque aculeis rosæ hastilia recrudescunt, & quo magis crescit plantula, eo densiores, eo duriores spinæ concrescunt, multoque plures spinæ, quam rosæ cernuntur. non secus accidit Virgini. Benedicta Maria sanctificatur per gratiam ab omni labe, etiam originali illam præseruante: en rosa. Benedicta Virgo Patre orbatur: en spina. Beatissima Virgo in templo offertur: en rosa. Beatissima Virgo ieiunijs, ac vigilijs se affligit: en spinæ. Ab Angelo salutatur: en rosa. sed turbari videt Ioseph: en spina. Christum Virgo parit: en rosa. sed reclinat in Præsepe, quia non erat ei locus in diuersorio: en spina. Magos Christum adorantes cernit: en rosa. sed fugit in AEgyptum: en spinæ. Christum videt miracula facientem: en rosæ. sed eundem amarulentis odijs exceptum dolet: en spinæ. Tandemque, quo crescit rosa in Christi passione, ac morte, eò magis multiplicantur, ac recrudescunt spinæ. Sed miror rosæ constantiam: licet enim spinæ duræ, acutiores, & valentiores sint; rosa tamen, hoc est, Maria, consistit immobilis: *stabat iuxta Crucem*; cœlique, ac cœlestis floris influxu nutriebatur, ac sustentabatur. Cæterùm, licet Deipara Virgo varijs tribulationum spinis fuerit circundata, vt Christo Filio suo, spinis coronato, similiorem se exhiberet, nullius tamen peccati spina illam vnquam lacerauit. Vt enim adnotarunt Sanctus Basilius homilia 5. in Exameron, & Ambrosius ibidem, nec non & Procopius, illud interfuit discrimen inter rosas, ante Paradisum consitum, paratas, & eas, quæ post præuaricationem Adæ exortæ fuêre, quòd cùm istæ spinosæ nascantur, illas absq; omni spina terra illa nondum maledicta germinaret; tunc enim (aiunt hi Patres) spinis carebat rosa. postea verò pulchritudini floris adiunctæ sunt spinæ: à principio sine spinis prodierant rosæ, sed postea vepres accesserè, non dissimiliter Beatissima Virgo, instar rosæ à principio creationis Mundi, & ante primi parentis lapsum productæ, omni peccati spina, virtute sanguinis Christi eam præseruantis, caruit. Quod, & metaphora cedri, Beatissima Virgo eleganter explicuit: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano*; id est, quasi cedrus inter cætera ligna, sic sum ego inter cæ-

Ambr. lib. de Virginit.

Luc. 1.

Lib 10. Reuelation. S. Brigit. c. 10.

Ioan. 19.

S. Bsil. ho. 5. in Exameron.

D. Ambros. ibid.

Procopius.

Eccles. 27.

teras humanas creaturas: licet enim cętera ligna à carie, & à tinea rodantur, cedrus tamen nunquam lædi potuit ab illis, quia incorruptibilis est, & impenetrabilis ab eis: atque ideò prælecta fuit, vt ex ea Arca fœderis conficeretur, quæ figuram gerit Virginis sanctissimæ & addit: *& quasi cypressus in monte Syon.* Cypressus etiam nunquam à carie læditur. Vnde statua Iouis in Capitolio posita, post annos ducentos integra, & sana inuenta est; ac ideò cypressum eligebant Romani ad statuas suas conficiendas. Ideoque eam etiam prælegit Plato lib. de legibus, vt in ea leges conscriberentur, ne vnquam corrumpi, aut consumi possent. Et prosequitur Virgo: *Et quasi Platanus exaltata sum iuxta aquas:* Per aquas sæpius in Scriptura, pronitas, ac fragilitas ad peccandum exprimitur. 1. Regum 7 *Conuersi ad Deum filij Israel ex toto corde fuderunt aquam in conspectu Domini, & ieiunauerunt, atque dixerunt, peccauimus Domino* Quid sibi vult hæc cęremonia effundendi aquam coram Domino, gementes, & dicentes peccauimus? Aliqui dicunt id fecisse, vt inuiterent, radicitus se Idololatriam deserere, nec vestigium eius in se retinere: quocunque enim liquore alio plenum sit vas, si effunditur, aliquid remanet inhærens in vase, si tamen aqua plenum sit, taliter eam à se totam repellit, quòd nec odor adhuc aquæ remaneat, nec vestigium aliud, vel indicium, quòd ibi fuerit aliquando aqua. Vnde per cæremoniam illam innuebant, quod radicitus omnem à se idololatriam expellebant. Alij verò credunt, quòd per eam voluerit Samuel dicere Deo, vt eum ad misericordiā incitaret, respice ad debilitatem, ac fragilitatem nostram ad cadendum, & peccandum: *Omnes enim quasi aqua dilabimur.* Dicit ergo B. Virgo, Ego quidem plantata sum iuxta aquas, vel iuxta peccatores, qui maxima facilitate labuntur, sed denique plantata sum, quasi platanus. Platanus secus decursus aquarum plantatur, & in aqua nascitur, & ex aqua crescit, & sustentatur, sed sic leuia habet folia, vt oleo diceres peructa, nec guttam vnam aquæ in se retinere. Sic Virgo, licet ex parentibus orta peccatoribus, & iuxta peccatores enutrita, & commorata, nil tamen peccati ei adhæsit, sed ab omni macula libera extitit. Facit ad idem arbor illa Daniel. 4. de qua audiuit Rex: *Succidite arborem, verumtamen germen radicum eius in terra finite.* Ex germinibus omnibus ab ea productis, vnum tantum integrum, & illæsum seruari præcipitur. Ista arbor magna Adam est. Germina sunt omnes homines ab illo producti: arbor ergo, & omnia eius germina succidantur: vnum tamen inter omnia seruetur illæsum, Virgo scilicet sanctissima, quæ pristinum ligni virorem retineat, nec labe aliqua fœdetur, vt reliqui rami. Cæterùm ad rosam reuersus. vnde nonnihil oratio digressa est, Beatissima Virgo gaudet, rosam in Iericho nominari triplici ratione tum fœcunditatis loci, tum singularis modi, tum ratione rei significatæ. etenim in primis, Iericho fœcundissima terra est, cum pretiosissimum balsamū producat, Beatissimæ Virginis prędarum symbolum, Ecclesiastico in persona eius dicente, capite vigesimoquarto. *Sicut Cinnamomum, & Balsamum odorem dedi*: & vt id obiter dicam, id referente ex varijs authoribus, Ioanne Andrea in sua claue prædicandi, libr. 1. capit. 26 AEgyptij balsamum ex Iericho transtulerunt, & in sua patria plantauerunt vsq; Babyloniam, sed ibi minimè crescit, nisi terra manibus Christianorum fuerit culta: quod mihi ob oculos ponit Virginis laudem non crescere, imò nec radices aliquas mittere, nisi inter Catholicæ Ecclesiæ alumnos, qui tam prolem, quàm matrem per sacras Rosarij preces religioso venerantur cultu. singularem autem modum crescendi Ierichuntinæ rosæ tradit ex Alberto idem Author in hæc verba: *In Iericho crescunt rosæ centum quinquagin-*

Plato libr de legibus.

1. Reg 7.

Daniel. 4.

Ecclī. 24.

Ioan. Andr. in sua claue lib. 1. cap. 26.

quaginta folia habentes; quales Summus Pontifex (vt Author est Cornelius sermone decimonono de Rosario) omni anno in die Lætare, solitus est Romæ benedicere in Ecclesia Beatissimæ Virginis Maioris. ratione etiam significationis Deipara se Rosam in Iericho nuncupauit: nam Iericho interpretatur *Luna*, siue defectus, & ideò aptè peccatores significat à Dei gratia deficientes. sicut autem à Solis illuminatione, Luna iterum quasi accensa rubescit, & crescit vsque ad perfectum augmentum; sic peccator peccando deficit, & decrescit, donec Mariæ auxilium inuocans, diuinæ gratiæ ardore accenditur, & de virtute in virtutem crescit, quousque euacuato, quod ex parte est, videt Deum Deorum in Syon, æternam felicitatem obtinens. Finxere Poetæ olim Rosam enatam fuisse è sudore fœminæ, nomine Ionæ, cuius hæc erat indoles, vt in diluculo candida, in meridie rubea, proxima iam nocte viridis appareret: sanè quod in hac rosa commentum fuit Poetarum, in Beatissima Virgine veraciter impletum video, quia in suæ Conceptionis diluculo Rosa fuit gratiæ nitore candida, in Annunciationis meridie diuinitatis igni, in vtero eius humanam carnem sibi incorporante, amoris flammis ignita, & rubicunda; in nocte tandem felicis eius mortis, viridis: hoc est, omnis putrefactionis immunis, incorruptionis virore decora permansit. Referunt etiam ijdem Poetæ, Rosam à primordijs suæ creationis candidam fuisse, cùm tamen Dea Venus molli suo vestigio illam calcaret, spinis illius puncta, sanguis effluxit, quo rosa conspersa, purpureum, & rubicundum mutauit colorem. Hac fabella, & mendacio eam veritatem docuere, nimirum eas Virgines, quæ à Veneris pede conculcari se patiuntur, propter Virginitatis iacturam, nimio verecundiæ rubore suffundit, eas verò, quæ à Venere non conculcantur, Virginitatis candore nitere; illud sanè singulare est in Beatissima Virgine, vt propter carentiam peccati originalis, velut alijs placet propter fomitem peccati, in ea à principio suæ Conceptionis penitus extinctum, Veneris pes, non dicam eam vnquam calcauerit, sed nec attigerit, vt his verbis eruditè dixit Ricardus de Sancto Victore libro secundo de Emmanuel. capit. vigesimooctauo: *In cæteris Sanctis magnificum fuit, quod à vitijs non sunt expugnati, in Virgine autem, quod nec in modico impugnata fuit.* Fuit igitur Beatissima Virgo Rosa, omni pungenti spina carens, ad quod significandum Spiritus sanctus consulto Rosæ Ierichuntinæ illam comparauit. Ecclesiast. 24. *Quasi plantatio Rosæ in Iericho.* huiusmodi Rosæ Ierichuntinæ rel quas omnes terræ promissionis longè antecellebant, in maiorique pretio ea propter habebantur, quod non tam naturæ cursu, quàm Dei miraculo procreatæ censerentur. Miraculum autem hoc fuit, quòd Propheta Elisæus per Iericho p. rtransiens, audiens incolas dicentes: *Ciuitas quidem optima est, sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis*, ipse continuò pugillo salis in aquas immerso, miraculosè eas fecit potabiles, & terras frugiferas. inter varias autem plantas, quæ planitiem terræ exornarunt, ita pulchritudine, & odoris fragrantia rosa superabat, vt Elisæi virtus, & miraculum magis in ea solùm, quàm reliquis omnibus effulgeret; & ideò apud omnes celebris erat plantatio Rosæ in Iericho. Non dissimiliter Diuinus Elisæus Christus Dominus, non solùm pugillo salis suæ sapientiæ, sed proprio sanguine suo sterilem hanc Mundi terram, quæ spinas, & vepres antea ferebat, irrigans, Ecclesiam frugiferam reddidit, adeò, vt innumeram Martyrum, Virginum, Confessorum, Eremitarum, & Anacoretarum multitudinem germinarit: inter omnes tamen has plantas Rosa Iericho Maria tam longè reliquas

Cornel. ser. 19. de Rosario.

Ricard. de S Victor lib. 2 de Emma. cap. 28.

Rosa 24.

Eccl. 24.

Iosue 6.

4 Reg. 2.

alias præcellit, vt in ea sola virtus sanguinis Christi, & eius Redemptionis incomparabiliter magis, quàm reliquis omnibus prælucere meritò videatur. Vnde quemadmodum excellentia pulchritudinis Rosæ Ierichuntinæ non tribuebatur virtuti terræ Iericho, cùm ex se sterilis esset, sed virtuti Elisæi, miraculorum effectrici; ita immunitas ab omni labe, candor, & pulchritudo Deiparæ Virginis non erat sibi connaturalis, nec ex se illam germinabat, sed virtuti Diuini Elisæi Christi Domini, illam præseruantis, multisque cœlestibus charismatibus eam locupletantis, tribui, & adscribi debet, vel certè æterno Patri, qui in viscera eius sal sapientiæ Vnigeniti Filij sui immittere dignatus est. At hæc Ecclesia Catholica, cupiens Beatissimam Virginem multis præconijs efferre, rosæ metaphoram vsurpat, *sicut dies verni circundabant eam flores rosarum.* Hebraismus est iste: etenim cùm Hebræi careant adiectiuis, loco illorum substãtiuis vtuntur, filium iniquum dicere volentes, filium iniquitatis illum appellant; quare idem est flores rosarum, quod flores rosacei: fateor ita esse apud Hebræos, sed altius mihi videtur tendere Ecclesia: cùm ait, flores rosarum circundare Beatissimam Virginem, innuit sanè, quod huc vsque dicebamus, nimirum illud interesse discriminis inter Beatissimam Virginem, & reliquorum omnium Sanctorum cœtum, quòd illi sunt rosæ, sed inter spinas variarum passionum, & tentationum animam perturbantium constitutæ. Beatissima autem Virgo fuit rosa inter flores cœlestium donorum concepta, & enata. Non inficior, quòd inter flores quidam inueniuntur pulchri, sed non odoriferi, alij odore fragrantes, sed pulchritudine carentes, alij pulchri simul, & odoriferi, sed non medicinales. Rosa tamen his omnibus simul virtutibus prædita esse perhibetur, & ideò consultò Ecclesia comparat Virginem, non cuicunque flori, sed flori rosaceo Pulchritudo Virginis satis, superque apparet in candore integerrimæ eius Virginitatis, præclaræ quidem adumbratæ in rosis illis Elisæi: etenim qui regiones illas accuratissimè lustrauit, & magna fide posteris quasi in tabula artificiosè depicta spectandas proposuit, Bartholomæus Saligniacus tom. 9. descrip. terræ Sanctæ cap. 6. testatur, propè fontem Elisæi, huius generis nasci rosaria, quorum fœtus istæ rosæ, qua Saluator noster nocte nasci dignatus, quamuis exsuccæ sint, & siccæ, paulatim sponte sua hiare, & tandem se prorsus pandere: post eam noctem ramos contrahunt, & in globũ se se colligunt. Visæ sunt nonnullæ nostro tempore: id miraculi pia fidelium Deuotio Virginei partus honori communibus suffragijs adiudicauit. Dies miraculo consensit, & prærogatiua incorruptionis Marianæ miraculo respõdet. Nam fatentur non Catholici modò Patres Sancti, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, & Damascenus, sed quod miremur magis, apud Galatinum Rabbini Iudæorum, ipsam esse portam Principis, cuius nomen teste Zacharia, est oriens: de qua prædixerat Ezechiel, quod *clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, erit clausa Principi.* quid? an Principem excludet? minimè gentium: sponte, lubenterque admisit, concepit, peperit. nonne hodie audiuistis consensum promptissimum? *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*: sed clausa Principi, quia cunctis ad aduentum vsque Principis clausa, quoniam virum non cognosco, quia noui Virginitatem: quod vouit, reddidit. semper enim clausa mansit post egressum Principis in ingressu, & egressu eius, quia Virginitatis signaculum semper permansit illæsum sic fuit clausa Principi, hoc est in Principis gratiã, & cũ Principe clausa. Subiungitur enim causa huius myste-

Ecclesia in off. Assumpt. & Visit.

Bartholom. Saligniac. to. 9. descr. terræ sanctæ cap. 6.

Galat. lib. 7. ca. 14.

Zach. 6. 5. 12.

Ezech. 44. 5. 2.

Luc. 1.

myſterij, *quia Princeps ſedebit in ea*, ſicut clauſam ingrediens inuenit, ſic egrediens clauſam reliquit. Non ſolum autem B. Virgo fuit pulchra per Virginitatem, ſed & adeò odorifera per humilitatem, vt odoris ſui fragrantia verbum Diuinum in ſinu Patris recubans, ad requieſcendum intra Virgineum eius claustrum alliceret, *Cũ eſſet Rex in acubitu ſuo, Nardus mea dedit odorem ſuum*: ſanè cùm quiſpiam Rex dignitatem regiam cælans peregrinatur; nihil mirum, quòd modica ſibi placeant, & quæ mediocria ſunt, laudet, cum arua & campeſtria pretioſis non abundent. Cùm autem Rex alioquin ſapiens, & opulentus ſub aureis lacunaribus habitat, & in Throno Maieſtatis ſuæ ſumma rerum opulentia reſidet, tunc ſi quidpiam ſibi placet, & illud mirificè laudat, manifeſtum id eſt perfectionis, & excellentiæ rei argumẽtum. Certè, cùm Chriſtus Dominus Rex Regum, & Dominus Dominantium, carnis velamine Regis eius Maieſtate contecta in Mundo hoc peregrinabatur, quorundã bonus odor ſibi placuit, quos variis præconijs commendauit. Cananeæ fidem laudauit: *O mulier, magna eſt fides tua.* Matth. 15. Luce 7. Ardentem Magdalenæ amorem agnoſcens, dixit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Catholicam Petri confeſſionem audiens, in illa verba prorupit: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi ſed Pater meus, qui in Cælis eſt.* Matth. 18. At dum Chriſtus cælica culmina tenebat, dum in ſinu Patris aderat, *cùm eſſet Rex in acubitu ſuo*; odor Marianæ humilitatis adeò ſibi placuit, vt eius mira ſuauitate allectus, in vterum eius incarnandus deſcenderet. Poſſumus etiam per odorem huius Marianæ Roſæ celebrem Virginis famam intelligere, quę ad omnes etiam longinquas nationes peruenit, ipſa dicente: *Beatam me dicent omnes generationes*: Luce 1. vnde in eius figura de ea arbitror dictum illud Iudith: *Erat hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valdè, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum.* Quod ſi quiſpiam mihi obijciat, nulla ratione hæc verba in Beatiſſimam Virginem conuenire poſſe, cùm tot hæretici, non vnum verbum malum, ſed permulta in illam detrectantes loquantur; imò potius id ipſum magis aſtruit metaphoram Roſę per omnia Deiparę Virgini quadrare. nam ſicut ea eſt natura Roſæ, vt odoris eius ſuauitas ſcarabæos à ſe longè arcere, imò & enecare ſoleat; ita eximia fragrantia ſanctitatis Deiparæ Mariæ, adeò hæreticis ſcarabæis infeſta, & inuiſa ſemper extitit, vt odoris eius fragrantiam ferre non valentes, nihil magis, quàm illam fugiant, execrentur, & exhorreant. Ipſa tamen tanquam Roſa myſtica vbique omnes hæreſes interemit. Denique B. Virginem non ſolum pulchram, & odoriferam eſſe Roſam, ſed ſpiritualibus animorum morbis medẽdis mirificè proficuam, ex Heliano de varia hiſtoria, haud difficilè erit comprobare. Narrat ille libro duodecimo Aſpaſiæ, Hermotimi Phocenſis filiæ pulchritudinem, & ſanctitatem à Roſaceo ſerto inſperato obueniſſe: hæc enim (vt ille refert) poſtquam mater eius cum partu animam ſimul egiſſet in orbitate, atque in penuria, modeſtè tamen, ac liberaliter educata tali cauſa deformata eſt. Adhuc puellæ enatus eſt tumor in ipſo momento aſpectu teterrimus, atque patri, tum ipſi puellę ſummum dolorem afferens: proinde Pater eam ad medicum adduxit, qui ſe curaturum recepit, ſed ea lege, ſi tres ſibi ſtateres perſoluerentur. Cùm autem Pater tantum ſe non habere diceret, medicus puellam incuratam dimiſit, quę ob id in acerbiſſimo luctu verſata eſt. verũ poſteaquam præ dolore non cœnaſſet, planè opportunus eam ſomnus inuaſit: in ſomno autem viſio oblata, hæc verba protulit: Bonum animum geras, valeãtque medici cum ſuis pharmacis, tu verò Roſea ſerta Veneris, quæ iam attriuerint cape, eaque cõtrita puberi impone. *Helian. varia hiſt. lib. 12.*

Hæc vbi audisset, & executa esset, tuber euanuit, & Aspasia inter omnes puellas adeò forma, vitæ honestate, incorruptis moribus emicuit, vt primùm Cyro Persarum Regi, & eo interfecto, Artaxersi etiam nupta sit. Sanè in hoc genere medicamenti nihil miraculi inuenio. quid enim mirandum, si tumor à calore interno inardescente enatus, rosis detritis, quæ refrigerandi miram vim habent, in cataplasmatis modum impositis depulsus fuerit? maximè quod id non subito, non momento, sed interuallo temporis, cum facilè iam humor beneficio naturæ digestus esse poterat, impostor ille antiquus, qui sacraria sua instar Agyrtarum orbem ludificare vsum habuit, occasionem nactus ex serto Veneris, quasi sanatio, & pulchritudo, opera illius idoli restituta esset, ad cultum dæmonum vesanos pertrahere nitebatur. tantundem enim aliæ, quantum ex serto decerptæ, poterant sanare. Rosis enim vim medicam inesse, quam maximam, vetus medicorum decretum est: præsertim ex calore obortis morbis ferè omnibus salutares censentur. Vnde Plinius asserit, rosas igni sacro mederi, & addit: *Rosa* (inquit) *per se medicas artes præbet, emplastris, atque collirijs inseritur mordaci subtilitate. Suffusum ad aures, oris hulcera, tonsillas, capitis dolores febres, & alia ingentia mala pellit, quibus corpus humanum solet ab interno calore conflictari.* Istud inter magna, & admiranda operum Mariæ repono, quod hæc morbos, artem & vim medicam omnimo despuentes, non contrario alio vngine, aut medicamine, non illo vel naturam iuuet, vel morbum leniat, digerat, aut consumere faciat, sed verbo, sed attactu rei per se non medicæ, quæ nulla siue empiricorum, siue physicorum designatione curationi seruit, sed & momento dispellat, & naturæ ipsi inuidiam faciat, vt perinde sit melior plãtatio Rosæ in hoc nostro Ierichunte ad oblectandum sua pulchritudine, ad attrahendum suo odore, & sanandum vi sua medica. Quid plura? id omnibus satis experientia compertum est, nullam inter plantas ad extinguendas corporis infirmitates, rosa vtiliorem esse. etenim, vt Dioscorides capite 71. 12. affirmat, re soluit, & purgat improbos humores, cordis tremorem sedat, oculorum, & aurium dolorem vel expellit, vel mitigat. Galenus libro tertio de qualitat. simplicium capite octauo, ait, miram vim habere ad purificandum sanguinem. Plinius de rosa disserens libro vigesimo de Naturali Historia, tradit, quod si serta rosacea, etiam sicca, capiti imponantur, capitis dolorem vel fugant, vel valdè minuunt: sed & Mattiolus libro primo refert, etiam syluestrem rosam melle conditam singulari virtute ad venefi-cos canum morsus medendos præditam esse. Vnde sapienter Eusebius libro octauo de præparatione Euangelica capite vltimo dixit, rosam non voluptatis tantum, sed vtilitatis præcipuè causa creatam à Deo. Bone Deus quot Rosa mystica Mariæ cordis tremores depulit, æternæ salutis fiduciam magnam, desperatis etiam peccatoribus conferẽs, quot improbos peccatorum humores ad nihilum reduxit, quot ambitionis tumores dissoluit? quot superbiæ morbo laborantia capita ad pristinam sanitatem restituit, quot effrænatos potenter compescuit affectus, quot caninis peccati morsibus, ac diaboli impostoris laceratis, præsentissimum antidotum exhibuit? Testes huius veritatis non alios produco, quam Virginis alumnos, & alios eius auxilium implorantes, miram eius potentiam & virtutem frequẽter experientes, qui alioquin in peccatorum sordibus computrescerẽt, nisi mysticæ huius Rosæ Mariæ cælitus indita virtus eos reficeret, & solidaret. maximè autem vniuersi Medici commendant quadruplicem Rosæ virtutem, quod cor confortat, fluxum ventris refrenat, oculos clarificat, & dolorem capitis sanat, sanè Mystica Rosa Maria cor humanum,

Dioscorides cap. 71. 12.

Galen. lib. 3. de qual. simplic. c. 8.

Plin. lib. 20. de Nat. hist.

Mattiol. li. 1.

Euseb. lib. 8. de præpar. Euang. c. vlt.

Plin. lib. 24. cap. 24.

num, impetrans ei charitatem, confortat & roborat, quia fortis est, vt mors,
Cant. 8. dilectio. Canticorum octauo: ipsa, peccatorum fluxum, timorem præbens, potenter reprimit. vt enim dixit Sapiens
Prou. 15. Prouerbiorum decimoquinto: *In timore Domini declinat omnis homo à malo*, ipsa calligantem intellectum illuminat, diuina arcana ei pandens, vt meritò in
Psal. 118. eam conueniant verba Dauidis Psalm. 118. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* ipsa tandem caput mentis, quod est spes, iuxta illud
1. Thes. 5. Pauli 1. ad Thessalonicenses 5. *Galeam, & spem salutis assumite*, potenter sanat, quando tepidam nostram spem, & ad ima dejectam, ad supernarum fiduciam subleuat. Perstrinxisse mihi videtur Beatissima Virgo quadruplicem hanc virtutem, cum Ecclesiast. vigesimoquarto dixit:
Eccles. 24. *Ego mater pulchræ dilectionis, timoris, agnitionis, & sanctæ spei.* mater ait *pulchræ dilectionis*: ecce cor languens confortat per charitatem: *ego mater timoris*, ecce per timorem, quem incutit, vitiorum fluxum restringit. *Ego mater agnitionis*, ecce spiritualem visum, Diuinorum instructione, clarificat. *Ego mater sanctæ spei*, ecce caput mentis sanat per spei subleuationem. sed & illud etiam de virtute rosæ mirabile est, quod mortuis etiam, & sepultis fructuosam se exhibeat, cariei resistens & putredinem, fœtidumque arcens odorem, vnde Homerus ad id alludens finxit, cadauer Hectoris à Venere, oleo Rosaceo inunctum, à canibus & alitibus, quibus laniandum stomachosus ille Thetidis filius obiecerat, præseruatum esse; quantò verior hæc laus Iericuntinæ nostræ Rosæ Mariæ conuenit? cùm non solum in vita, sed & in morte, & post mortem fauoris sui suffragia, & subsidia nūquam deneget, petitionem illam exactè implens: *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.* etenim quemadmodum insignis illa fœmina
2. Reg. 21. Respha 2. Regum 21. pernoctauit in custodiam filiorum suorum ab initio messis, donec extillaret aquas super eorum cadauera, nec permisit aues eos lacerare per diem, nec bestias per noctem, sic & maiori longè cura, & affectu clemens Maria, tanquam verè Respha, hoc est, pruna, flammis charitatis ignita, filiolis fuit, quos Christo peperit, assistit anxia, & à dæmonibus meridianis, & nocturnis, quos volucres cœli Christus Dominus appellauit in parabola de semine, potentissima sua virtute liberat à Purgatorij ardentibus flāmis frequentissimè eripit, ac tandem benedictum fructum ventris sui illis ostendit. Deinde in eo valdè persimilis est Beata Virgo Rosæ, quia sicut hæc cæteris omnib. alijs floribus longè præstat Anacreontes Poeta dicente:

Si floribus vellet
Iuppiter imponere Regnum.
Excellit Rosa flori.
Est Veri Rosa curæ.
Et gratæ superis Rosæ.

Quocirca rectè Poetæ censuerunt Rosæ Regnum inter cæteros flores deferēdum esse. Ita B. Virgo inter omnes Virgines primatum tenet, solaque Regina Virginū nuncupari meretur. Ad extremum restat iam tantisper scrutari, quid Ecclesia in Ecclesia Catholica sibi velit, dum flores Rosarum, Virginem circumientes, diebus vernis comparat. *Et sicut dies verni circumdabant eam flores Rosarum* potuisset enim illas odoriferas appellasse cum Tibullo,

Floret odoratis terra benigna Rosis. Tib. lib. 1.

vel rubicundas cum Statio,

Rubentesque rosæ primos moriuntur ad Austros. Statius 3. siluar.

vel aureas cum Pamphilio,

Floribus auricomam pinximus atque Rosam. Pamphil.

vel tandem nitidas, aut mundas cum Propertio,

Et facilis spargi munda sine arte rosa. Propert. li. 4

At consultò arbitror comparasse rosas diebus vernis, ad manifestandum excellen-

Ecclesia in off. Visit. & Assumpt.

cellentiam Virginis ſuper omnes creaturas: etenim dies verni in multis reliquos alios totius anni præcellunt. dies verni ſunt pacatiſſimi, turbinum, & tempeſtatum, vt in plurimum expertes. Reliqui ſancti varijs tam internis, quàm externis tentationum procellis concuſſi fuere, quia, vt ait: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* A Beata autem Virgine, cum longè abeſſet bellum illud D. Pauli: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem*, quia in ea impletum fuit illud Dauidis: *Auferens bella vſque ad finem terræ*; ſumma in ea viguit pax, & tranquillitas, ſed quomodo quęſo pace carere poterat illa, quæ mater eius erat, qui eſt pax noſtra, vt loquitur D. Paulus, & qui dixit: *Ego cogito cogitationem pacis.* ſi Chriſtus præcepit: *Dicite pax huic domui*; putas ne? ingrediens Marianam domum per nouem menſes inhabitare, non dixiſſe ei: *pax huic domui*? ſanè dixit; & quod dixit, factum eſt: habent & id ſpeciale dies verni, quòd præ omnibus alijs nitent, & à tenebrarum caligine longè abſunt. Sanè Diuus Bernardus ſermone de natiuit. Mariæ tanta claritate cenſuit Mariam præditam, vt non dubitaret ſolari corpori illam comparare: *Tolle corpus hoc ſolare, quod illuminat mundum, vbi dies? tolle Mariam hanc maris ſtellam, marique vtique magni, & ſpecioſi, quid niſi caligo inuoluens, & denſiſſimæ tenebræ relinquuntur?* Ac tandem illud pręcipuè obſeruatione dignum eſt in diebus vernis, quòd longiores ſunt reliquis omnibus. In nobis dies vitæ noſtræ ſunt inſtar hyemalium dierum. nam ſicut in his proximus eſt occaſus ſolis ortui, lux citò euaneſcit, & longa, ac prolixa nox ſuccedit; ita in nobis rerum cœleſtium charitas perexigua viget, ignorantiæ verò caligo denſiſſima mentem occupat. In Beata autem Virgine cupida diuinorum arcanorum, cognitio illorum, intellectum eius illuſtrabat propter ſpeciale Chriſti miniſterium, illam præ omnibus alijs edocētis, & illuminantis, vt his verbis dixit S. Bernardus: *Licet in parabolis loqueretur ad turbas, & licet omnia Apoſtolis nota faceret, vt amicis; quædam tamen credendum eſt præ cæteris matrem ſuam, quemadmodum dilexiſſe, ita etiam propenſius erudiiſſe, quædam eius ſecretius intimaſſe.* Vnde idem S. Bernardus explicans illud Apocalyp. 4. *Procedebant fulgura, & voces, & tonitrua*, dixit: *Maria parabolas, ænimata, legalia, & mirifica geſta, dicta, opera auidius ebibit, & ſinceriùs, luculentiusque aliis edidit.* Quidam antiquorum Patrum in condendis parabolis claruerunt, vt Salomon: alij in ænigmatum, & ſomniorum interpretatione, vt Ioſeph, & Daniel: alij in arcanorum legis intelligentia, vt Moyſes, Ioſue, Eſdras, & reliqui Prophetæ: alij in Chriſti geſtis enarrandis, vt Apoſtoli, & Euangeliſtæ. Beata autem Virgo in heroico gradu hęc omnia complexa eſt: *Parabolas, ænigmata, legalia, & mirifica geſta, dicta, & opera auidiùs ebibit.* quia tamē non ſolum ſibi illa diligerat, ſed, vt tanquam Archimagiſtra, ea alios doceret; ideò ſubdit Sanctus Bernardus: *Sinceriùs, luculentiusque aliis edidit*, alludens ad verba illa Diui Pauli 2. Corinth. 2. vbi, poſtquam dixerat prædicationem eius non adulterare verbum Dei, adiecit: *ſed eſſe ex ſinceritate, ſicut ex Deo coram Deo.* At, ne à roſæ metaphora diſcedamus, antiqui trito illo prouerbio, quanti roſas facerent, indicarunt, qui gratiſſimum, ac vtilem ſermonem ſignificaturi, *roſas loqui*, dicebant quare melius quidem in B. Virginem, quam in puellam illam Ouidij conuenit id, quod ipſe de illa cecinit:

Dum loquitur vernas afflat ab ore roſas.

Memini Perſianam nutriculam ſic alumno ſuo benè precari ſolitam.

Quidquid calcauerit, id roſa fiat.

Hoc B. Virgini proprium ante Chriſti Domini natiuitatem, & cum filio iam nato matri cōmune fuit, ſi loqueretur, roſas loqui, ſi quid ageret, manibus roſas fundere, ſi quò pergeret greſſibus, roſas

Iob 7.

Pſal. 45.

D. Bern. ſer. de natiu. Mariæ.

D. Bern. ſer. ad turbas, de B.M.

S. Bern. in Apoc. 4.

D. Bern. vbi ſupra.

2. Cor. 2.

Ouid. 5. faſt.

Rosas nascentes premere. Vnde & illud fœlicissimum obtinuit B. Virgo, quòd, sicut instar rosacei frutticis humillimi in terras se depressit, ita tãquã celsissima arbor supra Angelorum choros assurrexit, & quę rosa fuerat in Iericho, hoc est, in humili planitie sita, palma fuit in Cades; Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

In eadem festiuitate Rosarij, salutationes Angelicas, ex quibus illud componitur, Rosis comparamus, varios eius fructus commemorantes, in eadem verba: quasi plantatio Rosæ in Iericho.

INter pleraque alia, quæ miram Virginis excellentiam commendant, illud singulare obseruaui, quod propter eximiam similitudinẽ, quã habet mater cũ filio, in diuinis eloquijs non pauca reperiuntur, in quibus vnanimi consensu Patres conueniunt, tam de Matre, quàm de Filio intelligi posse, cuiusmodi sunt illa Eccles. cap. 24. *Ab initio, & ante sæcula creata sum, & vsque ad futurum sæculum non desinam: spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & fauum; qui operantur in me, non peccabunt, qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Eccl. c. 24. Hæc & similia interdum à sanctis Patribus intelliguntur de æterna sapientia, interdum de beata Virgine; frequenter etiam eidem Patres propter magnam Matris cum prole similitudinem, inter se digladiantur; quibusdam asserẽtibus de matre, alijs è contra de prole esse intelligenda, cuiusmodi sunt verba illa: *Ipsa conteret caput tuum.* quidam enim putant contritionem illam tribui Matri, quia vulgata nostra legit (ipsa) alij verò non nisi filio, legentes, ipse conteret caput tuum. eiusmodi etiam sunt verba illa Cant. *Ego flos campi.* quidam enim arbitrantur, verba esse sponsi. hi sunt antiquissimus Origenes libro duarum homiliarum, in homilia 2. Theodoretus Cant. 2. Bernardus sermone 48. in Cant. Hieronymus in cap. 11. Isaiæ, Diuus Cyrillus libro de Incarnatione cap. 9. mirificeque Christo Domino quadrant, tum quia, vbi vulgata nostra legit: *Ego sum flos campi*, alia translatio vertit: *Ego sum flos saturitatis*; saturare verò, & satiare humanum appetitum, nulli puræ creaturę conuenire potest, cùm id proprium sit solius Dei, Dauide dicente: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*: tum quia, sicut flos campi prodit ex terra aratri, & vomeris experte, vtpotè qui non alias agnoscat sui causas, quàm Solis calorem, rorem Cœli, & virtutem terræ, vnde cecinit Catullus:

Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat, imber, &c.

ita Christus Dominus, instar floris cãpi ex Matre Virgine prodijt, Spiritus sancti rore cum illa cooperante. Alij tamen Patres, vt Diuus Gregorius Nicænus, & refertur in commentario Cantic. trium Patrum, Diuus Ambrosius sermone 5 in Psalmo 118. & in libro de institutione Virginum capite 15. nec non Rabbi Selom, Rabbi Kimi, & Rabbi Abnesdras cum alijs non paucis, interpretantur verba illa, *ego flos campi*, sponsæ esse, apteque conueniunt in beatam Viginem, tum quia, vbi vulgata nostra legit, *ego flos campi*, Hebræi vertunt: *Ego sum rosa Saron.* Erat Saron campus inter Ioppem, & Cæsaream, vt in commentario loci adnotauit Aquila, cuius rosæ pulchritudinis decore, & odoris fragrantia reliquas omnes longè antecellebant: tum quia sicut in flore sita est spes fructus, & à flore peruenitur ad fructum, ita in Deipara Virg. velut in flore collocata est spes nostra obtinendi Iesum benedictum, eius fructum iuxta illud, quod canit

Ibid. *Orig. li. duarum hom. in hom 2.* *Theo can. 2.* *Bern. ser. 48. in Cant.* *Hier. in c 11. Isai.* *Cyril. lib. de Incar. c. 9.* *Psal. 16. c. 15.* *Catull. in carm. Nupt.* *Greg Nicen.* *D. Amb. ser. 5. in Ps 118. & in lib. de instit Virg. cap. 15.* *Rabbi Selo.* *Rabbi Kimi.* *Rabbi Abnesdras.* *Aquila.*

nit Ecclesia in percelebri illo Cantico, Salue Regina: *Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* Et quidem cùm flos sit, velut promissio quædam venturi fructus, certè tãquam bonorum operum, intercessione Virginis, à nobis obtinenda merces sperari potest. Ioannes Rossinus de antiquitatibus Romanorum libro secundo, capite 20. refert: *Romanos solitos fuisse magnum cultum deferre Deæ cuidam nomine Floræ, cuius illud erat munus flores obseruare, & protegere;* vnde dies, qui in honorem eius celebrabantur, *Floralia festa vocitabãt.* Ethnicorum hic mos erat, sed in meliorem vsum Christiani illum commutamus, beatam Virginem Rosarij magistram, & inuentricem religioso cultu venerãtes, quæ non flores, vt Dea Flora, sed animas omnium nostrum custodit, & protegit. quod si festa illa Floralia dicebantur, hæc meritò Rosarij, seu Rosaceũ festum nũcupatur, vnde sicut olim Hybla mater florum, vt Poetæ commentãtur, illac iter facientibus, amœnitatis suæ delicias varias offerebat: ita Maria cœlestium Rosarum fœcunda parens, omnigenę virtutis exempla, vestigia vitæ suæ legentibus, ostendit. Hyba flores caducos offerebat, quorum fragrantia æstiuo temporis momento durabat, qui leui carpti digito vix halitu aliquo, resectis odorem exhalabant, & marcescentes, omnem subitò gratiam perdebant. Caduca est rosarum gloria; videas in eodem rosario, quam transiens florentem conspexeras, mox rediens, decus omne, deuitiasque suas amisisse, & quæ denso comarum igne micauerat, collapsis pallidam folijs, emarcuisse: heu quã præcipiti famæ iactura vix nata consenuit, & tellurem-tutricem exuuijs suis operuit.

Ioan. Rossi. de antiquit. Roman. lib. 2. c. 20.

Virgil.

Quàm longa vna dies, ætas tam longa rosarum,
Quas pubescentes iuncta senecta premit.
Quam modo nascentem Rutilum conspexit Eoum,
Hanc rediens sero vespere, videt anum.

Maria autem vera florum mater, imò Regina florum: hæc enim est dignitas rosæ, vt inter flores principatum teneat; non futiles delicias, & caducas voluptates clientulis suis distribuit, sed spirituales, sed solidas, sed æternas, & cœlestes quodam modo redolet, & ad eas obtinendas mentem fidelium disponit, & anhelare facit. Horum cœlestium charismatum illi participes fiunt, qui salutationum Angelicarum preces, Reginæ florum Mariæ, velut odoriferas rosas, religioso cultu Rosarium recitantes, ei offerunt: de quibus sanè aptè mihi intelligi videntur verba illa Ecclesiast. c. 24. *Exaltata sum quasi rosa in Iericho.* mirabile sanè est, quòd cum planta rosæ parum crescat in sublime; B. tamen Virgo dicat se in sublime elatam esse, velut rosa in Iericho: *Exaltata sum quasi plantatio rosæ in Iericho.* Reuera rosa, tametsi ramos, & folia sua non mittat in altum, odorem tamen suum longè, lateque extendit, & excelsius, & sublimius illum mittit, quã cedrus, & palma frõdes, & fructus suos. Oratio salutationis Angelicæ plantata quidem fuit in humili loco Nazareth, tamen odor, & suauitas eius cœlos penetrauit. id tamen ponderatione dignum est, quod si id attentè perpendamus, Beata Virgo non ait, exaltata sum sicut planta rosæ, sed, *sicut plantatio rosæ:* hoc enim apertè significat de spirituali plantatione mysticæ illius rosæ, Aue Maria loqui, quam toties in sacro Virginis pectore plantamus, quoties eam deuotè recitamus; quam expositionem id non parum confirmat, quod, si sermo esset de rosa materiali, minimè illa plãtatur, sed trũcus, & radix eius: cùm ergo ait, se exaltatam esse sicut plantationem rosæ, loquitur quidem de mystica, ac spirituali rosa salutationis Angelicę, cuius odor suauissimus vsq; ad soliũ Deitatis exaltatur. Vnde spirituale quoddam documentũ eruere possumus, quod sicut qui plantat plantam rosæ, quærit locum commodum, non viam, quam omnes

Eccles. 24.

mnes calcant; ita plãtatio huius mysticæ rosæ, hoc est, salutationis Angelicæ recitatio, exerceri debet, quantum possibile sit, in loco, à tumultu, & confabulatione hominum libero. Tandem non dixit B. Virgo, se exaltatam esse, velut plantationem rosarum, sed *rosa*, vt inde intelligamus, quàm gratum obsequiũ, integrum rosarium recitãtes, ei impendamus, cum ex sola plantatione vnius rosæ, hoc est, ex vnica dumtaxat recitatione salutationis Angelicę dicat, se esse exaltatam. Porrò, vt mirificos fructus, quos Mariani Rosarij preces germinãt, clarius vobis innotescant ex ipsius rosæ proprietatibus, quibus auctor naturæ prædităm esse voluit, illos vobis patefaciam. inter eos primum appono mirabilem vim impetratiuam, qua gaudet Marianum Rosarium ad obtinendũ à Christo, quidquid petierimus in nomine Matris eius. memini me legisse apud Pierium libro 55. Hieroglyphicorum: *Idolorum Magos in arcanis suis prodidisse, si quis phialam rosaceo oleo nitido plenam dextra manu, conceptisque verbis Deo obtulit, & se postmodum hoc oleo inunxerit, tam gratiosum Principi, quem appellauit futurum, vt ille nequeat voti eius non benignè respondere.* Non dissimiliter, qui hodie Deo Patri, qui crystallinam Rosarij phialam spiritualis olei Rosacei, Mariani cultus liquore plenam offerunt, eoq; oleo se inungunt, nihil est, quod ita delibutis ipse denegeti: hoc quasi philtro rapitur Altissimus in amore, amat quidquid odorem filij dilectissimi spirat, quidquid spõsæ gratissimæ colorẽ refert, nec sustinet quidquam denegare, ijs, quorum in verbis salutationem Angelicam de cœlo elapsam recognoscit. Secundus fructus est omni acceptione dignus, quod per Rosarij preces Deo sæpè reconciliamur. Idem Pierius Valerianus lib. 55. c. de rosa refert: *Magos olim ad cõciliandos sibi Principum animos rosis vti consuevisse.* Vnde & Poetæ cum significare nituntur innatã, & latentem vim quarundam rerum ad pelliciendos animos ad se, rosaceas illas vocitant. Catullus Parcarum vittas rosaceas dixit:

At rosæ niueo residebant in vertice vittæ. Catullus.

Auroræ capillos Virgil roseos nominauit:

Aure fulgebat roseis aurora capillis. Virgilius.

Pontanus genas rosis comparauit:

Extinxit rosas purpura missa genas. Pontan.

Ac tandem Virgilius rosei epithetum ori tribuit:

Conticuit: roseo hæc insuper addidit ore. Virgilius.

Sanè virtutem illam conciliandi Principum animos, minimè gentium rosis inesse credam: illud tamen experientia non semel docuit eos, qui rosis Mariani Rosarij se exornant, sæpè Principi Christo benevolos fieri, & ei arctissimo amicitiæ vinculo copulari. Narrat sacra Scriptura, Rebeccam fœlicitatis filij sui Iacob percupidã, valdè illum docuisse, imò & verba in eius ore posuisse, quibus alloquuturus esset patrem, vt ab eo benedictionem extorqueret: ad eundẽ modum B. Virgo, tanquam amantissima mater salutis, & fœlicitatis spiritualis suorum filiorũ auidissima, ponit in ore eorum salutationem Angelicam, cuius repetitione rosarij corona contexitur, vt per illius verba reconciliationis benedictionem, & æternam fœlicitatem à Patre misericordiarum obtineant. Homer. id referente Pierio Valer. loco præcitato, finxit Vlyssem, postquã aduersa fortuna nauigauerat, miserum, pauperem, & squallidum à marinis fluctibus proiectum fuisse in Phœniciam: tunc autem Dea Pallas illius misertа, rosaceo oleo illum inungens, in pristinam salutem, & decorem reddidit, & vt loquitur Pierius, omni abiecto squallore, quẽ ex maris salsugine, inediaq; per quatriduum tolerata, contraxerat, dignior ac venerabilior effectus est. Non secus B. Virgo peccatis squallidum, pauperem, miserum, variisque passionum fluctibus oppressum, rosaceo oleo sui rosarij illum liniens, non solum in pristinam fœlicitatem restaurat,

Pier. lib. 55. Hierogl.

Gen. 27.

Pier. Valer.

Pier. Valer. lib. 55. cap. de rosa.

ſtaurat, ſed ad cumulatiorem perducit, vt meritò dici poſſit: *Dignior & venerabilior effectus eſt.* Memini, quod in idem argumentum facit, Apuleij fabulam finxiſſe, poſtquam fuerat in iumentum cõuerſus, illum ad priſtinam hominis figuram redeunti remedium adhibuiſſe, vt roſarum manipulos diligenter quæreret, quos, cùm primum in ſtomachum tranſiecit, continuò ſpeciem humanam & antiquum decorem recuperauit. Sanè omnis peccator conuerſus eſt in iumentum inſipiens, iuxta illud Pſalmi 48. *Comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Si tamen cupit diſſoluere turpem metamorphoſim, & antiquam, quam gerebat, Chriſti imaginem recuperare, ſalutationem Angelicarum roſarum ſibi adhibeat; & tunc experietur, quod olim Nabuchodonoſor expertus eſt. vt enim legimus Danielis quarto, Rex hic propter eximiam eius ſuperbiam, iuſto Dei iudicio ex conſortio hominum ſegregatus, & in ſiluam eiectus, vbi fœnum inſtar bouis comedebat, manibus & pedibus ſuper terram reptans: poſtea tamen Dei potentiam recognoſcens, in priſtinum decorem & honorem reſtitutus eſt: *In ipſo tempore ſenſus meus reuerſus eſt ad me, & ad honorem regni mei, decoremque perueni; & figura mea reuerſa ad me.* Idipſum planè quotidie ſpiritualiter experiuntur peccatores, qui ſacras Mariani Roſarij roſas mandentes, & comedentes, amiſſam Dei gratiã, per quam configurabantur Chriſto, cum ingenti gaudio reſtaurant. Claudianus libro ſecundo de laudibus Stilichonis narrat, fœminam quãdam nomine Circen, adhibitis certis quibuſdam herbis veneficis incantationibus ſuis, quos volebat, in bruta animantia conuertere ſolitam.

Membraque Circes effœminat acrius herbis.

Ad quod alludens Horatius lib. 1. epiſtolarum dixit:

Syrenum voces, & Circes pocula noſti.

Eiuſdemq; fabulæ meminerunt D. Auguſtinus lib. 18 de Ciuitate Dei ca. 16. & Diodorus Siculus lib. 4. Non ſic autem, non ſic B. Virgo, quæ non terreſtribus herbis homines in bruta, ſed cœleſtibus Angelicarum ſalutationum adhibitis roſis, bruta ipſa, hoc eſt, peccatores, brutorum animantium more viuentes, nedum in homines, ſed in Angelos mirabiliter conuertit, & ad filij ſui amicitiam reducit.

Tertius Mariani Roſarij fructus mira dulcedo eſt, quam Deipare alumni ex ſalutationum Angelicarum roſis, tanquam argumento ſæ apes delibant: iſtiuſmodi enim roſæ non ſolum Dei oculis pulchræ, ac Diuino olfactui ſuaues, & & odoriferæ, ſed & animæ ori, ac palato dulciſſimæ, alia virtutis opera, vt ieiunare, inimico parcere, à vindicta ſe abſtinere, male parta reſtituere, & ſimilia, quibus praui animi affectus domantur, neſcio quid amaritudinis, ac tædij, ſecum afferunt: at Mariani Roſarij recitatio, ac familiaris cum B. Virgine collocutio, ita dulcis, ac ſuauis eſt, vt Salomõ dicat Sapient. 8. *Conquieſcet cum illa: non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam, & gaudium.* Hanc dulcedinis ſuauitatem expertus pius, & eruditus auctor Beyſſelius lib. de Corona Roſacea in procem. hæc ſingulari pietate plena his verbis edixit: *Coronariorum ſpirituales theſauros, vtinam dignus eſſem expandere: verùm vicũque fit, me certè nunquam tentati huius muneris pœnitebit; quippe vt verum fatear, multò mihi plus voluptatis, & commodi ſecum attulit, quàm laboris: dum enim huic ſtudioſius incumbo, & ſpirituales roſas attrectare præſumo, euenit, vt quamuis ſpinis earũ altius ipſe compungerer, cæleſti frequentia ſuauius permulcerer. Quid igitur his roſis fructuoſius, quid iucundius eſſe poteſt? quæ non ſolùs modo ſuis, ſed & ſpinis, beneficio nos afficiunt. Dum enim his peccatricem carnem diuini timoris compunctione configunt, illis charitate nos vulnerant, ac ſuccendunt; quorum altero inchoatur, altero perficitur ſanctioris vitæ propo-*

Apuleius.

Pſal. 48.

Daniel. 4.

Claudian. li. 2 de laudib. Stilich.

Hor. 1. epiſt.

Aug. lib. 18. de Ciu Dei, cap. 16.

Diod. Sicul. lib. 4.

Beyſſel lib. de coron. roſac. in prœmio.

propositum, quo nihil nobis est ad animarum salutem accommodatius. Hæc ex sua experientia Beyssélius.

Licet autem huius dulcedinis alij alias proferant causas, ego eam potissimum esse arbitror, quòd B. Virgo, quoties salutationem Angelicam recitantem audit, toties singulari dulcedine perfruitur, ac nouum gaudium accidentale suscipit, vt ipsa testata est: nam vt auctor est Gulielmus Pepinus in Rosario aureo B. Virginis serm 47. *Cum quadam nocte fœmina quædam consoror sacræ Mariani Rosarij confraternitatis in lecto suo quiesceret, apparuit ei Beata Virgo dicens: Ne timeas filiapiam Matrem, cui deuotam reddis per singulos dies seruitia, sed moneo, vt perseueres, & scias me tale gaudiũ ex Angelica tua salutatione percipere, quale nullus homo explicare valet: nam cum dicis Dominus tecum, repræsentatur mihi, quod in me similiter sit filius meus sicut pro peccatoribus ex me nasci voluit, & sicut tunc mihi ineffabile gaudium fuit, ita & nunc quoties eadem verba repetis*. Beata igitur Virgo par pari referens oranti sacrum eius Rosarium, sicut ab ea salutata, noui gaudij dulcedinem in se experitur, ità eundem suæ dulcedinis, & lætitiæ participem reddit: id, quod confirmat mirificè Beata Brigitta libr. 1. suarum reuelationum capit. 58. vbi refert Beatam Virginem hæc verba filio suo dixisse: *Rogo te fili mi, vt, quia tu fuisti mihi dulcissimus, alij participes fiant meæ dulcedinis*. cui respondisse scribitur Christus in hunc modum: *Benedicta sis tu, charissima mater, verba tua sunt dulcia, & charitate plena; ideo quicunque de dulcedine tua in os suum receperit, & perfectè tenuerit, proficiet ei; qui autem receperit, & reiecerit, tanto maius supplicium habebit*. Hæc ibi. Ad hæc Cant. 4. de Deipara dicitur: *Fauus distillãs labia tua sponsa, mel, & lac sub lingua tua*. eique accommodatur à Petro Damiano serm de annunciatione illud Ecclesiast. 24. *Spiritus enim meus dulcis, & hæreditas mea super mel, & fauum. Hæc est, inquit Damianus, quæ vestris affectibus suauiter indulcescit, in qua dulcis Dominus cum omni suæ dulcedine superuenit* sic Damianus: *Ipsa enim* (vt dicebat Augustinus serm. 100. de tempore) *est terra promissionis, cùm toties per prophetas promissa fuerit*. De qua terra duo illi pendentem vuam detulerunt in ligno suspensam: vua enim illa Christum Deum figurauit. Terra verò promissionis diuino testimonio Exod. 3. & alibi sæpè in sacris Litteris lacte, & melle manare dicitur: id quod manantem ex Virgine dulcedinem adumbrasse existimat D. Bernardus serm. 3. super Salue Regina, dum ait: *Ipsa est terra promissionis lacte, & melle manans*. Et ab Ecclesia in precatione, cuius initium est, Salue Regina, eidem dicitur: *Vita dulcedo, & spes nostra salue*, & iterum: *O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria* Sanè experientia satis est exploratum illud Bernardi apud Bonauenturam in speculo capit. 8. *O magna, ô pia, ô multum laudabilis Virgo Maria, tu nec nominari potes, quin accendas, nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium te: tu nunquam sine dulcedine diuinitus tibi insita, piæ memoriæ portas ingrederis*. Quod longè ante Bernardum obseruauit D Damascenus, qui ex sola Virginis memoria magnam concipi animo voluptatem testatur his verbis orat. 1. de dormit. Virginis: *Iis, qui: tui memoriam piè vsurpant, preciosissimum memoriæ tuæ donum, quippe quæ eiusmodi lætitiam pariat, quam nullus eripere possit. quanam enim voluptate, quibus bonis non impletur, qui mentem suam sanctissimæ tuæ memoriæ promptuarium effecerit*. Et orat. 2. de dormit. hortatur omnes, vt mentem, memoriamq; suam Dei Genitricis promptuarium efficiant. Quare Petrus Damianus serm. 1. de natiuit. Virginis ex dulcedine, quæ ex recordatione Virginis percipitur, dulcedinem ex eiusdem præsentia inferebat: *Felices* (inquit) *Angelici spiritus, qui Beatæ Virginis habent præsentiam; nos interim memoriam abundantiæ suauitatis eius eructamus: si sic dulcis est memoria, quid erit præsentia?* Ita Damianus. Congruit excel-

Gul. Pepin in rosario aureo B.V ser. 47.

B Brigitta lib. 1. suarum reuelat. c. 58.

Cant 4.

Petr. Dam. ser de annunciat. Eccl. 24. Damian.

Aug. ser. 100. de tem.

Numer. 13.

Psalm 31.

Exod. 3.

D. Ber. serm. super Salue Regina.

Bonauent. Bernard.

Damascen. orat. 1. de dorm. Virg.

Orat. 2. de dormit.

Petr. Damia. ser. 1. de natiuit. Virg.

Eccl 49. lentius Virgini illud, quod Ecclesiast. 49 de Iosia dicitur: *Memoria Iosiæ in compositione odoris facta, opus pigmentarij in omni ore, quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini.*

Quartus Mariani Rosarij fructus est, quòd per eius preces anima disponitur ad ingressum diuini Sponsi in eam Propertius lib. 2. rosas vocauit teneras, propter molliciem, quam habent:

Proper lib. 2. *Molitur, & tenera poneret ossa rosa.*

Hinc Plerius Valerianus lib. 55. ca. de rosa commemorat, Imperatorem Elium Verum solitum fuisse ex rosis sibi sternere lectum: & Sponsa Cantic. 1. gloriatur: *Lectulus noster floridus.* Qui Marianum Rosarium frequenter recitat, hic tot flores, quot salutationes Angelicas spargit, quibus animam, velut lectum floridum, Diuino sponso parat, &, vt in eum veniat, & requiescat, illum inuitat.

Pier. Valer. lib. 55. cap. de rosa.

Cant. 1.

Psalm. 4. Quare si vultis cum Dauide dicere: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam*, hoc salutare documentum à me accipite: cũ dormitum pergitis, his rosis spargite lectulum vestrum: nam si somnus salutationem Angelicam recitantes capiat, dæmones fugient, praua somnia sopiẽtur, carnis illecebræ cessabunt, & felici nocte fruemini; si, *Aue* dicentes superuenerit somnus, ab inquietudinibus vos liberabit; si *gratia plena* recitantes hoc Mariæ cognomine hostes prosternantur; si *Dominus tecum*, proferentes, diuinam custodiam experiemini: etenim si Deus pro nobis, quis contra nos? Cum igitur tot mirificos fructus rosaceæ preces ferant, liceat mihi verba D. Pauli vsurpare: *Salutate Mariam, quæ mihi multum laborauit in vobis.* Si enim illam salutari præcipit Apostolus, quia diligenter laborauerat ad promouendam communem pacem inter Iudæos, & Gẽtiles, ad fidem denique conuersos, potiori iure Deipara Maria nobis salutanda est, quę multum laborauit pro communi omnium nostrorum salute, vtero suo Christum gestauit in Bethleem, recens natum ab Herodiana ira abscondit, in longissimam AEgypti plagam ingenti itineris labore baiulauit, ac pretium nostræ redemptionis diligenter custodiuit, ac antiqui serpentis in nos desæuiẽtis caput fortiter contriuit. liceat etiam mihi verba illa vsurpare, quæ in Breuiario Præd. in festo Rosarij lect. 9. lego. *Nos Fratres charissimi sit olis amicti, & afferentes rosas, & lilia ex conuallibus Syon, diem festũ agamus in Psalterio, & Canticis militiæ Christianæ Imperatrici Mariæ, & triumphale Rosarium illius nomini benedicto in perenne trophæum dicemus, & consecremus. Hoc signum B. Dominici Assiciæ lenate in nationes, & in montibus Ecclesiæ ipsius mysteria clangite buccina, narrantes mirabilia, quæ in huiusce plantationis horto innouantur quotidie. Sumite Psalterium, quod est hæreditas vestra, & omnis Ecclesiasticæ melodiæ modulantia perfectum. Huius namque canoris fidibus inter insignia Deiparæ Virginis præconia totius itinerarij vnigeniti per vos exprimentur trophæa, simulque viuifica S. Spiritus enunciabuntur charismata, tum mirifica diuinæ virtutis depromentur arcana. Adeò quòd in hac vna sacri Rosarij, & Psalterij celebritate totum superexcelsæ Trinitatis, atque immensæ vnitatis beneplacitum ineffabili modo perficietur, agite ergo,*

Breu. Præd. in festo Rosarij lect. 9.

Iubilemus exultantes
Virginis encomijs,
Laudem laudi cumulantes
Precibus Rosarijs,
De draconę triumphantes
Eius patrocinijs.
Rosa rubo defloratur
Antiquæ propaginis.
Flos de rosa propagatur,
Radix nouæ Origenis,
Cuius spina vulneratur
Vulneratur germinis.
Laus tibi Regina, quæ pios coronas,
Triumphalis horti lilijs, & rosis.
Amen.

Diurnal. Parisiense Prædicat. anni 1595. de festo Rosarij ad Hymnum ad Vesp.

Ibidem in Hymno ad primas Vesp.

HOMI-

HOMILIA IV.

Prosequimur idem argumentum à Rosario Virginis, ad eius, quam vocant, coronam, sermonem conuertentes, quam multiplici eruditione illustramus, in eadem verba: Ego quasi plantatio rosæ in Iericho.

BEatissimus Pater Dominicus, illustrissimæ Prædicatorum familiæ auctor & promotor, vt ad religiosum cultum, piamque meditationem mysteriorum Redemptionis nostræ, fideles facilius alliceret, Rosarium distribuit in triplex Catholicæ fidei mysteriorum genus; quorum quædam gaudiosa, quædam dolorosa, alia gloriosa nuncupauit. Ex quo sanè magis innotescit, per omnia simile esse Marianum rosarium rosaceæ plantæ: etenim sicut in illa tria præcipuè reperiuntur, folia, flores, & spinæ, ita hoc genus precationis rosaceæ tria illa continet mysteriorum genera, gaudiosa, dolorosa, & gloriosa, per illa tria egregiè adumbrata: gaudiosa, quæ foliis virentibus respondent: sunt hæc, Annunciatio, Visitatio, Natiuitas Christi, Præsentatio in templo, & Inuentio eius in eodem. Quinque mysteria dolorosa, quę correspondent pungentibus spinis, Orationem Christi in horto, Flagellationem, Coronationem, Crucis baiulationem, & Crucifixionem complectuntur. Quinq; tandē gloriosa mysteria per flores delineata, Resurrectio, & Ascensio sunt, nec non missio Spiritus sancti, Virginis assumptio, & eiusdem Coronatio. Ex orationibus autem Dominicis quindecim, & salutationibus Angelicis centum, & quinquaginta ad honorem, & memoriam prædictorum mysteriorum recitatis, conflatur ipsum Rosariū, quod propterea mihi videtur instar spiritualis cuiusdam Zodiaci, distincti, sole, luna, & astris, ac motus suos opportunè exhibentis, per quem anima spatiari potest varios in meditatione diuinorum mysteriorum circumducens circulos: persimile etiam mihi apparet Marianum hoc rosarium memorandæ illi Iacobi scalæ: nam sicut illa quindecim gradibus constabat, (vt quidam tradunt Rabini) totidē etiam decadibus, & mysterijs constat rosarium: in eo tamen valdè superat mystica hæc scala rosarij, scalam Iacobæam, quòd illic in summitate scalæ aderat Deus solus, absq; Matre, quia tunc nondum carnem susceperat: in hac tamen adest Deus homo factus, pariter cum Matre sua: in illa etiā scala non inueniebatur Deus in singulis eius gradibus, sed solùm in cacumine scalæ; in hūius tamen spiritualis scalæ gradibus omnibus, Christus, & Maria inueniuntur: *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum.* Illud tamen singulare huius scalæ artificium silentio non præteribo, quod, quia multis gradibus constat, idcircò priores, vtpote gaudiosa mysteria præferentes, faciliorem habent ascensum, ac propterea tyronibus incipientibus apti, superiores verò quinque gradus, qui Christi dolores ob oculos ponunt, proficientibus congruunt, Christi crucem baiulantibus. sublimiores tandem quinq; gradus, qui gloriosa Catholicæ fidei arcana adumbrant, perfectos viros decent, contemplationi supernorum bonorū vacantes. Hæc omnia mysteria præclarè quidem non solùm per plantam ipsam rosaceā, sed & per ipsam rosam exprimi autumo, quia pulchritudo illius ad lætitiam excitans, gaudiosa mysteria, rubicundus color, colori sanguinis persimilis, mysteria cruenta passionis Christi: color tandē aureus in centro eius effulgens mysteria gloriosa ad amussim repræsentat. Cæterū præter integrū rosarium Marianū inter alias non paucas precādi formulas, quib. Deipara in Eccl. filij sui colitur, corona pręcipuè annu-

113

annumeratur, quæ iuxta diuersitatem opinionum, quæ de annis vitæ illius circumferuntur, sexaginta tribus, vel septuaginta duabus salutationibus Angelicis, interiecta, per singulas decades oratione Dominica, constat. Consueuerunt Catholici non pauci, deuotionis gratia, secum rosaceam hanc coronam ferre: præcipuè tamen in regionibus Transalpinis, quam ad pietatem erga Deiparam contra Hæreticos protestandam, palam gestant. Porrò, si credimus Pelbarto in Stellario coronæ Virginis, Sixto IV. dicato, libr. 2. part. 2. artic. 3. vsus coronæ rosaceæ primordium sumpsit ex quodam singulari miraculo à Beato nostro Capistrano viro grauissimo, & sanctissimo euulgato: etenim cùm clericus quidam in sæculari habitu quotidie serto florum Beatæ Virginis imaginem coronare solitus, ordinem Minorum suscepisset, & post aliquot tempus ad sæculum redire vellet, quod in religione sertum illud ex floribus B. Virgini, more suo offerre non posset, ei oranti Deipara apparuit, vetuitq; eum è Religione discedere, simulque docuit sertum quoddam spirituale ex salutationibus Angelicis, & oratione Dominica in hunc modum conflatum offerri, vt scilicet in memoriam septem gaudiorum, quibus ipsa perfusa fuit, ad vnumquodque illorum semel orationem Dominicam, Deo gratias agendo pro illo beneficio Virgini collato, recitaret, cui salutationem Angelicam decies subnecteret præter vltimum, in quo ter solùm adijcienda erat salutatio Angelica. septem autem Virginis gaudia in hoc serto recolenda, hæc sunt. Primum, quod habuit in Conceptione filij sui, secundum, cùm in vtero Filium gestauit, & Sanctã Elisabeth visitauit: tertium, in Christi natiuitate Virgo manens: quartum, cùm Christus à Magis agnitus, & adoratus est: quintum, cum Filium in templo inuenit, & inde cum ea simul descendens, erat illi subditus, ac dulcissimè cum ea est conuersatus: sextum, in Christi resurrectione: septimum, cum assumpta est in cœlum, & in hoc postremo post orationem Dominicam, vt nuper dicebam, ter subnectenda est salutatio Angelica, ita vt in vniuersum oratio Dominica septies, Angelica verò salutatio ter & sexagies repetatur. Adiecitque Beata Virgo, sertum hoc longè gratius sibi futurum, quàm sertum illud, compactum ex floribus, quod singulis sibi diebus studiosè ab eo antea offerebatur. Is verò post aliquod tempus cùm iter ageret cum socio, in sylua quadam hanc coronam Virgini persoluebat: at, qui in eadem sylua delitescebant latrones, pulcherrimam oculis viderunt Virginem, oranti fratri astantem, & ad singulas salutationes Angelicas rosam colligentem, quod serti, & coronæ speciem præ se ferebat: absoluta oratione, latrones in fratres irruunt, importunè scisciantur de Virgine illa, quam fratres cùm non vidissent, negabant secum fuisse, Deiparamque, vt ab ijs liberarentur, enixè rogabant. sed ecce Virgo sanctissima cœtu Angelorum stipata, & serto illo, quasi corona redimita, apparens, grauiter latrones illos increpauit, & ad Angelos conuersa: ecce, inquit, quali me corona frater ille ornauit; quæ, cùm dixisset ab eorum se se oculis subduxit; mox latrones scelerum pœnitentia ducti, religionẽ Minorum ingrediuntur: fratres verò ex eo tempore singulis diebus eo diligentius coronam Virgini offerre non cessarunt, qui eidem acceptam esse, experimento tam manifesto didicerant. Hoc ipsum refertur in chronicis Minorum 3. part. lib. 1. cap. 35. vbi additur, fratrem illum sanctè obijsse, atque hoc miraculum sub initium, quo cœpere Fratres Minores, quos vocant de Obseruantia, contigisse; qui propterea in concionibus ad hanc precandi formam ita omnes adhortati sunt, vt in morem vniuersi populi Christiani iam sit inducta. Sed videamus

Pelbar. in Stellar. Virginis lib 2. par. 2. art. 3.

Chron. Minor. 3. par. li. 1. cap. 35.

quàm

quàm aptè hoc precationis genus coronæ nomẽclaturam sortitum sit. Ego sanè ex multiplici capite id deprehendo; primò, quia cùm numerus salutationum Angelicarũ sit in honorem totidem annorum, quibus superstes fuit in terris Beata Virgo, & vita ipsius fuerit velut circulus, qui à primo sitę ætatis anno incepit, & clausus est in die mortis eius, iure optimo corona appellatur, quæ circularem figuram habet. secundo, quia recitantibus hanc coronam, Beata Virgo ad hostes deuincendos fortitudinem præbet, vt victoria parta coronam illam mereantur accipere, de qua Diuus Paulus dixit: *De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* 2. Tim. 4. quod non mihi obscurè indicari videtur Apocalyps. capit. 6. in illis verbis: *Data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret.* Apoc. 6. Etenim cum corona, quæ rationem præmij habet, non detur nisi post victoriam, & in prædictis verbis dicatur coronam dari ad vincendum; aptè intelligi potest in sensu mystico, promissam illam coronam, rosaceam esse ex salutationibus Angelicis contextam, per quam eius recitantes, ad victoriam ab hostibus reportãdam muniuntur, & roborantur. Bercorius verbo corona, meminit cuiusdam fabulæ, huic argumento aptissimæ: refert de Peloniò, seu Esculapio, quem Solis filium antiqui fingebant, quòd die quadam vidēs pastorem certis herbis coronatum, cum basiliſco dimicantem, & nec flatu, nec morsu ab eo quidquam noceri posse, suspicatus alicuius herbę illius coronæ latente virtute præseruatum iri; vt certior tamen redderetur, extra linea coronam pastori subtraxit, & continuò à Basiliſco superatus in terrã concidit; mox tamen cùm illam suo capiti restitueret, victor euasit. hæc profana & fabulosa si ad sacra conuertamus, Patrum vestigijs insistentes, corona hæc, rosaceam Virginis coronam mihi delineat, quam qui deuotè recitare consueuit, à flatu antiqui serpentis Mariæ precibus præseruatur, & à lethalis peccati basiliſco, non vtique superatur, quin potius illum vincit, & profligat, Dauide ei dicente Psal. 90. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.* Psalm. 90. E contra verò, qui rosaceam coronam deponit, eam recitare contemnens, ab hostibus cunctis visibilibus, & inuisibilibus facilè deuincitur, & plangens, dicere compellitur illud, quod diabolo Iob dixit capit. 20. *Expoliauit me gloria mea, coronam abstulit de capite meo, destruxit me, vndique pereo.* Iob 20. Tertio iure optimo coronę nomenclatura Rosario conuenit, quia per illud spiritualibus, ac mysticis coronis, Christi & Mariæ capita cingimus. Quatuor coronis Christum Dominum coronari obseruaui. Prima fuit carnis, quam à Matre in Incarnatione accepit. Sic enim D. Ambrosius libr. de institut. Virginis ca. 17. interpretatur illud Cantic. 3. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum Mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis sui.* D. Ambr. lib. de natiuit. Virg. ca. 17. Cant. 3. 11. Vbi obiter aduerte, summum Verbi erga hominis amorem, siquidem diem Incarnationis, cùm primum factus est homo propter homines, diem desponsationis suæ cum humana natura, diemque lætitiæ cordis sui appellari voluit, atque hæc corona fuit contexta ex varijs, ijsque pulcherrimis floribus donorum Spiritus sancti, quæ in primo Conceptionis instanti eius animę infusa fuerunt; quorum meminit Isai. ca. 11. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Isa. 11. 2. Secunda fuit corona spinea, Ioan. 19. *Plectentes coronam de spinis,* quæ delictorum nostrorum spinas delineabant iuxta illud Isa. 53 *Propter scelus populi mei percussi eum.* Ioan. 19. 2. Isa 53. 8. quam rationem afferens Tertullianus lib. de corona militis: *Quale* (inquit) *oro te, sertum pro vtroque sexu subijt? ex spinis, opinor, & tribulis in figuram delictorum, quæ* Tertul. lib. de corona militis.

Bercor. verb. corona.

nobis protulit terra carnis: abstulit autem virtus crucis omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens. Eandem etiã rationem adducit Diuus Athanasius in oratione de passione, & cruce Domini. Tertia corona fuit gloriæ, celebritatisque, & exaltationis sui nominis, ex mysticis pretiosis margaritis compacta, quã à Patre in cœlo, & in terra coronatur, Paulo dicente ad Hebr. 2. *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum.* Quarta denique corona est, quæ frequenter coronatur ex triginta tribus orationibus Dominicis contexta in memoriam, & honorem totidẽ annorum, quibus Christus Dominus super terram vixit, in cuius figuram Zachariæ 6 lego, sacerdotem nomine Iesum, filium Iosedech iussum fuisse à Deo coronari variis coronis: *Venies tu in die illa, & intrabis in domum Iosiæ, & sumes argentum, & aurum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedech Sacerdotis magni.* Sanè fideles, quoties coronam Domini recitant, toties pretiosis coronis Christi Iesu Sacerdotis magni caput exornant. similiter etiam Deiparam Virgin. multis coronis decoratam intueor, candida Virginum, viridi Doctorum, purpurea martyrum, aurea gloriæ, quibus accedit rosacea, è salutationibus Angelicis contexta: hac frequenter coronari vehementer gaudet Deipara Virgo: in cuius testimonium Episcopus Crotonensis to. 3. suæ epithomes in festo Rosarij adnotat, sæpè visam fuisse adstantem Deiparam Virgin. colligentem albas, & rubras rosas, ab ore precantium egredientes, quibus corona contexta, sacroq; suo capiti imposita, in cœlum conscendebat, filioque suo præsentabat, & seruabat, vt ea in morte coronarentur, qui sincera mente hoc genere cultus illam venerabantur. ex quo apertè liquet, quam grata sit B. Virgini hæc corona, cùm, postquã gloriæ splendidissima corona, in cacumen suprẽmi cœli conscendens, fuerit coronata, & postquam Ioannis Apoc. 12 intuitus est caput eius, corona duodecim stellarum circumdatum, adhuc tanti faciat, rosaceis his salutationum Angelicarum coronis exornari, vt ad eas capiendas de cœlo descendens visa fuerit, easque tanquam sibi pretiosas super caput suum constituat. hac autem corona salutationum Angelicarum Virginis tempora par esse à nobis prompto animo circumornari, vel illud vnum luculenter satis probat, quòd, sicut olim capiti militis, qui de hoste triumphauerat, sertum imponebatur in signum victoriæ, ex floribus conflatum, ita fas est, imò & debitum, vt fideles, animaduertentes, quam strenuè, ac potenter Deipara Virgo antiqui serpentis caput contriuerit, rosacea hac corona caput eius quotidie cingamus. Ecce quam multum per omnia Rosarij preces cum floribus rosaceis similitudinem magnam habeant. quòd verò ab hac similitudine dissidere videbatur, nimirum quòd rosæ facilè marcescunt, ac breui tempore earum pulchritudo euanescit; vnde olim apud antiquos Veneri dicabantur, ad breuitatem voluptatum carnis significandam: illud enim eandem similitudinem magis me iudice astruit: nam cum Beata Virgo sit totius castitatis, & munditiæ speculum, & magistra, certè per rosas tanquam per symbolum caducitatem vitæ, ac voluptatum, Veneris fugacitatem, & breuitatem significans, alumnos suos docere nititur, ab omnibus carnis illecebris diligenter se abstinere debere. cupit enim eos similes esse illis, de quibus Thren. 4. dicitur: *Candidiores Nazarei eius niue*, sanè cùm Nazarei idem sit, quod floridi; rectè per illos adumbrantur spirituales alumni Virginis, Angelicarum salutationis rosaceos flores quotidie contrectantes. hos ergo floridos famulos suos cupit B. Virgo niue puriores esse: *Candidiores Nazarei eius niue*; vt sic castitatem seruantes, ac sertum rosaceum Virginis offerentes, reportare valeant sertum gloriæ, de-

t. Bonas. in orat. de pass. & cru. Domini.

ad Hebr. 2.

Zachar. 6.

Epist. Croton. to. 3. suæ epithomes.

Apocal. 12.

Thren. 4.

Isai. 2. de quo Isaias dixit cap. 2. *Ipse erit ibi seruum epulationis residuo populi sui.* Ad ex remum cùm de Virginis corona sermonem instituerim, exacta huius argumenti ratio postulat, vt de corolla eiusdem non nihil hoc loco subijciam. hæc recitatur in memoriam duodecim Virginis priuilegiorum, constatque e duodecim salutationibus Angelicis, ter repetita oratione Dominica in honorem trium Diuinarum personarum, à quibus Virgo sanctissima præ cæteris donata est duodecim illis priuilegijs, quæ per duodecim stellas, quibus redimitur caput mulieris amictæ Sole, Apoc. 12. significantur; quæ etiam intelligi possunt in duodecim panibus, qui reponebantur in mensa propositionis: sic enim D. Bernard. serm 4. super Salue Regina: *Et mensa* (inquit) *propositionis duodecim panum, qui duodecim sunt prærogatiuæ gratiarū, in quibus gratia repleta es, & Dominus tecū. Panes certè admodum splendidi, & lapidi.* hæc ille. Disponuntur autem in hunc modum, vt ante quemlibet quaternarū salutationum Angelicarum, præmittatur oratio Dominica, quarum prima in honorem Patris æterni, secunda in honorem Filij Spiritus sancti recitetur. Duodecim porrò priuilegia, quæ in hac corolla recoli possunt, recensentur in Appendice speculi exemplorum nouissimè editi, quorum aliqua ex Bernardi sermone, signum magnum, deprompta hæc sunt: Primum copiosissima gratia in sacratissima Conceptione Virgini collata. Secundum, Angelica. Tertium, Spiritus sancti superuentio. Quartum, Filij Dei Conceptio. Quintum, immunitas ab omni macula, & quòd Virginitatis fuerit primiceria. Sextum, sine corruptione fœcunda. Septimum, sine grauamine grauida. Octauum, sine dolore puerpera. Nonum, magnanimitas fidei in credendo. Decimum, profunda humilitas in obediendo. Vndecimo, maxima verbis discretio in loquēdo. Duodecima summa perfectio, & perseuerantia operis in agendo. De hac corolla pulchrum exemplum narratur ex reuelatione cuiusdam Abbatis in appendice speculi exemplorum. Cùm enim viri tres quandam peregrinationem instituissent, die quadam cupidè in eo ingressi, ex ijs duo à via aberrantes, syluam ingressi, in latrones inciderunt, à quibus spoliati, ac interfecti sunt: tertius coronam hanc quotidie magna animi pietate, & corporis reuerentia recitare solitus, subsequebatur periculi ignarus, sed cùm eosdem depræ datores offendisset, qui eum pariter necare cupiebant, impetrato tantillo temporis spatio, quo suam coronam deuotus Virgini offerret, (mira res) in templo inter recitandum ei nec videnti, nec scienti astitit vt Sol, splendens in aureo throno Virgo gloriosa, & cum ea SS. Catharina, & Lucia, quarum erat ille vnicè amans, ac studiosus; tunc ad singulas orationes Dominicas rubicunda, ad singulas salutationes Angelicas candida rosa ex eius ore prodibat, easque rursum Virgo legens, S. Catharinæ, & S. Luciæ tradebat, quæ eas circulo aureo inserebant. Absoluta coronæ recitatione, Deipara, corona illa, rosis nimirum redolentibus distincta, hominem illum sui peramantem, ac deuotum redimiuit, ac statim abscessit. Latrones hæc omnia aspicientes, rogant hominem, quænam mulieres illæ essent? respondet is, neminem se vidisse, sed Deiparæ pensum coronæ exsoluisse. Narrant illi, quòd viderant coronam in eius capite poni, & adhuc illud cingere: intellexit ille Virginis beneficium, & corona ex capite manibus reuerenter accepta, ingentes gratias egit Virgini. Ea re permoti latrones, sua scelera detestati, in viros optimos euaserunt. Ille verò seculo relicto, religionem ingressus, se se Virgini sanctè impensius deuouit: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum.

Amen.

Apoc. 12.

D. Bern. ser. 4. super Salue Regina Exod. 25.

Specul. exemplorum.

HOMILIA V.

Proponemus varias recitandi Rosarium formulas, ac perutiles modos omnibus statibus respectiuè accommodatissimos.

QVM laudabilis consuetudo recitandi rosarium adeò inter fideles inualuerit, vt maior pars populi Christiani hoc genere precationis, religiosè vtatur, multumque interfit, tum ad gloriam Dei, & honorem Virginis, tum ad spiritualem nostram vtilitatem, vt debitis circumstantijs hoc opus fiat, & quia plerosque noui, qui huic Mariani Rosarij sacro exercitio vacare renuant, ea difficultate perterriti, quod putent opus esse deuotè recitanti Rosarium, mysteria Catholicæ fidei meditari, in quorum honorem, & memoriam Beatissimus Pater Sanctus Dominicus Rosarium distribuit in quindecim decades, iuxta numerum totidem Catholicæ fidei mysteriorum: idcirco varios, ac perfaciles modos recitandi Rosarium Deiparæ Virginis hoc loco apponere perutile censui. illud tamen ante omnia suppono, quod cùm attentio orationis sit triplex, nimirum ad verba, ad significationem, seu sensum eorum, & ad Deum ipsum, cui fundimus preces, negari non potest, illum esse per se loquendo excellentiorem modum recitandi Rosarium, qui cum attentione ad verba, quæ ore quis profert, & ad eorum significationem pariter, sacra mysteria singularum decadum contemplatur, ac profunda meditatione ruminat. tamen quia id pauciſsimorum est, propter summam quam experiuntur difficultatem in his coniungendis, manifestum est non omnibus indiscriminatim accommodatum esse hunc precationis modum, imò quia magnum periculum est, vt, si dum recitantur salutationes Angelicæ, pariter quis velit mysteria, quæ illi respondent, meditari, attentionem debitam ad verba & ad eorum significationem omninò omittat, idcirco sapientissimus Martinus Nauarrus, vir sanctitate, & scientia conspicuus, Miscellanea 23. de Psalterio, & Rosario Virginis, meritò iudicauit consultius esse attendere ad verba, & eorum sensum, quàm si, his omissis, inter dicendum mysteria meditemur. Etenim proposita quæstione, an esset necessarium, obligatum recitare Rosarium, meditari inter dicendum diuina mysteria, in hunc modum quæstioni satisfacit: *Respondeo primò, quòd non, nisi paucis eo modo, quo aliqui consulunt, nempè quod quinque gaudiosa meditetur inter dicendum primas quinque decades, & quinque dolorosa inter dicendum secundas quinque decades, & quinque gloriosa inter dicendum tertias quinque decades, tum quia id nimium videtur operosum, & onerosum, præsertim idiotis, rusticis, mulieribus, pueris, & puellis, quorum magna copia scribitur in præfata Confratria, & huiusmodi operosa, & onerosa non videtur voluisse prudentissimus, idemque sanctissimus Patriarcha Dominicus tantæ multitudini imponere, iuxta illud Euangelij: Alligant onera importabilia, tum quia consulenda sunt meliora, & non minus bona: at Rosarium attentius recitatum, cæteris paribus, est melius, quàm recitatum minus attentè, & quod cùm tam varia distractione recitatur, semper, aut plurimum, minus attentè recitatur, quia tam varia meditatio necessariò diminuit attentionem ad verba, & significata, tam orationis Dominicæ, quàm salutationis Angelicæ: tum quia non iuuat dicere, quòd maior bonitas meditatorum præstet, & præeminet bonitati contentorum in orationibus recitatis, quoniam contenta in Pater noster, & Aue Maria, sunt cùm primis optima, & præterea Rosario intrinseca, quorum meditatio cæteris paribus est aptior, quàm meditatio extrinsecorum, iuxta mentem Hermogenis libro secundo de statu hominum: tum quia nimium occupat mentem*

Mart. Nauar. Miscellan. 23. de Psalt. & Rosar.

Matth 13. Relatiũ in c. Alligant 2. q. 7. cap quæ bona 17. q. 1. vbi latè Archid. c. nos nouimus. eodem c. q. 2.

Hermog. in lib. 2. de statu homin.

mentem in cogitando de ordine, numero, & applicatione præfatorum mysteriorum ad numerum, & ordinem præfatorum Pater noster, & Aue Maria quæ debitam attentionem attenuant, iuxta illud: Pluribus intentus, minor est ad singula sensus: tum quia nimium videtur parare mentes, præsertim fragiles, ad euagationem, & capitis vertiginem. Ob quæ non fui ego ausus consulere hunc modum recitandi cuidam mente debili ad vtendum eo parato, si eum ei consuluissem, sed alium faciliorem, & mea sententia gratiorem Deo eius Matri, mētique recitantis amœniorem. Dixi paucis, quia eruditis, & in contemplandis diuinis valdè exercitatis, & forti, & robusto animo donatis, id securius consuli posset: eiusmodi autem personæ, collatione aliarum, quæ rosariis vtuntur, sunt paucæ. Hæc ille.

Venio igitur iam ad varios, & perfaciles, valdeq; vtiles modos Marianum recitandi rosarium.

Primus est, vt præmisso signo Crucis, & humili genuflexione ad Virginem, factoque præludio per verba illa: *Domine labia mea aperies*, quo Ecclesia Horas Canonicas incipit; labia namque nostra ad promendas Deiparæ laudes, solus Deus aperire potest; deinde sacram orationem Dominicam recitet, ac decem salutationes Angelicas; quibus finitis, de mysterio correspondenti illi primi decadi, deuotam aliquam cogitationem concipiat, & affectum aliquem in volūtate excitet amoris Dei, doloris de peccatis, gaudij, cōgratulationis, aut compassionis, iuxta qualitatem mysterij; ac tandem enixè postulet à B. Virgine virtutem aliquam, cuius magis indigum se agnoscit, aut extirpationem vitij, quod in eo amplius dominatur: quod idem proportionaliter adhibere debet in sequentibus decadibus, quibus peractis, cum humili genuflexione à B. Virgine discedat.

Secundum modum accipe mihi satis perfacilem, quo comprehenditur mysteriorum consideratio cum attenta salutationum Angelicarum recitatione. In primis præmisso illo versiculo: *Domine labia mea aperies*, & illo alio: *Dignare me laudare te Virgo sacrata*, recitataque oratione Dominica, à qua, quia ab ore Dominico processit, rosarium ordiri debet: simplici quodam intuitu in memoriam reuocet mysterium primum correspondens illi decadi, à cuius simplici cogitatione minimè recedens, decem preces Angelicas effundat, in cuius fine in gratiarum actionem illius mysterij dicat: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut erat, &c.* Deinde similiter procedat in reliquis decadibus.

Tertium modum subiugo. Genubus flexis coram B. Virgine, recitet cum maiori, qua potuerit, contritione peccatorum: *Confiteor Deo*: est enim optima præparatio ad orationem, vt labes peccatorum per dolorem prius abstergantur: gratiores enim sunt Deo, & Virgini preces, quæ à puriori corde effunduntur. Deinde recitet orationem Dominicam, & decem salutationes Angelicas, absq; alia meditatione, sed solum cum debita attentione ad verba, & ad sensum, & in singulis orationibus tam Dominicis: quàm Angelicis, deuotè dicat: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, & totidem genuflexiones faciat, vel capitis inclinationes, dirigens illas ad cultum Beatissimæ Trinitatis, & Deiparæ Virginis, & sic similiter se gerat in reliquis decadibus.

Porrò, præter hos modos recitandi Rosarium Deiparæ Virginis alios, quos quidam non infimæ notæ auctores scriptis consignarunt, hic apponam. Insignis Doctor Nauarrus, cuius memoria in benedictione erit, Miscellanea 23. de Psalterio Virginis alium modum, qui quartus erit recitandi Rosarium, in hæc verba docuit: *Scribam vnum modum, qui post septuagesimū meæ peregrinationis annum (quos antea fuerim expertus) placuit, & quo etiam nunc nonagesimum primum annum agens, cùm per otium licet, vtor, vsurus eodem (vt puto) dum vita manebit, saltem*

Nauarr. miscell. 23. de Psalt. & Rosario.

inter dicendum vnam de tribus tertiis Psalterij, quando omnes tres eodem die non recitauero: is autem consistit in faciendo tria, quæ subijciam, vt is, cui placuerit, possit ea vti Primum præconcipere breuiter, & quasi in instanti, & momento temporis sine vllis verbis in principio, ante Pater noster, Deum vti Patrē, & Dominum omnium semper, & vbique præsentem, & se nihilum, & indignum audire dignantem, & eum continuò alloqui humiliter verbis illius, Pater Noster, tanquam Patrem Nostrum, formando, quoad eius fieri potest, solos conceptus, quos vocant non vltimatos, & vltimatos eorum, sine tamen reflexione, quod eos concipit, vel non concipit, sicut solet alium magnum Principem, verbis à se compositis, vel occurrentibus, humiliter alloqui. In quod plurimum iuuabunt actualis amor, & reuerentia in ipsum Deum, qui oratur, eo quod valdè retinent mentem, ne in extrinseca vagetur. Dixi supra sine reflexione: quia illa fatigat mentem, & experientia docet, & nocet attentioni, secundùm Parisienses, imò non est attentio, sed obiectum attentionis, iuxta Caietanum: secundùm vero faciendum est præconcipere breuiter, & quasi in instanti in initio, Aue Maria, nullis verbis formatis Virginem Matrem, aliquem de prædictis actibus agentem, seque indignum videre dignantem, & continuò alloqui eam verbis, Aue Maria, seruando circa illa, quæ dixi seruanda esse circa verba, Pater Noster, vt alloqui solet aliam magnam Principem verbis à se compositis, vel occurrentibus. Iuuabunt etiam in hoc valdè, actualis in eam Amor, & reuerentia, quæ valdè retinent mentem, ne in extrinseca vagetur, vt prædixi. Tertium in fine cuiuslibet decadis, quasi recreando animum dicere, fixis oculis mentis in ipsam Virginem Matrem, inscripta. In fine quidem primæ Decadis dic: Decies millies benedicant te Virgo Mater gloriosa Maria omnes Angeli, Archangeli, & Virtutes, Principatus, Potestates, & Dominationes, Throni, Cherubin, & Seraphin, cum quibus speramus te aliquando cernere, colereque in Cælo. Amen.

In fine secundæ Decadis dic: Vicies millies benedicant te Virgo Mater gloriosa, Adam, Eua, Enoch, Patriarchæ, Prophetæ, Innocentes, Ioannes Baptista, & omnes alij Sancti veteris Testamenti, cum quibus speramus te aliquando cernere, colereque in Cælo. Amen.

In fine verò tertiæ Decadis hæc: Tricies millies benedicant te Virgo Mater gloriosa Petrus & Paulus, & omnes Apostoli, Ioannes, & omnes Euangelistæ, Stephanus, & omnes Discipuli Domini, Sebastianus, & omnes Martyres gloriosi, cum quibus speramus te aliquando cernere, colereque in Cælo. Amen.

In fine quartæ hæc: Quadragies millies benedicant te omnes sancti Confessores, Siluester, Gregorius, Ambrosius, & Augustinus, Hieronymus, Isidorus, Martinus, & Nicolaus, Benedictus, Bernardus, Dominicus, & Franciscus, & omnes alij Episcopi, Doctores, Monachi, & Heremitæ, Virgines, Vidui, & Coniugati, cum quibus speramus te aliquando cernere, colereque in Cælo. Amen.

In fine Decadis quintæ hæc: Quinquagies millies benedicant te Virgo Mater gloriosa, Anna mater tua, & ambæ Mariæ sorores tuæ, Magdalena cum amicissimis tuis Martha, & Marcella, & Amicæ, seruæque tuæ Agnes, Cæcilia, Agatha, Lucia, Catharina, & omnes aliæ sanctæ Martyres, Virgines, Viduæ, atque Coniugatæ, cum quibus speramus te aliquando cernere, colereque in Cælo. Amen.

Is tamen, cui nimirum videretur operosum tot nomina propria mente concipere, posset tacere illa (quod ego aliquando faciebam) & loco illorum ponere tantum appellatiua generalia, quæ omnia propria comprehendant; puta in fine primæ Decadis potest pro omnibus nominibus propriis, nouemque Choris Angelorum ponere appellatiuum illud generale, omnes sancti Angeli Dei. Et in fine secundæ pro omnibus nominibus propriis supra positis, ponere illud appellatiuum, omnes Sancti, & Sanctæ veteris Testamenti. Et in fine tertiæ Decadis, pro propriis supra positis illa appellatiua, omnes Apostoli, Euangelistæ, Discipuli Domini, & Martyres. Et in fine quartæ pro

Citatos in Enchirid. Caiet. de orat. cap. 13. nu. 51.

In Miscell. 20.

propriis nominibus supra expressis, illa appellativa, omnes Sancti Confessores, Episcopi, Doctores, Monachi, Eremitæ Virgines, Vidui, Coniugati. Et in fine decadis quintæ pro propriis supra expressis, illa generalia, omnes Sanctæ Martyres, Virgines, Viduæ, & Coniugatæ. Is item, qui voluerit plures nominare, potest illorum nomina propria addere. Hic modus recitandi Rosarium placuit mihi præaliis. Hæc Navarrus.

Pijssimus Iacobus Aluares Societatis Iesu in libello de vita religiosè instituenda cap. 3 postquam præmittendum esse docuerat præludium versiculi: *Domine labia mea aperies*, duo præclara documenta tradit ad deuotè recitandum Rosarium, quibus modum alium, qui quintus erit, in ordine constituit primũ, sic se habet:

Iacob Aluares in lib. de vita religiosè instit. c. 23

Post primum denarium sic dices: *Gaudeo, & congratulor tibi, ô Virgo Maria, Domina, & Mater mea fœlicissima, quia à Patre in sponsam electa, à Filio in Matrem assumpta, quia à Spiritu Sancto in totius Deitatis habitaculum præparata, & ab Angelo salutata, & laudata es. Oro te Domina mea, & Mater Filij Dei per mysterium ineffabilis Incarnationis eius, quo ex te carnem nostram induit, & te suam Matrem effecit, vt impetres mihi remissionem peccatorum meorum, vt per gratiam, ipsius filius efficiar. Amen.*

Post secundum denarium sic precaberis: *Gaudeo, & congratulor tibi, ô Virgo Maria, Domina mea, & Mater mea benignissima, quia spiritu charitatis acta, ad domum cognatæ properasti, Præcursori sanctitatem attulisti, & domum illam cœlestibus donis replesti. Oro te Domina mea, & Mater Filij Dei per opus illud eximiæ charitatis, quo cognatam tuam visitasti, & Ioannem ad tantum bonum promouisti, vt impetres mihi à Filio tuo mortificationis donum, quo conueniente paratu, eius afflatum, & inspirationem excipiam. Amen.*

Post tertium denarium sic orabis: *Gaudeo, & cõgratulor tibi, Virgo Maria, & Mater mea purissima, quia verbum Patris carne tua tectũ peperisti, pannis inuoluisti in Præsepio reclinasti, & post partum inuiolata permansisti. Oro te Domina mea, & Mater Filij Dei per sanctissimum mysterium Natiuitatis suæ, vt impetres mihi ab eodem Filio tuo quietam mentem, & fastum sæculi aspernantem, vt me parumlum factum suum sectatorem agnoscat. Amen.*

Post quartum denarium sic petes: *Gaudeo, & congratulor tibi, ô Virgo Maria, Domina mea, & Mater mea altissima, quia sedes Saluatoris effecta, eum sustentasti, vt à Regibus tribus adoraretur, & munera, aurum, thus, & myrrham in signum suæ dignitatis, Deitatis, & mortalitatis acciperet. Oro te per mysteria manifestationis eius, qua mundo & gentibus sui notitiam præbuit, vt impetres mihi ab eodem Filio tuo spiritum rectè adorandi eum interius, & exterius, quo ei me totum in holocaustum offeram. Amen.*

Post quintum denarium sic postulabis: *Gaudeo, & congratulor tibi, ô Virgo Maria, Domina mea, & Mater mea solicitissima, quia Filium tuum duodennem, in templo remanentem solicitè quæsiuisti, fœliciter inueneris, & de mysterio disputationis eius cum Doctoribus exultasti. Oro te Domina mea, & Mater Filij Dei, per gaudium inuentionis eius, vt impetres mihi ab eodem Filio donum feruoris, & solicitudinis, quo eum quotidie amplius, & amplius quæram. Amen.*

In secunda quinquagena eodem modo præcedes, nisi quod sicut mysteria distincta sunt, ita etiam & titulos Virginis, & virtutes postulandas mutabis. In primo igitur huius secundæ quinquagenæ denario vocabis eam fidelissimam, quia verè fidelissima fuit erga Deum, quæ Filium ab eo dono susceptum, Patri repetenti ad passionem obtulit, & æquanimiter tali, ac tanti Filio orbata permansit, petesque ab ea spiritum resignationis, quo in omnibus tum prosperis, tum aduersis diuinæ voluntati subiiciaris. In secundo denario vocabis eam misericordissimam: verè enim misericors fuit erga homines, quæ, vt homines à miseria peccati, & mortis liberatos videret, commerita ab ipsis flagella dorsum filij sui dilacerare sustinuit, petesque ab ea spiritum paupertatis, quo omnia sæculi huius bona contemnas. In tertio

denario

denario vocabis eam prudentißimam: nam verè prudentißima fuit, quæ in tantis afflictionibus filij sui absque dubio notis, silere didicit, & vsque ad congruum tempus domi abscondita se continuit, postulabisque ab ea spiritum castitatis, quo mente, & corpore mundus existas. In quarto denario vocabis eam feruentissimam: nam verè feruentißima fuit, quæ præstituto à Deo tempore quietem deseruit, & Filium ad Crucem properantem comitatura quæsiuit, petesque ab ea spiritum obedientiæ, quo in omnibus non tuam, sed Dei voluntatem adimpleas. In quinto denario vocabis eam perseuerantißimam: verè enim perseuerantiæ plena fuit, quæ Filium neque in Passione, neque in ipsa morte reliquit, petesque vt impetret tibi spiritum humilitatis, quo te omni humanæ creaturæ submittas. Iam ipsas preculas excipe.

Post primum huius secundæ quinquagenæ denarium orabis sic: Laudo, & condoleo tibi, ô Virgo Maria Domina mea, & Mater mea fidelißima, ob eximium dolorem à te conceptum ex angustiis in horto, & sudore sanguineo Vnigeniti Filij tui. Oro te Domina mea, & Mater Filij Dei, ob promptißimam eius voluntatem, qua se ad mortem pro nobis obtulit, vt impetres mihi spiritum resignationis, & verißimam cum diuina voluntate concordiam, vt in omnibus Creatori meo subijciar. Amen.

Post secundum denarium sic. Laudo, & condoleo tibi, ô Virgo Maria Domina mea, & mater mea misericordißima, ob maximum dolorem à te conceptum in nuditate, & flagellis, & liuoribus, & plagis Vnigeniti Filij tui: oro te Domina mea, & Mater Filij Dei, ob nuditatem eius, qua nudus, & ligatus ad columnam stetit, vt impetres mihi spiritum paupertatis, quo omnes mundi diuitias, vniuersaque commoda pro nihilo ducam. Amen.

Post tertium denarium sic. Laudo, & condoleo tibi ô Virgo Maria Domina mea, & Mater mea prudentißima, ob maximum dolorem à te conceptum ex serto illo spinarum acerrimo, & alapis, & sputis, & aliis irrisionibus Vnigeniti Filij tui. Oro te Domina mea, & Mater Filij Dei per opprobria, & ignominias ab ipso susceptas, vt impetres mihi spiritum castitatis, quo mundo corde, & corpore ab ignominia corporis mei liberer. Amen.

Post quartum denarium sic. Laudo, & condoleo tibi, o Virgo Maria Domina mea, & Mater mea feruentißima, ob dolorem à te conceptum in baiulatione Crucis, & lassitudine, & doloribus Vnigeniti Filij tui. Oro te Domina mea, & Mater Filij Dei ob pondus Crucis eius, & irrisam innocentiam eius, vt impetres mihi spiritum obedientiæ, quo Crucem amabilem status mei libenter post ipsum portem. Amen.

Post quintum denarium sic Laudo, & condoleo tibi, ô Virgo Maria, Domina mea, & Mater mea perseuerantißima, ob maximum dolorem à te conceptum in crucifixione, & tormento, & plagis manuum, & pedum, & lateris, & in septem verbis Vnigeniti Filij tui. Oro te Domina mea, & Mater Filij Dei ob tam eximium ab ipso datum in Cruce humilitatis exemplum, vt impetres mihi spiritum humilitatis, quo ex corde me dejciens eius discipulus fiam. Amen.

Similiter in tertia quinquagena procedendum est, nisi quod mysteria vitæ Domini, & tituli Virginis mutandi sunt. In primo denario vocabis eam lætißimam: verè enim lætißima fuit, quæ Resurrectione Filij supra omne, quod dici, aut cogitari potest, læta fuit, petesque vt impetrando, in mente tua fidem adaugeat, quo firmius, & efficacius mysteria reuelata cognoscas.

In secundo denario vocabis eam piißimã: verè namque pietate excelluit, quæ abscedente per Ascensionem filio, in Matrem Ecclesiæ, & omnium fidelium Protectricem data est: postulabisque ab ea virtutem spei, qua beatitudinem, & omnia media ad eam consequẽdam expectes.

In sertio denario vocabis eam ditißimam: nam verè diuitijs abũdauit, quæ in immensum supra omnes Apostolos, & discipulos gratiam, & Spiritus sancti dona suscepit; petesque ab ea virtutem charitatis, & septem Spiritus sancti dona, quibus pauper mundo, dives cœlo, & cœlestibus fias.

In quar-

In quarto denario vocabis eam sublimissimam: nam verè supra omnem cogitationem nostram sublimis est, quæ super omnes Seraphicos spiritus, & super omnem creaturam exaltata est, postulabisque ab ea virtutem orationis, qua intellectu, & affectu corruptibilia transcendens, te cælestibus ingeras.

In quinto denario vocabis eam potentissimam: verè namque potentissima est, quæ diademate Reginæ cæli, & terræ cumulata, quidquid cupit, aut vult, à Deo statim obtinet, petesque ab ea sanctam, & fœlicem mortem, qua à mortalitatis vinculis absolutus, diuino aspectu perfruaris. Ex his facilè poteris tuas preculas efformare, quas laboris leuandi gratia hoc loco subijcio

Post primum denarium huius tertiæ quinquagenæ, orabis sic. Laudibus effero, & congaudeo tibi, ô Virgo Maria, Domina mea, & Mater mea lætissima, ob glorioſum gaudium à te susceptum in Resurrectione, & impassibilitate, & charitate, & omni gloria Vnigeniti Filij tui. Oro te, ô Domina mea, & Mater filij Dei, ob immensam claritatem eius Christi Domini, & Saluatoris mei, vt impetres mihi spiritum fidei, & perfectionem eius, vt intimius, & efficacius cælestia cognoscam. Amen.

Post secundum denarium sic. Laudibus effero, & congaudeo tibi, ô Virgo Maria, Domina mea, & Mater mea piissima, ob ineffabilem exultationem à te susceptam in admirabili Ascensione, & solemni pompa, ac ineffabili Maiestate Vnigeniti Filij tui. Oro te Domina mea, & Mater Filij Dei, ob gloriam eius, qua in cælum ascendit, dona hominibus daturus, vt impetres mihi spiritum spei, & augmentum eius, quo fœlicitatem, & media ad eam consequendam sperare, & ad laborandum pro ea incitari valeam. Amen.

Post tertium denarium sic. Laudibus effero, & congaudeo tibi, ô Virgo Maria, Domina mea, & Mater mea ditissima, ob incredibilem lætitiam à te susceptam in aduentu Spiritus sancti, quando in te, & Apostolos effusus est. Oro te Domina mea, & Mater Filij Dei ob immensam charitatem eius, vt impetres mihi virtutem charitatis, & septem dona Spiritus sancti, quibus & ipsum super omnia diligam, & proximos sicut me ipsum diligam, & ab ipsius Dei mei ductu moueri me sinam. Amen.

Post quartum denarium sic. Laudibus effero, & congaudeo tibi, ô Virgo Maria Domina mea, & Mater mea sublimissima ob maximum gaudium à te susceptum in Assumptione tua cum corpore, & anima supra omnes cælestes spiritus euecta, & ad dexteram Filij collocata es. Oro te Domina mea, & Mater Filij Dei, ob celsitudinem habitationis tuæ, vt impetres mihi à Filio tuo spiritum orationis, qua mente terrena deseram, & ad cælestia conscendam. Amen.

Post quintum denarium sic. Laudibus effero, & congaudeo tibi, ô Virgo Maria, Domina mea, & Mater Filij Dei, ob dignitatem tuam, qua miserias nostras scis, & eis subuenire vis, & potes, vt impetres mihi bonam, & sanctam mortem, qua ab hoc sæculo nequam discedens, conspectu Domini cum sanctis omnibus perfruar. Amen.

Ad extremum solum restat, vt pro deuotè recitanda Corona Virginis, nonnihil dicamus: licet enim, quæ superius de Rosario diximus, ad coronam facilè conuerti possint; nihilominus tamen, quia numerus decadum diuersus est, secundum enim diuersas sententias de ætate Virginis, sex assignantur, vel septem decades, alios etiam faciles modos coronam recitandi breuiter subijciam; & quidem licet conuenienter quispiam coronam septem decadum recitare possit in honorem septem gaudiorum: nimirum cum filium de vtero suo concepit, Beatam Elisabeth visitauit, Vnigenitum suum peperit, à Regibus Magis adoratum vidit, in templo inter Doctores docentem inuenit, à mortuis suscitatum, & glorioſum conspexit, in cælum assumpta fuit. Aut certè eandem coronam posset recitare in memoriam, & cultum septem dolorum Deiparæ Virginis, nempe, cum Christus sanguinem fudit in Circuncisione, exul fuit in AEgyptum, illum amisit per triduum,

dum, Crucem baiulantem aspexit, in Cruce pendentem vidit, à ligno depositum inter brachia suscepit, & Christo iam sepulto, charissimo suo pignore priuata dolebat, quibus omnibus posset aliquam istarum piam meditationem finito decade subiungere. Cæterum cum corona Regium Mariæ diadema designet, aptè satis septem decades recitabimus ad septem Virginis prærogatiuas, seu coronas religiosè colendas,

Apocal. 19. ad quas inuestigandas, Apocalypsis cap. 19. aditum nobis aperit. Nam si draco, cuius caput B. Virgo contriuit,

Apocal. 12. septem diadematibus coronabatur, iuxta illud Ioannis Apocal. 12. *Ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata septem*; sapiēter quidē iudicamus, septē coronis è diametro illi oppositis, Marianum caput cingi, ad imitationem Christi, de

Apocal. 19. quo idem Ioannes 9. dixit: *Et in capite eius diademata multa*: etenim Virgo pariter cum Christo septem opulentissimis regnis imperat, quibus septem diademata respondent. Primum est Regnum Angelorum clarissimum, cui semper suam faciem ostendit, secundum Regnum Apostolorum, & Patriarcharum, & Prophetarum potentissimum, quo mundum sibi subijcit. Tertium Regnum Martyrum fortissimum, quo potestatibus aduersarijs restitit. Quartum Regnum Pontificum diligentissimum, quo militantem Ecclesiam regit. Quintum Regnum Doctorum sapientissimum, quo ignorantiæ tenebras pellit. Sextum Regnum Confessorum, Monachorum, & Anachoretarum obseruantissimum, quo campos virtutum ad ferendos vitæ æternæ fructus exercet. Septimum Regnum Virginum, Viduarum, & aliarum Sanctarum mundissimum, quo in terra vitam cælestem instituit. Equidem si potentissimus Rex Assuerus cum adamauit Esther Reginam, vt legimus liber E-

Esther 2. sther cap. 2. posuit diadema Regni in capite eius, quanto magis Christus Dominus credendus est posuisse in capite Genitricis suæ Regia hæc diademata; quam præ omnibus adamauit, & super omnes creaturas principari decreuit.

Ad hæc inuenio etiam alium perfacilem modum recitandi Coronam, seu Rosarium, persimilem ei, quem in Psalmodia obseruant Cā antes in Choro, alternatim versiculos, dicentes: quem etiam morem laudationis, in cælesti Hierusalem exerceri à Beatis vidit raptus in spiritu inclytus Martyr Ignatius, vt in Hist. Eccles. legimus. ad quod alludens Ecclesia canit, *In Hist. Eccles.*

Alternando, concrepando,
Melos damus vocibus.

Potest autem hic mos obseruari, non solum inter duos, sed inter plures, vt obseruasse se fatetur cum domesticis suis tempore itineris, necnon & stationum ad Ecclesias, pijssimus Nauarrus libro de Psalterio Beatæ Virginis. Ad extremum, quia multos audio varijs negotijs præpeditos, ac tot externis occupationibus immersos, vt dicant sibi non superesse exiguum aliquod temporis spatium, vt recitationi Coronæ vacare queant; hos in Christo Iesu moneo, vt saltem totam Coronam Deiparæ recitent, diuidentes illam per septem dies hebdomadæ iuxta totidem decades illius, ita vt vnoquoque die vnam compleant Decadem Salutationum Angelicarum, recitata prius semel oratione Dominica: hac enim ratione fiet, vt intra spatium vnius anni tot coronas recitent, quod sunt eius hebdomadæ, ac totidem coronis caput Virginis exornent: quot non parum eis proderit ad protectionem, & amorem eius conciliandum, adeoque perfacile, ac breue est hoc spirituale exercitium, vt nemo quantumuis negotiorum pondere onustus, non possit illi vacare, vel quando è lecto surgit, vel dormitum se confert. *Nauarr. lib. de Psal. B. Virginis.*

Exhortor etiam eosdem, vt saltem coronam

ronam Beatæ Virginis recitent, dicentes, vt minimam loco totius salutationis Angelicæ, verba illa, *Aue Maria gratia plena, Dominus tecum* hac enim ratione facillimè totam Coronam breuissimo tempore explebunt, ac Deiparæ Virgini, si non pro dignitate, saltem pro modulo suo, religiosum aliquem cultum exhibebunt. Cui sit Honor, & Gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

Sacræ Fraternitatis Rosarij excellentiam, ac miram vtilitatem ex multiplici cap. palam facimus, pleraque eius præconia decantantes.

D.Th. 3.p.q. 28. art. 3. ad 5.

ANgelicus Doctor Sanctus Thomas, 3. part. q. 28. art 3. ad 5. quadripartitam fraternitatem in hæc verba tradit: *Quatuor modis dicuntur in Scriptura fratres, natura, gente, cognatione, & affectu.* fratres natura dicuntur, qui eodem paterno, maternoue sanguine procreati sunt, vt iustus Abel, & inuidus Cain. fratres gente vocantur illi, qui eiusdem sunt nationis, seu natiui soli, vt in Sicilia Siculi, Neapoli Neapolitani, ad quod genus fraternitatis respiciens Dominus dixit Deuter. 15. *Præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi, qui tecum versatur in terra.* fratres cognatione illos censet D. Hieronymus aduersus Heleuidium, qui de vna sunt familia, & ex vna radice prodeunt, in quo sensu Genes. 13 dixit Abraham ad Loth: *Non sit rixa inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos, quia omnes fratres nos sumus.* fratres tandem affectu, illi dicuntur, qui amoris vinculo inter se copulati sunt, quorum semper aliquos omnis tulit ætas, celebres tamen non ita multos, quin pæne numerari queant. Tales Hercules, & Theseus memorantur. Nam & hic illius virtutem, ac facta cõstanter imitabatur, & ille hunc apud hostes captiuum eximere conatus est. Talis cum Pyrithoo Theseus extitit, teste Poeta.

Deut. 15.

D. Hieron. aduers. Heluid.

Genes. 13.

Pyrithoum Theseus Stygias comitatur ad vndas — Plutar. lib. Illustr. virorũ in Thes.

Statius verò similes Marium, & Caspiũ Romanos fuisse sic celebrat. — Ouidius.

sacro iuuenes Prænestе creati.
Miscuerant studia, & iuncta tellure ferebant, — Statius.
Velle ac nolle ambobus idem, sociataque toto
Mens æuo, ac paruis diues concordia rebus,
Ac ubuere simul, votisque ex omnibus vnum.
Id fortuna dedit, iunctam inter prælia mortem.

Tales Nysum, & Euryalum, musa non paulò maiore, canebat sic Maro:

His amor vnus erat, pariterque in bella ruebant. — Virg. lib. 9. Aeneid.

Talis & AEneæ fidus Achates semper amicus erat. Talis deniq; suus ille Politiano Vati, quem ipse præ cunctis isto effert elogio:

Vt tibi collatus iuuenes Phocæus Orestem
Oderit, & spernat Thesea Pyrithous: — Anglus Politian.
Sicanium Pyladem credatur fallere Damon,
Vixque bonum frænis Castora frater amet.

Sed forsan hæc vana, at sana illa, & vera de plano, Dauidi, ac Ionathæ esse fratres dedit non vlla cognati sanguinis necessitudo, sed animorum, morumque similitudo. Hęc altior, & arctior coniunctio fecit Apostolos fratres: eadem Christi fideles omnes fratres fecit. Quæ enim mens alia Seruatoris erat, ita percũctantis: *Qui sunt fratres mei?* & extendens manum in discipulos suos dixit: *Ecce mater mea, & fratres mei.* — 3. Reg. 13. Matth. 12.

Ne vero soli Apostoli hac voce designati credantur; Marcus etiam oculorum gestum in Seruatore notauit, quo omnes fideles complexus est Dominus. Nam hic circunspiciens eos, qui in circuitu eius sedebant, ait: *Ecce, qui enim*
Marc. 3. 34. *fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est.* At quæ illa Dei
Luc. 8. 21. voluntas? Lucas sic prodit: *Qui Verbum Dei audiunt, & faciunt, fratres mei hi sunt.* Quod quidem audire, & facere Dei verbum, non Apostolorum esse duntaxat voluit legis ille lator, sed quorumcunque etiam Christianorum. Ea propter
Matth. 23. 8. alibi inquiebat: *Vos omnes fratres estis; vnus enim est Pater vester, qui in cælis est, & Magister vester vnus est Christus.* Cum igitur Christiani omnes inter Christi discipulos, auditoresque censeri debeant, eodem quoque fratres affectu Christiano esse oportere necesse est. Hanc ex affectu pio fraternitatem S. Hieronymus diuidit bipartito: *in spiritualem, & communem*, & quidem per spiritualem, in-
S. Hieron. quit: *Omnes Christiani fratres vocamur, vt ibi: Ecce quàm bonum, quàm iucundum est*
Psal. 132. *fratres habitare in vnum & in alio Psalmo Saluator, Narrabo, inquit, nomen tuum fra-*
Psal. 21. 23. *tribus meis. Rursus alibi: Vade, dic fratribus meis. Porro communis est fraternitas, quia*
Ioan. 20. *omnes homines ex vno patre nati, pari inter*
Isai. 66. *nos germanitate coniungimur. Dicite, ait, his,*
2. Cor. 5. 11. *qui oderunt vos, fratres nostri estis. & Apostolus: si quis frater nominatur fornicator, aut auarus, aut Idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere.* Hæc strictim Hieronymus, sed clarius distinguit vtramque eam fraternitatem, dum ex Basilio in similem scribit sententiam Illustriss. & Do-
Hos. tom. 5. de Confess. Fidei Catholicæ. c. 8. ctiss. Cardinalis Stanislaus Hosius: *Omnes*, inquit, *inuicem cognati sumus, fratres omnes, ex eodem patre prognati omnes.* Si spiritualem quæris, Pater noster ille est, quem vno ore inuocantes dicimus:
Matth. 6. *Pater noster, qui es in cælis.* Sin autem terrenam quæris originem, Pater noster Adam, Mater nostra est terra, ex eodem luto fabricati sumus omnes. Itaque natura fratres sumus secundum carnem, & secundum spiritum fratres nati sumus, vel potius regenerati. Eundem à primo homine sanguinem ducimus, eamdem à Christo gratiam accipimus. Quantum autem spiritualis fraternitas naturalem præcellat, duo inter alia præcipuè manifestant, tum quòd fundamentum fraternitatis naturalis caro est, & sanguis, quæ consistunt instar amnis: facilè enim aut per se diffluit, aut dispergitur, & euanescit, Isaia dicente cap. 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri, exsiccatum est fœnum, & cecidit flos.* Spiritualis autem fraternitatis fundamentum, & basis charitas est non ficta, vt loquitur Apo. 2. Corinth. 6. Vnde quantum superat naturam gratia, sanguinem animus, spiritus carnem, regeneratio generationem, secundus Adam primum, tantum fraternitas spiritualis excedit fundamentum naturalis fraternitatis: tum quod omnis naturalis fraternitas nata est, vt occidat, & pereat, cum statutum sit hominibus semel mori, vt loquitur Apost. vnde rectè Silius Italicus lib. 3. Isai. 40. 2. Cor. 6.

decinit:

Et pace, & bello cunctis extat terminus æui; Silius lib. 3.

Cui consonat illud Ouidij Eleg. 8.

Fata manent omnes, omnes expectat auarum Portior. Ouid.

At fraternitas spiritualis per mortem non perit, vt Virgilius canit in obitum Mœcenatis.

Et decet, & certè viuet tibi semper amicus, Nec tibi qui moritur, desinet esse tuus. Virg. in obitu Mœcen.

Cui persimile est illud Cassiani in collationibus Patrum: *Hæc est vera fraternitas, quæ nullis vnquam casibus scinditur, quam non solum dissociare, vel delere locorum, vel temporum interualla non præualent, sed nec mors ipsa quidem diuellit.* quare frater huius fraternitatis in Domino moriens, confratri suo meritò dicere poterit illud Paulini ad Ausonium. Cassian. in coll. Patr.

Te

Paulinus ad Ausonium.

Te video corde, mente complectorpia
Vbique præsentem mihi:
Et, si solutus corporali carcere,
Terraque præuolauerim,
Cum me locauit axe communis Pater,
Illic quoque te animo gero.

Quantum autem longo interuallo hæc spiritualis fraternitas Mariani Rosarij reliquas alias præcellat, non meum testimonium, sed Doctissimi Thritemij satis luculentum accipite, ille lib. de Fraternitate S. Annæ cap. 15. hæc scripsit: *Quanto Dei Mater cum genitrice sua, meritis, & sanctitate reliquos Sanctos in cælo antecellit, tanto Fraternitas nomini eius dicata, locum tenet eminentiorem, vnde vt fideles promptam apud Deum aduocatam habere mereantur, sub nomine Rosarij ad honorem eius Fraternitatem instituerunt.*

Thritem. li. de Fratern. S. Ann. c. 15.

Cæterum, vt eius excellentiam, ac præclara encomia ab eius primordijs repetamus, dedit certè illa insignis Patriarcha Sanctus Dominicus: cuius rei, & traditionis authoritas, & sacrorum Pontificum testimonia apertissimè probant: & quidem quòd ad traditionem attinet, verba Diui Hieronymi contra Luciferianos de Ecclesiasticis traditionibus loquentis, præsenti traditioni satis conueniunt: *Totius Orbis in hac parte consensum instar præcepti obtinet; nam & multa, quæ per traditionem in Ecclesijs obseruantur, authoritatem legis vsurparunt, & rationabilis obseruatio ea sibi vendicat, quoniam ita nos tradidere maiores.* Cum ergo à multis retro annis omnium populorum consensu B. Dominicus huius Fraternitatis Institutor, & Fundator habitus fuerit, planè fatendum est, id traditionis robore firmatum esse, vnde cum Diuo Basilio Magno epist. 37. nobis dicere licebit: *Nos confitemur, quod traditum accepimus.* quòd si nondum acquiescis, audi Diuum Ioannem Chrysostomum homilia quarta in 2. ad Thessalonicenses: *traditio est, nihil quæras amplius.* At te quærere amplius video testem illius, sed frustra cum traditio ipsa sibi testis sit, verùm præter traditionem adsunt testes huius veritatis omni exceptione maiores, sacri Pontifices, grauissimique Authores. nam Leo Papa Decimus in Bulla *Pastoris æterna*, edita anno 1520. sic loquitur: *Olim pro historijs legitur. A S. Dominico quædam Confraternitas vtriusque sexus fidelium, de Rosario eiusdem B. Virginis Mariæ nuncupata, ad honorem Angelicæ salutationis instituta, & in diuersis Mundipartibus prædicata fuit, etiam sequentibus signis.* id ipsum lego apud Pium Quintum in Bulla, *Consueuerunt*, & apud Clementem Septimum, Paulum Tertium, Paulum Quartum, & Pium Quartum, alioſque Pontifices, quos longum esset percensere. Accedit Alexander Foroliuiensis Episcopus, idemque Nuncius Apostolicus, & Legatus à latere pro Germania, qui in Bulla, *Exit gloriosus*, anno 1476. dixit: *Beatissimæ Virginis Mariæ laudabilis Fraternitas, de Rosario nuncupata, per Beatissimum illius primum Patrem legitur prædicata.* sed & alios antiquiores testes iam probo. hi sunt, duo socij individui Beati Dominici, qui ab eo in Generales Rosarij, & eius Fraternitatis Prædicatores creati fuere: hi sunt, Ioannes de Monte, & Magister Thomas de templo, in libro de miraculis beatæ Virginis, cuius sanctitatis, & eruditionis meminit Antonius Senensis in Bibliotheca Patrum Ordinis Prædicatorum. Accedit etiam, quòd vniuersa Leodiensis congregatio in manuali sodalitatis annuntiatæ parte 1. cap. 2. inquit: *Sodalitates sua dignitate fructumque superauit nobilissima Rosarij sodalitas, à B. Dominico Ordinis Prædicatorum fundatore circa partes Tholosanas primum instituta.* Confirmat omnia hucusque dicta, quòd beatus Alanus lib. de dignitate psalterij beatæ Virginis refert, quòd cum B. Dominicus nauigans, captus esset à pyratis, & ad triremes destinaretur, ingens suborta est tempestas, ita vt nauis patronus submergeretur, & alij in magno vitæ discrimine versarentur, oranti B. Do-

D. Hieron. cõt. Lucifer. de Eccl. tra dit.

D. Basil. epist. 37.

Chrys. hom. 4 in 2. ad Thess.

Leo X. in Bulla Pastoris.

Pius V. in Bulla, Consueuerunt.

Clem. VII.

Paulus III.

Paulus IV.

Pius IV.

Alex. Foroliu in Bulla, Exit glorio sus.

Thom. de Templ. li. de miracul. B. Virg.

Ant. Senens. in Biblioth. Patrum.

Leodien. Cõgreg. in Manual. sodal. Annunt. par. 1. c. 2.

B. Alan. lib. de dignitate Psal. B. Virg.

minico pro illorum incolumitate apparuit B. Virgo, multis fulgoribus coruscans, dicens, quòd eius amore libens tranquillum, & placatum redderet mare, dummodo homines illi hanc prius admittere vellent conditionem, omni die psalterium dicere, & nouam fraternitatem, quæ Iesu Christi, ac Virginis nuncuparetur, inchoarent: qua impleta conditione continuò siluerunt venti, & frementes maris fluctus quieuerunt, & facta est trãquillitas magna: neque quicquam officit, quòd apud B. Alanum in apologetico cap. 22. hæc verba leguntur: *Beatissimus Dominicus diuino fretus auxilio pro animarum salute multarum, vtpotè qui fuit prædicator summus, re, nomine, & professione, in mundo ad hoc cum signis, & portentis mirabilibus missus, idcirco communitatem istam renouauit, quæ dudum ante tempora sua valde inchoata fuit.* hoc, inquam, assertæ veritati nihil obest, quia ante beatissimum Dominicum rudis, & informis erat illa communitas, ipse verò formam, & splendorem ei exhibuit, & talis, qualis nunc est, ei ipse est auctor, talemque ipse regenerauit, qualem nũc habemus. Vnde quemadmodum licet multorum sententia sit, alium ante Romulum Romæ ædificationi primordia dedisse, quia tamen illa parui momenti fuerant, absolutè Romulus Romæ fundator nuncupatur; ita licet fraternitatis initia quædam beatum Dominicũ præcesserint, ipse tamen ita illa promouit, vt non tam promotor, quam auctor dici mereatur, atque hinc illud non leue, sed magni momenti putarim huius confraternitatis præconiũ, quod illustrissimæ familiæ Prædicatorum Germana, & vterina soror sit ab eodẽ sanctissimo Dominico vtriusque parente progenita, ad vbera eius pariter enutrita, vt in vniuersas fere mundi plagas diffusa. Incredibile pænè videri potest, quod referam: verissimum tamen est, & Prædicatorum testantur chronica. Postquã anno 1217. B. Dominici institutum esset ab Honorio Pont. Maximo confirmatum, S. Dominicus emisit per orbem paucos, quos habuit, fratres, prædicatũ. Hi intra quadriẽnium ita totum ferè orbem fermẽtauerunt, ita sese auxerunt, & numero fratrum, & ædibus conuentuũ, vt S. Dominicus hasce in Prouincias distribueret maximas. Vna ipsi erat Prouincia tota Francia, alia omnis Hispania, Anglia tota erat tertia, vna erat omnis Teutonum natio: Tolosanam, Narbonensem Lombardicam, Romanam, Prouincias ipse descripserat, & distinxerat. Harum nulla pauciores, quam sexaginta conuẽtus instructos numerabat: insuper ab eiusdem obdormitione anno altero, istæ sunt amplissimæ constitutæ Prouinciæ, à plurimis habitatę conuentibus, Polonica, Dacica, Græca, Ierosolymitana, Cyprensis. Nulla pars orbis Christiani fuit, quã ordo Prædicatorum non penetraret, peruaderet, insisteret, habitaret, ordinis Germana cõpar fraternitas Rosarij, eademque patrimonium suũ, hæreditas nunquam ab illius fuit latere seiuncta. Ita continuò vbi seminare cœpit ordo, Rosarij quoque cœpit ibidem stipatim germinare fraternitas. Quantum quãue latè? hinc id æstima, quòd Genebrardus prodit in chronicis, nimirum ferri, Prædicatorũ id ætatis cœnobia per orbẽ numerata fuisse quater millena centum, & quadraginta septem; atque hæc singula fraternitatis propagãdæ studiosissima simul extitere, exẽplo Patris sui S. Dominici, recens inter Diuos adscripti. Quapropter cum S. Dominicus vir tantus tantum sit adiumentum, ac ornamentum Ecclesiæ, tanta gloria Prædicatorum ordini; non potest non & fraternitati suæ admirabilem splendorem, & excellentiæ prærogatiuam afferre, velut idem vtriusque auctor inclytus, & fundator; vt non verè minus, quàm gloriosè prædicare de eo nobis liceat, quòd de Iosepho Eccl. *Homo princeps fratrum natus est firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi, & ossa ipsius visitata sunt,*

B. Alan. in Apol. 22.

Prædi. chronica.

In declarat. constit. Prædicat. dist. 1. c. 15 super illud B. Dominicus.

Genebr. in chron. lib. 4. sub initium.

sunt, & post mortem prophetauerunt. Circa illum corona fratrum, & *quasi plantatio cedri in mõte Libano* Par est igitur nos animis repetere, atque memoria dictum, factumq́ memorandum, iuxta illud, quo vel vno Regis Itapherni bello quodam deuicti, vxor à Persarũ Rege Dario cum cæteris capta, nominis immortalitatem inuenit Plutarcho teste, quæ cum victori Dario sisteretur captiua, toto ore, ac corpore celsi animi præseferẽs indolem regiam, sortem tantæ Rex miseratus fœminæ, viram ei condonauit, & libertatem simul eligẽdi vnũ ex omnibus captiuis fecit copiam, quem liberum vellet. Illa nihil deliberans, germanum fratrem sibi donari poscebat. Quod factũ admiratus Darius, cur Regem suum cõiugem Itaphernem præterijsset, percunctatur: illa respondet, alius maritus, alij liberi, si Deus volet, possunt mihi cõtingere, alium fratrem, defunctis iam vita parentibus, non est, quòd sperem. Non dissimiliter cũ iam B. Dominicus Prædicatorum ordinis, & huius Fraternitatis parẽs obierit, & ad superos euolauerit, iam non est, quòd alterã isti similem sperare debeat, vt enim dixit Plutarchus lib. de amicitia fratrum: *Fratris amici nulla est recuperatio, vt nec manus ablatæ.* Meritò ergo sacer ordo Prædicatorum suã protegit fraternitatem, & à depredatoribus, tamquam germanam suam sororem protegit, & defendit. Tandem necessitudinis vinculo copulata est sacra hæc fraternitas illustrissimæ Prædicatorum familię, vt ab ea inseparabilis sit, quod non pauca Pontificum decreta apertè contestantur, dũ seuerè præcipiũt, ne cuiquam licear, cuiuscumque sit status, ordinis, gradꝰ, potestatis, vel auctoritatis, præterquam Prædicatorũ ordini, aut quibus ipse permiserit, instituere, vel administrare Mariani rosarij fraternitatem, & vt reliqua omittam, vnicam, quæ instar mille est Pij V. sanctionem recitabo, in Bulla, quæ incipit: *Inter desiderabilia*, anno 1569. die 29. Iunij hæc scripsit: *Auctoritate Apostolica per præsentem statuimus, quòd nulli licitum existat Capellã Sanctissimi Rosarij in quauis Ecclesia, siue loco, eligere, præter dictum Generalem, aut ab eo deputatos* Et infra subdit: *Non enim omnes præmissis contrauenientes, indulgentijsque, & peccatorum remissionibus eis concessis priuamus, & priuatos, & indignos effici decernimus.* Quod idem prohibet in Bulla *Cõsueuerunt*, anno 1569 die 17. Septembris. Impulit sacros Põtifices hæc edere indulta, quod nouissima hac demum ætate, quidam extiterũt Marianæ huius fraternitatis inuasores, audaci pietatis promouendæ prætextu, totis viribus conantes illam ad se trahere, & absque facultate ordinis Prædicatorum, eius administratores fieri, quibus sanè à tẽtatoribus inuadendæ, ac sibi vsurpandæ fraternitatis alienæ opinor causam fuisse persimilem illi Dauidicæ, de qua lib 2. Reg. c. 6. *Nunciatum est Regi Dauid, quòd benedixisset Dominus Obededom, & omnia eius propter Arcam Dei: dixit Dauid, ibo, & reducam Arcam cum benedictione in domum meam* Certè propter mysticam arcam fraternitatis cumulauit Dominus vberrimis benedictionibus Prædicatorum Ordinem, vt apertè indicãt verba Deiparæ à B. Alano relata lib. de dignitate Psalterij B. Virg. cap. 16. *Quandiu durauit hoc Psalterium in tali ordine sancto, tamdiu scientia, sapientia, obseruantia, miraculorum fama, & gloria apud Deum, & homines in immensum floruit.* Hanc multiplicem benedictionem Dei, nonnulli obseruãtes, quæ per fraternitatem in Prædicatorum ordinem cælitus dimanabat, in illud inciderũt consilium, in quod incidit Dauid, vt secum adsportarent fraternitatem, alius alibi suo quisque in loco: *Ibo, & reducam arcam fraternitatis Rosarij cum benedictione in domum meam.* Verũ hic illis conatus nõ ita fortunauit benè, sicut Dauidi suus: quod cum hoc iustitia, cum illis quædã staret iustitia ex præiudicio, & damno tertij; est nãque ordini Prædicatorum diuinitus hæreditas data. Proinde Sancta Sedes Apo-

Idem 30.14.

Plut. lib. de amici. fratr.

Idem ibid.

Pius V. in Bulla. Inter desiderabil.

Bulla Consueuerunt.

2. Reg. 6.

B. Alan. lib. de dign. Psal. B. Virg. c. 16.

Apostolica hanc functionem fraternitatis omnibus alijs abiudicauit, & solis adiudicauit Prædicatoribus propriam. Euenit itaque attentatoribus istis, quod Iosepho, & Azariæ principibus: *Qui audientes res bene gestas, & prælia, quæ facta sunt à Iuda, & Ionatha, dixerunt: Faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare aduersus gentes. Abierunt Iamniam, exiuit Gorgias in pugnam, fugati sunt illi, & ceciderunt de populo Israel duo millia viri, & facta est plaga magna in populo, quia non audierunt Iudam, & fratres eius, existimantes fortiter se facturos. Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel.* Ita isti gloriæ cupidi appropriare, & vsurpare sibi tentauerunt sacram hanc confraternitatem, sed frustra, quia omnibus notissimum est, S. Dominici semen, & ordinem Prædicatorum esse, per quos iam 400. annis, & amplius, salus copiosa facta est in Ecclesia Dei. 1. Mach. 5.

Sed ad alia iam me conuerto sacræ huius fraternitatis præconia maiora decantanda: etenim quemadmodum D. Augustinus fatebatur lib. 9. epist. 95. quòd quatuor eum detinebant in Ecclesia, *consensio Populorum, authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, & charitate aucta, & vetustate firmata, tertiò successio Pontificum à Petro vsque ad Sixtum, quarto nomen Catholicæ, quod nomen nulla secta fuerit sortita*: ita similiter in Rosarij fraternitate, & deuotione, consensus est populorum, qui hanc amplectuntur deuotionem. In ea authoritas miraculis confirmata, & inchoata, spe nutrita, & charitate aucta, non diuitijs, non honoribus, non redditibus, sicut militiarum ordinum incrementa, sed amore erga Deiparam Virginem spe obtinendi eius patrocinium roborata, vetustate firmata, antiquitate stabilita ante quadringentos annos. Illud tamen singulare, & admirandum huius sacræ Fraternitatis encomium inter pleraque alia esse perhibetur, quòd Albigensium interemit hæreticam prauitatem: etenim sicut Beata Virgo eius parens, hæresum fuit interemptrix, vt loquitur Diuus Hieronymus, vel vt alij volunt, Sophronius de Assumptione B. Virginis, & sicut Beatissimus Dominicus eius Institutor, acerrimus fuit hæreticorum expugnator, ita hæc sacra Fraternitas per varias Mundi plagas hæresim diffusam, & instar Cancri serpentem, Rosarij armis extirpauit, ac penitus extinxit: etenim in Occidente Heretici quidam extiterunt, sed qui orti simul occiderunt, primus fuit Berengarius sacramentarius sub annum 160. deinde Basilius, Taudemus, Petrobrusiani, Henriciani, ac similis farinæ obscuri homuli. Quorum venenum hæreticum Authores pænè citius ipsos extinxit, quàm id sentiret Ecclesia; At vt refert Beatus Alanus in Apologicis. *Coortis derepente multis Albigensium myriadibus, Ecclesiam in Francia, in Gallia, & Lombardia latè pessundantibus, Eucharistiam, orationem pro viuis, pro defunctis despicatui habentibus: hic verò intremuit Ecclesia Occidentis, talium adhuc inexperta malorum, multa mouet, nulla pestem amouent, non arma, non doctrina deerant, deerat oratio. Huius immemorem monet Orbem de Cælo Seruator, monet Deipara, vterque per S. Dominicum, monent ambo prædicandi, ac orandi Rosarium: vt in vsum venit, creuit oratio, decreuit hæresis.* Vnde Summus Pontifex Gregorius Nonus in Bulla Canonizationis Sancti Dominici, dixit: *Dominico sagittante delicias carnis, & fulgurante mentes lapideas impiorum, omnis hæreticorum secta contremuit, omnis Ecclesia fidelium exultauit.* Eapropter in Theatro Canonizationis contestatum fuit ab eo, vel in sola Lombardia vltra centies millenos hæreticos conuersos, Ecclesiæq; redditos fuisse. Hæresis Albigensium qua vi, & via potissimum extincta est? Magnam partem armis, Cruce signatorum, maiorem prædicationibus Dominicanorum, maximam verò orationibus Fraternitatis Rosarij. Nam ista priora diu profecere non multum

Aug. lib. 9. epist. 95.

D. Hieron. Sophron. de Assumpt. B. Virg.

B. Alan in Apolog.

Greg. IX. in Bulla Canoniz. S. Dom.

sola,

sola. at Rosario Fraternitatis accedente, inquit Pius Quintus in sua Bulla, *Cœperunt hæresum tenebræ remitti, & lux Catholicæ fidei aperiri.* Idem contestatur Pius IV. in Breui, *Cum præclara: Nobis innotuit, Confraternitatem Rosarij, non sine magno fidei, & deuotionis argumento iam dici erectam esse.* Quantum autem in dies numero capitum auxit Fraternitas Rosarij, tantum imminuta est prauitas Albigensium; vicit Fraternitas orationibus hæresim, & profligauit: sed auspicio Reginę Mariæ, testis est Ecclesia, quæ sub eandem ferè tempestatem, eandem ob causam hanc adinuenit, & solemni ritu eādem introduxit Antiphonam: *Gaude, & lætare Virgo Maria, quæ cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso Mundo.* & quidem cum Deus, Deiparaque suam hanc Fraternitatem, velut quoddam voluerint cœleste esse Apiariū, cuius apes in Rosis Domini, ac Dominę diuinis, & Angelicis mellificare oportebat fratres, tanquam strenuos hæreticarum vesparum, quæ fraternitatis Apiarium deuastare moliuntur, expugnatores esse, & vindices, tanquam sibi dictum illud Diui Pauli ad Ephes. 6. *Galeam salutis assumite, gladium spiritus per omnem orationem, & obseruationē.* id quod satis perspicuè à primordijs cōstitutionis Mundi prædictum arbitror Diuino illo oraculo: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, semen tuum, & semen illius.* etenim sicut antiqui serpentis semen non est vnum, sed multiplex, omnes illi, & filij Belial, omnia genimina viperarum, omnes acuentes linguas sicut serpentes; ita quoq; benedictæ huius mulieris semen non vnum est, benedictus fructus ventris illius Christus, sed omnis, qui à Deo natus est: ex quo facilè mihi persuadeo, Confratres Rosarij semen Deiparæ Mariæ meritò censendos esse, cum ei sint peculiari ratione addicti. Vnde Summus Pontifex Paulus V. in Bulla, *Piorum nominum*, edita anno 1608. die 15. Aprilis, non dubitauit eos, *dilectos filios, Mariæ Confratres, & Consorores appellare.* est quidem illa Mater cunctorum viuentium, sed audent quoq; Confratres Mariani Rosarij illam sic affari, *dic, obsecro te, quod soror mea sis, vt benè sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui* benè sanè est Fraternitati: propter eam enim viuit, ob gratiam sororis, ac matris suæ interuentione, continuò gratiam iustificantem ei impetrantis, & eandem in ea conseruantis. Porrò iam adiungo aliud sacræ huius Confraternitatis præconium. etenim cùm per totum ferè orbem terrarum vbicunque Christi fides viget, sit iam fraternitas ista propagata, non potest eorum oratio ad impetrandum efficacissima non esse, D. Ambr. dicente, super epist. ad Rom. *Impossibile est preces multorum non exaudiri* Quicunque autem huic sacræ Confraternitati nomen dedit, habet multos, & pęnè infinitos vtriusque sexus Confratres, per Mundum vniuersum dispersos, quorum bonorū, & suffragiorum est particeps. Inter quos absque dubio multi sunt, Deum timentes, & mandata eius custodientes. Alij pueri innocentes, & sine macula saltem mortali, Rosarij pensum per singulos dies soluentes: multi, qui austeram, ac sanctam ducunt vitam. Oratio autem quantò à sanctiori, & digniori persona fit, tantò facilius à Deo exauditur, vt legitur 1. q. c. ipsi, & 14. q. 5. c. scriptum. Cui alludit illud Luc. 5 *multum valet oratio iusti assidua*: & hoc idem probat ipse Iacobus, exemplo Heliæ, dicens: *Helias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, vt non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. & rursum orauit, & Cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.* 3. Reg. 17. Si itaque tam efficax fuit oratio vnius iusti, vt exaudiri meruerit à Domino, quanto magis proderit oratio multorum iustorum? Libro 2. Reg. c. 14. legimus, quod cum Saul vellet occidere filium suum Ionatham, eo quod contra eius præceptum gustasset modicum mellis ante Solis occasum; Populus impensè instituit apud Patrem, vt tanti

Pius V. in Bulla, Consueuerunt. *Pius IV. in Breui, Cum præclara.* *Ecclesia.* *Ephes. 6.* *Genes. 3.* *Paulus V. in Bulla Piorū nominum.* *Genes. 12.* *Ambr. super epist. ad Rō.* *1 q. cap. ipsi.* *14 q. 5. cap. scriptum.* *Lucæ 5.* *Iacob. 5.* *3. Reg. 17.* *2. Reg. 14.*

vita donata fuerit Ionathæ, & placata est ira patris aduersus eum. Ionathas peccatorem designat, Saul verò Deum Patrem. Tunc ergo Saul voluit occidere Ionatham, quando Diuina iustitia tentat damnare peccatorem. At si fuerit huic Confraternitati adscriptus, instabunt pro eo Confratres boni, & iusti apud Dominum, vt non moriatur in æternum, sed viuat in præsenti vita gratiæ, & in futuro gloriæ. Et quidem, si orationem duorum iustorum promisit Dominus exaudiendam de cœlo, iuxta illud Matthæi decimooctauo: *Si duo ex vobis cōsenserint super terram, de omni re quācunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est*; quantò magis oratio innumerabilium iustorum exaudiri debet? Ad hæc præclarum illud huius Fraternitatis encomium non prætermittam, vtpote quod ad eam sectandam mirum in modum alliciat. arbitror sanè, nec immeritò inter argumenta, & signa moralia æternæ prædestinationis illud non infimum locum obtinere, quod quispiā nomen dederit huic sacræ Fraternitati. sicut enim secundo Regum cap. 16. legimus, quod cum Ionathas, & Achimaas fugerent à facie Absalonis, quærentis eos occidere, mulier quædam illorum miserta, abscōdit eos intra os putei sui, expandens velum super ipsum, ne à seruis Absalonis transeuntibus viderētur, qua mulieris industria à morte prælibati fuere. non dissimiliter cùm Deus, ira percitus aduersus peccatores, mittit dæmones, iustitiæ suæ ministros, vindices, & executores, iuxta illud Psalmi: *Misit in eos indignationem & iram, & tribulationem, immissionem per Angelos malos*, Beatissima Virgo intra sinum misericordiæ suæ, quos agnouit huius fraternitatis alumnos, eosdem protegit, & abscondit, vt à diuina ira eos eripiat. Quare singulis huius fraternitatis Beatissimam Virginem dicentem audio illud Psalmi: *Quoniam in me speranit, liberabo eū*, scilicet ab omni angustia in præsenti

Matth. 18.

2. Reg. 16.

Psal 90.

sæculo, & ab æterna damnatione in futuro, idque propterea, *quoniam cognouit nomen meum*, illud repetens, & religiosè inuocans per Rosarij preces, *clamauit ad me*, scilicet inter aduersa auxilium meū postulans, nec frustra quidem, *quia exaudiam eum in die tribulationis suæ, nec derelinquam eum, cum ipso sum in tribulatione*, iuge auxilium liberaliter ei impertiens.

Quid plura? illa memorabilis huius Fraternitatis laus est, vt nulla sit in Ecclesia Catholica congregatio, in qua frequentius, & inessabilius orationis diuinus cultus vigeat, quam in illa: etenim quam latè patet Ecclesia Dei, in cuius omni loco incruentum Christi sacrificium offertur nomini Dei, tanquam oblatio munda, & immaculata, vnde Zacharias vocat illud iuge sacrificium; tā latè patet Prædicatorum Religio, germanaq; eius soror Fraternitas. vnde sicut iugis sacrificij in Eccle. adest perpetua quædam, diurna nocturnaq; continuatio absque vlla intermissione (nam diu noctuque momentum non est, quo Sol oriens, non aliam semper, atque aliam Ecclesiæ aram perlustrans, aperiat, & Christi Domini ad aras operandum euocet) ita quoque non esse particulam temporis existimo, quo non aliquæ ad Rosarium preces defundantur. Hocque id amplius cēseo, quo & plures sunt Rosarij oratores, quàm Sacerdotes, & quo ad illud facilius est accedere, & repetere id sæpius licet, quàm sacrum Missæ officium.

Quid, quod nulla Fraternitas mihi esse videatur, cuius solius tituli nomenclatura simul ipsa, & fidei orthodoxæ tam certa sit professio eadem, quam certam solum facit signum Rosarij? Inter hæreticos es? Rosarium gere, prome Rosarium, aut voce profitere te in Rosarij Fraternitate cultorem glorioſissimæ B. Virginis Mariæ censeri, iam continuò Romanēsis audis, iam Papicula cum cachinnis, & conuitijs proclamaberis, iam

vcrus

verus veræ Confessor fidei coram hominibus factus, & agnitus mereberis, quem & Auctor fidei Christus Iesus coram Patre suo confiteatur. Inter Catholicos versaberis? idem exhibe Rosarium, id ora, id lauda, vel ad eius te cultores fratres iunge. Continuò qui præsentes adfuerint, aliam longè de te opinionem tacitis concipient animis, rectè in fide sentientes, & humilibus consentientes, te illi pium, modestum, grauem, & comem, ac virum bonum esse sibi persuadebunt; certè talem minimè, qualem Mundi zizanios us ager in maligno positus, efferre passim consueuit. Quid, quod nulla Fraternitas sit amplior illa, pluresque sinu suo complectatur? doctissimo Beyssel io libro de Rosacea Co-

Beyssel. li. de Rosacea Corona.

rona dicente: *Tanto existimanda est melior, & diuinior, quanto cum pluribus potest haberi communior. Nam cæteræ quidem inter Christianos sodalitates, ita fermè sunt institutæ, vt neque ætatum sint omnium, neque sexuum, neque conditionum. At verò hæc infantiam mulcet, senectutem non offendit, otiosos exercet, non impedit occupatos, potentes & diuites allicit, pauperes & debiles non excludit, tepidos adfastidium non adducit, nec viuos tantum, sed & defunctos admittit. hæc societas aliarum omnium videtur in se complexa esse diuitias.* Accedit his omnibus, quod hanc fraternitatem super reliquas omnes Sacri Pontifices, Vrbanus Quartus, Ioannes XXII. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. Iulius Secundus, Leo X. Adrianus Sextus, Clemens VII. Paulus III. Iulius III. Paulus IV. Pius IV. Pius V. Gregorius Decimustertius, Sixtus Quintus, Clemens Octauus, & Paulus Quintus, ex ętario Ecclesiæ multis Indulgentiarum diuitijs locupletarunt, quod vt luculentius pateat, non grauabor in perpetuam rei memoriam eas omnes hic agglomerare.

Vrban. 4. Ioan 22. Sixtus 4. Innoc. 8. Alex. 6. Iulius 2. Leo 10. Adrian. 6. Clem 7. Paul. 3 Iul 3. Paul 4. Pius 4. Greg. 13. Sixtus 5. Clem 8. Paul. 5.

§. 1.

Pro inscriptione in Fraternitatem Rosarij.

PRima singulis de Fraternitate plenariam indulgentiam semel in vita, semel in morte concessit vivæ vocis oraculo Innocentius Octauus anno 1484. die decimatertia Octobris. Successores confirmarunt omnes. Secunda, qui quæ prima vice inscripti fuerint, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in aliqua Ecclesia Fraternitatis perceperint, & vnam saltem quinquagenam recitauerint pro Ecclesiæ tranquillitate, ijs est plenaria indulgentia. Item, qui in mortis articulo constituti, salutaris pœnitentiæ, & viatici Sacramẽto muniti fuerint, vtriq; plenam omnium, & singulorum peccatorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer consequuntur. Ita Pius in Bulla consueuerunt, anno 1560. die 17. Septembris 3. Nouissimè de his nominatim Gregorius Decimustertius in duobus breuibus: vtriusq; initium est, cum sicut accepimus, &c. datum prius 25. Maij, alterum primo Iunij anno vtrumque 1579. Vi horum, ingressus in Fraternitatem si pœnitens, confessusque communicarit, acquirit plen. indulgentiam. Item semel in vita quando voluerit, confessusq; communicarit, plen. indulgent. Item, tertio in articulo mortis inuocans corde, vel ore sanctissimum nomen Iesu habet plenariam indulgentiam.

Innocen. 8.

Pius in bulla consueuerunt.

Greg. XIII. in duob. breuibus.

§. 2.

[illegible]o gerentibus secum Rosarium.

OMni die, quo quis de Fraternitate Rosarij secum tulerit palam Rosarium, meretur cc. annos, cc. quadragenas indulgen. Innocent. VIII. in breui, splendor paternæ gloriæ Romę 1488. & Alexander VI. in breui illius, qui

Innoc VIII. in breui splendor paternæ gloriæ. Alex. VI.

qui perfectę charitatis est, &c. Romę anno 1494.

§. 3.

Pro deuotè orantibus Rosarium.

PRima non libet, nec opus est sigillatim referre, quantum, & quando quisq; Psalterium totum, aut Rosarium contulerit, verbo Dico, vix fuit Pontifex à Sixto IV. qui datas non confirmarit, & auxerit alijs. Secunda solus Innocentius VIII. & Alexander VI. vbi supra confirmauit, contulit vterque dicenti Psalterium, id est, xv. decades coniunctim, vel diuisim indulg. annorum trecętorum sexaginta millium, alij plures superaddiderunt. Tertia Adrianus VI. in breui illius, qui Dominicum, &c. anno 1523. die 1. April. dedit indulg. annorum quinquaginta dicęti Rosarium vnum palam, vbi videri possit, dico in templo fraternitatis: at Clemens VII. in breui ineffabilia, &c. anno 1592. 23. Maij extendit hoc ad omne templum, & duplicauit annos indulgentiarum, vt sint c. Demum Paulus III. anno 1537. 13. Augusti dedit plenā indulgentiam Quarta quicunque è fraternitate orarit, & quādocunque, & quotiescunque Rosarium, seu quinquagenam pro defunctis, is liberat animam vnam è purgatorio. Paulus III. ibidem. Quinta dicentibus Rosarium in certis festis certæ, immensæq; sunt datæ indulgentiæ à pluribus.

Sixt. IV. *Innoc. VIII.* *Alex. VI.* *Adrian VI.* *Clem. VII.* *Paul. III.* *Paul. III.*

§. 4.

Pro confessis, & communicantibus.

PRrimò. In festo Annunciat[illegible] qui de fraternitate Rosarij cō[illegible] communicarit, & orarit rosarium vnum in templo rosarij, meretur plenarum indulgent. Pius V. in breui, iniunctum nobis desuper Romæ anno 1566. 14 Iunij. Secundò item, qui eo die etiam alibi confessus communicarit, visitarit tamen Ecclesiam Rosarij, oraritque pro concordia Principum Christianorum, pro extirpatione hæresium, pro pace Ecclesiæ, is acquirit plenam indulgent. Gregorius XIII. in breui, cùm sicut accepimus, anno 1579. die 1. Iunij. Tertiò, Dominica prima cuiusque mensis, qui præsens processioni confessus, communicarit, plenam indulgentiam meretur. Gregorius XIII. in breui, vniuersis, & singulis, &c. anno 1577. die 24. Octobris, de hoc inferius. Quartò, huc refert stationum indulgentias, pleriśque festis fori, multis chori, plenarias, aut maximas. Contulit eas Leo X. in bulla Pastoris æterni. Confirmarunt successores. Quintò, Dominica prima Octobris in festo Rosarij confessis, & communicantibus, orantibus in templo Rosarij, datur plen. indulgent. Gregorius in bulla. Monet Apostolus, anno 1573. 30. April. & in breui, exponi nobis, anno 1577. 1. Octobris.

Pius V. *Greg. XIII.* *Greg. XIII.* *Leo X.* *Greg. in bull.* *Monet Apostolus.*

§. 5.

Pro Salue Regina.

QVicunque de fraternitate interfuerit Salue Regina, dum in templo Prædicatorum canitur post completorium, is meretur quadraginta dies indulgentiarum. Alexander Legatus anno 1476. At Paulus V. viuæ vocis oraculo addidit annos centum, anno 1608. ad petitionem R. R. Patrum Capituli Generalis eodem anno Romæ congregati: quæ de fraternitate Salue Regina dicta superius commemoraui libro 1. capite 12. inde Lector memoria repetas licet.

Alex. Legat. *Paulus V.*

§. 6.

Pro opere pio quocunque.

QVi de fraternitate Rosarij fecerit quoqcunq; opus pium, meretur centum dies indulgentiarum. Gregor. per tria breuia data an. 1579. primum

Gregor.

mum die 3. Ianuarij, secundum 25. Maij tertium 1. Iunij.

§ 7.

Pro agonizantibus.

PRimum, qui de fraternitate in agone versabuntur, ijs plenam indulgentiam concessit Innocentiuus VIII. vbi supra, confirmarunt reliqui Secundum, Adrianus VI. in breui, illius, qui Dominicum, anno 1523. die prima Aprilis dedit plenariam indulgentiam ijs de fraternitate, qui in mortem tenuerint candelam benedictam, modò in vita soliti sint orare Rosarium. Tertium, qui confessus communicarit ante mortem, habet plenariam indulgentiam. Pius V. in bulla consueuerunt anno 1569. 17 Septembris. Quartum, qui sanctissimum nomen Iesus, & Maria ore, aut corde inuocarit, Gregorius XIII. impertit illi plenariam indulgentiam.

Innoc VIII. *Adrian VI.* *Pius V.* *Greg. XIII.*

§ 8.

Pro processionibus.

PRimum, quicunque Christi fideles in festis Beatæ Virginis Mariæ adfuerint processioni Rosarij confessi, aut habentes votum confitendi, consequūtur plenariam indulgentiam. Pius IV. in breui, dum præclara meritorum anno 2. Pont. ficatus pridie Kalendas Martij Secundum, annos septem indulgentiarū, & totidem quadragenas præsenti apud menstruas processiones, & alias fraternitatis quascunque, dedit Pius V. breui consueuerunt anno 1569. Tertium, inscriptis in fraternitatē Rosarij, & præsentibus processioni illius menstruæ confessis, & communicatis in templo Prædicatorum, & orantibus aliquid pro concordia Principum, pro Ecclesia, pro hæresum extirpatione, concessit plenariam indulgentiam. Gregorius XIII. in breui duplice, anno 1578. & anno 1579. 29. Augusti, & in breui Pastoris æterni, anno 1581. 5. Maij. Idem in breui cupientes, & cætera. anno 1589. 24. Octobris, eandem concedit alibi confessis, & communicantibus, si non possunt adire Ecclesiam fraternitatis, modò orarint pro dictis punctis Item eandem infirmis largitur, domi communicantibus, & aliquid ante Imaginem orantibus. Ita in Brixiana patente.

Pius IV. *Pius V.* *Greg. XIII.*

§ 9.

Pro visitantibus templum, aut aram Rosarij.

PRimum, qui inscriptus in fraternitatem Rosarij in septem festis Mariæ Virginis, Purificationis, Visitationis, Annunciationis, Assumptionis, Natiuitatis, Præsentationis, & Sanctificationis, templum, aut aram Rosarij deuotè visitarit orando, consequitur plenariam indulgentiam, si tamen aut confessus fuerit, aut confitendi votum habuerit. Pius IV. in breui dum præclara, &c. anno 2. Pontificatus, 31. Martij, & in altero eiusdem anno Pridie Kalendas Maij. Secundum, Visitantibus capellā Rosarij Dominica 3. Aprilis, & 1. Octobris, plenariam indulgentiam dat Gregorius XIII. in breui, cùm sicut, anno 1579. 3. Maij dat plenariam indulgentiam orantibus quid in Ecclesia Rosarij, in festo Rosarij, Annunciationis, Purificationis, Visitationis, Assumptionis, Natiuitatis Mariæ, & Dominica post Epiphaniam, Inuentionis, Exaltationis sanctæ Crucis festo, coronæ Domini, tribus diebus Paschalibus, triduo Pentecostes, & in die omnium Sanctorum. Tertium, nota visitanda esse altaria quinque, & ante quodlibet orandum quinquies Pater, & Aue, aut ante vnum quinquies quinque. Sic Leo X. anno 1518. ad instantiam Capituli Generalis. At Pius V. in breui, id limitat, quod

Pius IV. *Greg XIII.* *Leo X.* *Pius V.*

quod orans quinque Pater, & Aue ante vnum altare semel, sed in Ecclesia Rosarij Prædicatorum satisfaciat ad promerendas indulgentias teste patente Brixiana.

§ 10.

Pro non volentibus visitare Ecclesiam Rosarij.

QVi de fraternitate in prima Dominica mensis, vel in dictis festis, vel in quacunque processione, aut festiuitate nequiuerint adesse præsentes, idque per morbum, aut carceres, aut itinera, aut seruitia, aut nauigationem, aut alia de causa iusta, ij si tali die orauerint Rosarium vnum, commerentur plenariam indulgentiam, ac si personaliter præsentes fuissent. Pius V. inter desiderabilia anno 1569. 29. Iunij. Sixtus V. in breui, dum ineffabilia meritorum, &c. Romæ anno 1586 30. Ianuarij. Item Greg. XIII. in breui cupientes, &c. anno 1583. 24. Octob.

Pius V.
Sixt. V.
Greg. XIII.

§ 11.

Pro liberanda è Purgatorio anima.

PRimum, quicunque de fraternitate curat legi Missam de Rosario pro Defuncto in fraternitate Rosarij, is liberat animam è Purgatorio. Alexander VI. in breui, illius qui perfecta, anno 1494. & Paulus III. anno 1537 13 Augusti. Secundum, quocunq; die aliquis de fraternitate dixerit Rosarium pro defunctis, vnam is animam liberat è purgatorio in vigore indulgentiæ plenariæ, quam Paulus III. impertit orãtibus Rosarium, vt supra dictum. Paulus III. in breui, anno 1537. die 13. Augusti. Tertium, qui modo tuprædicto, Feria quarta quacunque visitarit quinque Altaria in Ecclesia Rosarij, aut vnam aram Rosarij, is eo die liberat animam è purgatorio. Item idem in quacunque Dominica die per annum. Et insuper subiectis diebus istis, primum in festo Purificationis Mariæ, & S. Blasij. Secundum, Feria tertia post Dominicam quadragesimæ. Tertium, sabbatho ante secundam Dominicam quadragesimæ. Quartum, Feria sexta ante Dominicam passionis. Quintum, Feria quarta, quinta, sexta maioris hebdomadæ. Sextum, die sancti Ioannis ante portam Latinam 6 Maij. Item, Feria quarta Paschę, Feria quinta, & sabbatho post Pentecosten. Item, sabbatho quatuor temporum in Septembr. Item, 27. Ianuarij, & 27. Decembr. &c. Atque ista vigore dictæ bullæ Leonis X. stationum indulgentias concedentis, & successorũ Pontificum concessas nominatim confirmantium; sic in patente Brixiana, quia Romæ omni die visitari aliqua potest Ecclesia, vbi animam è purgatorio liberare licet visitanti, & præscripta inibi oranti.

Alex. VI.
Paul III.
Paul III.
Paul. III.
Leo X.

§ 12.

De stationum Vrbis Romæ indulgentijs.

NOta, stationum Romanarũ indulgentias exceptas à me esse partim ex libello Romę impresso, & approbato per Sixtum V. anno 1588. 7. Ianuarij, partim ex Brixiana patente, & tabula Neapolitana. Verum ad eas consequendas has obseruare conditiones oportet. Primò, sis in statu gratiæ; secundò, sis fraternitatem Rosarij inscriptus, tertiò, visites Ecclesiam Rosarij, seu Prædicatoris Ordinis, aut, si hanc non queas, aliam quamcunque: quartò, ores vt minimum quinquies Pater, & Aue pro vniuerso nomine Christiano. Pius V. Sed non ego singulas cuiusque diei, aut loci in Vrbe recensuero, longum enim nimis, ac tœdiosum foret: neque eas quisquam nouisse magnopere desiderabit, vbi præteriam dictas alias generales quasdam quotidianas, atque perpetuas cognorit. Cuiusmo-

Pius V.

iusmodi sunt, primò, quotidie in sancto Ioanne Lateranensi, si quis voluerit, sexies plenaria indulgentia. Secundò, omni die in quolibet de septem Vrbis Ecclesijs semel plenaria indulgentia. Tertiò, omni die in alijs compluribus longè maximæ indulgent. Quartò, omni Feria quarta in S. Laurentio extra muros plen. indulg. Quintò, quotidie remissio peccatorum partis tertiæ ad S. Praxedem. Item tertiæ ad S. Potentianam, item septimæ ad S. Matthæam. Hasce, omnesque Vrbis Indulgentias, aliàs concessit Leo X. anno 1518. ad instantiã Patrum Ordinis Prædicatorum, in Capitulo Generali anno eodem Romæ congregatorum (sic Brixiana charta) Clemens VIII. confirmauit Clemens VIII. 8. Maij, anno 2. sui Pontificatus, in Breui, *Et si temporalium cura, &c.* Confirmarunt & cæteri successores Pontifices: tanta sunt ista, quibus maiora, tamque certa, & testata, quibus certiora nemo vel attulerit, vel expetierit.

Leo X.

Clem. VIII.

§ 13.

De facultate absoluendi inscriptos in Fraternitatem.

CVM in Fraternitate Rosarij sit tanta à pœnis absolutio (hoc enim est Indulgentia) par est, vt quanta sit in eadem à culpis absolutio, doceamus. De quo Cathegorica esto, & certa assertio ista, omnis in Ordine Prædicatorum professus, & expositus Confessarius est priuilegiatus, in quantum ei Prior concesserit expressè, saluo Concilium Tridentinum, idque dupliciter. Primò, nomine Ordinis sui, respectu omnium Christi fidelium. Secundò, nomine Fraternitatis singulatim, quoad Confratres, & Sorores Rosarij. De primo dicere hoc loco nil attinet. De secundo huc propriè pertinet. Sic igitur de eo Papa Leo X. in Bulla, *Pastoris æterni, &c.* data anno 1520. pridie nonas Octobris: Omnes prædicti fratres, ac sorores Rosarij, eorumque singuli in Pascha Resurrectionis, in singulis festiuitatibus prædictis, scilicet in Natiuitate B. Virginis Mariæ, Annunciatione, Visitatione, Purificatione, Assumptione, ac tribus diebus, singulas festiuitates earundem immediatè præcedentibus, cuicunque Presbytero Ordinis, & domus Prædicatorum fratri professo, per eorũ singulos pro tempore eligendo, peccata sua confiteri valeant. Ipseque Presbyter eorum confessionibus diligenter auditis, ipsos, & eorum singulos primum ab omnibus, & singulis excommunicationibus, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, & promulgatis; secundùm, nec non sacrilegijs, incæstibus, adulterijs, pœnitentiarum iniunctarum, & diuinorum officiorum, & ieiuniorum omissionib. alijsq; eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcunq; grauibus, & enormibus in singulis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis casibus, Bullæ Cœnæ duntaxat exceptis, absoluere, & eis pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere. Tertium, ac iuramenta quæcunq; (sine iuris alieni præiudicio) relaxare. Quartum, & vota quæcunque (1. vltramarino. 2. Visitationis liminum B. Petri, & Pauli. 3. ac S. Iacobi in Compostella, 4. nec non religionis, & 5. castitatis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare liberè possit. Quintò, Ordinarij, & Archidiaconi loci, ac Rectoris Parochiani, & cuiusuis alterius licentiam desuper minimè requisita. Hæc ante Concilium Tridentinum Leo X. Eadem confirmarunt omnes pænè successores Pontifices; etiã præsens Sanctissimus Dominus noster Paulus V. At post Concilium Tridentinum primus iterum cõfirmauit Pius V. cætum reliqui. Verùm quia omnia huius sacræ Fraternitatis encomia prosequi non meas, sed Angelicas vires longè

Leo X.

Paulus V.

Pius V.

Leo X.

supe-

superat, contentus ero, quorundam Doctorum testimonia, qui plura eorum compendio edixere, hic apponere. Beatus Alanus, qui valdè Virgini familiaris fuit in suo Psalterio cap. 16. refert, Beatam Virginem sequentes fructus huius Fraternitatis in hæc verba commemorasse. *Hortatione Beati Dominici, cuncti fratres, & sorores Ordinis sui Prædicatorũ infallibiliter, & incessabiliter summa cum deuotione mihi famulabantur, & Filio meo in hoc Trinitatis Psalterio, vt ad minus quilibet frater die omni diceret Psalterium integrum. Quamdiu durauit hoc Psalterium tali ordine sancto, tamdiu scientia, sapientia, obseruantia, miraculorum fama, & gloria apud Deum, & hominum in immensum floruit. Quando verò defecit hoc Psalterium, Ordo Prædicatorum inquam, plurimis defecit, vt iam parietes, & picturas & libri, & epitaphia defunctorum produnt, & si linguæ hominum hoc dicere nollent. Quinimo diebus illis si quis dimisisset hoc Psalterium die aliquo, totam diem ipsam æstimabant esse perditam. Per hoc quoque Psalterium in ipso Ordine sacro contigerunt prodigia, & signa mirabilia in tam immenso numero, vt maximus liber de his fieri potuisset, absque alijs innumeris, quæ in Regnis Hispaniarum, in Italia, & Francia contigerunt. Per hoc enim scelesti peccatores, & mulieres in sanctam vitam mox conuertebantur, gemitusque, & fletus dabantur in abundantia. Pœnitentiæ fiebant causa huius Psalterij etiam à pueris, & pueris incredibiles. Deuotionis ardor in me, & erga Filium meum per hoc sic florebat, vt Angelos in terras venisse ferè putares. Fides quoque sic roborabatur, vt plerique libentissimè cuperent mori pro fide, & contra hæreticos debellare. Quinimò Dominum Simonem Montis Fortis Comitem cum suo exercitu dicere hoc Psalterium Beatus Dominicus edocuit. Cuius virtute incredibiles, & inæstimabiles victoriæ præfato Comiti cæ-lius sunt collatæ, vt aliquando quingenti de suis fugarent decem millia hæreticorum in terru Albigensium. Quinimò triginta de suis aliquando fugarunt tria millia aliorum. Et tria millia de suis magnum Regem Aragoniæ cùm plusquam viginti hæreticorum millibus debellarunt occisum. Erantque tunc fideles sæpius inermes, & tamen innumerabiles. Imò centum de parte Comitis visi sunt ab aduersarijs ferè totam terram cooperire, ex Angelorum assistentia, terrorque minimi ipsorum fidelium contra hæreticos erat, vt terror immanissimi, & fortissimi Gigantis. Sicque oratione Sancti Dominici, vna cum virtute Psalterij terræ hæreticorum subiugatæ sunt Ecclesiæ. Huius Psalterij virtute multæ fiebant eleemosynæ, fundebantur Ecclesiæ, hospitalia ædificabantur casta, & honesta, fiebantque mirabiles reuelationes, mirabilisque alia plurima. Sanctitas etiam maxima, & contemptus Mundi, honor Ecclesiæ, iustitia Principum, Pax Ciuium, honestas Communitatum, & domorum sic vigebat, vt nullus posset dicere sufficienter. Quinimò laborantes manuales non prius opera attendebant, quam Beatam Virginem in Psalterio salutassent, nec dormiebant, nisi prius genibus flexis deuoti in hoc ipsi fuissent; imò si casu dormientes se non dixisse Psalterium die illa deprehendissent, mox de latere coniugis prosiliebant, & deuotius pœnitendo me salutabant. Neque nunc de rerum mundanarum prospero euentu, qui Virginis famulis semper affuit, opus est dicere: verum tanta fuit istius Psalterij fama, vt si qui fuissent deuoti, mox ab omnibus suspicabantur esse fratres Psalterij; si verò aliquis peccator, aut blasphemus videbatur, de illo in prouerbio dicebatur, iste non est de fratribus Dominici. Et quod magis, tanta fuit in hoc Psalterio deuotio, vt fratres Dominici citius reperirentur in Ecclesia, aut in choro causa huius Psalterij dicendi, quàm in dormitorio, vel in studio, tantaque huius Psalterij in hoc Ordine Prædicatorum volitabat fama, vt si quempiam quis vidisset in aliquo negligenter agere, confidenter tali negligenti aiebat: O frater certissimè Psalterium non dicitis Virginis Mariæ, aut saltem dicitis indeuotè, &c.*

B. Alanus in suo Psalte. ca. 16.

His adijcio celebre aliud Tritemij testimonium, mirificos, quos parit hæc sacra Fraternitas, fructus colligentis; hic libro de Fraternitate Sanctæ Annæ cap. 14. in hunc modum loquitur: *Nemo intelli-*

Tritem lib. de Fratern. S. Annæ cap. 14.

intelligit, nemo credit, nemo capit, quanta Deus Amatoribus Sanctæ Mariæ quotidie beneficia conferat, nisi quem deuota experientia informat. Scimus autem per inuocationem sanctæ Mariæ multos viros potentes, eruditos, nobiles, & ignobiles, virgines, & mulieres, iuuenes, & senes à maximis tribulationibus sæpè liberatos, à periculis ereptos, in necessitatibus mirabiliter adiutos: multos etiam vtriusque sexus homines Religiosos, & seculares à grauissimis tentationibus carnis, & spiritus, meritis Sanctæ Mariæ multoties comperimus liberatos: alios in egestate, & paupertate constitutos, per sanctæ Mariæ suffragia inopinatè abundè prouisos: alios de graui infirmitate esse curatos. Quis enumeret, quanti à pernicioſa mentis tristitia, & melancolia pijssimæ Matris adiutorio sanati sint? quanti quoque inter aduersa securi? inter hostes, ac latrones impauidi? inter maris pericula tuti euaserint? Maria Mater sanctissima multos sibi deuotos à diuersis tentationibus consueuit eripere, à pestilentiæ contagione liberare, à varijs quoque infirmitatibus curare. Quis enarret, quantos à pijssima desperatione ad spem misericordiæ duxerit? quantos à durissima peccati consuetudine ad pœnitentiæ semitas reuocauit? quantos in religione, & extra, tepidè conuersantes, igne diuini amoris inflammauit? eius meritis, & suffragijs in partu mulieres à periculis alioquin vicinæ mortis liberatæ sunt? Multi etiam à sententia perpetuæ damnationis sicut legimus, erepti. Denique nonnullos cultores suos ab infamiæ opprobrio custodiuisse dicitur, alios à desperata ægritudine, nonnullos à vinculis, & carceribus, quosdam & à mortis imminentis periculis liberasse memoratur. Legimus etiam meritis eius ad vitam nonnullos de morte reuocatos, alios in mortis articulo per eam clementissimè visitatos, & antequam relinquerent mundum factos tam de cœlo securos. Sæpè etiam obtusa quorundam ingenia illuminasse dicitur, vt qui sine eruditione prius defecti fuerant, multis post ea fierent in administrationem. Oratores quoque sæpè in dicendo lapsos in tantum inuocata roborasse dicitur, vt non solùm constantes, sed etiam inuenirent se factos in perorando promptiores. Amissa denique per eius inuocationem legimus mirabiliter esse inuenta.

Addo his Doctoribus eruditum virum Michaelem ab insulis, Beati Alani discipulum, qui libro de fraternitate Rosarij inter alia memoranda valdè illud singulare dixit: *Qui ex corde ad seruiendum Virgini in hac fraternitate se obtulerit, eam toties salutauerit, finaliter non peribit, imò secundùm Anselmum impossibile est eum perire; ita enim ipse Anselmus B. Virgini attestatur, sicut à te auersus ô Virgo Maria necesse est vt pereat, sic ad te conuersus impossibile est vt pereat.* Atque ex omnibus supradictis duo infero apprimè obseruanda, primum est, execrandum illorum sacrilegium esse, qui huic sacræ fraternitati nomen dare desiderantes, ab hoc desiderio deterrent, aut eos, qui illam iam profitentur ab ea deturbare moliuntur: illis enim increpatoria verba illa Diui Bernardi serm. de Epiphania aptè satis conueniunt. *Herodiana malitia, & Babylonica peruersitas est, nascentem velle extinguere religionem: oritur, si quis resistit, si quis repugnat paruulos Israelitici germinis necare conatur, & cum Herode Saluatorem persequitur.* Hæc ille, quibus valdè consonant verba Diui Pauli prima ad Thessalonicenses 5. *Spiritum sanctum nolite extinguere.*

Michael ab insula.

Anselm.

D. Bern. ser. de Epiph.

D Paul. 1. ad Thess.

Secundum, quod infero, est, magnis laudibus dignos esse prædicatores, & diuulgatores huius sacræ fraternitatis: hi enim sunt diuinorum mysteriorum pręcones, diuini spiritus aurigæ, quibus vasa doctrinæ in mundum deferũtur: sunt velut Angeli superiores, illuminantes inferiores: velut Abel, & Seth, cultum Dei, & nomen Domini promouentes: sunt velut Noe, à diluuio animas liberantes; velut Abraham, & Isaac Patres ingentis prolis, cui Dominus benedixit: velut Iacob pulchram Rachaelem ada mantes, & propter eius amorem multa aduersa perferentes: velut Ioseph Mundi Saluatoris Marianæ deuotionis selectissimum frumentum fidelibus distribuen-

Genes. 4.

Ibid.

Genes. 8.

Genes. 14.

Genes. 26.

Genes. 28. buentes: velut Moyses hostes in mari submergẽtes, ac fideles de seruitute diaboli eripientes, per desertum pœnitentiæ ducentes, ac de lapideo eorum corde fontem lachrymarum extorquentes: velut Iosue dirigentes populum Dei deuian em ad verum illius cultum, velut Dauid cum psalterij funda Goliath, hoc est diabolum interficientes: velut Elias zelantes zelum legis, ignem charitatis in multorum cord bus infundendo, infidelitatemque errores extirpando. Ac tandem hi sunt Gabrielis Archangeli socij, Annunciationem Deiparæ iterum mundo diuulgantes, & illustrantes, vt B. Dominico Virgo ipsa dixit. Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Genes. 37.
Genes. 41.
Exod. 17.
De auhoro nom. 27.
Iosue 1.
4. Reg 2.
Ierem. 28.
Daniel 6.
2. Esdr. 3.
Eccl. 24.

Refert Ioannes de Monte in lib de Rosar.

HOMILIA VII.

Encomia prosequimur sacræ cõfraternitatis Mariani Rosarij, visionem arboris Nabuchodonosoris accommodantes.

Daniel. 4. PRophera Daniel singularem quandam visionem regis Nabuchodonosor in hæc verba refert: *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia, magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum, aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea, subter ea habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cœli, & ex ea vescebatur omnis caro.* Interpretes huius visionis ferè omnes intell gendam contestantur, secundùm litteralem sensum de ipso Rege Nabuchodonosore, non de dæmone, vt alijs placuit. & meritò quidem id iudicarunt, quia omnia illa à Daniele relata in Regem Nabuchodonosor, ad amussim conueniunt, quod enim ait: *Ecce arbor*, per illam Nabuchodonosor significatur. est enim homo velut arbor inuersa, habens radices capillorũ rursum, *In medio terræ*, quia Babylon vbi regnabat Nabuchodonosor erat in medio clĩmate terræ habitabilis. *Et altitudo eius nimia*, propter eximiam illius elationẽ, & superbiam: *magna*, propter dilationem sui regni, & *fortis*, propter vim armorum, & multitud nem strenuorum militum: & *proceritas* eius contingit cœlũ propter celsissimæ Imperialis dignitatis cacumen, ad quod ex humili statu conscenderat. *Aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ*, quia non solùm à domesticis, sed à longè habitantibus timebatur, ne in eos irrueret: *Folia eius pulcherrima*, propter eximium ornatum, & domus, & familiæ suæ splendorem, pretiosissimaque suppellectilia, quæ ex varijs regionibus ei add ucebantur: & fructus nimius propter ingentes diuitias, quas illi comparauerat. & *esca vniuersorum in ea*, propter mirabilem copiam fructuum terræ ad vescendum *subter eam inhabitabant animalia, & bestiæ*, quia multi eius subditi instar brutorum rationis expertium viuebãt, belluarum mores imitantes. *Et in ramis eius conuersabantur volucres cœli*, quia laterales eius, instar garrularum volucrum, loquacissimi erant. *Et ex ea vescebatur omnis caro*, quia pænè innumeri erant, qui regis stipendijs alleuabantur. verum ad sensum tropologicum totam hanc visionem conuertẽs, sacram hanc Mariani Rosarij confraternitatem in ea rectè delinearam video. *ecce*, inquiebat Daniel: vox hæc cùm admirantis sit, & demonstrantis rem aliquam magnam, ac portentosam, rectè in hanc confraternitatem conuenit, cuius miranda si describere vellem, certus sum, tempus potius, quàm materia laudis mihi deficeret: est enim hæc sacra societas Paradisus quidam, in quo secundus Adam, & Eua, Christus, & Maria conueniunt ad spiritualem mundi regenerationem. Est sydereum cœlũ gratiarum, ac cœlestium charismatum, fluentis sterilem peccatorum terram fœcundans. est omnium virtutum maximè verò pudicitiæ propugnaculum. Est

fons

fons vitæ, in quo fideles animæ ab omni lauantur scelere: est antidotum, quo ornantur, & reficiuntur infirmi: est arbor vitæ corroborans debiles, & æternitatem vitæ conferens: est arbor scientiæ boni, & mali, cuius gustu docemur declinare à malo, & facere bonum: est ortus amænitatis, ex quo flores omnis generis virtutum colliguntur: est suffragium viuorũ & defunctorum: est vena, & mineralè spiritualiũ omnium metallorum, quibus ditantur, & locupletantur Deiparæ alumni. est turris, ex qua mille clypei pendent, quibus aduersus hostes Virginis famuli armantur: est fodina vberrima lapidum pretiosorum, cunctarumq; virtutum, quibus ornantur, & coronantur animæ fidelium: est velut stella maris, per quam per tumescentes mundi fluctus, & peccatorum tetram caliginem, dirigimur, illuminamur, atq; ad portum salutis ducimur: est diadema gloriæ ex pretiosis gemmis cõpositum, quo Deipara Virgo coronatur. sic Paulus dicebat quibusdam iam fidelibus: *Vos estis corona mea;* cur & Virginis famuli corona eius non sint. Quid plura? Fraternitas hæc est arca testamenti, in qua tabulæ legis diuinæ sapientiæ, virga Dei omnipotentiæ, & manna cœlestis consolationis delitescunt. Arca est Noe, per quam totus mundus à diluuio peccatorum liberatur, & ab inundatione tribulationis protegitur. Est Iris clementiæ Dei, in qua designatur peccatorũ venia, & reconciliatio diuina. Organum est, cuius modulatione, ætherea lætantur agmina. Cythara est, cuius melodia Ecclesia summa repletur lætitia. Est symphonia, cuius suaui harmonia peccatorũ fugantur crimina, & Christi, ac Mariæ aures demulcentur flumen est, quo terra militantis Ecclesiæ fouetur, ambitur, & irrigatur, mirificosq; fructus, eius fœcundata virtute, producit. Sacra est Theologiæ bibliotheca, diuina est, & humana, Dei, & hominis stupenda mysteria, & beneficia referans; gazophylacium est diuinorum thesaurorum, ex quo Deus pauperibus sua dona distribuit; horreum est diuinæ misericordiæ, ex quo nutriuntur fideles animæ; thymiama est summæ fragrãtiæ, & odoris; per quod cuncta opera nostra Christo, & Mariæ offerimus in odorem suauitatis. Via compendiosa est cęlorum, per quam fideles ad cælestem Paradisum tendunt. Scutum est validissimum, in quo omnia hostium tela nequissima facillimè confringuntur, & in illos retorquentur. Arcus est, cuius sagittis tartareæ potestates vulnerantur, & confodiuntur. Compendium est mirabilium operum Dei. Monile est, quo Deipara exornatur. signum est ostensiuum amoris erga Virginem, memoratiuum diuinorum arcanorum, ac prognosticum futuræ felicitatis æternæ. Mystica tandem scala est Iacob, per quam veri Virginis amatores vsque ad conspectum Dei viuentis conscendunt. Hæc quis non admiretur? sed certè illud, *ecce*, Danielis non solùm admirantis est, sed & demonstrantis, demonstrauit fraternitatem Rosarij non semel S. Dominico Deipara Virgo Maria, ac prædicandum imperauit. Demonstrauit eum S. Dominicus auditoribus suis, qui concionanti illi aures, & operam dabant: demonstrauit eam semper postera tanti patris proles prædicatorum, partim concionibus publicis, partim scriptis monumentis: demonstrauit eam sanctissima sedes Apostolica per summos Pontifices complures, per purpuratos patres Cardinales, per Legatos Apostolicos, per Archiepiscopos, Præsulesque varios Ecclesiæ. Qui omnes voce, ac stylo eandem Christi fidelibus certatim proposuerunt. Demonstrauit denique eam Deus ter optimus maximus, miraculis & plurimis, & illustrissimis. Iam verò in eiusdem admiratione, quin & veneratione quis non defixus hæsit, nisi qui ipsius crassa ignoratione iaceret, aut pium quodque negligeret?

Philipp. 4.

Genes. 6.

Genes. 28.

Psal. 15. Scribit porrò Daniel: *Arbor in medio terræ.* Arboris adinstar fraternitas est Rosarij in medio Ecclesiæ. *Sicut oliua fructifera in domo Dei; sperans in misericordia Dei in æternum, eaque in charitate radicata, & fundata, vt possit comprehendere cum omnibus sanctis*, & secura dicere: *Radicaui in populo honorificato; & in partes Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea.* Scio hæc Mariæ Dei parenti conuenire, sed cur non etiam in fraternitatem, eius prolem, non conuenient, haud video, cùm etiam plantata sit in domo Domini, & in atrijs domus Dei nostri floreat, & in æternum florituram speremus: ad quæ ea tam diuite copia fundit ex se hæc mystica arbor omnia, quæ in spirituale Christianæ vitæ vsum seu necessaria sint, seu vtilia, seu iucunda, seu pulchra, atq; salutaria; vt præter se se quicquam desiderari vix aliud reliquum faciat. Quo facilius patimur à Mixímo (noui orbis indici vrbs est primaria) suum iactari genus arboris, quã Mangueis appellant: quòd omnium pẽnè rerum vna præstet officiũ: quòd scapus seu caudex terebratus continuò succum fundat aqueum, nostrati vino persimilem; qui hausius largiusculè cerebrum ebrietate obturbet: cortex leuis det lini, filiq; copiã ad omne genus vestium, ac restium: lignum arma ministret, quòd durum tali se acie sinit attenuari, vt etiam ad acus inde conficiendas sit aptissimum. Folia binos oblonga palmos, pugno crassiora morbis depellendis, contegendis tectis, alijsq; vsibus deseruiant multis. At longè pluribus nostæ fraternitatis arbos, non corporis modo (quod minimum) sed animarum in primis commodis prodest. Etiamsi ipsa in medio huius mundi freto circumferatur, & simul humi, tamen quasi radicibus fixa stet, atque munita; quo sui miraculo nihil cedit istis arboribus, de quibus ita Plin. Altissimæ haud procul à Cauchis, aquilonaris cœli incolis, litora obtinent quercus, maxima auiditate nascendi, quæ suffossæ fluctibus, aut propulsæ flatibus, vastas, complexu radicum, insulas secum auferunt, atque ita libratæ, stantes nauigant ingentium ramorum armamentis, sæpè territis classibus nostris. Sed incorruptibilem quoq; fraternitatem Rosarij, immortalem, florentemq; semper futuram, sua illa, qua hactenus perstitit, nobis spondet constantia, vt neq; in hoc concedat illi terebyntho, quam Apostolicus auctor AEgpsippus circiter quinq; annorum millia in Memphi, indè ab orbe condito, ad sua vsq; tempora, semper viuentem, virentemq; superfuisse commemorat. Insuperabilis quoque igni tribulationum comburitur: sicut ligna Sethim, de quibus ita S. Hieron: *Ecce altaris ligna, quæ de lignis Paradisi sunt, igne vicino non cremãtur, sed puriora redduntur; nec mirum, cùm etiam Amithon genus ligni, quanto plus arserit, tanto mundius inueniatur.* An igitur fraternitas arbor est, quã istarum vlla, magis admiranda? arbor est, ex qua, in qua, per quam tot in dies, tam absolutè, religioseque elaborantur Rosaria; vt hisce tot tantum nihil ad immunitionem sui deficiat, sed in maius vsque exercens proficiat.

Psalm 91.

Alumn Cortesij relatione indica. Simon Maiolus tanit dierum tom. 10 colloq. 21 fol. 707. edit Vrsol.

Pli natural. hist lib 16. cap. 1.

AEgysip. li. 4. ca 23.

Vincent hist. natural. li. 10. ca. 43.

Addit postmodum Daniel: *Altitudo eius nimia.* Plinius altitudinem cuiusdã arboris in hæc verba refert, amplissima arborum ad hoc æui æstimatur Romæ visa, quam propter miraculum Thiberius Cæsar in ponte Naumachiario exposuerat, durauitque vsque ad Neronis principis amphitheatrum. fuit autem trabs è larice, longa pedes cxx. bipedali crassitudine æqualis, quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo, fastigiũ ad cacumen æstimantibus. Legi apud eundem Plin. in fortunatis insulis compertas arbores ascendisse in tantam altitudinem, vt centum & quadraginta quatuor pedes excederent. Mira hæc. Mirabilior ista; apud eundem, & Solinum arbores in India excrescere nonnnullas eò altitudinis, vt nec sagittis transijci queant. Et verò licet dictæ, aliæque arbores

Plin. natur. hist. lib. 16. cap. 40.

Idem lib. 4. cap. 23.

Idem libr. 7. cap. 2. Solin. ca 53.

caput

caput inter nubila condant, multis tamen parasangis fuit illa Nabuchodonosorea præcelsior, cuius proceritas cõtingebat cœlum. Cœlos verò nostra etiam penetrat, superat. Deoque assurgit proxima. Nimirum hæc est precum in fraternitate Rosarij altitudo: *Nam deprecatio pauperis ex ore vsque ad aures Dei perueniet, & iudicium festinato aduenier illi*, inquit Ecclesiasticus. Ideoque iterum: *Qui adorat Deum, in oblectatione suscipietur, & deprecatio illius vsque ad nubes penetrabit.* Oratio humiliantis se, nubes penetrabit; &, donec propinquet Deo, non consolabitur, & non discedet, donec altissimus aspiciat, & Dominus non elongabit. Ascendit igitur illa Rosacea arbor ad cœlos, & pertingit ad aures vsque altissimi. Quin etiam descendit ad inferos quoque purgatorios radix eiusdem orationis. Qua profunditate sua longè abit altius, quàm Indiana illa noui orbis arbos, cassia dicta, cuius radices, teste Ouetano, semper rectæ profundum petunt, nec penetrare desinunt, donec subterraneam aquam comperiant: tametsi plurima foret à superficie soli distantia, quod nulli plantæ commune est. At istud solius est arboris nostræ fraternæ orationis radici proprium: cuius vi iam inde ab anno M C C. (quando huius fraternitatis primum semina iacta sunt cœpta) vsque ad M D C X I I I. præsentem, quot animæ ex profundo lacu eductæ sunt? quot hodieque educuntur, quantumuis illæ ferreo pœnarum pondere iaceant altius demersæ? quid igitur minus habet miraculi præcisum ab hac arbore precatoria, velut lignum quoddã suffragij pro vita functis? atq; illud habebat, quod Elisæus præcidit, & misit illuc, vbi cecidit ferrum securis in aquam, natauitq; ferrum? Vis felicis ligni, Rosacei, inquam, suffragij animas è profundis euocat innumeras. Sed aliam quoq; per illam assequor certis fidei oculis altitudinem fraternitatis Rosarij; quam quidem cum vniuersa Ecclesia commu-

Eccl. 21. 6.
Eccl. 35. 20.
Quæst. in summario orbis cap. 79.
Reg. 6. 6.
Eph. 5. 23. & c. 1. 22.
Coloss. 1. 15.
Rom. 8. 29. 4.

nem habet: *Caput enim Ecclesiæ est Christus.* ipse Saluator corporis eius. at Christus primogenitus omnis creaturæ, & ipse est primogenitus in multis fratribus. Quare multo quoq; maximè caput esse dicendus est idem, Principis in Ecclesia fraternitatis Rosarij. Cuius quidem tanto videri debet altior charitas, quanto ipsa est & altior, & amplior vna cæteris fraternitatibus. *Quippe cum veritatem facientes, in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iunctu-* Ephes. 4. 15. *ram subministrationis, secundùm operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationẽ sui in charitate. Habemus igitur vegetantem fraternitatis Rosarium animam charitatem, caput verò Christum.* Quibus quid altius? & ambo sanè exaltata ad sese trahere connituntur omnia.

Subiungit postea Daniel: *Magna arbor*, refert Petrus Martyr in palude quadam Indica (ipsius ego totidem hic verba reddam) arbores frequẽtissimas, iperinde ac in nemoroso solo frondere; tantæ singulas amplitudinis, vt octo viri coniunctis vlnis vnam complecti non queant. Hisce cauas populus habitat; ipseque vnam Regulus Abibeiba. Omnes eorum opes, gazæ, suppellex, thesaurus, escæ in ijs asseruantur præter vinum. Quin idem tradit in Castila noui orbis populos adeò frequentes inhabitare plãtis, vt dicere iure possis, oppida in arboribus esse: id quod & Ouetanus testatur. Quis autem arborem fraternitatis Rosarij domum orationis esse inficiabitur? & istis longè capaciorem arboribus, sed habitatam frequentius? Non enim iam vrbes, sed orbis Christiani partem pænè maiorem (quia saniorem) in ea bellè, & iucundè habitare in vnum, ac omnia antiquæ pietatis officia constanter obire, quis nescit? Si mihi septentrionalis Germaniæ arborum vastitatem opponas, quarum singulæ solidam cymbam præbeant, vt Plinius istis affirmat. (Ger-

Oue. in summar. c. 10.

Plin hist. na. lib. 16. c. 20. maniæ prædones singulis arboribus cauatis nauigant: quarum quædam etiam triginta homines ferunt.] An non, & nostra fraternitas solida cymba salutis est, & istis longè amplior ? Si in noui orbis Brasilia arbores mihi loquaris, quæ tam crasso, latoque sint stipite, vt earum quælibet excauata solidam ratem efficiat, hominum facilè xxxx. capacem: si & illas istarum similes in ditione Calecutiæ Orientalis Indiæ rates arboreas commemoras, longas insuper passuum tredecim; nauis tamen multò maior est arborea fraternitas Rosarij: vnaque est omnium, quicquid existit vsquam, capax mortalium. Verè nauis est ea mulieris fortis, quę ipsa facta est quasi nauis institoris, de longe portans panem suum, dans prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. quare Deipara est nauis cibaria, & nauis est eiusdem fraternitas Rosarij. Testetur igitur Aloysius Cadamustius apud Nigritas populos arbores seipsũ in ambitu crassas xl. pedes vidisse. Memorent alij, ac demirentur illas, in noui orbis Insula Ceiba, tantas, quarum truncum ne vel tredecim viri protensis brachijs valeant circumambire: nihil hæc ad fraternitatis Rosaceam sunt arbores; quæ maxima numero fratrum fundit sese, qua patet Ecclesia, & ordo Prædicatorum. Porrò de sua sic Daniel, *& fortis.* Multis palmæ celebratur fortitudo, quod, quamuis onerata, ponderi nil cedat, quin magis aduersum onus cõnexa insurgat, se ipsa tobustior. Vnde priscis eam victoriæ signum esse placuit symbolicum. Celebretur alijs arboris genus, in Taua insula maiore, miræ fortitudinis, vt cuius medulla ferrea sit, virgæ in modum ab imo in summum verticem ducta. Nostræ arboris fraternitatis, inquam, fortitudo est vnus Christus; Materq; Christi Maria secũda, adde funiculus ipsius, qui triplex non rumpitur, estque fides, spes, charitas. Adde his illam plusquam octoginta fratrum filiorum Sciluri Regis, monstrantem in telorum fasciculo concordiam. Adde animorum quoque fraternorum inter sese vnionem, communionemque bonorum. Atque vt alia omittam, fortis est in fortitudine cibi illius, panisque de cœlo descendentis, è medulla triticea confecti. Cui quidem diæ, medullæq; farinulæ, quantò est inferior illa censenda, quam in regno Indiæ Tansur ex medulla querneę arboris exeri ad hominum alimentum, affirmat Marcus Polus? Affirmet idem in eiusdẽ quercubus ligna, robore, ac duritie ferrea, præstare ad omnia penetranda. Robore tamen nostram fræternitatis arborem haudquaquam anteibunt, cum minima vis gratiæ sit fortior vi quacunq; naturæ.

Petrus Martyr. Ouet. & Antonius. Pigafeta. Ludou. Bart. de reb. indicis li. 1. c. 11. Prou. 31. 14. Ouet. hist. li. 9 c. 11. Pet. Mart. Hist. p. 5. c. 22. Plutar lib. 1. simposiacorũ & Pier. Nic. de Comit. & Marc. Polus lib. 3. c. 16.

Reg. Plutar. in Apoph. & Stobæum ser. mone 82.

Sequitur in Daniele. *Aspectus illius erat vsq; ad terminos vniuersæ terræ.* Hæc equidem scio, de nulla creatarum arborum dici posse. Potest autem, & verè de nostra sacra fraternitate; ac potius, quàm de illa Nabuchodonosorea prædicari. Quæ enim est gens, quæ ora, quis locus; cui illa non sit etiamnunc, aut non fuerit aliquando conspicua? sic est, non spectaculum modo, sed & miraculum facta est Deo, Angelis, hominibusque nostra fraternitas.

Post hæc ait Daniel: *Folia eius pulcherrima*, adde, quod & salubertima illa nostræ sint arboris fraternæ folia. Vt alia sileam, foliorum similes sunt tot, tamq; amplæ Pontificiæ concessiones indulgentiarum, facultatum, atq; priuilegiorum. Quibus ornamentis, ad fraternitatem Rosarij adiectis (præter eam gloriam, quam ab intus habent) foris etiam velut auro conuestita, & circumdata varietate splendet. Appetenda nobis hæc, atque veneranda sunt folia, non metuenda, velut Indis illa coppei arboris in Hispaniola insula, vt Petrus Martyr, & Caietanus prodiderunt. Nam cum ea papyri vicem præbere Hispanis, & per illa absentes loqui absentibus videret gens indica, literarum ad eum diem prorsus igna-

1 Cor. 4. 9. indulg. fratr. Rosarij.

ignara; credebat occultum ijs spiritum inesse, quo animarētur. Itaque deinceps diu nec colloqui ad eas audebant arbores, velut secretorum intelligētes, ac indices. Nostræ autem arboris folia, Apostolicæ, inquam, gratiæ, atque indulgentiæ, suam quandam vitam viuunt, nobisque eam communicant, nisi (quæ absit verbo blasphemia) Christi sanctorūque merita, & satisfactiones emortuæ esse dicantur. Viuunt illa fraternitatis folia, & viuacius, atque istius arboris, quàm se vidisse Pigefeta, tradit in India Orientali. Vidi (inquit) arborem, cuius folia etiam à trunco abrupta, animata essent, mouerentur, ac viuerent; sed non vltra diem octauum, deficiente proprij humoris alimonia, quam ex arbore traxerant. Nunquam autem deficit fraternitas, quia charitas non excidit. Nunquam fraternitatis folium hoc defluet: & non timebit, cùm venerit æstus, & erit viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum. Quæ enim indulgentiarum pars in hac arbore virere, ac florere cœpit vnquam, & aliquando defluxit eadē? Num igitur hac perpetui vigoris laude nostram arborem, alijs ab eadem celebratis, quibuscunque post habēdam dabimus? Esto, vt testis grauissimi, D. Augustini verbis totidem vtar, Tilon, Indiæ insulam præferri cęteris terris, quod omnis arbor, quæ in ea gignitur, nunquam nudatur tegmine foliorū, quodq; ijsdem ex arboribus naues fabrefiant (vt Aristoteles ex Magni Alexandi comitibus didicit) quas cc. annis durasse compertum fuerit, & aquis mersas perdurasse incorruptas, teste Plin. Eandem laudis gratiam tribuit Quetanus alijs quoque compluribus noui orbis arboribus: veniant in societatem communis præconij quædam nostrates quoque arbusculæ semper virentes. Verumtamen eæ omnes nec semper, nec diu virentes ætatem ferunt: tandem enim emoriuntur, ac pereunt. Emori, ac perire iusta nesciunt fraternitatis, arboris, inquam, nostræ folia: ita annant illa, atq; perennant.

Pigefeta in hist. Indica.

S. August. de ciuit. dic. li. 21 cap. 5 ex Plin. Hist. nat lib. 12. c. 12.

Plin. nat. hist. lib 16 c. 41. Quet. hist. or. lib 9 c. 16.

Pergit S. Daniel: *Et fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea.* Quid hic primum, quid posterius de nostræ dicam arboris fructu? an, quòd hic sit operum in ea bonorum meritum immensum? an quod esca vniuersorum sit communicatio mutua? Quis fructus vberior? quæ esca communior, æquè ac salubrior? commemorentur à Plinio mali, ac pyri eodem anno biferæ, ac triferæ in ea insula Caprifici similes in Tacapensi Africæ agro: in Consentino rure vnam malum admiretur biferam M. Cato. At de nostræ arboris fructibus quicquid dixero, minus erit: semel dicam, innumeri sunt ij, inque manu Dei. Erit illa semper quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod humorem mittit in radices suas, & non timebit, cum venerit æstus, &c. nec aliquando desinet facere fructum. Aliarum taceo fructus arborum multos, magnos, miros; quos aut arboris, aut loci cōditio, aut cœli clima, aut simul hæc omnia producunt. Qui tamen ad huius fraternitatis fructus similitudinem nec adspirare audent. Sed fortè naturam ars superabit gemmiferis à se, auriferisq; factis arboribus. Vt hoc demus; minimè tamen hę nostram vincent arborem, pręstātia fructuum. Nam, vt Horatius canit: *Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.* Iusserit magnus Chā, Rex in Orientali India, per hortos pendere gemmas, ad vsq; miraculum multas, ac varias. Vnam præcipuè pinum proceram onerarit, vt è singulis ramusculis gemmarum penderent botri vuarum similes: credas in omni Europa tātum gemmarum non esse; quantum vna illa ferebat arbos spectauit, qui scripsit, Odericus: insanierit tamen, qui has affixas arte gemmas, pini fructus dixerit, quiq; omnes, vel vnius boni operis merito antepositurit. Quod quam multiplex sit in fraternitate, nemo est, qui non videat.

Ier. 17. 8.

Horat. lib. epist. 1.

Oderic. lib. 1. rer. ind.

Post

Post hæc ait: *Subter eam habitabant animalia terræ.* Sic homines scriptura iustos pariter, iniustosque appellari notius est, quàm vt exemplis indigeat. Vel hoc ex Danielis loco satis constat, quòd arbor Regem, bestiæ subditos designant. Iam animalia sub arbore fraternitatis habitantia quæ sint, nemo non videt. Non inde sexus arcetur vllus, nulla hominum conditio, vel ætas; nullus status aut ordo: omnibus liber semper accessus patet: semper omne fidelium genus promiscuum, nullo discrimine, Summi Pontifices ad eam largissimis propositis beneficijs inuitarunt, hodieque inuitant. Mirificus quoque semper pijssimorum, quorumque fuit ad eam confluxus. Verum, vt & Ecclesiam ipsam alias alibi nunc florentiorem, nunc obscuriorem fuisse nouimus: ita fraternitati quoque Rosarij euenit, vt non eodem semper omnibus in locis vigore efflorescceret. Nulla tamen vnquam tanta fuit temporum iniquitas, quæ sub parthenica collectam arbore Confratrum multitudinem sic dissiparet omnem, ac depopularetur, vt vastitatem toti, penitusque desertam inferret solitudinem Fraternitati. Quantum oppressa fortè iacebat isthic: alibi tantum eam Deus efferebat, vt non tempus esset aliquando, nō momentum, quo non fuerit subter hanc arborem habitatio mundorum animaliū Domini frequentata. Nunc mihi occulto quodam instinctu naturæ certa animantia vmbram certatum amant arborum, ac sequuntur: admiratur Plinius, arborem de nomine incognitam: cuius vis arcano sensu, equum, cui Alexander Magnus insidebat, quamuis inuitum ad sese attraheret. Alia in prouincia Pudifetania hominifugam describit arbusculam Nicolaus de Comite, quæ accedente homine, velut retrocedēs, ramos in se ipsam colligit, at eadem recedente rursus ijsdem exporrectis, se in pristinū locum expandit, ac reponit. Quinetiam arbores Mangli, ad oram in Orbe nouo maritimam Cubæ, plurimas Ouetanus, & Petrus Martyr deprædicent ob hoc naturæ miraculo, quòd quamuis sint proceræ, ac ramosæ, rami tamen sese ipsos ex alto in terram lentè deflectant, opusque efficiant concameratum, quale fortassis arte nulla posset apparari. Haud tamen hę vnquam tam gratam præbent stationem. Non etiam illæ tantum defugiunt homines, non istæ trahunt bestias tantum, quantum fraternitatis arbor trahit, collectosq; fouet pijssimos, fidelium excludit neminem. Qua causa in Responsorio quodam ita olim canebat Ecclesia de Dei, Fraternitatisq; Rosarij Parente Maria: *Quasi Terebinthus extendisti ramos tuos Virgo Maria super latitudine terræ: ecce confugimus ad te, vt sis nobis in vmbraculum diei ab æstu, & in absconsionem à turbine, & pluuia. Congrega nos à nationibus, & laudemur in laude tua.* Sic etenim porro de arbore tua proditum legimus.

Plin nat. histor. lib. 12. c. 8.

Nic de Com. in relat. Ind.

Ouet. hist. li. 20. & lib. 9.

Eccl. in resp. 1. Noctur. 1. festo S. Rosarij.

Ad extremum hæc dicit Daniel, *& in ramis eius conuersabantur volucres Cæli.* An hęc fortassis arbor talis erat, qualem vidit, & obstupuit Luitprandus Ticinensis Diaconus, quando Berengarij nomine ad Constantin. Imperat. legatione perfunctus, anno salutis D.CCCC. L. in Regiam Constantinopoli introducebatur? sic scribit ipse: [Erat illa ornata sumptuosissimè, ibi ænea, sed inaurata arbor ante ipsius Imperatoris solium assurgebat, expāsis magnum in modum ramis æneis, atque inauratis. In his frequentissimæ variarum erant specierum aues arte confictæ, quarum singulæ, proprias voces, cantusque edebant incredibili arte: rugitum quendam emittebant leonum, solij velut custodum simulacra. Sed ficta hæc, arteq; facta omnia. In fraternitate fictum nihil, ex arte non multum, omnia Dei ex gratia. an igitur volucrium in ea talis cōuersatio, qualis Antonius Pigafeta in regno Burnei se vidisse memorat, & superius nos recitauimus? nimirum folia in arbore viuere instar auium, abscissa ab ramo etiam

Luitprandus lib. 6. c. 2.

etiam pedunculis ambulare, viuereque in octauum diem. An verò talium erat ferax auium arborea, quales sunt, quæ Bernecæ dicuntur, innatum similes? Crescunt ea ad cortices, abiectum iuxta litus maris in Scotiæ Insulis Hibridibus stantium. vnde maturitatis tempore in subiectum mare decidunt, simul abnatant. Captis Hiberni ieiuniorum tempore vescebantur. Sed Innocentius Tertius in Lateranensi Concilio interdixit. Ita Vincentius, Ortellius, & Olaus, ac alij. Verum sint istæ tales arboreæ volucres, nihil tamen ad nostras. In arbore nostra Rosarij conuersantur volucres cæli, spiritus Angelorum, Beatorumque mentes. Hisce conuersari volucre est, inter fratres tanta conspirantium voluntatum vnione coniunctos, tot in bonorum spiritualium communione mutua participes. Nimirum quibus Christi nomine cõgregatis, cũ medius intersit Rex cæli, cæli quoque abesse aula Regia non debet; sed non cælum dumtaxat suas habet volucres, quæ in terra cum fratribus conuersentur; habet suas quoque & terra, quarum conuersatio in cælis est. Hujus sunt generis p ę, ac religiosæ vtriusque sexus, ac status animæ, quæ altioris studiosæ perfectionis in sedula bonorũ fraternitatis cõmunicatione versatur, & tanta cum charitate fraterna, vt in ramis eius habitare, inq e fratrum animis viuere videantur. Non ita belle viuunt, aut habitant ij, quos in noua Hispania inter ingentium arborum ramos palatia etiam ædificare scribit Petrus Martyr. Inhabitasse autem vnam ex ædibus ijs, plusquam ducentos familiares tradit Petrus Hispanus. Sunt aliæ nostræ arboris commoda tanta, vt in eius comparationem arborum cæterarum nulla venire queat. Quod nemini videri mirum debet, quando, quæ natura in se habet summa, ea vix ad infima gratiæ possint attingere. Vnum tamen istis adijciam, esse arbores, quas lædere nemo illæsus possit. Vt Carus in Arcadia, quæ si aut vellatur, aut secetur foco instrudo, fumus adusti ligni continuò capitis infert cruciatus immanes. In Coiba, sinu Hispaniolæ, quædam ligna cum aduruntur, incensorem fumo etiam exanimant. In Ceo certum spinarum genus est, quas qui conuellere, turbareque nititur, vel leui punctura ictus, morte extinguitur. Compertum est sæpius, haud impunè facilè à quoquam fraternitatis arborem, aut odijs appetitam, aut maledictis laceratam, aut alia turbatam infestatione, seu læsam persecutione fuisse. Nunc igitur confratres, atque sorores quasi rosa plantata super riuos aquarum, fructificate, quasi Libanus odorem suauitatis habete, florete flores, quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate Canticum Psalterij Mariæ, & benedicite Dominum in operibus suis. Date nomini eius magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum vestrorum, & in Canticis labiorum, dicite, Aue Maria.

Vincent. hist. Nat. li. 16. cap. 40.
Ortelius in Scotia.
Fulgos. lib. 1. cap. 6.
Olaus li. 19. cap. 6.
Pet. Martyr. in summar.
Pet. Hisp. lib. 2. s. c. 28.

Plin. Nat. histor. lib. 16. c. 10.
Pet. Martyr in summar. Arist. lib de admirat. c. 139.
Eccles. 39.

Addo his, quæ de arboris metaphora dixi: mirandam quandam, & inauditam arborem, cuius meminit Rebellus lib. 1. de Rosario cap. 6. artic. 1. commemorat natam fuisse in Ibernia in diœcesi Corcielonensi in territorio Comitis Destron, prodigiosam quandam arborem longitudinis septem, vel octo palmorum, quæ reliquis omnibus arboribus valdè dissimilis erat, in eo tamen longe dissimilior, quòd ex ramis eius pendebant Rosaria, quorum calculi orbiculares erant, suis funibus inserti, affirmat autem hoc portentum visum fuisse anno 1575. nounullaque ex Rosarijs allata fuisse in oppidum Britanniæ nomine Sanctimalo, quo mirabili portento voluit Deus etiam, vt author naturæ, Rosarium approbare, & consequenter fraternitatem, tantæ Virginis deuotioni addictam, cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Rebell. li. 1. de Rosario c. 6. art. 1.

HOMILIA VIII.

De percelebri victoria à Christianis contra Turcas, Virginis intercessione, ac Rosarij Confraternitatis precibus parta.

PRrimordia huius festiuitatis altius repetere compellor, tum propter insignem victoriã B. Virginis auspicio comparatam, tum vt qua ratione festum Virginis victorialis cum Rosario cohæreat, clarius omnibus innotescat. Anno à Natiuitate Christi Domini 1571. Dominica prima Octobris, Christiani nominis milites, insignem, ac memorabilem de Turcis Christianæ Religionis infestissimis hostibus, adiutorio Deiparæ Virginis, continuisque precibus Confratrum Mariani Rosarij, reportarunt, vt summi Pontifices Pius V. & Greg. XIII. Apostolicis suis diplomatibus contestantur. etenim, sicut olim tempore magni Patriarchæ Dominici visa est Deipara Virgo adiuuãs Comitem Montis Fortis contra Albigenses, quorum exercitum centũ quinquaginta lapidibus iactis fugauit, ita & modo ipsius adiutorio Barbarorum classem Ioannes Austriacus Caroli Quinti Imperatoris filius fugauit, ac perdidit. itaque sicut fortissimus Dux Barach, tametsi à Domino iussus fuisset, vt libro Iudicum legimus, Sisaram oppugnare, non arma sumpsit, donec famosissima Debbora illum ad bellum comitaretur: ita fortissimus Dux Ioannes Austriacus cum hoste inire renuit certamen, nisi B. Virgo, ac potentissimum eius auxilium sibi adesset: adfuit propitia Virgo precibus Confratrum Rosarij, adfuit eius præsidium, adfuit eius tutela, & protectio, ita vt Turcica classis, quæ numero, & potentia, Christiani exercitus longè superabat vires, facilè ab eo fuerit profligata: imitatus est Ioannes Austriacus Britanniæ Regem, nomine Artum: nam, sicut ille, vt refert Rupertus Olchad. super lib. Sapient. lect. 35. solitus erat, dum bellaret, ferre in interiori parte clypei depictam imaginem Beatissimæ Virginis, quam quoties in medijs belli periculis religiosè prospiciebat, toties auxilium Virginis confestim impetrabat; sic Ioannes Austriacus, in Beatam Virginem oculos conijciens, potentissimas Turcarum vires confregit, ac glorioſam de illis tulit victoriam. quare, sicut tempore Ezechiæ, cum Assyriorum potentissimus Rex Ierosolymam circumdedisset, nec tantæ potentiæ resistere potuisset, misit Rex ad Isaiam sacerdotes, sacris coopertos, qui dicerent, *Dies tribulationis, & correptionis, & blasphemiæ, dies hæc*: & Propheta respondit in persona Domini: *Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet sagittam, & non occupabit eam clypeus, protegam ciuitatem, vt saluem eam propter me, & propter Dauid seruum meum*: ita & nouissimis nostris temporibus Deus Optimus Maximus propter semetipsum, & propter matrem suam, nos perditos homines ab hostibus tutatus est, cum Rosarij Confratres vbique locorum, eius opem interpellarent Dominica prima Octobris. Cum igitur Christiani in hac die potiti fuerint illo singulari beneficio, vt Barbarorum funditus potentiam contererent, ad memoriam eius recolendam, statuerunt sacri Pontifices præsens festum Virginis victorialis religiosè celebrari à Confratribus Mariani Rosarij, qui eius sodalitio nomen dederunt: etenim, sicut olim Exod. 17. cum Iudaicus populus victoriam reportauit contra Amalech, pugnante quidem in Campestribus populo, sed potissimum orante Moyse in Monte, præcepit Dominus, vt ad perpetuam rei memoriam, victoria hæc litteris commendaretur: ita etiam, quia pugnantibus in mari fidelibus sed in

Pius V. *Greg. XIII.* *Iudicum 4.* *Rupert. Olchad super lib. Sapien. lect. 35.* *Isaiæ 37.* *Exod. 17.*

Throno

Throno Regio sedente Virgine, & iuuante, immo vincente, brachia eius sustentantibus Rosarij Confrattibus (vt quondam fecerant Aaron, & Aus) ne *Ibidem.* hominum peccatis ab orando cohiberentur, leuantes oculos in montes, inde adfuit paratum auxilium, quo fugati sunt hostes, erepti fideles: cuius rei memoriam agimus, Mosenini inter Catholicos inoleuit, vt comparatis victorijs, precibus potius, quàm armis à potentia inimicorum, Dei misericordia, libertatis, in eius rei felicem recordationem, dies festi celebrarentur: sic Abraham, vt adnotauit Origenes hom. 34. in Genesi, postquam tabernaculum fixit ante quercum Mambræ, statim ibi altare Domino extruxit, & addidit: *Origen. homil. 34. Genes.* *Audisti mentem gratam, qui mox vt tabernaculum fixit, facta sibi in promissione, gratiarum actiones obtulit Domino*: sic cum *Esther 9.* Esther solicitudine & precibus, impiam, quam tulerat Assuerus in Iudæos mortis sententiam, reuocauit, dies hic quar- *Martius.* tadecima mensis Adar, solemnis fuit in lege veteri semper habita; sicut & ille, *Iudith 16.* in quo admiranda Iudith virtute, trucidatus est Holophernes, & fugati hostes, ab Hebræis religiosè colebatur: festis etiam varijs Machabæorum sæculo victorias celebrari solitas, nemo ignorat. Quid plura? sicut quondam in eadem lege veteri singulis diebus, in quibus insigni aliquo beneficio fuerat potitus populus, Hebræorum festa celebrabantur, vt festum Phase in memoriam acceptæ libertatis, cum Dominus illum exduxit ex dura Pharaonis seruitute; *Exod. 12.* festum Pentecostes, in memoriam legis scriptæ sibi datæ: festum tabernaculorum in recordatione beneficiorum, quæ per desertum incedens susceperat: sed & cunctorum aggregatim singularem, ac festiuam commemorationem fecit, cum ingressus est in terra promissionis: ita Ecclesia, & præsertim nostra Hispania, quæ per totum anni circulum singulis sacris Rosarij mysterijs dies festiuos consecrat, hunc etiam præsentem cunctis simul dedicandum, rectè instituit, vt in eo, ob insigne illud nauale victoriæ beneficium, cum reliquis omnibus, quibus B. Virgo quotidiè Ecclesiam cumulat, tam Christo Domino, quàm eius parenti debitæ gratiæ agerentur. meritò ergo illis infelicissimis temporibus, cum sancta in prædam extraneorum data erant, ac Deus ita iratus esset, vt suum repulisse altare videretur, ac ita maledixisse sanctificationi suæ, vt fidelium templa barbarorum essent fana, immo equorum, & iumentorum habitacula: meritò, inquam, Deo iam propitio, ex Virginis intercessione, Filium, & Matrem multifariam, multisq; modis laudare, ac diebus præsertim festiuis colere opus est, prout & antiqui Patres factitarunt. Vnde, sicut in bellis pugnantibus militibus, victoria potissimum adscribitur duci: vnde mos fuit Romanis, vt coronati Duces insigni potirentur triumpho, acclamaretque populus victori, qui triumphali vehebatur curru, cum Prouinciam aliquam imperio subiugasset Romano; ita licet milites Christiani viriliter in mari contra hostes dimicassent, vitam contemnentes: quia tamen victoriam hanc, non tam armis, quàm Virginis precibus partam credidit Pontifex, illi gratias referendas censuit; &, vt olim victor currui insidens regio laudabatur, & Vrbem ingrediebatur, à cunctis acclamatus; ita & hac die sacra Virgo humeris delata, per claustra circumducitur, cui fideles grati hymnos concinimus clamantes, *Aue Maris Stella, &c. Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia feciſti viriliter: ideo eris benedicta in æternum* & sicut olim ea arma, quibus Iudæi victoriam ab hostibus fuerant consecuti, in templo reponi solebant: sic modo vexilla in Ecclesijs collocantur in Dei, matrisque suæ gloriam, & victoris laudem, non secus ac gladius Goliæ, quo interēptus potentissimus *Iudith 15.* *1. Reg. 21.*

Iudith 16. tissimus hostis fuerat, à Dauid in tabernaculo collocatus fuit, & Iudith vniuersa vasa bellica Holophernis obtulit in anathema obliuionis, ea in tẽplo collocãs: & sicut quõdã quia medijs tubis hostes expugnati fuere à Iudæis, voluit Deus, vt singulis annis festum ageretur tubarum; sic & modo, quia sancti Rosarij deuotione hac, quam celebramus, habita est victoria, Virginem his calculis ornatam, solemniter processione cõgregata, in gratiarum actionem ducimus, ne lioquin, si ingrati essemus, ingratitudinis nostræ debitas pœnas luceremus, sicut illas luit Rex Ezechias: nam, vt tradunt Hebræi in cap. 3. Haiæ, *Isaiæ 3.* ideo Ezechias grauiter ægrotauit, quoniam post singularem Iudæorum victoriam, & Assyriorum Regis interitum, non cecinit laudes Domino, quas tamen diligenter exhibuere Moyses, Pharaone submerso, Debbora, interfecto *Exod 15.* Sisara, & Anna, genito Samuele, & *Iudicum 5.* alij non pauci, quos pridie commemorauí. *1. Reg. 2.*

Cæterum mihi attentè perpendenti effrenatam aduersus Christianam gentem Turcarum rabiem, insignemque victoriam sub vexillis sacrosanctæ Virginis Deiparæ Mariæ à Christianis obtẽtam egregiè mihi illam delineasse videtur D. Ioann. cap. 12. suę Apocalyp. *Apocal. 12.* Aspexit ille signum magnum in cælo, mulierem Sole amictam, stellis coronatam, quę nitebatur parere, quod in vtero habebat: vidit etiam extemplo draconem magnum rufum, septem capita habentem, & cornua decem, septemque diademata super capita. scio hæc aptè referri posse ad crudelem draconem Herodem, qui conatus fuit trucidare infantem Virginis filium recens natum, stetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt, cum filium peperisset, deuoraret. at B. Virgo cautè fugit in solitudinem Egyptiacam ad locum sibi à Deo paratum. verum est, quod postea in manus incidens sæuissimi populi Iudaici, Crucis mortem sustinuit: at ipse ingluuiem dæmonis, & mortis illusit, & è sepulchro gloriosus prodiens, spolijs suis onustus, raptus est ad Deum, & ad Thronum eius: mater etiam solitaria, iam filio orbata, in solitudinem, in qua nonaginta nouem electas oues bonus pastor reliquerat; duabus contemplationis, & operationis pennis elata, post filium abeuntem abijt. verum nostro argumento accommodatius est, nomine draconis, dæmonem ipsum intelligere, iuxta illud Dauidis: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei*: hic insidias parauit Virgini *Psal. 103.* Matri, iuxta diuinum vaticinium: *Tu insidiaberis calcaneo eius.* insidias etiam *Genes. 3.* parauit Filio in deserto, varia tentationum tela in eum coniiciens: nemo autem est, qui ignoret dæmonem tam à *Matth 4.* Matre, quàm à Filio fuisse superatum, ac ignominiosè deuictum. Virgo caput eius contriuit: *Ipsa conteret caput tuum.* *Genes. 3.* Filius autem Virginis similiter eum profligauit, ac fugam arripere compulit: *nunc Princeps huius Mundi eijcietur foras.* videns autẽ dæmon nihil præualere potuisse aduersus Filium, neque Matrem, Christianam prolem vtriusque per barbaros Turcas, tanquam per satellites suos, radicitus perdere tentauit cum nihil profecisset, iratus in mulierem, *abijt facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei & habent testimonium Iesu Christi.* Planum est, nullam nationem, aut gentem, testimonium Iesu Christi habere, nisi Rempublicam Christianam. Contra hanc non semel decertauit veneficus hic draco, sed sæpe sæpius, vt satis indicant septem capita eius: dum enim draconem septem capitum nominat, satis liquet non vnum prælium mouisse contra seminis Mariani reliquias, sed plura. est enim ille Hydra, cui vno capite amputato, continuò aliud ei subnascitur, vno, & altero prælio non desistit fractus, sed animos sumens, finem præcedentis facit gradum futuri: nouis exercitibus

citibus paratis, nouas machinas admouet. Synagoga prostrata, Philosophos, Magos, impostores submouit: his in ipso limine palestræ conculcatis, fidiculas, castatas, cruces, ignes, bestias Neronis, Domitiani, Decij, Maximiani, Vespasiani submisit: leonibus edentatis, & exungulatis serpentes ex Irici caverna emisit, qui virus in caput sium efflarent, nempè AEtium, Arium, Macedonium, Nestorium, Photinum, & quæ non alia portenta? His Matiano calcaneo percalcatis, nunquam tamen destitit veterator, quà per falsos fratres, quà per fallaces amicos, quà per pseudoangelicos viros, portas inferorum, & phalangas Cerbereas commouere prosternendis fidelibus: nouissimè diebus nostris Turcam ferocem spebus magnis inflatum permouit, Cyprum nobilem insulam Venetis eripuerat, & iam ipse deuorarat vniuersam Europam Christiano cultu insignem, facile sibi pollicebatur victoriam, hoc antemurali fortissimo Christianis erepto: quamobrem trierarchis cõgregatis, iubent magnam quam possent, classem instruunt, annonam, vasa bellica, tormenta, nauigijs imponunt, Italicamque florentissimam Prouinciam, nunc Vicarij Christi sede illustrem, contendunt, & vel nauali prœlio si quisquam decertaturus occurrisset, vel milite in terram hostilem exposito, siue aperto Marte, siue dolis consuetis de tota Christianitate decernunt: scripserat innumeras cohortes lectissimorum militum, ac viros vsu rerum militarium peritissimos, sic milite, pecunia, annona, machinis instructã classem mari Achaico ad Naupactum commisit. Videres Vrbem amplissimã ponto innare, tanta copia nauium, triremium, biremium, dromadum, Lyburnicarum, hippagonum, & aliarum mare obumbrarat: diceres tunc draconem infernalem, non flumen, sed ipsum mare vomisse, quo obrueret inclytum germen Mariæ. Pius Quintus, immortalitate dignus Pontifex, præerat tunc Ecclesiæ Catholicæ, & vt erat vigilans custos mandræ Dominicæ, ne oues, Christi sanguine partæ, à crudeli leone dilaniarentur, ne venirent gentes in Dei hæreditatem, polluerentque templa Dei sancta, & ponerent nouam Ierusalem in pomorum custodiam; apro de sylua venienti, & singulari ferro sese opponere decreuit. Philippo itaque Secundo Rege Hispaniarum, & Republica Veneta, in societatem sacri Belli vnitis, quantas potest copias colligit, truculentiq; hosti irruenti opponit, sed numero, viribus, & quod magis erat, discordia intestina fœderatorum longè inferiores; ipse ad sacram Ecclesiæ mediatricem Mariam se, & cunctos fideles excitat, velut Sole amicta, Lunatum (insigne Turcarum est Lunæ semicirculus) hostem pedibus deterrere, aut depellere. Grauis manibus nouus hic Moyses in adiutorium orationis adiungit sibi comites, qui fessas iam sub onere palmas, iunctis precibus attollerent, iuuarent, & interprete Maria, à ceruicibus suis tot Regnorum helluonem deijcerent. Aderat dies, quo aut turpis seruitus, aut dura mors subeunda fuerat, missis ad impetum reprimendum fœderatis. Funus Italiæ timebatur vniuersæ, victoriam quis speraſſet? à tam paucis? à tam inter se diuersarum voluntatum proceribus? at sperabat Pius Pontifex non desperabant pij cultores sacrosanctæ Deiparæ, illo die Dominico, sacris Marianis deuoto, rem illi diuinam in sodalitio Rosarij per vniuersam Italiam, & Hispaniam facientes, nec vanæ spes fuerant Pij, & piorum. Qua hora prœlium commissum est in sinu Naupacti, Beatissima Virgo Maria Pij, & piorum preces exaudiens, Pio V. reuelari obtinuit, certam de hostibus victoriam à Ioanne Austriaco, qui Classi præerat, iam partam. Ventus, qui oriente Sole, in nostros cum pernicie flare cœpe-

rat, (quod non absque miraculo contigisse creditur) innumerosam Turcarum classem ita reflexerat flatus, vt pulueres tormentarij, & flammæ in oculos hostium redirent, nostrorum aspectum adimerent, immo & in terga iam inter se tumultuantium impulsus, victoriam hosti eriperent, nostris concederent, Mariæ Deiparæ, Ductrici, & Victrici potius, quam alteri adscribendam:

Cui militat Aether,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Ipsa pro populo pugnante,

frigidus amnis
Mutatis fumauit aquis, turbaque cadentum
Staret intrepidus iussisset Maria sanguis.

Pulchrum erat videre, cum Turcæ ad impetum flammarum, quæ relabebantur territi, & confusi, desperata venia necem in vadis quærebant, dantes se in mare præcipites, vt aliquod cædis cõpendium fessis cædentium dextris eueniret. Sic mare, quòd absorbendis Christianis Turcæ parauerant, & armauerant, ipsis exitio fuit, ne tam deformia portenta vel hanc obitus sui relinquerent famam, quòd virorum fortium gladio, telove cecidissent. Mare olim, cum Israelem videret, ad eius aspectum effugit: nunc violentum, & turbidum ad hostes Ecclesiæ sorbendos, vento vehementiore cõmotum cucurrit, quos postea, ne eius lateret obsequium, eructatis cadaueribus prodidit. Mare Erithreum profligatum ad perniciem Pharaonis redijt, ne ex illo relabente enataret, quod sicco vestigio ingressus fuerat. Achaium quoque ad Othomanicam internecionem sese colligens, refluxit, vt quam plures obrueret, qui sceleris participes extitissent. Dixerat inimicus: *Persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea*; sed adiutor in tribulationibus, motus prece Matris; hæc autem oratione piorum descendit, adiuuit, ab internecione liberauit:

Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua Domine percussit inimicum, & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos. Misisti iram tuam, quæ deuorauit eos, sicut stipulam, & in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ. Stetit vnda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari. Flauit spiritus tuus; & operuit eos mare. submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Et [illegible] Principes eius submersi sunt in Mari Achaico Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis. Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia. Sed & quis similis tibi inter fortes mulieres, ô Maria? Quis similis tui? Magnifica in sanctimonia, magnanimis in opere, perpetrans mirabilia, & fortitudinem, ac victoriam tribuens implorantibus auxilium tuum, quod antiqui Prophetæ non obscurè mihi videntur vaticinati, quippe quum Balaam Numeror. vigesimoquarto prædixerit: *Orietur Stella ex Iacob, & consurget Virga de Israel, & percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.* Arca veteris testamenti Philistæos percussit, & draconem trucidauit: Iael Sisaræ tempora acuto clauo terebrauit. A Salomone vocatur, *terribilis vt castrorum acies ordinata*, & alibi comparatur turri armis munitissimæ: *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*: alibi ab Ecclesiastico aptè assimilatur platano: nam præter quam quòd folia eius figuram clypei præ se ferunt, Pierius Valerianus in suis Hieroglyphicis libro octauo affirmat, obseruatum esse, inimicitiam magnam insitam esse inter vespertiliones, & nycticoraces, vt tamen isti à vespertilionum molestijs se tueantur, nidum suum platani foliis intus circundant, quia vespertiliones ita platanum exhorrent, vt locum vbi adest, omnino fugiant. Platanus quidem nostræ Hispaniæ, & totius Ecclesiæ Catholicæ Beata Virgo est, quam

Psal. 113.

Exod. 14.

Exod. 15.

Ibidem.

Num. 24.

1. Reg. 5.

Iudic. 5.

Cantic. 6.

Cant. 4.

Eccles. 24.

Pier. Val. l. 8.

quam spurcissimi vespertiliones, per quos tam hæreticos, quam Turcas, tenebrarum instar vespertilionum amatores, valde execrantur. Singularis autem virtus, ac innata antipathia huic sacræ platano, nempe Virgini Deiparæ longè à se, & à nostra Hispania hæreticos profligauit, hæreses interemit, Turcas deuicit, & expugnauit. Alibi non minus conuenienter Ecclesiasticus caput vigisimoquarto palmæ Beatam Virginem comparat: *quasi palma exaltata sum in Cades.* egregium sanè prognosticum. Maria instar palmæ exaltata in Ecclesia. Certè Augusto Romanorum Imperatori in eius ara Palma renata, Tarraconensium, qui primo viderant, interpretatione, victoriam portendebat. Iulio etiam Cæsari in Hispania contra filios Pompei pugnanti, atque præclaram victoriam reportanti, in eo ipso loco, quo eo tempore pugnatum est, ramus palmæ erumpens recens natum Octauium sororis filium, clarum Orbis triumphatorem futurum designauit. Maria sublimis in Ecclesia, palmæ instar eleuata est. Felix ostentum: faustum portentum. Victrix illa serpentis, Triumphatrix geminum serpentis, barbariei Turcarum, & infidelitatis hæreticorum perpetua debellatrix, statuit phalanges innumerabiles Maurorum, vt & felicibus votis Pij V. annueret, & Christi fidelibus periclitantibus opitularetur; cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum.

Amen.

***

Eccles. 24.

HOMILIA IX.

Impij hæretici tam in Marianum Rosarium, quàm in sacram eius Confraternitatem turpiter debacchantur, sed ab eorum calumnijs illa vindicamus.

HAEretici huius tempestatis tanquàm legitimi antiqui serpentis partus, calcaneo Deiparæ Virginis insidiantes, vt ex diuino oraculo futurum prædixit Moyses, multifariam, multisque modis tam aduersus religiosam recitandi Rosarij consuetudinem, quàm numerum Salutationum Angelicarum, quibus illud constat, necnon contra Sanctissimi Rosarij Confraternitatem petulanter insultant, sed Deo auspice, Dauidicis Rosariorum fundis instructi, & orationum scutis obarmati, Golithanam hæreticorum molem, ac Babylonicæ meretricis effrontem frontem prosternemus, acriterque sauciabimus. Impius hæresiarcha Caluinus aduersus Salutationis Angelicæ vsum, in hunc modum inuehitur: *Temerè sibi alienum officium vsurpant Papistæ, quod Deus non nisi Angelo iniunxit.* stulta tamen obiectio: quid enim consequentiæ habet, Angelus salutauit Mariam, ergo nos salutare non debemus? nam si cum Angelis canimus, *Gloria in excelsis Deo.* cur non cum Angelo Mariam salutabimus? nonne stulta hæc esset consecutio? Raphael dixit Tobiæ cap. 12. *Gaudium tibi sit semper pax tibi* ergo nefas est nobis vsurpare hanc salutationem? si ergo licet imitari Raphaelem officiosè, cur non & Gabrielem religiosè? Delirat ergo Caluinus, dum temerè putat morem illum salutãdi Virginem, sic soli Angelo iniunctum fuisse, vt nemini salutationem illam repetere liceat. Sed nec minus mihi desipere videtur, cum aduersus eiusdem

Genes. 3.

Tob. 12.

Sala-

Salutationis Angelicæ vsum, nobis fidelibus obiectat, frustra nos Virginem salutare, cum salutatio ad præsentem dirigatur, non ad absentem. Virgo autem absens est à nobis, cum illa in cælo habitet, nos in terra degamus. sed errat toto cælo, quia B. Virgo nostris rebus interest, nostraque plenè in verbo agnoscit, non minus, quàm Angeli, immo excellentius, tanquam Regina Angelorum. De Angelis autem D. Augusti. ait lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 31. *Sancti Angeli, sicut habent permanendi æternitatem, ita cognoscendi facilitatem, & requiescendi felicitatem, sine difficultate quippe nos adiuuant.* Hinc B. Germanus serm. 11. de Assumptione, B. Virginem nobis adesse considerans, sic eam alloquitur: *Spiritus tuus, ô Maria, viuit in æternum, & caro tua in sepulchro corruptionem non sustinuit, omnia obseruas, ac contueris, & inspectio tua ad omnes se porrigit.* quibus consonant illa D. Bernardi serm. 1. tract. super Salue Regina: *Oportet, vt nobis præsentem esse dicamus, quam præsentem salutamus, & vt totam animæ nostræ Trinitatem in eam dirigamus, quantam deuotis precibus exoramus, agnoscit certè, & diligit diligentes se, & propè est in veritate inuocantibus se, præsertim his, quos videt sibi conformes factos in castitate, & humilitate.* Et quidem si Elisæus, vt lib. 4. Regum legimus, puerum suum absens corpore vidit accipientem munera; quanto magis Beata Virgo cognoscet absens opera nostra? quare præclarè D. Maximus serm. de S. Nazario dixit: *Non clauditur locis, quod diffunditur meritis: inuocasti vbique Mariam; vbique te exaudiet illa, qui honoratur in Maria. Moderanteque igitur eo, qui pensat vota tua, & dispensat munera sua, in tantum vicina præsentia efficacis præbebitur aduocatæ, in quantum fuerit fides deuota suscepta.*

D. Augusti. lib. 11. de Ciu. Dei. c. 31.

B. Germanus serm. 11. de Assumpt.

D Bernard. ser. 1. tract. super Salue Regina.

4. Reg. 4.

D Maximus serm. de S. Nazario.

Alij hæretici in precationum numerum, quibus constat Marianum Rosarium, acerrimè inuehuntur, ac sacrilegæ superstitionis notam illi inurentes, irrident, quòd quinatio Dominicarum orationum, & quinquagesimo Angelicarum, & quindenario decadum ad integrum Virginis Psalterium explendum vtamur. at impudenter, & insipienter nos ab illis increpari, quòd certò precationum numero vtamur, non solum ex sanctis Patribus, sed ex sacris Scripturis apertissimè coprobabo. Plurimi quidem ad id non paucos lucupletissimos auctores in medium afferre, qui hoc ipsum sensere: sed mihi nunc sit, instar omnium, auctoritas Sancti, & magni Patris Augusti. qui in lib. 11. Ciuit. Dei, hæc scripsit: *Numeri ratio contemnenda nequaquam est, quæ in multis sacrarum scripturarum locis, quàm magni sit æstimanda elucet diligenter intuentibus, nec frustra in laudibus Dei dictum est: Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* Et de doctrina Christiana lib. 2. sic ait: *Numerorum imperitia multa facit, non intelligit translatè, ac mysticè posita in scripturis, Ingenium quippe, vt ita dixerim, non potest non moueri, quid sibi velit, quod & Moyses, & Helias, & ipse Dominus noster quadraginta diebus ieiunauerunt, cuius actionis figuratum quidam modum, nisi huius numeri cognitione, & consideratione non soluitur.* & infra: *Multis, atque alijs numerorum formis quædam similitudinum in libris sanctis secreta promuntur, quæ propter numerorum imperitiam legentibus sunt clausa.* In libro denique quæstionum super Genesim, dum loquitur de Israelitico populo, ingrediente AEgyptum, hæc in medium affert: *Videndum est, quid sibi velit, quòd cum Ioseph, & filij eius non amplius, quàm octo commemorentur, Beniamin verò, & eius filij simul vndecim reperiantur, non decem, & nouem omnes sicut sunt octo, & vndecim, sed decem, & octo referãtur in summam, & postea Ioseph cum filijs suis non animæ octo, sed nouem fuisse dicantur, cum nouem inueniantur. Hæc, quæ indissolubilla videntur, magnam continent sine dubitatione rationem; sed nescio, vtrum possint cuncta ad litteram conuenire, præcipuè in numeris, quos in scripturis esse sacratissimos, & mysteriorum plenissimos ex quibusdam, quos inde*

D Aug lib. 11. de Ciu. Dei.

Idē de Doc. Christ lib 2.

Idem in lib. 9. sup. Gen.

inde nosse potuimus, dignissimè, & firmissimè credimus. Ex his etenim signatur mysteria, reconditamque continent doctrinam de Christo, & Ecclesia, de Euangelio, & rebus similibus alibi in scriptura proditis, & comprobatis. Quòd, vt clarius pateat, id ex lege naturali, & humana facilè ostendam. Certè in lege naturæ, decimæ initium sumpserunt, quæ in ministrorum Ecclesiæ sustentationem, & Dei cultum institutæ sunt, vt patet Geneſis cap. quartodecimo. Abraham etiam tria sata similæ commiscere fecit, & tamen vnum tantum vitulum saginatum occidi fecit, ad offerendum tribus Angelis, qui ei apparuerunt, vt patet Geneſis cap. 18. Mysterium Trinitatis cũ essentiæ vnitate designãs. vnde etiam, licet tres viderat, tamen vnum tantum adorauit. Quis etiã ignorat in veteri lege oblationes, & sacrificia offerri sub certo numero præcipi? Item certi ministri, certi dies festi, & certi actus erant in ea ordinati ad Dei cultum, vt patet in libris Exodi, Leuitici, Numerorum. Completo etiam Salomonis tabernaculo, Principes Populi sub certo numero munera obtulerunt, vt patet Numerorum cap. 7. & primo Paralipomenon capite 8. Dauid etiam certum numerum cantorum, & Ianitorum, qui per vices suas Domino seruirent, instituit, vt patet primo Paralipomenon ca. 23. & 24. Et in veteri Testamento Propitiatorium longitudine duorum cubitorum, & semis fieri demandatum, quo Christũ hominem demonstraret. Quod & apud Apostolum epistol. ad Romanos habetur: qui quidem licet verus esset homo, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius, aliquid tamen habuit, quod humanam naturam excederet, tria tamen non exequaret: nam pater eo maior est. Idem Paulus epistola ad Hebreos interpretatur in eo, qud Pontifex semel tantum in anno ingreditur in Sancta Sanctorũ, latuisse mysterium, quòd Christus semel esset moriturus, seque ad expiandum peccatum humani generis oblaturum victimam. Ioannes cap. 5. prioris epistolæ, tria recenset, quæ testimonium de Deo, dant in terra, Spiritum dico, aquam, & sanguinem, subindicans in illis mysterium Triadis esse in Diuinitate repositum. Deinde ipse Christus Dominus Matth. capite vndecimo, tres dies, quibus Ionas fuit in ventre ceti, docet præsignasse mysterium mortis, ac sepulturæ suæ ad triduum, & gloriosæ deinde Resurrectionis. Quid plura? Christus certo tempore nasci, circumcidi, in templo offerri, baptizari, & prædicare voluit, similiter pati, resurgere, & in cælum ascendere, Apostolos, & discipulos in certo numero habuit; certos etiam homines ex quinque panibus, & duobus piscibus satiauit, Matth. capite 14. 17. Pisces etiam in certo numero Ioann. capite vigesimo primo non sine singulari mysterio Petrus ad litus traxit. In hac etiam noua lege certa sunt præcepta, sacramenta septem, & septem dona Spiritus sancti, duodecim articuli fidei, septem orationis Dominicæ petitiones, certa sunt misericordiæ opera corporalia, & spiritualia; quibus omnibus Deus, & veneratur, & colitur. Cæterum vt magis innotescat longè à superstitione abesse præfixus numerus orationum, quæ ad soluendum integrum Rosarij pensum effunduntur, prius de quinario orationum Dominicarum, deinde de numero quinquagenario Angelicarum salutationum, & de centesimo, & quinquagesimo, ex quibus ternarius trium quinquagenarum integri Mariani psalterij constat, disseremus: quinarius in primis orationum Dominicarum mysterio non caret, quia ad quinque præcipuè vulnera corporis Christi, quod ex Maria Virgine sumpsit, refertur; & quidem nemo est tam sacrarum litterarum ignarus, quin eis non agnoscat sacrum haberi

Gen. 14. Gen. 18. Num cap. 7. 1. Paral. 8. 1. Paral. 23. & 24. 1. Ioan 5. Matth. 12. Matth. 14. & 17. Ioann. 21.

beri numerum quinarium, Geneſ. capite 43. in conuiuio appoſita cuique fratrum parte ſua, ad poſtremò genitum Beniamin maiorem partem appoſuit, ita, vt quinque partibus excederet. Iuſtus ille Ioſeph Chriſtus nobis Beniamitis dolorum ſuorum filijs, hora nouiſſima genitis, de corpore ſuo quinque vulnera aperit ac præbet. idem Geneſ. capite 45. cum fratribus ſingulis proferri iuſſit binas ſtolas; Beniamin vero dedit 300. argenteos cum quinque ſtolis optimis. Iuſtus Ioſeph noſter pretium corporis ſui, quod appretiatum eſt triginta argenteis, nobis dedit cum quinque vulneribus, vbi ſtolas noſtras abluamus. Quid illæ tabernaculi columnæ? de quibus ad Moyſen Dominus (Exodi capite vigeſimoſexto.) *Quinque columnas deaurabis lignorum Sethim, ante quas ducetur tentorium*, quarum erunt capita aurea, & baſes æneæ; tam quinque cubitorum altitudo, ſeu latitudo, quàm frequens iuſſa fuit à Deo in conſtructione ſeu altaris Exodi vigeſimoſeptimo, ſeu tabernaculi, ſeu templi, Reg. capite 6. ſiue in numero hoſtiarum cædendarum Numer. 7. Quæ ſingula magis plena ſunt myſterijs Leuit. capite vigeſimoſeptimo. Pretium Redemptionis primogeniti maſculi ſiclorũ erat quinque: noſtra Redemptio vulneribus conſtat quinque. Quinque ciuitates refugij, Ioſue 21. Quinque, Numer. 31. principes Madian ſimul ab Iſraelitis occiſi: quinque Ioſue cap. 10. Reges Amorrhęorum extincti. Quinque Iud. 3. Satrapæ Philiſtinorum cum ſuis Sattapijs, cultuq́e dolorum, in medio Iſraelitarum relicti; vt haberent Iudæi, à quibus vexarentur. Quinque Iud. 18. exploratores à tribu Dan emiſſi. Quinque 1. Reg. 6. anni, totidemq́e mures Philiſtinorum ex auro fieri iuſſa propitiando numini. Lapides, 1. Reg. 17. quinque Impiſſimi Dauidis: panes, 1. Reg. 21. quinque propoſitionis ab eodem petiti.

Gen. 43. *Gen. 45.* *Exod. 26.* *Exod 27. Reg. 6.* *Numer. 7. Leuit. 27.* *Ioſue 21. Numer. 31 Ioſue 10. Iud. 3.* *Iud. 18.* *1. Reg. 6.* *1 Reg. 17. & 21*

Viri quinque, 2. Machab. de cælo Machabæis in prælio albis equis apparentes: quinque, Matth. 14. panes, quibus paſcebat Dominus hominum millia quinque, talenta, Matth. 15. quinque data ſuperlucranti totidem: quinque, Ioann. 52. porticus Betſaidæ: aliaque complura ſimilia quinario diuinitus celebrata numero, numerum ipſum ſingulari conſecrant myſterio. Ad hæc ſuper numero quinario mirifica legimus facta in Scriptura ſacra. Quinque namque verbis myſterium incarnationis Dominicæ fuit celebratum: fiat mihi ſecundum verbum tuum, Lucæ cap. 1. Sub quinque verbis conſecratur ſacramentum Euchariſtiæ: *Hoc eſt enim corpus meum.* Chriſtus quinque verbis Latronem à dextris ſuſcepit ad gloriã: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Quinque verbis facta eſt conuerſio Pauli: *Domine quid me vis facere?* Actorum cap. 9. Et ipſe inquit, 1. Corinth. 14. *In Eccleſia volo quinque verba loqui in meo ſenſu, vt alios inſtruam.* De numero autem decadis hæc accipe. Numerus decas, ſiue denarius in ſcriptura certus index myſterij eſt, niſi forte quis Dei ad Moyſen mandatum iſtud aut vanum, & inane, aut ſuperſtitioſum, & male interpretandum putet, quo ita præcipiebat, Exodi capite 26. *Tabernaculum verò ita facies: decem cortinas de byſſo retorta, & hyacintho, &c. facies*, ac rurſus ibidem: *Facies, & veſtes de lignis Sethim, quinque in vno latere, & quinque in altero.* Credimusne ſapientiſſimum Salomonem nihil aut rationis aut momenti, aut myſterij in denario numero poſuiſſe, quando 3. Reg. 6. fecit in oraculo duos Cherubin de lignis oliuarum, decem cubitorum altitudinis, & alas decem cubitos habentes? Magna ſancti Patres in hoc numero myſteria prouiderunt, ſicut & in iſto. Decem quoque cubitorum erat Cherubin ſecundus; idem 2. Paral. 4. *Fecit autem & candelabra aurea decem; necnon & menſas decẽ, aliaque talia numero eodem, quin & victimas ſibi*

2. Mechab. 10. *Matth. 14.* *Matth. 15.* *Ioan. 52.* *Luc. 1.* *Luc. 23.* *Actor. 9.* *1. Cor. 14.* *Exod. 26.* *3. Reg. 6.* *2. Paral. 4.*

varias

varias facere denas iubebat sacerdotes Deus. Gen. 18. Quid? si Gen. 18. vel decem iusti in Sodoma reperti fuissent, numerus is iustorum ad numinis placationem valuisset. Non absque mysterio seruus Abrahæ Genes. 24. Tulit decem camelos, sponsam filio ipsius quesiturus. Dauid 1. Reg. 17. 4. Reg. 20. panes decem afferre fratribus iussus, tulit: Sol 4. Reg. 20. decem gradibus retrocessit. Talenta Luc. 19. decem, & decem serui, ciuitatesque decem fideli seruo condonatæ. Leprosi decem Luc. 17. à numero hæc omnia mysterium acceperunt. Vnde, & hoc de numero Gregorius Magnus l. 35. Mor. cap. 20 *Denarius numerus in scriptura perfectus est: quia lex in decem præceptis concluditur, omnisque culpa non amplius, quam per decem verba cohibetur, atque enarrante veritate operatores vineæ remunerantur, &c. vt homo de remuneratione operis, quasi quodam denario, consummatus viuat.* Sileo, quæ ibidem pluribus philosophatur.

Quasi de Rosarij decadibus benè Leodiense Manuale cap. 2. par. 8. sic loquitur: *Salutationem Angelicam cuique orationi Dominicæ decies subijcimus, vt in mentem nobis veniat, decem mandatorum Dei obseruatio.* Huc refert certè Alanus lib. de dignit. Psalt. illud Dauidicum Psal. 32. *Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio, confitemini Domino in cythara, in psalterio decem chordarum, psallite illi, cantate ei canticum nouum, noui testamenti primum, quod est salutatio Angelica* Quia Psal. 91. *Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime, in decachordo psalterio, cum cantico, & cythara.* Dicergo his. Psal. 143. *Deus canticum nouum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi.* Vbi S. Prosper in expositione Psalm. 143. *Canticum nouum* (inquit) *est canticum gratiæ, & noui hominis, ac noui testamenti, quod in decachordo, id est in decem præceptis legis canitur: quia perfecta est in charitate cantatio; illa præsertim Angelicæ salutationis, quæ ad memoriam decalogi, per decades in parthenico psalterio ritè, solemniterque repetitur, vt, qui dum corde, & ore Virginem in salutatione veneramur, eandem & in vitæ conuersatione opere ipso imitemur. Quæque igitur decas in psalterio & repræsentat illud Dauidicum decachordon, & eandem cum ipso significationem habet.* Quòd autem post denariũ Angelicarum salutationũ semel Pater noster dicatur, illud mihi ob oculos ponit, qnòd volentẽ attingere terminũ, oportet trãsire per medium; mediũ autẽ proueniendi ad Christũ, Deipara Virgo est.

Leodiense manual. c. 2. par. 8.

Alan. lib. de dignit. psalt. in Psal. 32.

Psal. 91.

Psal. 143.

S. Prosper in exposit. Psal. 143.

Venio iam ad numerum quinquagenarium Angelicarum salutationum: hic in sacris Scripturis sacer est, & multis mysterijs grauidus. In lege naturali annus iubileus, hoc est quinquagesimus, ortum habuit, cum Abraham post deuictos quatuor Reges, & reductũ Loth, omnes captiuos dimisit liberos: tũc enim Loth erat quinquaginta annorum, vel vt alij, tunc erant quinquaginta anni, quòd locutus fuerat Abrahæ Deus in via: vel vt alij, tunc erant quinquaginta anni, ex quo recesserat de Aram terra sua. Item Abraham erat astrorum peritissimus, vt refert Solinus libro de mirabilibus mundi: ideoque perpendit, quod intemperies aeris, quæ est in elementis, semper in quinquagesimo anno ad temperiem redit, vt Hugo Cardinalis adnotauit in capite octogesimoquinto Leuitic. Deinde in anno quinquagesimo, in quo iubileus erat, possessiones restituebantur gratis, debita relaxabantur, & serui dimittebãtur liberi, vt sacra Leuitic. refert historia cap. 25. Quæ omnia pulchrè in Mariam conueniunt, per cuius merita, & preces hæc consequimur bona. Addo, quòd Psalm. misericordiæ, & remissionis est quinquagesimus, quem cum Dauid recitaret, audire meruit: *Transtulit Dominus peccatum à te.* vt legimus in capite tota de pœnitentia distinctione 3. Quid, quòd in lege noua die quinquagesimo post resurrectionem, misit Dominus Spiritum sanctum in Apostolos suos in vnum congregatos, vt

Solin lib. de mirabilibus mundi.

Hugo Card. in c. 85. Leuitic.

Leuit. c. 25.

In c. tota de pœnit. dist. 3.

Actor. c. 1. habetur Actorum 1. Accedit his Diuus
D. Aug. in illud Luc. c. 16. Augustinus in illud Lucæ 16. *Sede cito, & scribe quinquaginta*, asserentem numerũ quinquagenarium esse remissiones, iuxtà illud Genes. 16 *Si inuenero in Sodoma quinquaginta, dimittam.* Erat etiam annus quinquagesimus, in quo Leuitis dabatur requies: sic enim legimus Numerorum 8 *Cum quinquagesimum annum compleuerint, seruire cessabunt, eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, vt custodiant, quæ sibi fuerint commendata, opera autem ipsa non facient.* Tandem pijssimus Cornelius ordinis Prædicatorum lib. de Rosario hæc de numero quinquagenario salutationum Angelicarum adnotauit: *Et* (inquit) *Conformitas quædam Pater noster, & quinquaginta Aue Maria: nam sicut in Rosario quinquaginta Aue Maria continentur: sic in Pater noster habentur quinquaginta voces, addito amen. Cum autem nulla Christi vocula mysterio vacet, eas in oratione Domini singulas singulis salutationibus Virgini offerendas commendamus. Non igitur numerus salutationum aut nouus, aut superstitiosus censeri debet.* Porro de numero quindenario decadum, quæ conficiunt centum quinquaginta salutationes Angelicas, hæc tibi offero, quæ sacrum illum esse palam ostendunt: etenim tempore diluuij, postquam ira Dei in misericordiam commutata fuit, aquæ diluuij cœperunt post centum, & quinquaginta dies diminui: Psalmorum liber centum, & quinquaginta continet: psaltus Lybani, quæ B. Virginem præfigurauit, centum erat cubitorum longitudinis, & quinquaginta latitudinis, vt habetur lib. 3. Reg 7. per quam Marianę charitatis, & misericordiæ latitudo exprimitur, D. Bernardo dicente serm. 4. de Assumptione: [Latitudo eius replet orbem terrarum, vt sua quoque misericordia plena sit omnis creatura. Longitudo eius vsque in diem longissimum inuocantibus eam subuenit vniuersis. Sublimitas eius ciuitatis supernæ inuenit restaurationem; & profundum eius sedentibus in tenebris; & vmbra mortis obtinuit redemptionem.] Quibus omnibus addo celebrem locum Eccl. cap. 11. *Da partem septem, nec non & octo, quia ignoras, quid futurum sit mali super terram.* Varias sustinet hic locus explicationes: eas, quę litterales sunt, primum apponã, deinde tropologicas. Chaldæus opinatur hoc loco contineri prouidum consilium pro patrefamilias, vt agrum ferat tempestiuè, & non mense tantum Tyrsi, id est, Septembris, sed etiam Casleu, id est, Nouębris, cũ ignorer, quando futura sit copia, vel penuria annonæ. Quidam interpretantur hunc locum de eleemosyna facienda: in modo tamen explicandi variant: nam Cardinalis Caietanus ait, da partem nominibus septem, hoc est, certo numero pauperum, qui numerus ab ijs fortasse tunc apud Iudæos eleemosynarios obseruabatur ob reuerentiam diuinarum actionum, quæ septem diebus describuntur à Moyse Genes. cap. 1. *Gen. 1.* supputato sabbato quietis, sicut modo consueuerunt multi pascere pauperes duodecim in memoriam duodecim Apostolorum do etiam pauperibus, octo videlicet, si quis ad illum decretum ordinariumve numerum accesserit. Nicolaus autem, legens *partes*, docet, dandum nobis abundanter indigentibus de bonis nostris: septenarius enim numerus denotat vniuersitatem, vt differens de septem diaconis, docet Lorinus in caput sextũ Actorum, vel certè septem, octo dixit ad expellendos omnes petentes, ita vt obseruemus illud Christi Domini, Luc. 6. *Omni petenti tribue*, hoc est non dijudicando, aut curiosè scrutado singulorum conditiones, & merita, vt docent Chrysostomus sermonibus ad populum, & Nazianzenus oratione in laudem Patris; nec enim refert, quòd sint peccatores, dummodo egeant, vt monet D. Augustinus in Psalm. 22. & D. Gregorius 3. par. pastoralis admonitione 21. immo ad id exemplo suo Deus ipse nos hortatur, pluens, & Solẽ

Lorinus in c. 6. Actor. *Luc. 6.* *D. Aug. in Psalm. 22.* *D. Greg. 3. par. pastor. admonit. 21.*

fluum

Luc. 14. suum oriri faciens super bonos, & super malos, iustos, & iniustos. Vnde Christus Dominus ad id suadendum, parabolam induxit inuitantis ad cœnam debiles, claudos, cæcos. Ad quæ hunc existimo litteralem sensum huius loci, cui consona sunt verba sequentia. *Quia ignoras, quid futurũ sit mali super terrã.* Quibus planè promittitur copiosè elargienti eleemosynam, & indiscriminatim omnibus, liberandum esse à malo in terram superuenturo: vel certè explicandum est de malo imminente, quod ab indigente amoueri potest benigna largitione: alij referunt quorundam versionem, qui legunt: *Quia ignoras, quid futurum sit mali subtus terram.* etenim secundum hanc lectionem inuitamur ad dandam eleemosynam, vt mitiores sint pœnæ purgatorij, quod subtus terrã est.

Sed ad allegoricos sensus me conuertens, omissis multis alijs, quos refert Lorinus in cap. 11. in Eccl. tres solum hic apponam, qui mihi celebriores esse videtur. Primus est, quod per partem septem, intelligitur sabbatum, qui est septimus dies, quem Hebræi valdè obseruabant; per partem vero octo, designatur dies Dominicus Resurrectionis Christi Domini, quem Christiani religiosè colũt. Cum ergo dicitur da partem septem, & octo, monemur credere veritatem testamenti veteris, & noui ne simus sicut Iudæi, qui sabbatum dumtaxat obseruabant, neque vt hæretici Manichęus, & Martion, qui totam legem veterem repudiebãt, atque huc facit, quòd D. Ambrosius lib. de Iacob. cap. 11. disputans de septem Machabæis, ait: *Illo in viro quę numero, sacramentum gratiæ consecutos in lege nutritos per gratiam corona i septem, tanquam in sabbato, octo, tamquam in Euangelio.* Facit etiam, ad idemque adducit septem pastores, & octo morsus hominum, apud Micheam cap. 5. id est, præcepta legis, & Euangelij mandata, in quo deuorata est mors. Secundus sensus tropologicus est, hoc, quod viuimus, esse sæculum septimũ, in quo bonis operibus vacãdum, octauam vero, quod expectatur, ad præmia esse destinatum: monemur ergo, vitam totam nostram septem partibus constantem, infantia, pueritia, adolescentia, iuuentute, senectute, & tempore mortis Deo offerre, vt deinceps octaua æternæ fælicitatis fruamur, ad quod vt prouocemur, ob oculos nobis proponitur malum, in finali iudicio superuenturum, *quia ignoras, quid futurum sit mali super terram*: vt enim à malo illo liberemur, in memoriam nobis reuocat Spiritus sanctus septiformem gratiam, nunc in nobis perficiendam, & postea per gloriam remunerandam.

Secundus sensus est, septennarij fieri mentionem in prædicto loco propter septem opera misericordiæ, & octonarij, qui symbolum est Beatitudinis propter exercitia vitæ contemplatiuæ, in qua viatores beatis assimilantur. Vnde D. Gregorius in 6. Psalm. Pœnitentialem, introducit Salomonem dicentem Deo, *da partem septem, da & octo: Optabat*, inquit, *regiæ dignitatis potentia præditus, ita sibi subditos populos regere, vt tamen contemplatione diuinæ non defraudaretur perfectione.* Verum nostro argumento inseruiens, vltimum adiungo tropologicum sensum. Monemur fideles septem, & octo partes Deo dare, recitatione quindecim decadum, Rosarij, & meditatione quindecim mysteriorum, in quorum memoria iste precum numerus sacer est, ad idque præstandum stimulus ille nobis adijciter, quòd hac ratione, multa alioquin superuentura in nos mala vitabimus, *quia ignoras, quid futurum sit mali super terram.* Sed quia hic stimulus timoris est, addo ego alium amoris singulariter adumbrari in quindecim argenteis, quibus Oseas capite tertio, coniunxit sibi meretricem. Bone Deus, quoties Christus Dominus in Oseam significatus, perditissimas animas medijs quindecim Rosarij decadibus,

Lorin. in c. 11. Eccles.

D. Greg. in Psalm. 6.

D. Ambros. lib. de Iacob c. 11.

Micheæ 5.

Oseæ 3.

bus, sibi arctissimo amoris vinculo copulauit? Quid id non crediderit; vacet huic exercitio, & continuo experietur, Christi amore inflammari, nihilque à veritate alienum nos effundere: atque hæc sufficiant de numero quindenario: nunc iam me conuertam ad hæreticorum tela infringenda, quibus impudenter lacessunt sacram Mariani Rosarij Confraternitatem. Irrident in primis laudabilem consuetudinem, qua Fraternitas hæc vtitur, dum omnes Cõfratres in speciali libro, seu matricula conscribit: inscriptionem hanc tãquam omninò inutilem spernantur: verùm laudabilem, & vtilem esse, non solum ciuilibus, & humanis legibus, sed ex sacris scripturis apertè commonstrabo: etenim, sicut Deus Optimus Maximus prædestinatos in libro vitæ, vt Diuus Ioannes tertio Apocalypsis testatur, ita Deipara Virgo vult, in obsequium suum destinatos speciali libro conscribi, vt illorum inscriptio sit velut pignus quoddam scriptionis eorũdem in libro vitæ: & in eodem conueniunt verba illa, *non delebo nomina eorum de libro vitæ*: sicut & in hostes eiũsdem Virginis illa alia conueniunt Dauidis Psalmo sexagesimo octauo, *deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur*. Vnde Doctissimus Cornelius sermone decimotertio dixit: *Inscriptio hæc rectè significat inscriptionem æternalem, quæ est per prædestinationem electorum, quæ dicitur liber vitæ, à quo petimus non deleri meritis, & intercessione Sanctissimæ Virginis Mariæ, in cuius signum, nato Saluatore, exijt edictum, vt describeretur vniuersus Orbis*, ad quod respiciens Diuus Greg. hom. 8. in Euang. dixit: *quid est, quod, nascente Domino, vniuersus Orbis describitur, nisi quia hic apertè monstratur, quia ille veniebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitatem*? Deinde, sicut in lege veteri Exodi 28. nomina filiorum Israel in veste Aaron inscripta erant, & Noemias capite septimo ait: *Inueni librum in quo scripta erant nomina transmigrantium, & redeuntium ad ciuitatem suam*: & Daniel capite duodecimo, inquit: *Saluabitur omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro*; ita in libro sacro huius Fraternitatis inscripta sunt nomina famulorum virginis, qui per eius merita, & intercessionem transmigraturi sunt in cælestem Ierusalem, & redituri ad supernam patriam, quia *non habemus hic Ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus*. Vnde, sicut olim, vt legimus Ezechiel. 9 Serui Dei signati fuerunt signo tau, ne diuina vltio in eos irrueret, & qui non erant signati, Angeli gladio interierunt; sic qui fuerint scripti in libro hoc Confraternitatis, signum Rosarij præseferentes, & documenta eius implentes, diuinam vltionem non sustinebunt, sed Deiparæ Mariæ intercessione, Dei misericordiam experientur. Quare Beatus Alanus in Apologetico capite decimo septimo dixit: *Scribuntur & in signũ diuinæ electionis, quia sicut Ioanne in sua Apocalypsi capite septimo, id attestante de omni Tribu filiorum Israel, centum quadraginta millia fuerunt præseruati à plagis quatuor Angelorum; sic famuli Beatæ Virginis, eius Psalterium recitantes, non minora beneficia recipient, cum nec sint Israelitis inferiores, nec Maria inferior Moyse, nec Salutatio Angelica peioris conditionis, quàm fuerit illa vetus scriptura*. est insuper hæc inscriptio pignus amicitiæ singularis inter Virginem, & eius clientulos, non secus ac olim 1. Machab. 10. signum benevolentiæ, & amicitiæ Alexander inscribi fecit Ionatham inter primos eius amicos. Ad hæc, quis ignorat huius inscriptionis Fratrum præclara in iure Canonico reperiri exempla: nam 2 quæst. 1. cap. legum de consecratione recens baptizati in libro inscribuntur, necnon regularem professionem emittentes. 27. quæst. 1. cap. omnes fœminæ: in seruorum ordinatione distinct. 54. cap. nulli. Ac tandem Pontifices, & Episcopi scribi consueuerunt in suis Ecclesijs. Quid plura? in iure quoque

Apoc. 3.

Psal. 68.

Cornel. ser. 13. de Rosario.

D. Greg. ho. 8. in Euang.

Exod. 28.

Noemias 7.

Daniel 12.

Ezech. 9.

B. Alan. in Apoc. lib. 17.

Apoc. 7.

1. Macha. 10.

2. quæst. 1. cap. Legum de consec.

27. quæst. 1. cap. omnes fœminæ.

dist. 54. cap. nulli.

quoque Ciuili scriptiones non desiderantur, quin potius admittuntur, & requiruntur tum ob militiam : milites enim militiæ nomina dantes, in militiæ libro adscribuntur tum propter honorem, & reuerentiam, vt Senatores, qui Patres conscripti dicebantur; Consules, qui in fastu Consulares referebantur; Ciues in Album ciuitatis, Tribuum contribules in libris tribulibus recensebantur à censoribus, equites in equestris ordinis codicem mittebantur, candidatorum nomenclaturis, & nomenclatoribus, nihil erat frequentius, tum propter amicitiam, sicut inter primos amicos, tum propter beneficentiam, instar Regis Assueri, vt habetur Esther capite sexto; fecit enim sibi afferri historias, & annales primorum temporum, in quibus inuenit, quòd Mardochæus beneficium sibi præstiterat, & nondum remuneratum, honoribus multis cumulauit; Accedit his omnibus vtilem valde esse hanc fratrum inscriptionem, vt facilior sit notitia eorum, qui ad hanc Confraternitatem pertinent, necnon eorum, pro quibus vita functis preces sint effundendæ. dic ergo hæreticis, inscriptionem hanc mordentibus, illud Pauli 1. Corinth, 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, stultitia est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur; spiritualis autem omnia iudicat.*

Esther 6.

1. Cor. 2.

Ad extremum oblatrant hæretici, quorum sepulchrum patens est guttur eorum, venenum aspidum sub labijs ipsorum, quòd Fraternitas hæc exlex sit: hoc est, immunis ab omni propriæ legis obligatione, quod videtur prorsus à ratione alienum, eloquentiæ parente libro tertio de legibus, dicente: *Nihil est tam aduersum, conditionemque naturæ, quam lex, sine qua nec domus vlla, nec Ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.* fatemur quidem, in hac Confraternitate non esse leges, quæ obligent sub culpa, vel pœna transgredienti inferenda, non tamen carent legibus directiuis, non coercitiuis hoc est, quibusdam legibus præscribentibus ea, quæ facere debet Confratres, vt bonis totius Confraternitatis fruantur. viget lex de persoluendo integro Psalterij penso singulis hebdomadis per se, vel per alium, quod qui præstat participem se reddit omnium Rosariorum, quæ per illam hebdomadam ab omnibus in tota Fraternitate per Orbem vniuersum orantur, si tamen cõtingat id vna, vel pluribus septimanis omitti, toties, & ipsius pensi meritum, & specialem eam aliorum Rosariorum cõmunitatem perdit, quæ iactura pœna potest dici illius omissionis. Manet hic quoque verissimum, quod D. Augustinus homil. 5. in actu Apost. dixit: *Lex non inuenitur sine pœna* memini S. Gregor. in Registro lib. 8. dixisse: *Liber homo si fraudem cõmittit, in persona non debet puniri, sed in facultate:* cum ergo specialis comunio oraticnum, & satisfactionum sint propriæ facultates huius Fraternitatis, meritò Confratres in ea liberi, negligentes tamen in soluendo Mariani Psalterij penso, in facultatibus puniuntur, non in persona. Quam autem cum ratione consentaneum fuerit nullum imponere præcepti onus, sub culpa etiam veniali, aut leui pœna, ex fine ipsius Fraternitatis facile colligitur; quæ facili via, modoque suaui omnes Christianos cuiusque status, ætatis, conditionis, & sexus ad obseruatiam diuinorum mandatorum Christi & obedientiam, & B. Virginis deuotionem inducere satagit. ad hoc autem maximè conducebat ab omni præcepto immunitas : multis enim Præcepti onere perterritis, ianua præcluderetur ad ingrediendum hanc Fraternitatem. quare vt illa omnibus apta esset, cunctis conueniens, singulis commoda, facilis, & à quocunque tolerabilis, ita vt magis fableuaret, quàm grauaret, omnino opus fuit, nullam condi legem in hac Confraternitate,

Cic. lib. de legib.

D. Aug. ho. 5. in Act Apostol.

S. Gregor. in Regist. lib. 8.

quæ

quæ sub culpa aliqua, vel pœna obligaret. Vnde arbitror, in fratres huius Cõfraternitatis egregiè conuenire verba illa D. Pauli ad Rom. 2. *Legem non habentes, ipsi sunt sibi lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*: necnon & illa eiusdem D. Pauli 1. ad Timoth. 1. *Lex iusto non est posita, sed iniustis, & subditis impijs.* hoc sanè ad a mussim impletur in illis, qui Christiana præcepta, non quia præceptorum onere prægrauati, custodiunt, sed quia iusta, sancta, & salutaria, & Deo grata esse credunt, illa amant, & tota mẽte cõplectuntur, quales sanè non desiderantur in hac fraternitate Deiparæ Virgini consecrata, cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Ad Rom. 2.

1. ad Tim. 1.

HOMILIA X.

Agimus de pio, ac laudabili processionum ritu, quo Mariani Rosarij Confratres Deiparam Virginem religiosè colunt.

S. Theodoret. Caiet.

SAnctus Theodoretus, vt refertur in Cathena Lippomani, & Card. Caiet. super Exod. 3. quęrunt, quare Deus Moysi, volenti accedere ad intuendum Rubum ardentem, & non combustum, Deus præcepit, ne accederet, nisi pedibus discalceatis; respondent, rationem fuisse, quia locus ille ex præsentia illius stupendi miraculi sanctus erat: planè tamen mihi videtur Spiritus sanctus adumbrare voluisse cultum, & reuerentiam debitam Beatæ Virgini. Thalamus enim Virginalis locus sanctus fuit, in quo patratum fuit stupendum illud, ac portentosum miraculum vnionis ignis cum rubo; hoc est coniunctionis Dei, qui ignis consumens est, cum carne, qui rubus est, ex terra nascens, huic ergo sacro loco, in quo tantum mysterium celebratum fuit, vult Deus non aliter accedere, quàm discalceatis pedibus, hoc est, depositis carnalibus affectibus, ac singulari animi deuotione, & reuerentia illum venerari.

Ad hanc ergo reuerentiam impensè exercendam salubriter, ac religiosè institutæ sunt processiones, in quibus Deipara Virgo, velut ouans triumphali ferculo circunducitur: quæ pia consuetudo minimè recens censenda est, sed perantiqua. Nam omisso, quòd Rupertus lib. 7. de diuinis officijs cap. 25. Processiones, quæ Dominicis diebus fieri consueuerant, ad Deiparæ Oratorium primum omnium tendere affirmat: loquens enim de Resurrectione Domini, ait: *Rectè à maioribus nostri Ordinis traditum est, & quasi pro lege fixum conseruatur, vt in processionibus, cunctis per annum Dominicis, beatæ Dei Genitricis memoriam prima statione visitemus, decãtando quodlibet, quod eius proprium sit, eaque salutata, & oratione dicta, tunc demum processionem peragamus. Sicque feruente sacræ religionis studio prouisum est, vt infra claustrum debeatur eiusdem Beatæ Virginis diuersorium, scilicet sacratũ in ipsius honore, proprium nominis eius oratorium. Quid conuenientius, quid pulchrius, quid venerabilius, quàm congratulari Matri Virgini super Resurrectione Vnigeniti?* Hactenus ille. Verum, omisso etiam, quòd in vniuersali Ecclesia instituta est quotannis celebris processio cum accensis cereis in die Purificationis: [Quæ vt ait S. Antonin. 4. par. tit. 15. c. 24. §. 3. fit in honorem B. Mariæ per correspondẽtiam ad diem in ramis palmarum: nã sicut tunc portantur rami oliuæ cum palmis in signũ victoriæ Christi de morte per resurrectionem, ostendentes etiam nos victoriam de vitijs per pœnitentiam ad vitam gratiæ resurrexisse, ita in die Purificationis candelas accensas gestamus in manibus, lumen ardentissimæ charitatis Virgini designantes, & eam viam in nostris operibus habere protestantes.] Hæc Sanctus Antonius, qui & adiecit, quemad-

S. Antonin.

quemadmodum in Ascensionis Dominicæ die in honorem Christi fieri processio consueuit, ita in Virgineæ Assumptionis die fieri solitam esse processionem in Deiparæ honorem cum tota cœlesti curia vna cum Christo filio, obuiam ei processit, ad eam in cœlo recipiendam, ac in regio suo throno collocandam. Altius tamen vt argumentum hoc repetamus, patienter quęso ferat lector, si multa, quæ antiquæ historiæ de gestatione Deiparæ Virginis in processionibus nobis tradidere, hoc loco commemorem, vt hæreticorum ora obstruã, mendaciter effutientium, nouum inuẽtum esse monachorum processionum ritum. Non solùm abijcienda, sed deflenda sanè est istorum in maligno posita natio, quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, quia in processionibus nostris pro conuersione tua supplicamus: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, & odio odisti nos gratis: à te maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus, & obsecrabimus non deficientes, vsque dum in bono malum vincamus per illam, in cuius nomine, & ad cuius honorem congregamur fratres in vnum, vt corde vno & anima vna Mariam Dei Matrem veneremur. Ad rem tamen nostram rediens, nemo ignorat per processiones ad B. Virginem clamantes, ingruentem pestem, quæ Romã grauiter opprimebat, penitus fuisse extinctam, vt latè tradunt Baronius to. 8. anno 601. & Sigonius libr. 1. de Regno Italiæ. in quadam autem illarum processionum, ipse summus Pontifex Gregorius Magnus circumtulit Deiparæ imaginem, quæ à sancto Luca traditur depicta, & nunc extat in Basilica S. Mariæ ad Præsepe in celeberrimo sacello, quod in eius honorẽ extruxit summus Pontifex Paulus V. refert autem Carolus Sigonius præcitato loco auditos tũc tempore processionis, Angelos in aere

Baronius.

Carol. Sigonius.

suauissimè concinentes, & addit Paulus Diaconus lib. 3. de gestis Longobardorum cap. 23. auditum Angelum ad Virginem dicentem, *Regina cœli lætare, &c.* cui subiungit S. Gregorius: *Ora pro nobis alleluia.* huius verò Angeli in forma pueri apparentis impressa vestigia in marmoreo lapide ab eo relicta, in nostro conuentu Aræ Cæli religiosè asseruantur, & palam ab omnibus conspiciuntur. Deinde Anasthasius Bibliothecarius Pontif. Stephano III. hæc narrat: *In vna dierum, cum multa humilitate Stephanus procedens in litania, cum sanctissima imagine Domini Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ Ageropæta, non manu facta nuncupatur, simulque cum ea alia diuersa sacra mysteria recipiens, proprio humero ipsam sanctam Imaginem cum reliquis Sacerdotibus, idem S. Papa gestans, nudis pedibus tam ipse quàm vniuersa plebs incedentes, in Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis, quæ ad præsepe nuncupatur, posito in omnibus capitibus populorum cinere, cũ maximo eiulatu per gentes misericordissimum Dominum nostrum deprecati sunt.* Hæc ille. Item noua Roma Vrbs Vrbium Orientis diu Imperatrix Byzantium, post, Cõstantinopolis dicta, Deiparæ Virgini tota dicata, nihilo minora gestatæ in processionibus Marianæ Imaginis reliquit exempla. Vnum accipe compendium ex Cardinali Cæsare Baronio to. 8. anno 625. *Heraclio Orientis Imperatore Persiam cum victore exercitu funditus conquassante, Cosroas Rex Persarum Sabarã cum quinquaginta lectissimorum militum millibus ad obsidendam, & exscindendam Constantinopolim mittebat: retrahendo è Persia, Victore Heraclio. Sabarum dux, Hunnis in auxilium accersitis, terra mariq́ue Byzantium dies iam decem premebat: cùm incolæ per omnia templa supplicant, & post Deum Dei Matrem proximam in auxilium vocant. adest certa: hostis Barbarus aliquando mane primo cœli Reginam ore habituq́ue Virginis, cum maximis copijs ex Vrbe exire, & in suos ducere cernebat. Stratagema suspicabatur. At illa iam castris proxima aciem flectit, viamq́ue reuertit.*

Paulus diac.

D. Greg.

Anastas. Bibliothec.

Baronius.

Sabarum erumpit, insequitur. Virgo cum copijs dispares: illi in se se versi, mutuis ictibus stragem maximam corruunt. Dux classe effugiens, cum reliquis tempestate obrutus mari hauritur, ac disperit. Serarius de processionibus libro primo, capit. quinto, & Grethserus lib. 1. cap 11. narrant, iterum pauc's post annis obsessam à Chagano Scy ha, per supplicationes cùm Imagines almæ Virginis factas liberatam. nã Patriarcha Sergius, acceptis Deiparæ sacris imaginibus, cum omni multitudine, mœnia superna circumibat, maximum ex ea re præsidium ipsis comparans. Idem factum sub eodem Heraclio anno 1126 in Persia refert Cardinalis Baronius tom 8 quando vno conflictu duos ingentes exercitus Razatis Ducis internecione delebat, desideratis è suis non amplius quinquaginta Razatis Heraclitus aurea arma B. Virgini victrici suspendebat neque vnquam inibat prælium, antequam hanc supplicationibus sibi demereri studuisset. Saracenis quoque Constantinopolim obsidentibus, anno 717. Clerus cum ciuibus patronæ vt soliti supplicãt, imaginem ipsius per mœnia circumportant: hostes famæ, pesteque pereunt, pars naufragio, dum anno 718. soluunt, obsidione merguntur, reliqua pars cum nauibus, ignea de cœlo grandine perfusi, comburuntur; vt quinque tantum cladis nunciæ ambustę vix euaderent. Cùm liberationis diem Constantinopolitani exinde annum, festumq; Virgini celebrarunt, anno 727. Dux quidam in eadem Vrbe lapidis ictu, B Virginis statuam percutiebat. Ea secundùm noctis quietem illi apparens, ait: *Fortis es, sed in caput tuum id fecisti.* Sarraceni rursus Vrbem cingunt, & is primus erat, cuius caput, coniecto forte saxo per hostes, conteritur sub Leone Isauro Iconomacho. Tunc sacer Vrbis populus venerabili honorandæ, & viuificæ Crucis ligno, simulque veneranda Dei Matris, quæ Hodegetria est, seu viæ Dux, & monstratrix, imagine assumpta, forasq; adducta, circumibat Vrbis mœnia cum lacrymis propitians. Sic Triodium Græcum. Quid, quod Virginis Mariæ imagines (vt ijdem referunt) in triumphos duci consueuerint, atq; adeò ipsas triumphare voluerint? Emmanuel deuictam à se Pannoniam Constantinopoli triumphauit, vt Nicetas prodit. Currui autem, quem partim aureum, partim argenteum albi trahebant equi, imposita est Dei Matris Imago, quę Mater adiutrix fuerat opportuna. Fortunatas illas rotas, Imperator ipse, Imperatorisque propinqui, amici, Duces, Senatus vniuersus, quiq; magistratu aliquo, seu honore præstabant, venerabundi sequebantur Constantinus item Palæologus, vt referunt Annales Byzantij, & Gregorius in sua hist. Ioannes Zonara to. 3. annalium, cùm Vrbem Imperij sedem, ac domicilium amisisset, amissamque felicissimo euentu recepisset, vt primum Constantinopolim, recuperatis constitutisque rebus, peruenit, coram Diuę Matris Imagine illa, cuius pictura S Lucæ tribuitur, gratias primum egit, & præ lætitia collachrymauit; mox illam eandem triumphali religiosaque pompa circũlatam pedes ipse prosequitur. Pius & Gratus Imperator eam triumphare voluit, cui victoriam acceptã referebat: similiter Ioannes Ximista Oriẽntis Imperator: hoc contra Russos dimicante, cùm anceps fluctuaret victoria, ea tandem penes cęlitus adiutos Imperatorios stabat. Nam hostium ora subitò coorta tempestas subinde verberabat. In equo tunc visus est quidam Romanos defendens, barbarosque profligans. Agebantur tunc feriæ S. Theodori Martyris. Huic pridie victoriæ, vidit religiosa quædam à Deipara negotium dari, vt Ximistam adiutet. Ergo Victori templum religiosè ponit. Et cum victoria Imperatoris Clerus, Senatus, populusque Byzantius obuiam effusus coronas offerunt, currumque triumphalẽ regiè apparatum, quem albi equi quatuor

Grethserus. Byzant. Greg. Zonoras.

cuor impellebant. Coronas accipit Imperator, vnico triumphat equo, currui spolijs Regum deuictorum opimis onerato, almæ Virginis simulacrum imponit, currum anteit vectus equo, triumphandique gloriam victrici Mariæ Virgini, cœlesti Bellonæ, gratus, lubensq; concedit. Pari gratitudine, & exemplo Ioannes Commemius, Imperator Constantinopolitanus, vt auctor est Nicetas Choniates in annalibus Persas triumphans, Deiparæ Imaginem in currum triumphalem collocauit, equorum habenas nobilissimo cuiq; tractandas dedit, pedes ipse sequitur in templū. Idem quoque exemplum, & nostra vidit ætas, id quod Franciscus Bencius in annalibus anno 1585. ita refert. Lusitani erant ferè ducenti, fœderatorum AEthyopū decem millia sub signis habebant, hac tantula manus tota sexcenta aduersariorum mille fudit, fugauitq; incruenta prorsus victoria. Prætor Lusitanus Virginis effigiem secum semper in expeditionibus habebat, & flexo venerabatur genu quotidie: hæc in castra solemni pompa reducta est. Saxoniæ Domitor Germanorū Rex 1. & Imperator Carol. Mag. itemque filius eius, & in Imperio successor Ludou. Pius, vix vnquam visi in prælio, vel in publico sunt, quin aurei velleris loco, icunculam Deiparæ ex collo circumferrent. Et vlla vsquam Mariana viseretur processio, quam non Mariæ simulacrū præiret: processionis nulla ratio est, quę non ornatur imagine.

Cæterùm, si ad istarum Deiparæ Virginis processionum imaginem, & figuram, mentis aciem conuertamus facilè comperiemus à sęculo veterum patriarchatum eam initium habuisse. Legimus 2. Paralipp. 2. Arcam fœderis, quæ res inanimata erat, semper cum reuerentia magna portatam, & collocatam; vnde ad maiorem eius honorem Deuter. 10. consultò separata fuit tribus Leui, ex qua solùm eligerentur Sacerdotes & Leuitæ, qui singulari veneratione arcam veherent: atq; Iosue ca. 3. præscriptum fuit populo, ne, quando illi arcam gestabant, ei appropinquare auderent, ideoque percussus Ozia obijt, 2. Reg. 6. cùm tetigisset eam, quòd ipse Sacerdos non esset, vt auctor librorum de mirabilibus sacræ Scripturæ apud August. docet li. 2. cap. 14. vel, vt existimat Lyranus in eum locum, quòd eam in plaustro posuisset, cùm humeris esset gestanda. Imò & 1. Reg. 6. ex Bethsamitis plures occisi sunt, quia sine debita reuerentia curiosius eam aspicere voluerunt. Quid plura? Quemadmodum, vt legimus 2. Reg. 6. Sacerdotes magno cùm musicorum apparatu, deferebant arcam Dei, ita nunc Mariani confraternitatis Alumni mysticam arcam Mariam, in qua non virga Aronis, non tabulæ legis, non vas Maria, sed Creator ipse cœli, & terræ, carne indutus delituit, humeris suis publico & religioso apparatu circumgestant, opere & veritate implentes, quod in veteris illius arcæ gestatione fuerat adumbratum: verùm sacram hanc processionem Deiparæ Virginis ceremoniam, ac pium ritum attentius mihi cōsideranti planè videtur eandem Virginem exemplo suo præcipuam magistrā, & doctricem habuisse, quæ dulce pignus suum filij Dei non sine mysterio vel circumferebat, vel secum ducebat, vel comitabatur: etenim postquam prolatis illis verbis, quibus incarnationi Verbi diuini in vtero eius assensit: *Fiat mihi secundùm Verbum tuum*, facta fuit ferculum vēri Salomonis Christi Domini, continuò cum sponso suo perrexit in domum Zachariæ: *Exurgens Maria in diebus illis abijt in montana cum festinatione in ciuitatem Iudæ.* Mirabilis sanè processio hæc, in qua Regina cœli procedebat, Regem Angelorum vteri sui custodia gestabat, iustus Ioseph aderat, comitabantur Angeli, Dauide dicente Psalm 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Felix processio Virginis, namque:

Luc. 1.

Luc. 2.

Vbertas sequitur, quacunque propinquat
Inceſſu, fœcundat iter, comitataq; greſſum,
Læta per impreſſas rorat vindemia plantas.

Vbi verò ventum erat in ſtationis locum, Sacerdotis domum Zachariæ; hic qui cantus auditi Deiferę Mariæ, qui applauſus Eliſabethæ, quæ præcurſoris exultatio? Sed nec illa Virginis cum ſponſo Ioſepho in Bethlehem profectio proceſſioni cuidam multum abſimilis videri poteſt, qua ſtabulum vertit in templū, in qua AEtern⁹ genitus Deus in lucem editus. Primò gemit puer: ad quod cōcinunt Angelorum chori, iuſſi conueniunt paſtores ouium, euocati adſunt Orientis Reges, omnes obſequia deferunt, & debitam nouellæ præſtant religionis Chriſtianæ officia. Quid ergo de Chriſti in templo preſentatione dicam? Ex natali ſtabulo, ſiue ex Bethlehem, progreditur, Virgo comitatur, iuſtus Ioſeph effertur, filius hominis, & Dei infertur in templum, ſiſtitur Domino, offertur Deo, occurritur illi ab Simeone, & Anna, ille canit: *Nunc dimittis, &c.* hæc prophetat, vterque Deum benedicunt, obſtupeſcunt omnes rei geſtæ miraculo, & ſpectaculo. De quo ita S. Bernardus: *Offerunt Ioſeph, & Maria ſacrificium matutinum, Simeon, & Anna ſuſpiciunt. Ab his quatuor celebrata proceſſio eſt, quæ per quatuor Orbis climata ſolemnibus hodie laudibus ad memoriam reuocatur. Ergo verè illa Theophoria fuit Virginis.* Nec fortè minus iſta eiuſdem fuga in AEgyptum cum puero, & Ioſepho, quibus, teſte Sozomeno, Hermopolim aduenientibus, arbor, quamuis maxima ſe curuatam ad ſolum vſque, inflexit, magnis poſt clara conſanationum miraculis. Ipſis tota AEgypto collapſa ceſſerunt ſimulacra, terra ipſa baſſamum profudit, & odores: quanto igitur verius de illa proceſſionali fuga iſtud Claudianum.

S Bern. ſer. 2. de Purific.

Matth 2. Sozom. hiſt. lib. 5. ca. 21. Niceph. li. 10. ca. 31. Cæſ. Bar annal. to. 1. anno 1. pag. 43. Iſa 19. Euſeb. de demon. Euang. lib 6. ca 22.

Qua properat veris ſequitur color, omnis in herbas
Turget humus, medioque patent conuerſa ſereno.

Athan lib. de inc. ver. Orig. ho. 3. diuer.

Sanguineo ſplendore roſas, vaccinia nigro
Imbuit, & dulci violas ferrugine pingit,
Proſequitur volucer latè comitatus euntē.

Burch. in deſcript. terræ ſanctæ p. 2. cap. 4. Claudian. li. 2. de rapt. Proſerp. & lib. de Pallad. & Ceter. Luc. 2.

An non etiam proceſsio erat parentum Ieſu cum puero duodeni, quando adoratum ibant ſecundùm conſuetudinem per omnes annos in Ieruſalem, in die ſolemni Paſchæ? quam officij, deuotionis, religioniſque partem omiſit Virgo, quando cum filio, Apoſtolorumque comitatu, Iudæam omnem, & Galileam obibat? quæ ſi minus videri proceſsiones queant, noſtrarum tamen exemplar eſſe proceſsionum videri poſſunt. Denique quis neget illam Virginis tam piā, & ſanctam, quam luctuoſam fuiſſe proceſsionem, quando Mater, cruce preeunte, filium ſuum iſtius baiulum ſequebatur dolorosa? quando ſub Cruce ſtabat lacrymoſa? quando de Cruce refixum in ſinu gerebat luctuoſa? quando eum tumulo inferebat deſolata? atque, vt paucis multa dicam, omnia Deiparæ Virginis cum filio ſuo itinera, & peregrinationes, quas, dum in terra degeret, perfecit, ſanè ſi proceſsiones non dixeris eſſe, proceſsionum tamen noſtrarum exemplar eſſe minimè inficiaberis, cùm ad illarum ſimilitudinem, & ad memoriam noſtræ referantur, & in illis, velut in fulgenti ſpeculo intueamur, qua ratione in his modeſtè, ac religioſè nos gerere debeamus, quod vt preſtetur precipua capita indicabo, vnde facilè innoteſcat, qua ratione huius ſacræ fraternitatis alumni, in his proceſsionibus ſe habere debeant: in primis opus eſt diligentiam adhibere comparendi in proceſsionibus, de qua memorabilis eſt S. Auguſtini ſententia ſermone 173. in rogationibus, vbi ait: *Nullus ſibi de induſtria aliquas occupationes inquirat, per quas ſe de Eccleſiæ conuentu ſubducat: ſine dubio peccatorum ſuorum vulnera diligit, qui in iſtis tribus diebus ieiunando, orando, pſallendo, medicamenta ſibi ſpiritualia non requirit. Abundāt, & nimium abundāt negligentiæ, quas per totū anni ſpatiū congreganimus; agere ſi nō deamus.* D. Aug.

Nolite

Nolite vos de Ecclesiæ conuentu subtrahere. & infra: *Qui per cupiditatem, aut pro alia qualibet minus necessaria occupatione adesse noluerint, inde sibi faciunt crudelia vulnera, vnde habere poterant medicamenta salubria, & inde se grauant, vnde subleuare poterant.* Similis est Sancti Gregorij libro secundo, epist. decima admonitio. *Nullus vestrum ad terrena opera in agros exeat. Nullus quodlibet negotium agere præsumat, quatenus Sancti Genetricis Domini Ecclesiam conuenientes, qui simul omnes peccauimus,* Eodem spectant & illa Cæsarij Episcopi Arelatensis, cùm de rogationibus perorat: *Scientes, fratres charissimi, qui terreno Rege militat, sese de acie pugnatorum subtraxerit, non solum gloriam, vel præmia parata non accipiet, sed etiam præsentis vitæ pericula non euadit. Sine dubio talis iudicandus est & ille, qui in istis tribus Christi Ecclesiam derelinquit. Quicunque ergo sine aliqua infirmitate, aut certa occupatione in istis diebus Dei populum deseruerit, in illo cœlesti regno non præmium, sed opprobrium, non gloriam, sed ignominiam recepturum se esse nouerit, quasi fugitiuus, & desertor castrorum cœlestium.*

D. Gregor.

Cæsarius.

Deinde prophanus vestium ornatus abijciendus est, honestissimè enim Virginis processionem honestus amictus decet. Nam & hoc ad aliquem Dei cultum facit. Ideoque & lineis vestibus induti fuerunt, qui fœderis arcam gestabant, & Dauid linea epomide, seu Ephod opertus fuit, vt legimus 2. Reg. 6. vnde & Propertius.

Casta placent superis pura cum veste venite.

2. Reg. 6.

Iac. de Vitr.

Vnde & Cardinalis Iacobus Vitriacensis serm. de litanijs, dixit: *In hac processione non debemus vti ornatu sæculari, sed cum omni humilitate incedere: sanè professiones habere non est tantum passim procedere pedib. sed maximè virtutibus.* Nam, vt inquit S. Bernardus serm. 2. de Purif. *Si quis proficere dissimulat, & proficisci de virtute in virtutem, nouerit, quisquis huiusmodi est, in statione, non in processione se esse, imò verò & in regressione, quoniam in via vitæ non progredi, regredi est, cùm nihil adhuc in eodem statu permaneat.*

S. Bern.

Ad hæc de confabulationum abstinentia in processionibus, id quod monet Cæsarius Arelatensis Episcopus, hic minimè omittendum est, sic scribit: *Non sunt inter Christi examina prudentium apium reputandi, qui non bonis moribus spiritualia mella conficiunt, sed per superbiam, & cõtemptum & se impediunt, & alios exemplo malæ cõuersationis euertũt. Et ideò fratres charissimi, quicunque Dominum in veritate diligunt, & ad Ecclesiam citò veniunt, & tardè discedunt, & perseuerãt in opere bono, & otiosas, vel sæculares fabulas, velut venenũ mortiferum respuentes, magis psallere, & orare eo nentur, & contemnentes amaritudinem mũdi, in Ecclesia requirant, vnde accipiant dulcedinem Christi. Qui verò otiosis fabulis vacant, nec ipsi psallũt, nec alios psallere, vel orare permittunt; qui tales sunt, cito se corrigant, ne sibi in eo loco præparent mortem, vbi inuenire poterant vitam.* Cæsarius.

Itaque in his publicarum supplicationum actibus, vigeat quæso illud præconium in sacris quondã gentilitijs solemne, cuius meminit Brisso. 1. formularum: *Fauete linguis, animis adstate.* Et illud adstantis monitoris à tergo sacerdotis, aris operaturi, atq; huic velut autem vellicantis suggestione tali: *Hoc age, nunc ora, deinde labora.* Nam & est tempus loquendi, est tempus tacendi: est tacens, vt dixit Eccl. 13. cui consonat illud eiusdem c. 20. *Est tacens, qui inuenitur sapiens, & est odibilis, qui procax est ad loquẽdum. Est tacens, non habens sensum loquelæ, & est tacens, sciens tempus aptum. Homo sapiens tacebit vsque ad tempus, lasciuus autem, & imprudens non seruabunt tempus.* Prædicaturos ergo ita Dominus prædicandi intentos studio esse voluit, vt etiam præciperet, *Neminem per viam salutaueritis,* quanto magis id supplicabundos docebit? Risum præterea in processionibus cauendum, & multò magis à cachinnis abstinendum, hortatur D. Augustinus serm. 173. vbi de rogationibus loquens, inquit: *Scire debemus, & intelligere fratres charissimi, quia dies compunctionis, & pœnitentiæ*

Brisson.

Eccles. 13. & 20.

D. August.

tentiæ celebramus; & ideò non oportet nimio risu dissolui, qui meministis illud Væ *vobis, qui ridetis, quoniam flebitis.* Ac tandem curiositatem circumspiciendi, & maximè fœminas, aut quoq; alio modo leuiter eas obseruando, satis illud monet vitandã, quod vniuersa illa totius generis calamitas à curioso oculorum intuitu initium habuit: *Vidit mulier, quod bonũ esset* Gen. 3. *lignum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, tulit de fructu eius, & comedit.* Ad quæ verba respiciens D. Bernard. lib. de gra- D. Bern. dibus humilitatis, dixit: *O Eua, quid iam intentè tuam mortem intueris? Quid spectare libet, quod mãducare non licet? Oculos, inquit, tendo, non manum; non est interdictum, ne videam, sed ne comedam. Et si culpa non est, culpæ tamen indicium est. Nisi mens se minus curiosè seruaret, tua curiositas tempus vacuum non haberet: te enim intenta ad aliud, latenter interim in cor tuum illabitur serpens, blandiẽs alloquitur, blanditiis rationem, mendaciis timorem compescit: nequaquam, inquiens, moriemini. Auget curam, dum incitat gulã, acuit curiositatem, dum suggerit cupiditatem. Offert prohibitum, & auferri concessum; porrigit pomum, & subripit paradisum. Haurit virus peritura, & perituros paritura. Perit salus, non desistit partus, nascimur, morimur, ideoq; nascimur, morituri; quia prius morimur, nascituri. Propterea graue iugum super omnes filios suos vsque in hodiernum diem. Eua igitur serua cõmissum, expecta promissum, caue prohibitum, ne perdas concessum. Quid illo tam crebro vagantia lumina iacis?* Hæc D. Bernardus, quia tamen multi dicunt, numquid Deus non dedit oculum ad videndum; vt quid ergo non videam? audiant isti D. Chrysostomum, qui explicans illud D. Chrysost. Gen. 6. *Videntes filij Dei filias hominum*, ait: *Oculorum opus est videre, malè autem videre à mente est, quæ intrinsecus gubernat. Non igitur oculus est ruinæ causa, sed voluntatis negligentia, & irrefrænata concupiscentia. Mens in corpore respectu sensuum auriga est, qui equos currrum trahentes gubernare nescit, & equos, & seipsum in præceps ire facit, sic planè & voluntas nostra, quando nescit sensibus, vt oportet, vti, indulgens inordinatis concupiscentiis, seipsum, & sensus ipsos submergi facit.* Hæc D. Chrysostomus, quibus non dissimilia sunt elegantissima illa verba D. Gregorij lib. 21. Moralium cap. 7. vbi in hunc modum loquitur: *Sicut sæpè tentatio* D. Gregor. *per oculos trahitur, sic nonnunquam concepta, intrinsecus cõpellit sibi extrinsecus oculos deseruire. Nam plerumque res quælibet in nocẽti mente respicitur, sed ipso conspectu animus cõcupiscentiæ gladio confoditur. Non enim Dauid Vriæ coniugem ideo studiosè respexit, quia concupierat, sed ideo potius concupiuit, quia incautè respexit: sit ergo retributionis examine, vt qui exteriori negligenter vtitur oculo, interiori non iniustè cæcetur. Sæpè autem intrinsecus concupiscentia dominatur, & illecebratus animus ad vsus suos, sensus corporeos famulari, more tyrannidis exigit, suisq; voluptatibus oculos seruire compellit, atque, vt ita dicã, fenestras luminis ad tenebras aperit cæcitatis. Vnde Sancti viri cum sinistra pulsantur delectatione sensuum, ipsa, per quæ formæ species ad mentem ingreditur, lumina disciplinæ magisterio restringunt, ne prauæ cogitationi visio lenocinata famuletur, quæ si vnquã subtiliter custodiri negligitur, cogitationis immũditia, protinus ad operationem transit.* Hæc ille.

Qui igitur sacris Deiparæ Virg. processionibus effrænatam sensuum libidinem coercentes, debita reuerentia, & deuotione interfunt, præter gratissimum cultus obsequium, quod Dei parenti impendunt, & præter varias indulgentiarum diuitias, quas lucrantur, vitam etiam æternam acquirunt; nam si B. Virgo ait: *Qui me elucidant, vitam æternam habebunt;* Eccl. 24. cur non etiam, qui illam religiosè ac publicè colunt: cum id non minus cedat in eius, & Christi gloriam, qui cũ Patre, & Spiritu Sancto viuit, & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

* * *

DE

DE SACRIS ARCANIS DEIPARAE MARIAE DE MONTE CARMELO.

LIBER DECIMVSSEPTIMVS.

HOMILIA I.

AGITVR DE PERCELEBRI FESTO Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo, cuius occasione Illustrissimæ Familiæ Carmelitanæ nonnulla præconia laconicè perstringimus.

MERITO in hac solemnitate verba illa insonant: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Nã tametsi secũdùm litteralem sensum dicta fuerint à Christo Domino, secundùm sensum tamen accommodatitium, & moralem, à Patrib. non parum vsitatum, huic sacræ Religioni pulchrè mihi congruere videntur, cum Beata Virgo viscеribus suis illam spiritualiter genuerit, & ad sua vbera lactauerit, vt loquitur Gregorius XIII. in Bulla, *Vt laudes*. Etenim ventrem, & vbera consultò nominantur, vt innotescat, Deiparam Viginem non modo hunc sacrum Odinem genuisse, sed & tanquam prolem ab ea ortam, lacte suo aluisse, & nutriuisse. Certè quemadmodum in scientijs edocẽdis, prima earum principia non probantur, sed supponuntur, tanquã lumine naturæ per se nota, ita Prophetam Eliam primum sacrę huius Carmelitanæ Religionis institutorem fuisse, B. Virgine specialiter ad eius conseruationem postea cooperante, primaque eius fundamẽta instar peritissimi architecti iecisse, probatione non indigebat, cum tanquam rem notissimam Sancti Patres testentur, Sacri Pontifices ei subscribant,

Luca II.

Greg. XIII.

scribãr,ac diuersarum traditionum monumenta confirment;solum supercilio si negent, inuidi inficientur, historiarum ignari discredant, & si qui viri perdocti,ac sapientes inficias ierunt, argumentum hoc non ex professo, sed per transennam, & obiter attigerunt: quorum excellenti doctrinæ, nihil detrahere nos arbitramur,si in hac parte eorum opinioni refragemur, vt tamen deinceps in hoc genere argumenti nulla supersit ratio dubitandi grauissimis testimonijs id nunc constabiliam, & latius in sequentibus. Polydorus putat, Eliam non solum dedisse primordia Carmelit. Relig sed totius sanctitatis, & religiosæ disciplinæ, qua omnes Ecclesiæ Catholicæ Monastici ordines claruerunt, & clarebunt, indubitatum magistrum extitisse:verba Polydor. hæc sunt: *Quicquid virtutis, & perfectionis est in quouis monastico ordine, à cæli issimo Propheta, & Patre Elia, tãquã à primordiali Eremitarum Monachorũ, & etiam vniuersorũ Religiosorũ institutore, velut à fontali principio emanauit.* Etenim virtus,quam alij imitantur, ijs, qui eius auctores fuerunt, proculdubio magna ex parte attribui debet ad eũ certè modum, quo Ieroſolymitano templo accidit, quod quamnis varias iacturas perpessum fuerit, atque à diuersis instauratum, nihilominus Salomonis templum, vtpote primum fundatoris illius semper est appellatum. O quantum SS. Patribus Religionum institutoribus, qui virtutum in illis obseruandarum fundamenta posuere, Ecclesia Dei debet; quantum Beatiss. Dominico, à cuius filijs,præsertim D.Thoma sinceræ,& Catholicæ doctrinæ lacte Ecclesia Dei alitur,& nutritur,quantum Seraphico Diuo Francisco, cuius nullum aliud noscitur esse institutum, quam Euangelium Christi ad vnguem obseruare, & Christo crucifixo commori,quantum D.Augustino hæreticorum malleo, qui eam regulam modumque viuendi instituit, qui non vni, sed multis Religionib. sub eius vexillo militantibus, religiosæ disciplinæ normam præbet. Quid glorioso Monachorum Patri Beato Benedicto, cuius Religione, velut ex perenni virtutum fonte, innumeri sancti, ac sacri Pontifices emanarunt,veluti lucidissimæ Ecclesiæ faces ? Quid Basilio dignum retribuetur, quem iure optimo, Magni honorifico titulo cohonestam⁹, cuius pietas, ac doctrina tantæ probitatis regulam condidit? Igitur si ijs Sanctis Patribus tantum debetur, quid Sanctis viris huius sacræ Religionis fundatoribus deberi iudicabimus? cùm non solum bonorum operum fructus, quos sacra hæc Religio edidit, sed omnes etiam spirituales fœtus, quos vniuersæ Religiones hucusq; pepererunt, meritò illis, tãquam fontalibus primordijs, adscribi debeant: quod ne meo marte affirmare videar, Eliam, & Eliseum religiosæ vitæ principia dedisse grauissimi auctores contestantur; nam Sancti Patres, Elias & Eliseus non tantum huius ordinis, verum (audeo dicere) etiam omnium fundatores fuerunt; certè iuxta iuris regulas in cap. qui verè. & refertur à Diuo Antonino 2. parte suæ summæ titulo 16. cap. 1. §. 4. duo Fratrum ab Ecclesia approbata genera memorantur, quorum alterum Cœnobitarum appellatur, eo quòd in Cœnobijs, seu Monasterijs Regulæ,ac Prælato subiecti viuerent, de quibus Diuus Antoninus ait: *Ij sub Eliseo sumpserunt initium.* Alterum verò Anachoretarum, seu contemplantium nuncupatur, qui vitam Eremiticam ducunt,quos describens idem Sanctus Antoninus,ait: *Isti ab Elia exordium habent, cuius imitator & Ioannes Baptista erat.* Cùm ergo omnes Ecclesiæ Dei ordines sint huiusmodi: velut riuuli sunt, ab Eliæ virtutum omnium fonte, emanantes, cui, sicut & Abrahæ illud sacræ Scripturæ cognomen mirificè quadrat: *Pater cunctarum gentium.* Et illud ex Diuo Ioanne Apostolo: *Pater omnium credentium;* meritò veteres Doctores sanctum patrem

Polydor. D.Aug. D.Benedict. D.Antonin. Genes.17.

patrem Eliam appellarunt totius vitæ Monasticæ patrem, vniuersorum Ordinum exordium, omnis Religionis vexilliferum, ac Cœnobiticæ disciplinæ antesignanum. Non inuenta à me loquor, sed quæ docuit me D. Hieronym. in vita, quam scripsit Sancti Pauli primi Eremitæ, quæ habetur in eodem primo
D. Hieron. tomo folio 106. in exordio, sic ait: *Inter multos sæpè dubitatum est, à quo potissimum Monachorum eremus habitari cœpta sit: quidam enim hoc altius repetentes, à Beato Elia, & Ioanne principium sumpsisse autumant.* D. Bernardus Abbas Casinensis in expositione primi capitis Regulæ Sancti Be-
D. Bernard. nedicti, ait: *Attende benè quod in veteri Testamento Elias, & Eliseus, in nouo vero Testamento Ioannes Baptista, postea tadem tempo[ribus] Patrum, Paulus, & Antonius, horum Monachorum inuentores extiterunt.* Macharius vetustissimus in quodam ser-
Machar. mone ad Monachos, hæc habet: *Duos viros magnificos exordium Monastici Ordinis præstitisse credimus, quorum vnus igneis equis in cœlos raptus legitur, alter vero prophetasse, antequam natus sit. Primus Elias pater noster exitit, in quo sicut honoris Dei ignitus zelus adeò ardebat, vt vndequaque molestia affligeretur: ita ille idem ignis, Deo sic disponente, eundem corpore, & animo in Paradisum sustulit: nam illum, qui in terris positus angelicam duxerat, inter nos remanere Deus non est passus. Alter Ioannes Baptista fuit, cui (vt D.*
D. August. *Augustinus narrat) rationis vsus acceleratus fuit, & cum sex menses à conceptione sua profluxissent, in ventre materno delitescens, prophetauit.* Auctor historiæ tripartitæ capite vndecimo ait: *Huius Monasticæ antiquissimæ professionis Princeps in veteri fuit Elias, in nouo autem Testamento Ioannes Baptista.* Nolo, quamuis facultas mihi suppetat, sermonem attrahere in antiquorum Doctorum variis monumentis referendis, qui omnes vno ore testantur, Sanctissimum Patrem Eliam totius vitæ religiosæ ducem, ac celebrem auctorem esse: paucis tamen veritas hæc patebit, si essentialia Religionum vota, obedientiam, castitatem, & paupertatem esse, in mentem reuocauerimus, de obedientia Eliæ, ait Ioannes Hierosolymorum Episcopus: *Abiit Elias, vbi eum ferebat voluntas Dei, & fecit iuxta verbum Domini: Ipse Eliseum obedientiam docuit: nam vocem eius audiens, aratro, bobus, paternaque domo relictis, præceptorem suum secutus est.* Ioan. 44. Patr. Hier. Paupertatem eius prætereo, cum sacra eloquia testentur, à facie Iezabel peregrinatum fuisse, quousque obtinuit, vt cœlitus cibus sibi ministraretur: vnde D. Isidorus dixit: *Vnde ad Monachos studium fluxerit paupertatis, vel qui huius conuersationis extitit auctor, vel cuius isti habitum imitantur, quantum pertinet ad auctoritatem veterum Sanctorum, huius propositi princeps est Elias, & discipuli eius, qui habitabant in solitudine, & faciebant sibi domunculas, iuxta fluenta Iordanis.* D. Isidor. de monach. Eliseus etiam ab eo edoctus, & in paupertatis doctrina benè instructus, ita virtutem hanc paupertatis coluit, vt famulum suum Giezi, diuitiarum Naaman leprosi cupiditate possessum, propter proprietatis culpam, lepra miraculosè puniuit. Quid tandem dicam de castitate, & virginitate Eliæ? Certè in eius præmium, vt habetur 3. Regum 18. in montis Carmeli 3. Reg. 18. fastigio, magnus pater Elias septies orans, oratione septima absoluta, nubem quandam exiguam intuitus est, quasi vestigium hominis, in qua nube sibi à Domino ostensa fuit Beatissima Virgo, quæ septima ætate approximante nascitura erat in mundo, ac incorrupta, & inuiolata perseuerans Saluatorem mundi paritura erat. Accedit quadragesimus quartus Ierosolymorum Episcopus in libro de Monachorum institutione, quē B Caprasio montis Carmeli Priori scripsit, vbi in hunc modum loquitur: *Congregauit & nunc Elias filios Prophetarum terræ Sanctæ diuersorum Conuentuum, & in voluntaria paupertate, obedientia, & castitate eos viuere instituit.* Ioan 44. Ierosol. Episc. A cuius sententia non abhorrēs Diuus Hieron. scribens ad Eu- D. Hieron. stochum ait: *In veteri lege sola erat bene-*

dictio liberorum, quia vacuus erat mundus: paulatim verò crescente segete, messor metitus est & virgines. Virgo namque Eliæ, virgo Eliseus, virgines multi filij Prophetarū Hinc collige, quanta sit Carmelitanæ Religionis celsitudo, cuius fundator omnes aliarum religionum institutores, velut nouitios habuit, qui ab eo prima religiosæ disciplinæ elementa didicerunt, quæ, labentibus annis, postea alijs tradiderunt. Denique in huius rei confirmationem produco Ioſephum Antiochenum libro de perfecta militia primi-

Ioſ. Antioch. tiuæ Eccleſię cap. 12. ita loquentem: *Prophetarum Christi militum, Apostolorum coadiutores succreuerunt strenuiſsimi viri solitarij, contemplationi dediti, Eliæ, & Eliſei ſequaces, qui de monte Carmelo descendentes, per Galilæam, Samariam, & Iudæam fidem Christi constantiſsimè sparserunt.* Ecce quomodo Christianæ militiæ ſtrenui iam milites effecti, ab ijs montibus deſcenderunt, vt religioſæ vitæ magiſteria præberent. Verum excellentiam Carmelitanæ familiæ hic ſiſtere gradū minimè putamus: etenim, licet ex præclaro parente originem ducat, clariorem multo nanciſcitur matrem, Deiparam ſcilicet Virginem, quæ multo illuſtriorem, ac celebriorem illam reddit. Vnde

Piliodorus. Piliodorus libro primo, cap. 2. ait: *Tempore prædicationis Apostolorum sunt Carmelitæ conuersi ad Euangelicam perfectionem, atque humiles fidem Christi in primordiis nascētis Ecclesiæ constantiſsimè defenderunt, & prædicauerunt.* Ne autem quiſpiam in dubium reuocet, huius ſacræ Religionis alumnos, Eliæ, & Eliſei ſucceſſores, & deſcendentes eſſe, quamuis plures Sedis Apoſtolicæ eius rei teſtes, mihi ſuffragantes, in medium producere poſſem, vt

Sixt. V. Sixtum Quintum, concedētem proprio motu huic Religioni, Officium de Elia, tanquam de vero eius patrono recitare,

Iulius 2. Iulium Secundum in Bulla, cuius initium eſt, *Ad ſacrum Ordinem Beatæ Mariæ*

Gregor. 13. *de monte Carmelo*: Gregorium Decimumtertium in Bulla, quæ exorditur, *Vt lau-*

des Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ: nec non Ioannem XXII. qui omnes ab Elia, & Eliſeo, iure hæreditario hanc ſacram Religionem originem ducere conſtanter affirmant, ſolius Sixti IV. tantum Pont. Max. fœlicis recordationis verba in Bulla ſuper hoc edita recitabo: *Dum attenta* (inquit) *meditatione penſamus, quod Glorioſiſſima Dei Genetrix Virgo Maria produxit ſacrum ordinem B. Mariæ de mōte Carmelo, quem eiuſdem Virginis Mariæ ſpeciali titulo voluit inſigniri, vt ob eiuſdem Virginis reuerentiam, Ordo ipſe à Chriſti fidelibus peramplius veneraretur: at Ordinem ipſum, & eius ſingulares perſonas, vti cæteros Regularium Ordinum profeſſores in firmamento Catholicæ Fidei militantes, tanquā Religionis ſpeculum, & exemplare ſpeciali charitate fulgen[illegible] Sixtus 4.* *Eliæ, Eliſei, [illegible] & aliorum Sanctorum Patrum, qui montem ſanctum Carmeli, iuxta fontem Eliæ habitarunt ſucceſſionem hæreditariam tenentes*; quam Bullam totam referre cuperem ad præ rogatiuam, ac ſacri huius Ordinis excellentiam oſtendēdam, ſed breuitatis cauſa, illa conſultò præterco, contentus dicere, Ordinem tanta matre, talique Domina cohoneſtatum, æquum eſſe appellare beatum: Beatus venter, qui te portauit, & vbera doctrinæ, quæ à Mariano vbere ſuxiſti. Poſtquam autem ſacra hęc Religio à Summis Pontificibus confirmata, multiſq; priuilegijs ac Apoſtolicis prærogatiuis donata fuit, S. Pater Simon Stoch Anglus in Generalem iſtius Ordinis creatus, Chriſto redēptori noſtro, ac ſacratiſſimæ Virgini diligentiſſimè inſeruiens, vt Religio ſimul tota grata illi obſequia præſtaret, quoad potuit, ſatagebat: & quamuis nō ignoraret, Ordinem hunc gratijs, & prærogatiuis Apoſtolicis, necnon perilluſtri titulo filiorum Beatiſſimæ Virg ac Patris Eliæ ſucceſſorum, mirum in modum condecoratum eſſe; multis tamen lachrymis, & orationibus honorificum illum titulum ab ipſa Virgine Religioni benignè conceſſum, peculiari aliquo ſtemmate confir-

In vita S. Simonis.

confirmaret, quod velut sigillum pendens esset, litteras patentes filiationis, quam eius fratribus dederat, constabilens enixè ab ipsa Dei parēte postulabat. oratio à Sancto solita recitari hæc erat: *Flos Carmeli, vitis fiorigera, splendor cœli, Virgo puerpera, singularis mater, mitis, sed viri nescia, Carmelitis da priuilegia, stella maris.* Hæc quidem oratio sanctissimę Virgini adeò pergrata fuit, vt nocte quadam Sānctus intra suam cellam genuflexus orās, inbar quoddam cœleste, copiosumque Angelorum cœtum intueretur, in quorum medio Sanctissima Virgo ei apparuit, quæ scapulare quoddam manibus deferens, sic illum est alloquuta: *Dilectissime fili, hoc recipe tui Ordinis scapulare, meæ confraternitatis signum, tibi, & cunctis Carmelitis priuilegium, in quo quis moriens non æternum patietur incendium: ecce signum salutis, salus in periculis, fœdus pacis, & pacti sempiterni.* Etenim ad eum modum, quo diuinitus factum est, vt flaui, & albi colorum varietate Iacobi agni ab alijs discriminarentur; ita & filios huius Religionis voluit Beata Virgo ab alijs discerni flauo, & albo indumēto. Rei ergo illius mirādæ fama, atque rumor totam illam regionem inuasit, adeò vt iam videres neminem scapulari hoc, atq; Virginis stemmate non insignitum, etiam & Principes, inter quos recensentur Ludouicus Galliæ, & Odoardus Angliæ Regès, Henricus Alcencastri Dux, Henricus Notumbrię Comes, Angela Bohemiæ Regis filia, alijque permulti filij, & filiæ Regum, & Principum, qui die ac nocte scapulare gestabant: alij grauissimis ægritudinibus affecti, scapulare tāgentes, salui euadebant. Cupiens autem Beatissima Virgo magis ac magis ordinem hunc illustrare, pręcipuisq; gratiarum prærogatiuis sublimare, priuilegium quoddā singulare à filio obtinuit: Etenim, vt narratur in Bulla Ioan. XXII. quæ incipit, Sacratissimo vti culmine, data Lugduni die 3. mensis Martij, eius Vicario in terris Ioanni XXII. Summo Pontifici B. Virgo apparuit, ei præcipiens, vt euulgaret Carmelitis fratribus, & omnibus, cum illo scapulari sepulturæ traditis, purgatorij ergastulo detentis, meritis, & assiduis intercessionibus, pijsque suffragijs, ac singulari eiusdem Virginis protectione; primo Sabbati die ab ipsorum obitu adueniente, Purgatorij pœnarum integram relaxationem dandam: eandem indulgentiam concesserunt Clem. VII. Grego. XIII. in Bulla, quæ incipit, Vt laudes, nec non Sixt V. Greg. XIV. & Clem. VIII. singularissima certè gratia, qua nulla alia Religio potitur: quamuis enim Seraphici nostri Patris S Francisci habitum portātibus plenaria Indulgentia concedatur, eius tamen reliqui Mendicātium Ordines participes redduntur, eandemque Carmelitanæ familiæ concessit Clemens Septimus felicis recordat. gratia verò Sabbatinæ Bullæ propria est illius, & non alijs communis. Scapulare ergo hoc, signum est futuræ salutis, pignus vitæ æternæ, ac symbolum fœderis, seu pacti sempiterni argumentum: vt enim Deus Gen. 17. pepigit olim cum Abraham fœdus, signumque ei tribuens, inquit: *Hoc est pactum meum, quod seruabitur inter me, & te, & semen tuum post te*: protestabatur ille Christum ex genere ab Abraham oriendum fore, modo autem Virgo signum præbet, quo se sacræ huius Religionis alumnos, matrem amātissimam protestatur Carmelitanos fratres in filios sibi adoptans. Hodierna igitur die illustri adeò filiatione exornantur, adeoq; percelebri titulo insigniuntur, vt Ducum, Marchionum, Comitum, & Principum omnium terræ honorificē issimos titulos longè præcellant. Quemadmodum autem, cum quis Marchionatus titulo præfulgebat, si Dux, vel Princeps declaratur à Rege, Marchionis nomine suppresso, Ducatus, seu Principat' honorificentiorem titulum assumit: nō secus huius Ordinis Fratribus licebat iā factitare, qui cum antea Fratres Carmelitę Elię

in vlt. obiectione.

Clem. 7.
Gregor. 13.
Sixtus 5.
Greg. 14.
Clem. 8.

Gen. 30.

Gen. 17.

Ioan. 22. Latius de hac Bulla infra Hom.

nominarentur, alium glorioſiorem à Virgine ſibi donatum ſuſceperunt, cùm Fratres Carmelitæ Deiparæ Virg. nuncupentur. Refert in idem argumentum

Ioan. Trith. Ioannes Trithemius, grauiſſimus Auctor, Abbas Ordinis S. Benedicti in lib. quem conſcripſit de laudibus Carmelitanæ Religionis cap. 7 paulò poſt Chriſti paſſionem, creſcente per Iudæam fide Chriſtiana, Fratres huius Religionis, q. Carmelum Eliæ, qui eſt in diœceſi Cæſarienſi, inter Iudæam, & Phœniciam ædificaſſe ſacellum in illius montis latere, Mariæ Virgini Dei Matri ſacrum, quod à Palæſtinis, Phœnicibus, Galilæisq; e gen. ibus maximè fuit frequentatum, & in ſumma veneratione habitum, quod exiſtimaretur primum in laudem Mariæ Virginis erectum. Hãc capellam ædificauit Agabo, huius Religionis alumnus, vt teſtatur Baptiſta Mãtuanus in Parthenicis Mariæ per varia carmina, quæ & refert Thomas Carmelitanus

Thom. Carmelit. libro 1 antiquitatum Ordinis Carmelit. cap. 15.

Bapt. Mant.

Carmeli Patres adiit, tunc omnis eremi
Cura fuit penes hos, & cœlebs ocia vitæ,
Moribus auxilium fractis habiturus vt altam
Se tulit in montis requiem, ſiluasq; ſilentes,
Per ſecreta tulit greſſum ſpelea, virumq;
Viuendi cœleſte genus miratus, amorem
Imbibit immenſum cœli, ſeque ipſe peroſus
Incola Carmeli vixit, tandemq; voluto
Tempore, cum magno fidei myſteria Paulo
Edidicit, Mariæ primus cum Patribus ædem
Vertice Carmeli poſuit, ſociosq; vocatos
Ad Iordanis aquam luſtralibus abluit vndis
Cum Baptiſta nouæ iaceret primordia gentis,
Hiſpidus hirſutæ villoſo tegmine capræ,
Prothographus Lucas Agabum vocat, omnia multo
Ante videns animo fuit, &c.

Hoc autem ſacellum, vt animaduertit Ioannes Patriarcha Hieroſolym. in lib. de inſtitutione Monachorum, cap. 36. ædificatum fuit in loco, vbi antea erat ſacellum ſanctiſſimi & clariſſimi Elię, huius inclytæ Religionis inſtitutoris, & patroni; quod iniurijs temporum perierat: fecerunt illius mentionem grauiſſimi auctores, præſertim Thomas V Valdenſis de ſacrament. tit. 9. cap. 89. & doctiſſimus Nauarrus in tractat. de Horis Canon. cap. 21. numero 26. & 27. vbi adducit quoſdam de hoc ſacello eiuſdem Mantuani verſus, quos libuit huc tranſcribere:

Thō. VValdenſis. *Nauarr.*

Bapt. Mant.

In vidua deſerta domo rerum indiga Virgo,
Coniunge defuncto, natoq; in regna recepto,
Ducebat triſti vitam mœrore iacentem.
Palladiæ collum dederant cui nomina ſiluæ,
Et loca, quæ curare magis quondam ille ſolebat,
Aſſiduè tanquam prolem viſura petebat.

Et inferius:

Huc igitur, ſi quando quies, vacuumque negotij
Tempus erat, veniens, curas tenebat & ipſa
Maieſtate loci largè oblectata redibat,
Propterea montana viri ſpelæa colentes,
Audito illius fato, ſublime ſacellum
A priſcis poſuere iugis primi, atque quotannis
Sacra inſtaurantes, hymnos, & thura ferebant.

Deinde labentibus annis, ex multis huius Religionis hoſtib. nonnulli hunc titulum inuidentes, dicebant, hos religioſos nuncupandos non eſſe à Maria Virgine Chriſti matre, ſed potius à Maria AEgyptiaca, quæ poſt ſpurciſſimam vitæ obſcœnitatem ad ſe tandem reuerſa, in monte Carmelo aſperam duxit vitam, & maximam egit pœnitentiam. Verum cum huius Religionis Patres ad Honorium Tertium Summum Pontificem ſe cõtuliſſent, ab eo ſuppliciter poſtulant, vt hunc honorificum titulum, quem malitiosè nonnulli impugnabãt, confirmaret: cùm rem hanc diſcutiendam commiſiſſet quibuſdam Curialibus, qui huius rei declarationem differebant, Maria Virgo ſanctiſſima Summum Pontificẽ in ſomnis admonuit, vt negotium huius Religionis abſolueret, & ad exitum vſque perduceret: *Nec eſt*

(ait)

(ait) *aduersandum in his, dum iubeo, nec dissimulandum, dum promoueo.* Vt autem fidem adhiberet ijs, quæ dicebat, insinuauit duos ex curialibus huius Religionis æmulos, Deo vltore, esse plexos dispari exitu, sed discessu pari. Vnde à somno excitatus summus Pontifex, rem hanc cum Cardinalibus pertractans, regulam huius Religionis confirmauit, & hunc honorificum titulum approbauit 3. Kalendas Februarij, anno 1216. vt refert Paleonydorus lib. 3. cap. 5. in cuius victoriæ de inimicis reportatæ, grati animi signum, institutum fuit hoc festum commemorationis Beatæ Mariæ de monte Carmelo 16. Iulij, vnde in oratione huius diei dicitur: *Deus, qui excellentissimæ Virginis, & matris Mariæ titulo humilem ordinem tibi electum singulariter decorasti, & pro defensione eiusdem, miracula suscitasti: concede propitius, vt cuius commemorationem deuoti veneramur, &c* quod in alijs aliarum horarum orationibus expressè etiam dicitur, vt patet ex Breuiario antiquissimo huius Religionis. Hùc eundem titulum approbauit Vrbanus Sextus, ea oblata occasione, quòd progredientibus temporibus, quidam Doctor, huius Religionis æmulus, eandem iniuriam refricauit, publicè dicens, huius Religionis Patres à Maria AEgyptiaca, & non à Maria Virgine matre Dei appellandos esse: cumque in Vniuersitate Cantabrigensi Claustro pleno decretum fuisset, hanc Religionem habere in Aduocatam matrem Christi Mariam, eique hunc honorificum titulum iure deberi, adhuc animus illius non quiescebat. Qua de causa huius Religionis Patres adierunt Vrbanum Sextum summum Pontificem, à quo hanc honorifici tituli confirmationem iterum impetrarunt.

B. C.

Paleon. lib. 3. cap. 5.

Deinde cùm Diuus Cyrillus Alexandrinus Carmelitanæ Religionis filius, Sedis Apostolicæ Legatus à latere in Concilio Ephesino aduersus Nestorium hæreticum, Beatæ Virginis Mariæ sanctitatem, & maternitatem defenderit, eamque appellandam esse Theotocon, id est, Dei matrem, confirmarit, approbante Concilio, mirandum non est, si hac etiam ratione, hæc Religio hunc sibi vendicarit titulum, id testante Paleonydoro libr. 2. cap. 7. Imò si rem altius repetere liceat, inde crederem Beatissimam Virginem Ordinem hunc speciali fauore prosequutam fuisse, quòd eum loco vicinum, tempore primum sibi, & filio in obsequium exortum recognosceret, & cùm eius mater Anna, & auia eius Emerentiana maximo prosequerentur amore, vt grauissimi tradunt Auctores, infra referendi, Religiosos illos Carmeli, ab illis trahentem originem, qui montem Carmelum incolebant: imò de matre Emerentiana ferunt, in monte Carmelo fuisse illi reuelatum, ex sua stirpe Beatam Virginem nascituram, vt testatur Petrus Dorlanus Cartus. in vita S. Annæ, & Ascentius Vadius. cùm autem Beatissima Virgo, Nazareth inhabitaret, quæ, teste Hieronymo, à Carmelo tribus tantum distat milliaribus, Carmelitas Carmelum incolentes, aliquando cum suis sodalibus visitabat, ob veterem loci sanctitatem, teste Armachano Hiberniæ Primate, vt refert Vbaldensis de Sacrament. titul. 9. cuius hæc sunt verba: *Erat huius Ordinis soror, nomine Maria, quæ dum de Nazareth in montana Carmeli conscendere statueret, pluries dixit filio suo, vadam, & narrabo nomen tuum fratribus meis, patris Eliæ filijs; & quid putas Ordo Carmeli responderit, vtique illius sanctissimæ Elisabeth Verbum: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? atque illud verbum institutoris Eliæ: Mulier da mihi filium.* Eiusdem sententiæ est Martinus Italus in suis Chronicis: *Ad eos autem (ait) qui ineunte tempore superioribus ex Prophetis originem traxerunt, Sanctam Dei Genitricem cùm in humanis ageret, sicut matrem ad filios sæpenumero venisse legimus; ad istiusmodi etiam viros, Christum cum discipulis quibusdam peruenisse didicimus.*

Idem lib 2. cap. 7.

Ioan. Hierosolym.

Pet. Dorlan.

Ascentius Vadius.

Armach. Vbaldensis.

Mart. Italus.

Concilium Ephesinum.

Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

Præconia Sacri Ordinis Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo prosequimur, à cauillis omnibus acerrimè illam vendicantes, quibus quidam Authores iniustè eam lacerare ausi sunt.



Genes. 37. Rbitror sanè sacro Ordini Carmelitano persimile quidpiam, atque Patriarchæ Iosepho accidisse: etenim sicut Iacob patre eius tunicam polymitam ei soli præ cæteris alijs fratribus suis donante in pignus singularis amoris, quo illum prosequebatur, inuidiæ liuore saucij eius fratres aduersus eum excandescere cœperunt: sic enim ait sacer Tex. Gen. 37. *Videntes autem fratres eius, quòd à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidpiam pacificè loqui* Non dissimiliter, cùm sanctissima Virgo in argumentum specialis dilectionis, qua erga Carmeliticum Ordinem æstuabat, tunicam polymitam scapularis, dono dederit B. Simoni Stoch Anglo, Carmelitici Ordinis Priori Generali, vt in eius officio legitur, & tradunt Paleonydorus lib. 3. cap 12. Ioan. Fauent. & Philippus Macer. in vita S. Petri Thomæ: quidam huius fauoris inuidi, vel veritatis ignari, non possunt huic sacro Ordini, instar fratrũ Ioseph quidquam pacificè loqui Ceterum apertissimè ipsos deceptos fuisse, quantum præsentis argumenti conditio patitur, luculenter commonstrabo: vt enim rectè dixit Arist. li. 1. Moralium cap. 3. *Est enim eruditi eatenus exactam in vnoquoque genere explicationem requirere, quatenus patitur rei ipsius natura potest: nam & Mathematicum suasionibus vtentem approbare, & ab Oratore demonstrationes exigere simile vitium videtur.* Vt autem præsenti muneri satisfaciam, oppugnatorum tela debito ordine proponam pariter, & infringam: quia tamen inter omnes oppugnatores, acrius Hieronymus Roman. in suo Defensorio, aduersus hunc sacrum Ordinem inuehitur, & quia præ intemperata cupidine illum expugnandi, nullũ lapidem immotum rẽliquit, quo illum non impeteret, eius præcipuè delitia manifestè aperiam, deinde aliorum obiecta diluam,

Paleonyd. Ioa Fauent. Phil. Macer.

Arist.

OBIECTIO I.

PRimò ergo obiectat lib 2. capit. 8. sibi persuadere non posse, Eliam fuisse monachum, aut vitæ Monasticæ institutorem, quia D. Hierony. in vita S. Pauli Eremitæ, vbi de monachatu agit, nullam prorsus mentionem fecit Monachorum Eliæ: quod non alia ratione ait sibi videri ab eo omissum, nisi quia nullum talis monachatus vestigium repererat. Nec veretur addere nullum dari Authorem, præter ipsos Carmelitas, qui affirment, Eliam aliquem vnquam religiosum ordinem instituisse: oportuisset quidem illum legisse D. Hieronymum epistol. 13. dicentem: *Noster Princeps Elias, noster Eliseus, nostri Duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis.* Hos autem verè monachos fuisse sub Eliano instituto, testis est omni exceptione maior S. Isidor. li. 8 de offic. ca. 9. vbi ait: *Vnde S. Isidor. ad Monachos studium defluxit paupertatis, vel quis huius conuersationis extitit auctor, cuius habitum imitentur? quantum attinet ad authoritatem veterum scripturarum, huius propositi Princeps Elias, & discipuli eius Eliseus fuerunt, siue filij Prophetarum, qui habitabant in solitudine, vbibusque relictis, faciebant sibi casulas iuxta fluenta Iordanis.* Conspirant in idem Ioan. Cassian. li. 1 de institut. renunciantium, ca. 2. dum ait: *Itaque monachum*

D. Hier.

D Hieron.

Ioan. Cassia.

nachum, vt militem Christi, accinctis lumbis, iugiter oportet incedere: hoc enim habitu etiã illos ambulasse, qui in veteri testamento professionis huius fundauere primordia, Eliam scilicet, & Elisæum, diuinarum scripturarum auctoritate monstratur. Deinde Ioannes quadragesimus quartus Patriarcha Ierosolymitanus libr. de institu. Monach. cap. 2. ita in hac parte clarè loquitur, vt absque graui proteruia, negari non possit, Eliam monasticæ vitæ fuisse institorem: verba eius sunt hæc: *Hic Propheta Dei Elias Monachorum Princeps primus extitit, à quo sancta eorum primæua institutio sumpsit exordium: ipse enim obtentu contemplationis diuinæ, longè ab vrbibus recedens, & seipsum cunctis terrenis exuens, religiosam, & prophetalem vitam eremiticam, primus hominum à proposito ducere cœpit, quam, Sancto dictante, & mandante Spiritu, inchoauit, & instituit.* Postea capit. 19. ait: *Studuit Elias deinceps religionem, quam inchoauerat, in loco idoneo plantare: quare ad sui, & suorum discipulorum iugem mãsionem elegit præ alijs eremis Carmeli montem, tanquam commodorem ad propheticam disciplinam, & vitam monasticam in eo docendam, & exercendam: Mons quippe præbet eremitæ homini ex sua solitudine silentium, & quietem; ex suis antris congruam mansionem, ex suo salitu iucunditatem, ex suo eminenti situ aerem salubrem, ex suis herbis, & fructibus pabulum vberem, & ex suo fonte aquæ viuæ hausturn dulcem. Propter quæ omnia Elias in monte isto nõ modo elegit habitare, verum etiã domum orationi conseratam, appellatam Seunion in eo ædificauit.*

Ioan. 44. Patr. Hier.

Ac tandem ca. 20. ait: *Ad continuam autem residentiam in Carmelo semper faciendam, Elias montem hunc deuotiorem suis discipulis reddidit, non solum exemplo sui, qui ex tunc, quamdiu in hoc mundo manfit, scilicet per sexdecim annos, montem istum incoluit, sed quia præ cæteris eremis, in quibus habitauit montem hunc quibusdam alijs miraculis specialiter insigniuit.*

Trithemius Abbas de laudibus Carmelitarum, argumentum hoc latissimè elucidans, apertissimè ostendit, Eliam, & Elisæum Carmelitanæ Religioni dedisse primordia, seriemque Ordinis cõtexit ab Elia, vsque ad annum Domini 1220. quo tempore Carmelitanæ in Europam peruenerunt, omissis alijs, quæ sparsim toto illo libro tradit, aliqua eius verba referam: ait enim cap. 2. *Elias Propheta Domini eximius rectè, & Catholicè fundator Carmelitanæ Religionis dicitur si eius facta ex voluminibus Regum absque inuidia discutiantur. Enimvero ipse montem Carmeli primus habitasse legitur, à quo Fratres Carmelitæ nominantur. Triplici autem ratione ostenditur, quòd istius obseruantiæ Princeps Elias habeatur, à loco videlicet, ab habitu, & conuersatione. Cùm ergo nomen Ordinis à loco sumitur, meritò Carmelitarum Princeps Elias memoratur, quia mons Carmelus, cuius ille habitator extitit, huic ordini vocabulum dedit. Non loquor vana, sed testimonijs Scripturarum comprobata profero, cùm Eliam Prephetam eundem locum longè ante Christi natiuitatem habitasse dico, qui Fratribus Carmelitis, Religionis suæ nomen, & exordium dedit.*

Trithem. Abbas.

Martyrologium Molani die 17. Iulij ita scribit: *In Arabia raptus Sancti Eliæ Prophetæ Domini, & Carmelitanæ Religionis Patriarchæ, qui tantam gratiam inuenit coram Domino, vt verbis clauderet, & aperiret cœlum.* Hæc sanè sufficiebant, sed maiora his apponam; nam D. Basilius in epist. ad Chilonem Anachoretam ait: *Hic mons celeber Carmelus, in quo Eliæs demoratus, perplacuit Deo.* D. Gregorius Nazianzenus in oratione de pauperum amore, sic loquitur: *Præclara est solitudo, & vita ab hominum commertio semota; idque nunc docet Eliæ Carmelus, & Ioannis desertum.* Et infra subdit: *Vt ab omni negotio tranquillè philosopharer, mecumque ipsum colloquium haberem, Eliæ Carmelum cogitabam, Ioannisque desertum, ac cœlestem eorum, qui hoc philosophiæ genus profitentur, vitam.*

Martyrol. Molani. D. Basil. D. Greg. Nazianz.

Denique id ipsum tradunt Volaterranus in Antropologia lib. 21. dum ait: *Carmelitæ à monte Carmelo, mora Eliæ, & Elisæi nobilitata.* Gulielm. li. 5. continuationis

Volaterran. Gulielm.

tionis belli sacri cap. 3. *Est Carmelus mons in Syria, mora tam aliorum Prophetarum, quàm Eliæ, & Eliſei nobilis.* Polydorus, Virgilius lib. 3, de inuent. rerum. ca. 7. nec non Sabellicus libr. 5. AEneidos 9. Theatrum vitæ humanæ lib. 3. volu. 21. eadem verba repetunt de mora Eliæ in Carmelo, Nicephorus libr. 8 hiſtoriæ cap. 39. Sozomenus in tripartita libr. 1. cap. 11. Galienus de orig. Monaſt. vitæ. Cardinalis Bellarminus libr. 2 de Monachis cap. 5. Caniſius libr. 1. de corruptelis cap. 2. Genebrardus lib. 4. Chronolog. Cùm ergo tot antiqui, & Sancti Patres, ac grauiſsimi Auctores, vnanimi conſenſu teſtentur, Eliam monaſticæ vitæ inſtitutorem fuiſſe, facile innoteſcit temeritas Hieronymi Roman. qui auſus eſt dicere, nullum Authorem præter Carmelitas id vnquam tradidiſſe. Tandem illud ſingulare ſilentio non prætermittam, quod ſapienter, & eruditè Ioannes quadragemus quartus Patriarcha Ieroſolymitanus libro de Inſtitutione Monachorum, Eliam monaſticam vitam inſtituiſſe, colligit ex illis verbis Eccleſ. 48. *Prophetas facis ſucceſſores poſt te.* Etenim licet quidam interpretati ſint hæc verba ad Eliam dicta fuiſſe, eo quòd ex mandato Dei 3. Regum 19 Eliſæum vnxit, & ſui ſpiritus prophetici hæredem reliquit, germanus tamen ſenſus eſt, nomine Prophetarum non intelligi futura vaticinantes, ſed Deum in hymnis, & canticis ſpiritualibus, ac muſicis inſtrumentis laudantes, vt non obſcurè indicant verba illa 1. Paralipo. 25. *Dauid, & Magiſtratus exercitus ſegregauerunt in miniſterium filios Aſaph, & Emam, & Ydithum, qui prophetarent cum cytharis, pſalterijs, & cymbalis ſecundùm numerum ſuum, dedicato ſibi officio ſeruientes* & poſt pauca, *Ydithum in cythara prophetabat ſuper omnes confitentes, & laudantes Deum.* Monachos ergo laudantes Deum, vocat ſucceſſores Eliæ, cùm ait: *Prophetas facis ſucceſſores poſt te.*

* * *

Polyd. Virg.
Sabellicus. Theatr. vitæ humanæ.
Nicephor.
Sozomen.
Galienus.
Card. Bellarminus.
Caniſius.
Genebrar.
Ioan. Patr.
Eccl 48.
3. Reg. 39.
1. Paral. 25.

OBIECTIO SECVNDA.

SEcundò, obijcit Hieronymus Roman. libr. 2. cap. 11. quod varia itineraria legerit, vt Martini de Aumpies, Maguntiæ Decani, & Arandæ Frãciſcani, qui copioſè terram ſanctam deſcribunt, dicentes: Hic ſepultus fuit Abraham, hic S. Anna, ibi ſitum erat Monaſterium ſancti Hieronymi; nunquam tamen locũ ſignant, in quo Elias moratus fuerat: ſed planè ad pauca illa reſpiciens, paralogizatus eſt: nam in primis Nicephorus Calliſtus libr. 8. hiſtoriæ Eccleſ. cap 30. loquens de Helena loca ſancta viſitante, ſic ait: *Deinde ad ſacrum Iordanem conuerſa, circa ſpeluncam, vbi olim domicilium Baptiſta habuit, perpulchram ædem illi erexit, aliamque ad ſummitatem montis Eliæ Thesbitæ.* Deinde Adricomus in Theatro terræ Sanctæ, in Tribu Iſachar numer. 19. hæc verba habet: *In hoc monte in pede montis Orientali, ait Author itinerarij Ghiſtelæ, ſpelunca eſt, & fons, vbi habitauit Elias, & Eliſæus, & filij Prophetarum: poſt ea habitauerunt ibi fratres Carmelitæ, vnde & originem, & nomen habent.* Et infra paucis interiectis, ſubdit: *Ex Caipha ad leucam vnam, via, quæ ducit ad Caſtrum peregrinorum, per aſcenſum montis Carmeli, ferè dimidia leuca, eſt ſpelunca Eliæ, in qua latuit fugiens à facie Iezabel, in cuius oſtiouiſionem grandem vidit ſpiritus, & ignis, vt legimus 3. Reg. 19 Illic eſt fons, vbi Prophetarum filij habitabant, nunc autem inhabitant Fratres Ordinis Carmelitarum, fuitque cum eis ibidem.*

Hier. Rom.
Nicephor. Calliſt.
Adricom.
3. Reg. 19.

OBIECTIO III.

TErtiò, obijcit Hieronymus Roman. libr. 2. capit. 9 manifeſtum eſſe, Eliam non habuiſſe Congregationem aliquorum diſcipulorum, cũ nunquam habuerit, niſi ſolum duos nimirum Eliſæum, & Ionam Prophetam, filium viduæ Sareptanæ, imò inferius falſum affirmat, hunc Ionam diſcipulũ eius

Hier. Rom.

S. Epiphan. eius fuisse: sed pugnat cum S. Epiphanio, qui loquens de Abdia in vita eius, affirmat discipulum Eliæ fuisse dicens: *Hic est Vates, qui ter semicenturionē egit, cuique paruit Elias Thesbytes: post hæc regiæ ordinationis desertor adhæsit diuinator Eliæ, & factus est discipulus eius.* Pugnat etiam cum *S. Doroth.* S. Dorotheo in Synopsi Prophet. vbi de Abdia sermonem instituens, ait: *iste Abdias erat de terra Sichem: fuit discipulus Eliæ.* Pugnat cum Ioanne quadragesimoquarto Patriarcha Ierosolymitano de institutione Monachorum cap 23. hæc *Ioan. 44.* scribente: *Prius quàm Elias ab hoc mundo* *Patr. Hier.* *transferretur, fuit ei cura Monachos discipulos suos filios Prophetarum sigillatim visitare, & de patre idoneo eis prouidere: propter quod descendentes ipse, & Eliseus de monte Carmelo, venerunt ambo in Calgola, deinde in Bethel, & deinde in Iericho. Nam sicut prædiximus, in his locis habitabant viri religiosi, filij Prophetarum, Eliæ discipuli.*

OBIECTIO IV.

Hiero. Rom. QVartò, obijcit ca. 8. Hieronymus Roman. in monte Carmelo non fuisse religiosos aliquos Ordinis Carmelitarum, sed solitarios quosdam, qui nulla ratione Monachi erant, cùm non viuerent sub disciplina alicuius religionis approbatæ: hoc sanè puerile cauillum est, cùm constet, institutum Monasticum ante Concilium Lateranense non indiguisse speciali summi Pontificis approbatione, sed sufficisse illam, qua ipsi Pontifices, atq; S. Concilia monachismum approbarant. Hinc nemo facilè ostenderit, ante Innocentium III. institutum sancti Antonij, Basilij, Hieronymi, Benedicti, atque aliorum antiquorum ab vllo Pontifice specialem obtinuisse approbationem. At verò cùm quidam, amantes, quæ sua sunt, & non quæ Iesu Christi, hac indulgentia abu-
Innoc ca. fin. terentur, prouidentibus dicto Innocen-
Gregor. X. tio capit. finali de religiosis domibus, &
cap. vnico Gregorius X. capit. vnico de religiosis domibus, in 6. cœpit esse necessarium, quod antea erat liberum. *de relig. domibus.*

OBIECTIO V.

QVintò, deinde idem Hieronym. Roman. li. 6. quem vocat de Republ. ca. 10. ait Religionem Carmelitarum non habuisse primordia ab Elia, & eius successoribus in monte Carmelo, sed anno 796. tempore Papæ Leonis III. accepisse quandam regulam ex approbatis ab Ecclesia, Basilij scilicet, Augustini, aut Benedicti: capit. verò 8. supracitato, sui defensoris ad magis expugnandam antiquitatem huius sacræ religionis subiungit in nullo Concilio eorum, quæ in Græcia celebrata fuere, mentionem aliquam fieri Carmelitarū, cùm alioquin non semel mentio fiat monachorum Syriæ, Hierosolymæ, & Græciæ; sed & in hoc etiam, sicut in reliquis mendacissimè loquitur: nam præter quam quòd argumentum ab authoritate negatiua nullius roboris est; certè in Concilio Constantinop. varij Prælati huius Ordinis conuenerunt, quorū in eadem Synodo fit mentio, & nominatim Prioris Montis Carmeli; vnde in subscriptionibus illorum Patrum specialiter habentur hæ duæ: prima, *Theotistus Dei misericordia presbyter, & Prior monasterij sanctæ, & gloriosæ Dei genitricis semper Virginis Mariæ.* Constat autem tunc in Palæstina, nullum templum sacrum fuisse, nisi Virgini de Monte Carmelo, vnde in secūda subscriptione hęc verba habentur: *Syllas Dei misericordia presbyter, & Prior monasterij Eliæ.* *Hier. Rom.* *Theotist.*

Cæterùm, vt clarius innotescat delirium huius hominis, & omnium, qui eius sententiæ adhærent, apertissimè cōmonstrabo institutam ab Elia religionem, vsq; ad nostra tempora perdurare sub tutela B. Mariæ de Monte Carmelo, quam Ordo Carmelitarum, qui nunc mirificè viget in Ecclesia, profitetur: id in primis probat testimonium D. Cyril- *Cyrillus.*

li Ordinis Carmelitarum viri sanctissimi, qui libro ad Eusebium Eremitam montis Nærei ex professo hanc partem docens, sic loquitur: *Illo itaque in tempore quamuis pauci, veruntamen probatissimi Monachi nostræ religionis demissis mansionibus, quas habebant in vrbibus, & villis, hunc Carmeli montem non deserentes, iugiter in eo, & quibusdam alijs Eremis terræ sanctæ permanserunt sub disciplina monasticæ vitæ Eremiticæ*

Trith. Abb. *per Eliam Prophetam institutæ.* Secundò adest testimonium Abbatis Trithemij in hoc genere argumenti diligentissimi historiographi: hic enim de laudibus Carmelitarum, cap. 2. hæc scribit: *Consentit ergo nomen loci, vt Elias sit fundator Ordinis Carmelitici. Vnde non sunt vituperandi fratres huius sacratæ religionis, quod Eliam, & filios Prophetarum sui Ordinis fundatores,*

Idem Trith. *& Principes asseuerant.* Idem etiam Trithemius cap. 3. inquit: *Isti sunt viri fortes atque prudentes, qui Monasticæ conuersationis fundamenta iecerunt, qui, post Eliam, montem Carmeli inhabitantem, se habitu, & conuersatione Deo dignos exhibuerunt. ab his ordo Carmelitarum initium sumpsit, & vocabulum: ipsi enim Ordinis Carmelitici conuersationem legis tempore seruauerunt, à quibus nostri Carmelitæ nomen acceperunt, & ordinem.*

Idem. Idem similiter Trithemius de laudibus Carmelitarum cap. 2. ait: *A tempore siquidem Eliæ, & Elisæi Prophetarum Dei, vsque ad Christi Natiuitatem, plures mõtem Carmeli amore solitudinis incoluerunt, sicut ex veterum historijs apertè demonstratur. Nam post passionem Domini, prædicantibus fidem Apostolis, inter multos, qui tunc conuertebantur, etiam Carmeli montis Eremitæ conuersi sunt, qui deinde crescente numero fideliũ, in Carmeli montis latere, in honorem Deigenitricis, & Virginis Mariæ, capellam extruxerunt. Vnde & vocabulum loci, & religionis recipere meruerunt. Nec mireris, si Monachos etiam ante Christi Natiuitatem, in Israel fuisse dixerim, qui montem Carmeli, & deserta solitudinis inhabitarunt.* Tertiò, extat te-

Ioseph. Antioch. stimonium Iosephi Antiocheni in speculo perfectæ militiæ Ecclesiæ primitiuæ, ca. 12. vbi inquit: *Perfectorum militũ Christi, id est, Apostolorũ, coadiutores surrexerunt strenuissimi viri solitarij, contemplationiq; dediti, sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisæi imitatores, qui de monte Carmelo descendentes per Galilæam, Samariam, & Palæstinam, fidem Christi constantissimè sparserũt, quique in Virginis Mariæ honorem in Carmeli montis decliuio fabricantes oratorium Saluatoris Matri, specialissimè seruierunt.* Quartò, produco testimonium Eraldi Carthusiensis, qui in fasciculo temporum, in descriptione anni 1294. sic ait: *Nobilissima ciuitas Acconis à Sarracenis destruitur, ac demum Deiparæ Mariæ in Carmelo monasterium, ad quatuor milliaria ciuitati vicinum, ab eis igne crematur, fratribus in eo degentibus, perfidorum gladijs trucidatis. Et tunc (proh dolor) ordo Carmelitarum mellifluum locum ex toto perdidit, in quo ab Eliæ, & Elisæi Prophetarum tempore duobus millibus ducentis, & viginti vno annis perstiterant.* Erald. Carthus. Idẽ anno 300. à creatione Mundi ante Christi ortum annis 923. sic ait: *Elias Propheta, Auriga Israel, & origo religionis Carmelitanæ Elisæo viuente rapitur.* Idem circa annum Domini 450. ita loquutus est: *Elisæi Prophetæ, Carmelitanæ religionis primi post Eliam Patris, & Patre Sigiberto Geumoblatense teste, ossa transferuntur de Samaria in Palæstinam.* Idem. Sigibert.

Quintò accedit Thomæ Vualdensis testimonium, cuius authoritas, & doctrina apud catholicos viros laudatur, & ab hæreticis valdè timetur: hic scribens aduersus suæ ætatis fidei oppugnatores, præcipuè aduersus Vuicleph, de sacramentalibus, titul. 9. cap. 89. latè ostendit Carmelitas ab Elia, & Elisæo institutos, à quibus monasticam professionem emanasse probat; atq; adeò eandem esse hanc religionem Carmelitarũ cum illa, quæ incepit in monte Carmelo ab Elia. Tho. Vuald.

Sextò, extant litteræ Episcoporum terræ sanctæ, Illustrissimi Nicholiensis Archiepiscopi, Episcopi Ebronensis, venerabilis Patris Domini Patriarchę Hierosoly- Litteræ Episcoporum terræ sanctæ.

rosolymitani Vicarij, Guillermi Tyberiadensis Episcopi ad Papam Bonifacium Octauum ex Accone, anno Domini 1282. die 23. Mensis Septembris datæ: similiter Patris Nicolai Longini Magistri domus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, & Guillermi de bello, loco Magistri militum templi ad eundem Pontificem anno Domini 1284 12. Mensis Iulij, quibus ex certa scientia declarant, ordinem Carmelitarum in terra sancta, siue Palæstina extitisse, à tempore cuius non extat memoria, vt latius videre est apud Thomam Vualdensem tom. 3. titul. 9. capit. 89. de sacramentalibus, vbi istius ordinis fundatorem, & Patriarcham esse sanctum, Prophetam Eliam, aduersus obtrectatores Vuicleph defendit. Præter hæc iam olim anno Domini 1374. indict. 13 Pontificat. Gregorij XI. Ioanne de Donelhico celeberrimæ olim vniuersitatis Cantabricensis, Cancellario, & præsentibus aliorum ordinum Doctoribus, Rogero de Falestey ordinis Eremitarum sancti Augustini, Ioanne Barnebach ordinis fratrũ Minorum, & alijs multis artium iuris, & sacræ Theologiæ Magistris, ac Doctoribus, prout in litteris eiusdem Cancellarij, atque Notarij, publico instrumento ea de re confecto, latius continetur; celebre decretum editum fuit in fauorem huius veritatis: cùm enim tempore Gregorij XI. ordinis Aduersarij, eius antiquitati detraherent, irriderentque, Carmelitas verò, Eliæ successores appellari, visis, ac examinatis eorum aduersariorum rationibus, academia vniuersa decreuit Carmelitas, non solùm Eliæ, & Elisæi imitatores, sed potius veros, ac legitimos successores eius fore appellandos; & quamuis academiæ decretum Gregorius XI. confirmauerit, impijssimus tamen hæreticus Vuicleph aduersariorum factionem denuò excitauit, & contra Carmelitanum ordinem, eiusque antiquitatem inuehi cœpit, sed contra illum eius verba refe-

Pater Nicol. Longini magistri.

Tho Vuald.

Ioan. de Donelhico.

Greg. XI.

Idem.

rens insurrexit Vualdensis in lib. de sacramentalibus, titul. 9 cap. 89 probans Carmelitici ordinis antiquitatem, hæreditariamq; ab Elia successionem, cuius opera postea fuerunt approbata à Martino V. qui ex decreto Cardinaliũ in Bulla, quæ incipit: Placuit nobis, illa confirmauit. *Vualden.* *Mart. V.*

Septimò, accedit Richardus Armachanus Archiepiscopus Hibernus, qui in quodam sermone, habito in festo cõceptionis B. Mariæ, Auinionæ coram conclaui Cardinalium, cuius initium est: *Aue Maria*, præmissis alijs, sic inquit: *Quoniam, vt dicunt fide dignæ historiæ, à tempore Eliæ, & Elisæi Prophetarum, qui sæpius morabantur in Carmelo, iuxta ciuitatem Dominæ nostræ Nazareth, ad tria milliaria, secretius solebant homines inhabitare deuoti vsque ad tempora Saluatoris, & tunc Eremitæ, scilicet Carmelitæ, prædicantibus Apostolis, in fide solidati, in latere vno montis ipsius Ecclesiam primo construxerunt in honorem B. Mariæ Virginis illo in loco, in quo didicerant, ipsam cum alijs sodalibus in vita sua sæpius moram transisse, & ob hoc nimirum inter alios religiosos Dominæ nostræ, sunt adscripti, vt vocarentur fratres B. Mariæ de monte Carmelo, qui insuper in principio nascentis Ecclesiæ, in partibus illis prædicando Euangelium, solidissimè laborarunt. Igitur gaudet præ cæteris ordinibus, antiquitatibus, honore.* Hactenus ille. Hoc testimonium ijsdem verbis refert Magister Beruius Anglicus, & Paleonydorus cap. 1. primi libri, Vualdensis de sacramentalibus titul. 9. ca. 8 & Nauarrus de horis Canoni. ca. 21. num 27. Illud verò in hoc Armachani testimonio notatione dignũ est, illum non ex suo marte, vt de tanto viro credi debet, aut ex apocriphis, minus, quam veris historijs, sed ex fide dignis id sumpsisse. *Richar. Armachanus.* *Beruius Magister Anglicus.* *Paleonyd.* *Vualdensis.* *Nauarrus.*

Octauò, Clithoueus Theologus insignis in sermone habito in comitijs Prouincialibus Carmelitarum, qui habetur inter conciones Sanctorum, ab ipso editas, paulò post initium ita ait: *Animad-* *Clithoueus.*

uertere non est indignum, Carmelitani Ordinis exordium ob tria præcipuè, excellentiam quandam habere. Primò, quia ante institutionem prædictum est diuino nutu, & reuelatum: memoriæ enim proditum est, vt scholastica refert historia, Eliam Thesbytem de tribu Aaron progenitum, primum religionis huius fuisse authorem, & infra: *At hi, qui primam Carmelitano Ordini præstiterunt originem, vt Elias, & Elisæus, ex Iudæis nati sunt, qui verò cæteris religionibus iecerunt fundamenta, ex gentibus progeniti sunt. Constat itaque antiquiorem Carmelitanæ religionis, quàm aliorum Ordinum esse originem, & ratione exordij, cæteris præstare.* Hæc Clithoueus.

Philip Hieropolit.

Nonò id confirmat Philippus Hieropolitanus Abbas apud Paleonydorum li.2.ca.1.vbi de antiquitate Ordinis Carmelitani his verbis meminit: *O Carmelitarum religio, quàm magna facta es in domo Domini? Nunquid ne olim à modico fonte Eliæ Dei Prophetæ principium habuisti? & ecce nunc in magnum fluuium creuisti: tu olim plãtata in eremo, nunc facta es ciuitas plena populo; tu fundatorem habes adhuc in Paradiso viuentem, & gloriosam Virginem Mariam Reginam Cæli, Dominam mundi in patronam singularem: sicut enim de te olim præcesserunt Patriarchæ, & Prophetæ, sic nunc de te procedunt Sacerdotes, & Leuitæ, Doctores, & Euãgelistæ, qui patres patroni omnium religiosorum facti sunt.* Hæc ille.

XX

Genebrardi testimonium

Decimò, testimonium affero Genebrardi nostri temporis diligẽtissimi Historiographi, qui, vt doceat Carmelitas ab Elia Propheta initium sumpsisse, reijcit Polydori sententiam, qui Aymerici tempore censebat, ordinem hunc incepisse, verba Genebrardi referam: *Ordo Carmelitarum, qui tunc variegata clamyde induebatur, initium habuit in desertis Syriæ, Aymerici Antiocheni Antistitis opera, vt refert Polydorus Virgilius li.7. de inuent. rerum c.3. sed eorum origo altius repetenda est: nempe à Prophetis Elia, & Eliseo, qui Carmelum montem terræ sanctæ primi consecrarunt, & discipulos ibi reliquerunt, quos Scriptura filios Prophetarum appellat: in Europam eum posteà adduxit Albert. Patriarcha Hierosolymitanus: primi sunt Mendicantium.* Hactenus ille.

Polyd. Virg.

Cuius viri quanta sit in conscribendis historijs authoritas apud omnes præcipuè viros doctos, ita notum est, vt eius testimonio securè possimus acquiescere. Ne autem in recensendis Doctorũ testimonijs prolixior videar, quã par est, contentus ero Doctorum nomina solũ indicare. Hi sunt, Petrus Thomasius, B. Ioannes Loretha, Michael, & Gerardus de Bononia, Ioannes de Baccone, Tho. Beauxamis, Richardus de Carmelitis agentes, Rodul. in ser. de concep. B. Virg. quem habuit in conuentu Auinionensi coram venerabili cœtu S.R.E. Cardinalium, Vincent. Roleuinck Chartus. in fasciculo temporum, qui extat inter antiquitates Germaniæ, Carol Fernandus, & Ioan. Trithem. vterq; distincto li. de laud. Carmelitarum, Gulielmus Cysengreinensis centuria 1. tract. de cælibatu, & Monachis, Antonius Abbas Vercellensis comment. suo ad 7. Cant. Canticorum, Philippus Abbas Hieropolit. ad illa verba Ioan. 1. *Miserunt Iudæi*, Ferdinandus de Castillo histor. suæ Dominicanæ part. 1. lib 2. cap. 65 Iudocus Badius in Parthen. 1. libr. 2. Mantuani, Clichtoueus in orat. ad Carmelitas adducens suffragatores Iosephum Antiochenum, Ioannem Hierosolymitanum, & historiam scholasticam, Gulielmus Postellus lib. de vniuersitate titul. de Syria, Ioannes Molanus in Martyrologio, partim ad diem 17 Iunij, vocans Eliam Cermelitanum Patriarcham, partim ad diem 17. Octobr. adscribens Euthichium, qui tertio Christi sæculo, aut (vt alij distinguunt) quarto, floruit magnæ sanctitatis virum Ordini Carmelitano, similiter ad 12. Ianuarij, Ioannem Hierosolymitanum iuniorem, Paulus Morigia Ordinis Iesuatorum de origine religionum capit. 30. Ioannes Bonifacius historiæ virginalis lib. 2. cap. 1. Baptista à Glano Ordinis sancti Augustini in historia

Petrus Thomasius. B. Ioa. Loret. Michael, & Gerard. de Bononia. Ioannes de Baccone. Tho. Beauxamis. Richard. Rodulph. Vincentius Roleuinck. Carthus. Carol. Fernandus. Ioan. Trith. Guliel. Cysengreniensis. Anton. Abbas Vercel. Philip. Abbas Hierop. Ioan. 1. Ferdinand. de Castillo. Iudocus Badius. Iudoch. Clichtoueus. Gulielmus Postellus. Io. Molanus. Paulus Morigia Ordin. Iesuat. Ioan. Bonif. Bapt. à Gal. ord. S. Aug.

Ponti-

Pontificali in vita Deodati, huius nominis primi, ad annum 615 & in Honorio III. ad annum 1216. Ioannes Baptista, Confertius Florentinus in summario priuilegiorum fratrum Mendicantium.

Ioan. Bapt. Confert. Florentin.

Vndecimò: eandem veritatem constabiliunt sacrorum Pontificum oracula. Etenim Sixtus IV. in bulla, quæ incipit: *Dum attenta meditatione pensamus* Data Romæ anno 1477 sic ait: [Ordinem ipsum, ac illius personas, sub Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Romanæ protectione immediatè existentes, & inter cæteros Regularium Ordinum professores in firmamento Catholicę fidei militantes, tanquam religionis speculum, & exemplar, speciali charitate fulgentes, sanctorumque Prophetarum Eliæ, Elisei, & aliorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli iuxta Eliæ fontem habitarunt, successionem hæreditariam tenētes fructus quoque &c.] Hactenus Sixtus IV. ferè idem repetunt Ioannes XXII. Iulius III. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. Pontifices Maximi, qui in Bullis, Ordini Carmelitano concessis, eodem ferè verborum tenore vtuntur, imò & nouissimè Clemens Octauus in Bulla, qua nouæ Discalceatorum reformationis constitutiones confirmauit, successionē hanc hęreditariam ab Elia Propheta eos habere declarauit, vt videre est in initio illarum Constitutionum; quamuis autem prædictorum Pontificum testimonia non id tradant, tanquam rem fide diuina credendam; infra limites tamen humani testimonij nullum maius, aut firmius proferri potest, quam tot Summorum Pontificum testificatio.

Sixt. IV.

Ioan. XXII. Iulius 3. Pius 5. Greg. 13. Sixtus 5. Clemens 8.

Duodecimò, insignis Poetæ Mātuani testimonium in eclogis appono, præclara ille hæc carmina cecinit, quib. singularia, ac varia Carmelitici Ordinis præconia complexus est.

Mantuanus.

Bembe genus nostrum, generisque exordia dicam,
Venimus Assyrijs (vt candidus inquit) ab oris.
Est pater Elias nobis, qui substulit armis
Pastorum gentis omne malum, qui traxit Olympo
Flammigeros ignes, qui ascendit in aethera curru,
Pastores alij quotquot per rura vagantur,
Omnia sunt riui nostris de fontibus orti.
Nos dedimus leges pascendi, ostendimus artem:
Nos radix, alij rami, sed nos quoque rami
A veteri radice patrum iam ætate caduci,
Tradidit Elias certam pastoribus artem.

Idem etiam auctor lib. 3. Parthen. hæc subdit:

Mons Patrum pietate sacer, lateque priorum
Inclytus hospitio vatum: nam dicitur illinc
Discipulo ambustam iaciens ex aere vestem,
Elias ardenti cœlum petijsse volatu,
Illinc perpetuis, ceu missi è fontibus amnes
Religio, & sacri fluxit reuerentia cultus.
Quicquid habent alij montes pietatis ab isto
Dutitur: hac vna plures è vite racemi
Diffusi latè terras, atque æquora complent,
Hinc Carthusiacis æterna silentia claustris,
Hinc varias Benedictus oues collegit: ab isto
Canabe nodosa tunicas arcere fluentes.
Lignipedes didicere viri, quique arua colebant,
Inuia, & assiduo terras ardore calentes:
Et quos Cyriacus de littore vexit Ibero,
Hinc orti sanctum, & summo genus ordine dignum,
Hinc nostri venere Patres.

Accedit quod Ioan. Iustinianus Ordinis Prædicatorum ex Chronicis Tolosanis, refert cuidam Episcopo Carmelitano dubitanti, an liceret celebrare festum cuiusdam honestæ fœminę, nomine Susanna, apparuit ei Daniel Propheta, qui certum illum reddidit de Susannæ sanctitate; postea vero interrogauit ipsum Danielem, qua ratione apparuisset illi monachali habitu indutus, & ille respondit hæc verba: Omnes ferè Prophetæ huius Religionis, filij fuimus à tempore Samuelis.

Ioan. Iustinianus.

Vltimò idipsum ostendo ex varijs rationibus, quas nemo absque temeri-

tate inficiari poterit. Etenim, vt refert D. Hieronymus in epistol. ad Paulinum: *Habet vnumquodq; propositum, siue institutū principes suos.* id quod præter exempla, quibus idem confirmat, satis vtique omnibus exploratum est, nullam esse Religionem, quæ nō recognoscat aliquem suum auctorem, à qua primordia sua acceperit: Carthusienſis S. Brunum, Benedictina S. Benedictum, Dominicana, & Franciscana Patriarchas suos Dominicum & Franciscum recognoscit. At vniuersa religio Carmelitarum semper venerata est Eliam, tanquam primum suū institutorē, nec aliquem alium primum Patronum vnquam coluit, quam Eliam, pæneque innumeri Auctores tam vetusti, quàm recentiores, nec non sacri Pōtifices in suis Apostolicis Bullis id ingenuè acceptant: ergo nemo, nisi cum ratione ipsa pugnare velit, id negare poterit.

D. Hieron.

Rursum antiquus mos inoleuit, sæpè Religiones appellationem desumere à loco, in quo ortum habuere, & in quo earum institutum primitus fuit obseruatum, & in reliquas mundi plagas deriuatum: etenim Ordo Cluniacēsis à Cluniaco, Cistercienſiū à Cistercio, Carthusienſium à Carthusio, & ordo Hospitaliorum ab hospitali Hierosolymæ fundato, à S. Ioanne, nomenclaturam suam mutuarunt. Cùm ergo sacra hæc religio nuncupetur, manifestum est hāc appellationem non aliunde ei conuenire, nisi quia in monte Carmelo habuit initium & ortum suum, & ab illo in reliquas partes fuit deriuata. Deinde auctores, qui Albertum Patriarcham Hierosolymit. primum Carmelitici Ordinis fundatorem esse volunt, ipsimet fatēntur Albertum tantum ordinem iam probe labentem, sua regula erexisse; qui vero ab Aymerico ordinis primordium computāt, ipsi etiam liberè cōcedunt Aymericum tempore Alexandri Tertij Carmelitas per Carmeli saltus dispersos in vnum congregasse, ad commodioremque viuendi formam redegisse; qui verò à Ioanne Hierosolymitano circa annū Domini 400 regulam accepisse docent, ipsi quoque admittunt, Ioannem Hierosolymitanum, antequam regulam Carmelitis traderet eorum conuersationem, institutumque fuisse amplexatum. Alij tandem, qui Carmelitici ordinis initia ad Apostolorum tempora referunt, nullum certum auctorem designant, neque explicant, quando & quomodo id contigerit.

Ad hæc si B. Virgo reuelauit S. Thomæ Stoch, vt in eius vita legitur Ordinem fratrum de monte Carmelo duraturum vsq; in diem iudicij; manifestum est, hoc non posse verificari de alia religione, quàm de ea, quæ nunc nuncupatur, S. Mariæ de monte Carmelo. Accedit, quod extat Apostolicæ sedis decretum cum Cardinalium consilio à Sixto Quinto editum, in quo cautum est, vt Carmelitarum Religio Eliam, & Eliseum, sui instituti patronos colat, & in eorum memoriam dies festos faciat, & propria eorum officia recitet; inter alia autem, quæ in Eliæ officio, & festiuitate per sedem Apostolicam approbato decantantur ille insonat hymnus.

In vita S. Thō. Stoch.

Decr. apost. Sixti V.

Hic sacri est ductor, columen decusq;
Ordinis nostri superūq; gratus;
O Pater salue placidosq; tuos
Excipe Alumnos.

Fit etiam de eodem Elia in toto ordine Carmelitarum commemoratio, quę soli patrono, ac ordinis auctori debetur; de ipso præterea Missæ sacrificium tāquam patrono celebratur; quis autem nisi temerè dicat Pontificem errare in approbando pro patrono, & fundatore alicuius religionis eum, qui reuera nec fundator, nec patronus vnquam extitit, certè vniuersa nostra Hispania, non alio grauiori innixa fundamento, profitetur Apostolum Iacobum terram eius calcasse, quā quod Romani Pontifices speciali officio, in quo aduentus eius in Hispaniam mentio fit, illum colendi facultatem

tatem Hispanias præbet. Atque hinc est, quod Molanus in suo Martyrologio die 17. Iulij, quod ex varijs alijs Martyrologijs concinnauit, hæc verba scripsit: *In Arabia raptus sancti Eliæ Prophetæ Domini, & Carmelitanæ religionis Patriarchæ, qui tãtam gratiam inuenit coram Domino, vt verbi clauderet, & aperiret Cœlum.* Nec quidquam refert dicere nonnulla ex his non in alia auctoritate fundari, quam in testimonio ipsorum Carmelitarum; nam certè 14. quæst. 2. cap. super prudent. habetur monachos posse testificari in causa sui monasterij, cuius rationem reddens textus, ait: *Quia illi potißimũ in testes sunt assumendi, qui eadem negotia tractauerunt.* Maximè quod cum de hac antiquitate sit immemorialis traditio in tota Carmelitarum religione prudenter stãdum est tali traditioni, vt ratio ipsa præscribit; nam si cum quis possidet rem aliquam, bona dumtaxat fide per triennium, perpetuo gaudet præsidio, vt habetur 16. q. 6. cap. præscriptionum, multo rationabilius religio habens traditionem à prædecessoribus suis per multos annos de antiquitate fundationis illius, præsidio talis antiquitatis debet gaudere. Consultò missa facio omnia, quæ in probationem eiusdem veritatis adducere potuissem ex Ioanne 44. Patriarch. Hierosol. lib. de institut. monach. ca. 28. sufficiat referre hunc eius titulum: *Monachi Carmelitæ Christiani eiusdem religionis sunt cum monachis in veteri lege ab Elia in Carmelo institutis.* Atque ex his omnibus colligo falsò nonnullos recẽtiores Carmelitici ordinis antiquitatem oppugnantes asseruisse Aymericum Patriarcham Antiochenum fuisse primum eius fundatorem, & institutorem, cum tamẽ reuera non fuerit, nisi quidam reformator, & restitutor, vt his verbis dixit Onuphrius Panuinus in Chronico Ecclesiastico circa annum 1141. *Ordo Carmelitarum restitutus, & reformatus ab Aymerico Malofayda Patriarch. Antioch & sedis Apostolicæ Legato.* Non solum autem Onuphrius, sed & alij etiam graues Doctores id ipsum tradidere, hi sunt, Polydorus Virg. de inuent. rerum libro 7. cap. 3. Sabellicus lib 6. Aeneados 9. Genebrardus libro 4. suæ chronicæ circa annum 1180. Gulielmus Episcopus Tyri, in continuatione belli sacri lib. 5 cap 3. Author Theatri vitæ humanę volum. 21. libro 3. fol. 411. Paulus Morigia de origine religionum lib. 1. capite 30. Ferdinandus à Castello 1 part. lib. 2. cap. 65. Sed extat antiquius, & solidius huius veritatis fundamentum, à D. Cyrillo desumptum in epist. ad Abbatem Ioachim, vbi ait: *Erat autem in diebus illis Patriarcha Antiochenus, & in terra sancta Apostolicæ sedis Legatus, vir quidam amabilis Deo, & hominibus, nomine Aymericus Malofayda, natione Lemouicensis, de villa appellata Salarmiacum, quã prædictorum antecessorum nostrorum Eremitarum fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmeli laudabilem conuersationem attendens, eos multum specialiter suo tempore in Domino enutriuit: intelligens autem, quosdam eorum, qui ex Occidente superuenerant, spretis Seniorum monitis, non rectè ambulare ad veritatem religiosæ vitæ Eremiticæ, in prædicto Ioannis libro descriptæ, & perpendens, hoc ideò maximè contingere, quia Græcas literas ignorantes, nesciebant codicem illum legere, fecit librum illum de Græco in Latinum transferri.* Hæc D. Cyrillus. Audiant ergo, quibus Carmelitici ordinis mira antiquitas exosa est: audiant, inquam, velint, nolint D Bernardum in Epistola ad fratres de monte Dei, vbi ait: *Quosdam esse, qui cum manifestum lumen veritatis obnubilare non queunt, de solo nouitatis nomine cauillantur, veteres ipsi, & in veteri mente nescientes noua meditari, viri veteres, non capientes vinum nouum*: & paucis interiectis. *Sileant ergo, qui in tenebris lucem iudicantes, vos arguunt nouitatis ex abundantia malæ voluntatis, potius arguendæ vetustatis, & vanitatis.*

Molanus.

c. sup. prud.

c. præscript.

Onuphrius Panuinus.

Polydorus Virg. Sabellicus. Genebrard. Guliel. Episc. Auth. Theat. vitæ human. Paul. Morigia. Ferdinan. de Castello. D. Cyrill.

D. Bern.

OBIECTIO VI.

SExtò non possum prætermittere, quæ aduersus Carmelitarum antiquitatem Illustrissimus Cardinalis Baronius, insignis huius tempestatis Historiographus tradit. Etenim ille in suis annalibus ad annum 328. primas monachatus tribuēdas esse arbitratur magno Antonio, tanquam primo cœnobiticæ vitæ institutori: quod sanè si verum esset, ne vtiquam Religio Carmelitana tātam sibi antiquitatem arrogare posset, vt ab Elia illam ducere præsumat, reuera tamen antiquorum Doctorum sententia contrarium fert, quos supra retuli, dum asserunt, Eliam non tantum monachum fuisse, sed & diuino inspirante spiritu, adeò firma iecisse vitę istius monasticæ fundamenta, vt nulla vnquam tēporis iniuria interciderit, sed in Carmelitis, eius gratiæ, & loci hæredibus Deo conseruante, vsque in præsentem diem sit continuata. præsertim tamen id docent Trithemius de laudibus Carmelitarum, Vbaldensis de sacramentalibus tomo 9. Ioannes 44. Hierosolym. libro de institut. Monachorum per totum, Iosephus Antiochenus in speculo perfectæ militiæ primitiuæ Ecclesiæ libro 12. cap. 72. Chronica Romana apud Paleonydorum libro primo, cap 6. cum alijs pænè innumeris, à me supra relatis. Deinde ante Antonium manifestū, est plures fuisse monachos in Ecclesia: etenim Antonius floruit anno 300. & tamen quinquaginta retro annis D. Damasus in vita S. Dionysij affirmat illum esse monachum. Idem tradit Genebrardus anno 267. imò & ipse Baronius tomo 2. anno 161. Fuit autem his Dionysi' primus, qui ex monachis fuit assumptus in Summum Pontificem: fuit autem eius electio anno 266. vt tradit Eusebius in Chronicon, qui & affirmat, eisdem temporibus non paucos cœnobitas dispersis cauernis, & speluncis terræ, ob tyrannorum persecutionem latitasse.

Baronius. *Trithem.* *Vbaldensis.* *Ioan. 44.* *D. Damas.* *Baronius.* *Eusebius.*

Inter opera præterea de Dionysio Areopagita, qui floruit tempore Apostolorum, epistolā legimus ad Demophilum monachum, & in libro Eccles. Hierarch. ipse ex professo explicat formam, & modum, obseruari solitum in habitu religioso tradendo, & ad professionem acceptando in cœnobijs. Cassianus item collatione 18. capite 5. & in prologo ad Casthor. necnon Genebrard. libro 3. circa annum Christi 139. affirmant, à tempore primitiuę Ecclesię fuisse varia monasteria cœnobitarum, qui in communitate viuebant, quæ & durarunt vsque ad tempora Antonij, & Pauli: vnde Diuus Athanasius in vita S. Antonij refert, ipsum Antonium postulasse à sene quodam ex illis monasterijs, vt eum sub eius disciplina docendum reciperet. D. autem Athanasium verè esse auctorem huius libri, ambigendum non est, cum id expresè contestentur D. Hieronymus de viris illustribus in vita Antonij, & Athanasij, D. Gregorius Nazianzenus in Athanasium, D. Augustinus libro 8. confessionum, cap. 6. & Rufinus libro 1. historiarum cap. 8. Accedit his, quod D. Hieronymus in vita S. Eugeniæ primæ par. in vitis Patrum, & quotquot vitam illius narrant, affirmant, habitu virili indutam, monasterium cœnobitarum ingressam fuisse propè Alexandriā: iuxta autem computationem ipsius Baronij tomo 2. id accidit circa annum 188. imò ipse addit monachos illos successores Essenorum fuisse, quos constat multò antiquiores esse Antonio: ipse etiam Cardinalis Baronius tomo 3. circa annum Christi 328. asserit, Antonium instructum fuisse in disciplina monastica per quendam monachum, Essenorum successorem: quare ipse Baronius præcitato loco non audens Antonium indubitanter primum Cœnobitarum institutorem facere, addit (vel restitutorem) sed quæ adduximus, perspicuè improbant illam distinctionem. Obijcit itidem Illustrissimus Cardinalis Baron. quod

D. Dionys. Areopag. *Cassian.* *Genebrard.* *D. Athanas.* *D. Hieron.* *D. Gregor. Nazian.* *D. August.* *Ruffinus.* *Baron.* *Idem.* *Idem Bar.*

quod cum apud Sanctum Hieronymum, Palladium, Euagrium, Cassianum, & alios sæculi illius scriptores, frequens mentio sit de monachis in Palestina degentibus, nusquam de monachis Carmelitis meminerint, manifestum indicium esse, falsò sibi tantam antiquitatem arrogasse: certè nemo est tam ignarus, qui non probè agnoscat argumentum ab auctoritate negata, sed non negante, à Philosopho in Topicis reprobari, atque proijci tanquam inutile ad rei dubiæ faciendam fidem, nec abs re. Nemo enim omnia sciuit, aut dixit, aut dicere debuit, aut voluit. Vnde Illustrissimus pariter, & doctissimus Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Romano Pont. cap. 8. simili argumento in hunc modum occurrendum censuit. *Respondeo, inquit, nihil concludi ex argumentis ab auctoritate negatiuè; non enim sequitur: Lucas, Paulus, & Seneca non dicunt Petrum fuisse Romæ, igitur Petrus non fuit Romæ. Non enim isti tres omnia dicere debuerunt, & plus creditur tribus testibus affirmantibus, quam mille, nihil dicentibus.*

Bellar.

OBIECTIO VI.

Hier. Rom. *Baronius.*

SEptimò non solum Hieron. Rom. cap. 8. sui defensorij, sed & Illustris. Baron. to. 6 ad annum Christi 444. obijciunt Ioannem 44. Patriarchã Hierosol. non fuisse Ordinis Carmelit. nec auctorem libri de institu. monachorum ad Caprasium, qui habetur tomo 9. bibliothecæ Sanctorum Patrum. Verba Illustrissimi Cardinalis hæc sunt: *Facessat ergo eiusmodi de monachismo Cyrilli Fabella, sicut illa huic haud impar, qua traditur, & Ioannes Hierosolymorum Episcopus fuisse etiam monachus Carmelita; sicut enim hæc leuiter effinguntur, ita & facilè refelluntur, flagrans quidem cupido nobilitatis auitæ, cogit interdum homines delirare.* Verum in primis illum monachũ fuisse disertis verbis tradit D. Hieronymus in epistola ad Theophilum, vbi loquens de illo, occasione cuiusdam, quę inter eos erat disceptationis, hæc scribit: *Monachus, proh dolor, monachis & minatur, & imperat exilium, & hic monachus Apostolicam cathedram habere se iactans.* Monachum autem fuisse Carmelitanum tradunt Armachanus apud Vbaldensem de sacramentalib. tit. 9. ca. 89. Moriga lib. 1. de orig. religionis c. 30. Platus de bono statu lib. 1. cap. 22. Paleonydorus lib. 2. cap. 6. Molanus in suo Martyrol. die 13. Ianuar. nec non & Trithemius de laudibus Carmelitarum, & communis traditio huius sac. ord. Illius autem libri Ioannem auctorem fuisse, vbi religiosum Carmelitam se profitetur, eiusque relig. eandem esse cum ea, quam Elias instituit, his verbis tradit D. Cyrillus Hierosolymitanus in epistola perlonga ad Eusebium: *Volumen de institutione primorum monachorum in lege veteri exortorum, & in noua perseuerantium ad Caprasium monachum, est Ioannis 44 Hierosolymorum Episcopi, eius videlicet, qui circa annum Domini quadringentesimum Arcadio, & Honorio Imperatoribus, sanctis Epiphanio, & Hieronymo suspectus fuit de hæresi Origenis.* Latiusque idem narrat epist. ad Abbatem Ioachim, quæ habetur in speculo ordinis Carmelitici libro 8. vbi hæc D. Cyrilli verba legimus: *Fuit autem tempore Arcadij, & Honorij Imperatorum quidam dictorum religiosorum Pater miræ virtutis, & perfectionis, Ioannes nomine, qui cæteros consortes suos eiusdem mõtis monachos, exemplo suo, & magisterio sollicitè inducebat ad perfectionem acquirendam, secundum propheticam disciplinam vitæ monasticæ per Eliam Prophetam institutæ. Quam disciplinam Ioannes eis exponebat ex diuersis literis, tam veteris, quam nouæ legis, & ex nonnullis tractatibus editis à prædecessoribus suis: qui tandem propter eius sanctitatem in Pontificem Hierosolym. Ecclesiæ sublimatus, Apostolo Iacobo in Episcopatu eiusdem Ecclesiæ quadragesimus quartus successit. Hunc Ioannem charissimus eius discipulus, Caprasius nomine, eiusdem montis & religionis monachus, supplicitèr flagitauit, vt quæ de institutione huius*

Armachã *Moriga.* *Platus.* *Paleonydor.* *Molanus.* *Trithem.*

D. Cyrillus Hierosol.

D. Hieron.

Religionis, & primis eius fundatoribus, & de perfectione ad exemplum eorum acquirenda, frequenter disseruerat, dignaretur sibi, & suis consortibus breuiter reddere in vnum volumen, in quo omnia per ordinem intuerentur, ne oporteret eos librorum varietatem euoluere: Ioannes ergo cernens, quod propter occupationem suscepti officij, non posset vlterius iugem in monte Carmeli residentiam trahere: quod Caprasium ab eo flagitauerat, opere compleuit. Scripsit enim eloquio, & literis Græcis, in quodam libro primariam nostræ religionis institutionem, & fundatorum eius dignitatem. Cum ergo Cyrillus vir fuerit doctrina præcellentissimus, atque secundus in Carmelo Prior, cũ quo antea diu commoratus fuerat, atque eo familiarissimè vsus, quonam pacto latere eum potuit verè, ne Ioannis 44. volumen esset, procurante Aymerico è Græco Latinè reddi? aut si ipsum res hæc latuit, quorsum vir ille sanctissimus, & fidelis amicus Dei, vt eum vocat Molanus ad diem 6. Martij semota omni dubietate, tanquã serio confratri suo Eusebio Priori Eremitarum montis Neroi describit Ioannem Hierosolymitanum XLIV Episcopum, temporibus Arcadij, & Honorij Imperatorum instituti Carmelitarum antiquitatem, & primordia Græco idiomate conscripsisse, atque eadem scripta nuperi iussu Aymerici, in gratiã Eremitarum Latinorum latinitate donata? Deinde librum illum tanquam vero eius auctori tribuendum esse Ioanni 44. expressè fatentur, Vincentius in suo speculo historiali, Philippus Ribottus in præfatione librorum de instituto Carmelitarum, Thomas Vbaldensis de religiosorum statu contra Wicleph, Ioannes Paleonydorus in epist. ad patrem Rumoldum, & lib. 2. antiquitatis Carmelitanæ cap. 6. Hieron. Platus lib. 2. de bono statu relig. c. 22. Azorius institutionum moralium libro 12. cap. 23. Hi omnes diserte verbis fatentur auctorem istius libri fuisse Ioannem Quadragesimũquartum Hierosolymorum Episcopum ex Carmelitis assumptum, qui floruit Arcadio, & Honorio Imperatoribus; quibus accedit, quod in impressione secũda bibliothecæ Sanctorum Patrum tom. 9. facto prius diligenti examine per grauissimos viros historiarũ peritissimos, an illius libri auctor esset Ioannes 44. cum id verissimum esse reperirent, appositus est denuò ille sub nomine Ioannis Hierosolymit. 44. Patriarchæ, quare minimè crediderim Alumnos huius sacræ religionis inanis gloriæ ambitione laborantes (vt putat Cardinalis Baron.) arrogasse sibi, hunc Patriarcham assumptum fuisse ex suo Carmelitano ordine; nam si cupidine nobilitatis auitæ mentiri libuit, cur hunc Ioannẽm Quadragesimum quartum Hierosolymorum Episcopum Carmelitam esse voluerunt potius, quam Iustum, vel Zacheum, Tobiam, vel Beniamin, Ioannem, vel Matthiam, vel Philippum, Senecam, vel Iustum, Leui, vel Ephrẽm, Iudam, vel Marcum, Cassianum, vel Publium, Maximum, vel Iulianum, Guinum, vel Capitonem, vel Antonium, Valentem, vel Dolichianum, Narcyssum, vel Elium, Germanium, vel Gordium, Narcyssum, vel Hermonem, alijs Thermonem, Macharium, vel Maximum. Nam isti omnes Episcopi Hierosolymitani fuerunt, & melior eorum pars monachi: si (inquam) cupidine lucri, ambitionis, nobilitatis auitæ, cur huic vni, si fingere libuit, & præsertim de erroribus Origenis grauissimè notato potius, quam cupiam ex supra dictis nullius erroris suspectis librum ad Caprasium appinxerunt?

Porrò, cùm ex prædictis omnibus nõ obscurè liqueat Ioannem 44 Patriarcham Hierosol. verè fuisse monachum Carmelitam, oportet eum nunc vindicare ab hæresi sibi à nõnullis imposita. Etenim idem Illustrissimus Cardinalis Baronius tom. 4. ad annum Christi 392. vocat illum, Origenis errorum patronum, & Origenistarum fautorem, quod confir-

Molanus.

Vincentius. Philipp. Ribottus. Thom. Vbalden. Ioan. Paleonyd. Hier. Platus lib. 2. de bono statu relig. c. 22. Azotius.

Biblioth. SS. Patrum.

Baron.

Card. Baron.

confirmat ex varijs locis D. Epiphan. & Hieron. in epistol. ad illum scriptis. Verum ego, tam apud sanctos Patres, etiam Hieron. & Epiphan. quam apud grauissimos auctores reperio, virum fuisse, nō solum ab omni hæresi alienum, sed hæreticorum acerrimum expugnatorem, ac insigni sanctitate conspicuum; & quidem in primis Anastasius Papa in epistola ad ipsum Ioannem de Ruffino ei rescribens, ac vt Origenistam eum damnans; ipsum Ioannem, vt sanctissimum his verbis commendat: *Vt amori tuo gratias ago, ita splendorem tuæ sanctitatis, & eas, quas in Domino habes virtutes, subinde quodammodo, paruitatis nostræ fauorabilis sermo prosequitur. Tam eminenter, vir omnium præstantissime, laudum tuarum fulges nitore conspicuus: vt par esse meritis sermo non possit. Porrò autem tanto titulorum tuorum rapior incitamento, vt etiam, quod impetrare nequeo, audere non desinam. Iam hoc de laudibus est tuis, quod me tantum de cœlestis animi istius serenitate laudasti: tui enim Episcopatus ordo perspicuus, per diuersum orbem, velut radians etiam ad nos splendoris sui detulit claritatem.* Hæc Anastasius Papa, qui certè non ita serio Ioannem laudaret, si aliqua Origenis labe inureretur: Diuus Cyrillus in Epistola ad Abbatem Ioachim, & epistola ad Eusebium Eremitam Montis Nerei, ita de eius sanctitate testatur: *Fuit autem tempore Arcadij, & Honorij Imperatorum in Monte Carmelo Pater dictorum religiosorum quidam vir miræ virtutis, & perfectionis Ioannes nomine, qui cæteros consortes suos eiusdem Montis, exemplo suo, & magisterio sollicitè inducebat ad perfectionem acquirendam secundùm prophetticam disciplinam vitæ monasticæ per Eliam Prophetam institutæ.* Sanctus Theodoretus libro 5. cap. 25. & 37. in hunc modum de Ioanne loquitur: *Hierosolymorum Ecclesiæ præsidebat Ioannes, vir mirabilis, successor Cyrilli.* Trithemius deinde præcitato loco *sanctissimum* appellat; vnde doctissimus Molan. inter Diuos, quos in suo Martyrolog. refert, adscribit Ioannem in hæc verba: *Item sancti Ioannis Episcopi Hierosolymitanæ Ecclesiæ Ordinis Carmeli Professoris*, sed & ante illos eius sanctitatem commendauit Nicephorus Callistus lib. 14. cap. 30. dum ait: *Hierosolymis Cyrillo, diuinus Ioan. successerat* & lib. 16. cap. 34 hæc verba scribit: *Patriarcha Ioannes vna cum sanctis illis viris, postquam non breuissimo tempore superuixit, Petrum Ecclesiæ suæ, & pietatis simul successorem reliquit.* Ibidem etiam tradit hæreticorum oppugnatorem acerrimum fuisse, in cuius testimonium refert illum religioso quodam stratagemate illusisse Seuerum Imperatorem, vt cum ille expectaret, eius errores approbandos à Ioanne, ille publicè eos damnauit, verba Nicephori sunt hæc: *Ioannes suggestū conscendit ex vtraque parte, Sabbæ, & Theodosij propugnatorum fidei manibus vtrisque suffultus, atq; vbi paululum continuit, & multitudinem etiam mussitasse audiuit, minus sanam fidem, anathemate condemnari debere, fiducia plenus huiusmodi protulit verbum: Si quis Eutycheti, & Nestorio, & Seuero, & Sotherico Cæsareæ Cappadocum Episcopo assentitur, anathema sit.*

D. Epiph. D. Hieron. Anast. Papa. D. Cyrill. S. Theodor. Trithem. Molan. Nicephor. Callistus. Idem Nicephor. Posseuin.

Atq; hinc est, quòd doctissimus Posseuinus ex Ordine Iesuitarum tomo secundo, fol. 105. ab omni hæresi alienum, imò sanctitate clarum illum prædicat in hæc verba: *Ioannes Hierosolymitanus Episcopus, quem Gennadius in Catalogo (ir quit) scripsisse aduersus obtrectatores studij sui librum, in quo ostendit, Origenis se ingenium, non fidem sequutum, reprobatur à Baronio annalium tom. sexto, sub anno Domini 444. Leonis autem quinto sui Pontificatus, monstrante eum, haud fuisse Carmelitam, id quod Petrus Luccius asseruit, faciens eum Patriarcham Hierosolymitanum ab Adriano Pontifice Maximo huius nominis primo è monasterio Montis Carmeli eum ad dignitatem ob vitæ sanctitatem, atq; doctrinam euectum, & claruisse anno septuagesimo supra septingentesimo, scripsisse vero ad fratres quasdam hortatorias epistolas, atqui & vocasse Petrum Luccium cōijcitur, cum de Ioanne illo, de quo*

Gennadius scribit, aliunde constat eum dixisse anno quadringentesimo, & quod excurrit, ac scripsisse quidem hortatorias epistolas, sed & librum aduersus obtrectatores nominis sui, quo in opere purgare se voluit Hieronymo, atque Epiphanio de crimine Origenis: quin & ad Caprasium composuit librum de institutione primorum Monachorum, quem Aymericus Antiochenus Patriarcha è Græco Latinum reddidit, quique Venetijs idem in lucem prodijt. Hæc Possevinus. Causa autem, ob quam

D. Hieron. D. Hieronymus & Epiphanius aduersus Ioannem scripserunt, monentes, ne Origenis erroribus adhæreret, ea certè fuit, quod crebro ipse Origenis ingenium summopere laudare solitus erat; vnde multi & eius doctrinam se approbare coniectabant, & hinc patres illi ansam sumpserunt ad ipsum corripiendum, quod tandem non ignorans D. Epiphanius in epist. ad ipsum Ioannem, inquit:

D. Epiphan. *Video quod propter hanc causam omnis vestra indignatio concitata sit, quod dixerim vobis Arrij Patrem, Origenem scilicet aliarum hæreseum radicem, & parentem laudare non debetis.* Ecce habitus est Ioannes Origenista, non quia eius errorum sectator, sed ingenij laudator esset, vt & ipse Ioannes fatetur in libro, quem scripsit aduersus sui nominis obtrectatores. Vnde Diuus Hieronymus, qui aduersus Ioannem præ ardore sui zeli scripserat, putans, illum erroribus Origenis adhærere, postea veritate cognita id retractauit, & quem antea, tanquam Origenistam abiecerat, postea vt orthodoxæ fidei verum cultorem amplecti non dubitauit. Etenim in epistola ad Theophilum carpit illum, quod Ioannem reprehendisset: verba eius sunt hæc:

D. Hieron. *Liberè reuerentiæ vestræ loquor, dolebamus, te nimium esse patientem, & ignorantes Magistri gubernacula, gestiebamus in interitum perditorum, sed vt video, exaltasti manum diu, & suspendisti plagam, vt ferires fortius super susceptione cuiusdam, non debes contra vrbis huius dolere Pontificem, quia nihil tuis literis præcepisti, & temerarium fuit de eo, quod nesciebas, ferre sententiam, tamē reor, illum nec audere, nec velle, te aliquando lædere.* Hæc Diuus Hieronymus. Quibus recitatis, subdit Illustrissimus Cardinalis Baronius tom. 5. ad annum 399. hæc verba: *Hieronymus excusat Ioannem Hierosolymitanum Episcopum de communicatione ante cum Origenistis inita, deque eius animi consilio inhærendi ipsi Theophilo.* Addo, quod & Diuus Augustinus disertis verbis eius sanctitatem attestatur. nam libro secundo, cap. 51. dixit: *Cathedra quid fecit Romanæ Ecclesiæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet, vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet, quibus nos in Catholica fide vniti connectimur, & à quibus vos nefario furore separatis.* imò & Baronius præcitato loco, ait: *D. Augustinus Ioannis mores, sanctitatemque suo tempore mirificè coluit.* In centuria etiam 14. Catalog. scriptorum Britanniæ hæc memoranda lego: *Palladius Græcus primus Scotorum Apostolus, Ioannis quadragesimi quarti Hierosolymorū Episcopi discipulus olim fuit, vt auctor est Nicolaus Harlemius, dum adhuc Eremi cultor, solitaria Syriæ loca, potissimè Carmelum incoleret. Eius, inquam, Ioannis, qui ob Origenis allegoricum dogma Hieronymi, atque Epiphanij in se concitauit scripta, quibus tamen ipse sui studij rationem reddens, respondit, se non Origenis fidem, sed ingenium esse imitatum, ediditq; librum cōtra sui studij obtrectatores, & de institutione primorum Monachorum librum allegoriis plenum, quem è Græco translatum vidi.* Sed quid in his nimium moror? cum adhibita distinctione duplicis Ioannis à grauissimis Doctoribus acceptata innocentia Ioannis, Hierosolymitan. facilè innotescat? Duo fuerunt antiquis temporibus Ecclesiæ Hierosolymitanę Episcopi, Ioannis nomine insigniti, ambo Carmelitæ disciplinæ professores, quidam illorum vir fuit sanctissimus, qui librum scripsit ad Caprasium, alter hæreseos auctor controuertitur, ille iunior, hic antiquior. Hanc, quam trado distinctionem, disertè prodiderunt collectores epitomes

Baronius. D. Augustin. Idem. Centurist. Nicol. Harl.

quæ

quæ dicitur Conradi Gesneri, quam si impugnatores aduertissent, minimè forsan asseruissent, Ioannem quadragesimum quartum Episcopum monasticæ disciplinæ patrem, plenum sanctitate, insignem miraculis, hæreticum fuisse Origenistam, sed potius falsò habitum, vt talem. Eruantur hæ tenebræ, & oriatur lux, vt cognoscantur, qui Domini sunt. Nec latuit hæc distinctio doctissimum illum, & de Ecclesia Catholica optimè meritum Ioannem Molanum, qui in suis ad Martyrologium Vsuardi additionibus, eo die, quo natalis Ioannis adnotatur, videlicet pridie Idus Ianuarij, ipsum Ioannem iuniorem inscripsit, adiungens, eum Ordinis Carmeli professorem fuisse. Porrò, vt obiectioni Illustrissimi Baronij ex integro satisfaciam, restat ostendere verum, quod falsum ipse putat, scilicet D. Cyrillum Alexandrinum Carmelitam fuisse: sanè hoc clarissimè patet ex his, quæ ipse scribit in epistola ad Eusebium, vbi frequenter disertis verbis se profitetur Carmeliticę religionis alumnum; vnde vel ex vno hoc capite oportet, nostræ sententiæ assentiri, vel certè negare, illum librum esse D. Cyrilli: quod tamen apud omnes in confesso est, illum esse eius authorem: deinde Trithemius de scriptoribus Ecclesiasticis ait: *Cyrillus Episcopus Alexandrinus natione Græcus montis Carmeli, quoddam decus, & cultor insignis*: Deinde in officio etiam à multis Pontificibus approbato, quo vtitur sacer Ordo Carmelitarum in die sancti Cyrilli expressè idipsum continetur. Iacobus etiam Philippus Bergomensis li. 13 Chronici sui dixit: *Habuit præterea hæc sancta Religio Cyrillum Græcum, virum doctissimum, atque sapientissimum, qui præter multos libros à se editos, etiam Prophetiæ spiritu claruit.* & li. 12. *Cyrillus natione Græcus eiusdem Ordinis montis Carmeli Generalis Prior, & ipse hac tempestate anno Domini* 1199. *& doctrina, ac prophetico spiritu illustratus, insignis multum fuit, qui cùm esset admodum doctus, scripsit quædam ingenij sui opuscula ad Abbatem Ioachim: de oraculo angelico librum, qui incipit, tempore annorum Christi: item de processu sui Ordinis librum, & epistolas plures ad diuersos.* Accedit his insignis Poeta Mantuanus, qui de Cyrillo agens, hæc carmina cecinit:

Producentem diem Phœbo, gelidamq; fugante
Ex agris hyemem, fert annua festa Cyrillus
Vrbis Alexandri pastor defluxit ab alto
Vertice Carmeli, sanctæ primordia vitæ
Heliæ de fonte tulit, crescentibus annis,
Religio creuit, rerum prudentia creuit.
Et quia diuinæ legis sapientia & ore
Suauiloquo visus cunctos præcellere Patres
Ad decoris tanti sacros peruenit honores.

Testantur tandem idem Gulielmus Eysenerinus centur. 1. Ecclesiast. hist. 3. p. dist. 1. tit. de Monach. Carm. Paleonyd. lib. 2. cap. 7. Basilius Sanctor. in prologo discursuum: immemorialis etiam traditio totius Ordinis Carmelitani, qui illum tanquam sanctum suæ disciplinæ professorem & ex Apostolica approbatione natalem illius celebrat, satis superque probat, non esse hunc tantum virum illi adimendum.

Molanus. Baronius. Trithem. Iacob. Philip. Bergom. Mantuan. Gulielm. Paleonyd. Basilius.

OBIECTIO VII.

SEptimò contra antiquitatem Carmelitanæ religionis obijcit Illustrissimus Cardinalis Baronius to. 12. ad annum Domini 1181. ab Alexandro Pontifice exordium habuisse: verba eius sunt hæc: *Antequam ab Alexandro ad eius successorem conuertamus orationem, constantior illa videtur assertio, quòd Ordo religiosorum Carmelitarum, qui in Palæstina, in ipso Carmelo monte fixere sedes, sub eodem Alexandro Romano Pontifice sumpsit originem, quoto anno autem eius Pontificatus, habetur incertum.* deinde addit, primordia huius religionis deberi Aymerico Patriarchæ Antiocheno. Ad hanc obiectionem euertendam eruditus author Petrus Vuastellus in suo libro Apologetico pro Ioannis Hierosolymitani

Baronius.

Monachismo in Carmelo, postquam recitauerat relata verba Baronij, hæc subiungit: *Sed hoc est derelinquere fontes, & quærere sibi cisternas, quæ non continent aquã: ad limpidum magis fontem accurre, siquidem puram aquam desideras. Etenim maior pars eorum, quorum tibi constantior apparet assertio, sunt aut hæretici, aut qui malè de monastica antiquitate sentiunt; in his est indoctus Franciscus Modius libro de vestitu, & origine status Ecclesiastici, qui venena sua exsuxit ex Virgilio Polydoro à Simone Erinæo, quantum fas est suspicari, hæreticorum commentis conspersa: denique vt similibus enumerandis supersedeam, ea est sententia Michaelis Bunchingeri in historia Ecclesiast. ad annum 1071. sed qui & ipse putat ante Paulum Monasticen nullam fuisse, nec memini me alibi aut legisse, aut audiuisse quempiam, qui esset in Cardinalis Baronij sententia, & non simul antiquitati monasticæ derogaret, ac proinde nihili putato, habendam esse eorum sententiam. Cæterum hic tantum animus est eam refutare ex testimonio sancti viri Cyrilli, cuius de ea re certa est scientia adseuerantis illo ipso tempore, cui aduersarij appingunt Ordinis primam institutionem, iussu ipsius Aymerici, antiquum Ioannis nostri de Carmelitana antiquitate volumen è Græco latinitate fuisse donatum. Adferre quidem liceret plura antiquorum Carmelitarum Patrum nostrorum testimonia, ac falso leuiter nimis à contumeliosis dicerentur efficta, quanquam nemo ipsis Carmelitis rem hanc domesticam certius, fideliusque queat testari: ergo ex his prætermissis multis, adducam, quem dixi sanctissimum, antiquissimum Patrem Diuum Cyrillum Presbyterum Constantinopolitanum, tertium ab Aymerici reformatione Priorem Generalem, quem erroris, & mendacij arguere, valdè temerarium, ac impium fuerit.* Testimonium autem, quod adducit, Cyrilli, habetur in epistola illius ad Eusebium Eremitam, qua Ordinis Carmelitici, à Ioanne Hierosolymitano vsque ad sua tempora, continuationem fidelissimè enarrat: ibi post longum huius rei sermonem, & postquam retulerat librum à Ioanne Hierosolymitano compositum de institutione Monachorum Carmelitarum, hæc verba subdit de Aymerico, quem ibi nominat: *Intelligens autem quosdam eorum, qui in Occidentem superuenerant spretis seniorum monitis, non rectè ambulare ad veritatem religiosæ vitæ Eremiticæ in prædicto Ioannis libro descriptæ, & perpendens, hoc ideò maximè contingere, quia Græcas literas ignorantes, nesciebant codicem illum legere, fecit librum illum de Græco in Latinum transferri.* Cæterùm, vt quod in hac huius authoris impugnatione censeo, luculenter indicem, immeritò carpit Illustrissimum Cardinalem Baronium, tum quia ille antiquitatis monasticæ nunquam oppugnatorem, sed defensorem se exhibuit, nec lato vngue, in hac parte à communi Theologorum sententia de vetustate monachatus discedens, tũ nam loco illo citato tom. 12 ad annum 1181. minimè tradit Aymericum Patriarcham Antiochenum fuisse primum institutorem Ordicis Carmelitici, sed promotorem, & propagatorem, verba eius sunt hæc: *Horum autem promotor, propagator, & custos fuit ille, qui fungebatur in Oriente legatione Apostolicæ sedis Aymericus Patriarcha Antiochenus.* tum etiam quia si Diuo Cyrillo præcitata epistola ad Eusebium fides adhibenda est, vt re vera adhiberi debet, ipse testatur Aymericum primitus statuisse & ordinasse, vt Monachi omnes, qui tunc erant Ordinis Carmelitici, obedientiæ votum emitterent in manus Prioris, cùm tamen ante illum, licet subderentur suis Prælatis, non tamen ex voto, verba Diui Cyrilli de Aymerico loquentis, hæc sunt: *Statuit enim quod ex ipsis vnus, qui diceretur Prior deinceps eis ita præesset, vt quilibet aliorum obedientiam ei deuoueret sub cura cuius, & regimine omnes viuerent, quibus antea licet semper vnus ex eis præesset, quem Abba, lingua Syra, & Patrem Latina appellabant, sub regimine cuius manebant, & cui etiam tanquam Patri secundùm institutionem obediebant, non tamen se alicui, voto speciali prius obligauerant, donec prædictus Patriarcha Aymericus*

Petr. Vuall.

Franc. Mod.

D. Cyrill.

mericus omnes primò ad hoc adstrinxit. hæc Diuus Cyrillus. Ex quibus verbis clarè constat ipsum fateri Aymericum primordia dedisse voto obedientiæ emittendo, est autem certum nullam veram esse posse religionem absque voto obedientiæ; ex quo videtur vera reddi assertio Baronij, scilicet Aymerici tempore primordia data religioni Carmeliticæ, cum ab eo introducta tunc fuerit emissio voti obedientiæ, sine quo essentialis ratio religionis consistere non potest, fateor tamen ex hoc Diui Cyrilli testimonio, non colligi ante Aymericum non fuisse solitum votum obedientiæ emitti à Monachis Carmelitis, solùm enim illi, quos *improbos* vocat Aymericus in prædicto testimonio D. Cyrilli, vt liberius viuerent, renuebant votum obedientiæ emittere; reliqui tamen verè illud emittebant, Aymericus autem constrinxit omnes quotquot erāt Monachos, illud votum emittere, cùm tamen antea permissi fuissent nonnulli illud non emittere, idque solùm indicant verba Diui Cyrilli, si sincerè perpendantur, nec mihi vlla ratione persuadere possum, antiquos illos Monachos ab Elia institutos, tria vota substantialia religionis non emisisse, nam præterquam in lege veteri receptum, vsuque firmatum fuit vouere Deo, vt tradit Vbaldensis in doctrinali lib 3 art. 2. ca 21. & constat clarè ex Genes. 29 Psal. 131. Leuit. 27. Deuter. 12. & 23. Certè religionis vota in veteri lege obseruata fuisse testantur Origenes in ca. 20. Leu. homil. 11. Isidorus lib. 2. de offic. cap 4. Et copiosius Canisius de corrupt. verbi Diuini cap. 21. hi enim omnes affirmant Nazareos religionis voto fuisse adstrictos, deinde quod attinet ad castitatis votum, Isaias in veteri lege id proposuit capit. 56. in hæc verba: *Non dicat Eunuchus ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris eius locum, & nomen melius à filijs, & filiabus.* quæ verba de virginitate voluntaria intelligenda esse tradunt D. Hieronymus, & Cyrillus in commentario illius loci, Diuus Augustinus de virgin. cap. 24 & Basilius etiam libr. de virginitate; sanè ex hoc loco non obscurè colligitur consilium dari circa votum castitatis, ad eum certè modum, quo Christus Dominus similibus verbis, illud dedit Matth 19. dicens: *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter Regnum Cœlorum*: Ecce ipsa Eunuchorum appellatio perspicuè indicat continentiæ votum, vt sapienter obseruarunt Diuus Hieronymus Matth 9. Diuus Augustinus libro de sancta virginitate capit. 30. nec quidquam refert, si quis obijciat verisimile non esse in veteri lege datum fuisse consilium de voto castitatis, cùm potius lex illa, maledictionis speculum intorqueat in eos, qui semen post se non relinquunt, vt constat ex Deuteron. capit. 25. Nam locus ille iuxta sententiam Diui Ioannis Damasceni non loquitur de semine carnali, sed de spirituali. Etenim libr. 4. fidei orthodoxæ capit. 25. vbi virginitatem miris laudibus efferens, postquam eam multis veteris legis Patrum exemplis obseruatam fuisse docuit, vt ostenderet in illa lege, non solùm virginitatem seruari, sed etiam votum continentiæ emitti, & laudari, subiungit. *Nonne lex, magnum votum, castitatem appellauit?* & vt obiectioni, quæ se se offerre poterat ex verbis illis Deuteronom. 25. *Maledictus homo, qui non relinquit semen post se.* respondeat, statim adiecit: *Oportet igitur spiritualius accipere legis præceptum. Nam est semen spirituale per charitatem, & timorem Dei in mentis vtero parturienti spiritum salutis, sic autem accipiendum est hoc. Beatus est, qui habet semen in Syon, & familiares in Hierusalem.* hæc Damascenus. Quibus manifestè confirmat, in lege veteri fuisse castitatis votum, nec reprobatam fuisse continentiam, & quamuis Damascenus non expri-

Aymeric.
Vbaldens Genes. 29. Psal 131. Leuit. 27. Deut. 12. 23.
Origenes.
Isidorus.
Canisius.
Isa. c. 56.
D. Hieron.
D. Cyrill.
D. Aug.
D. Basil.
Matth. 19.
D. Hieron.
D. August.
Deut. 25.
D. Ioan. Damasc.
Deut. 25.

exprimat locum, in quo lex magnum votum castitatem appellet, tamen præter illum Isaiæ cap. 56. supra adductum, est etiam alius celebris Sapien. 3. id non obscurè indicans, vbi hæc verba legimus: *Felix spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit contra Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima*, qui locus eundem sensum cum illo priori Isaiæ habet; hæc autem tempore legis antiquæ dicta sunt, ex quibus non obscurè constat, in illa votum continētiæ fuisse.

Isa. ca. 56.
Sapien 3.

Ad hæc apud Monachos veteris legis receptum fuisse votum paupertatis apertè colligitur ex Iosepho li. 2. de bello Iudaico cap. 7. vbi de Essenis loquens affirmat: Solitos esse post trasactum certum tempus vota quædam, siue iuramenta emittere, per quæ ad perfectionem anhelabant: verba Iosephi sunt hæc: *Prius verò, quam incipiat communem habere vitam, magnis execrationibus adiurat, se primùm colere Deum, deinde quoque erga homines seruare iustitiam*, & deinde quibusdam interpositis subdit: *Illis quidem sacramentis, ac ritibus obligatus nec carpere ab alijs oblatum cibum potest*, ac tandem Eliam, eiusque successores, tam paupertatis votum, quam reliqua substantialia religionis emisisse, vel illa vna ratio neruosè satis suadet, quod si Elias, eiusque successores Monachorum institutum amplectentes, Deo se consacrarūt, castitatem, paupertatem, & obedientiam colentes, certè cùm prædicti Patres non ignari essent fore Deo gratissimum, longeque magis meritorium propositum suum voto firmare: (hoc enim vt supra præmisimus in veteri lege notum, compertumque fuit) & præterea cùm apertè scirent plurimum valere hanc votorum emissionem ad voluntatem nostrā, quæ lubrica, ac in malum propensa est, in bono firmandam, & in officio continendam: non est dubium quin hoc votorum adminiculo ad prædictos fines iuuarentur. Accedit ad hæc illius societatis viros, selectos ex grege Iudaico, sapientia, & acumine ingenij, cæteram plebem longè superasse, quibus ignorantia tantæ rei contingere non poterat, & multò minus Eliæ, & Elisæo vitæ monasticæ Ducibus, qui ex frequenti cum Deo colloquio, & lectione Scripturarum diuitias, & vberrimos thesauros, qui in votis monasticis latebant, facilè cognoscere potuerunt: quare existimo Scripturæ, & rationi valdè consentaneum esse viros illos diuino lumine ductos, institutum monasticum tribus votis firmasse, maximè cùm Elias speciali Dei reuelatione, monasticæ professioni initium dederit, vt testantur S. Isidorus libr. 2. de diuinis officijs ca. 15. Sozomenus libr. 1. Ecclesiast hist. ca 12. & Nicephorus libr. 8. capit 39. Tandem Aymericum nō dedisse primordia huic sacro ordini illud apertè confirmat, quod ante Aymericum Patriarcham Leo IV. Adrianus I. Stephanus V. Sergius III. Ioannes X. Ioannes XI. Sergius V. Clemens III. & Alexander II. varia priuilegia concesserāt Monachis montis Carmeli. Etenim cùm propter hostium incursus varia eorum monasteria fuissent euersa, sacri Pontifices concesserunt varias indulgentias Christi fidelibus, qui ad eorum restaurationem, & Monachorum victum, alicuius eleemosynæ subsidium impenderent, ne autem quispiam hoc in dubium vertat, locupletissimus testis omni exceptione maior Gregorius est XIII. qui in Bulla, Carmelitano Ordini concessa, cuius initiū est, *vt laudes sanctissimæ*, compendiumq; priuilegiorum plura horum Pontificum priuilegia refert, eorumque meminit Hieronymus Romanus in Republic. 1. part. libr. 6. cap. 10.

Ioſephus.
S. Isidorus.
Sozomen.
Niceph.
Leo IV.
Adrian. VI.
Stephan V.
Sergius III.
Ioan X.
Ioan. XI.
Serg. V.
Clem. III.
& Alex. II.

OBIE-

OBIECTIO VIII.

OCtauo cùm sacer Ordo Carmelitarum, certissimè credat ex maiorum suorũ traditione, & grauissimorum doctorum sententia, Essenos successores fuisse Eliæ, & Elisæi, atque adeò ex illis miram illius antiquitatem commendari: oportet satisfacere alteri Illustrissimi Cardinalis Baronij obiectioni. Etenim Essenorum familiã, si Plinio lib. 5. naturalis historiæ ca. 17. & Solino capit. 36. credendum est, planè compertum erit antiquissimam esse: id enim Plinius præfato loco de Essenis tractans, his verbis scriptum reliquit: *Per sæculorum millia, incredibile dictu, gens æterna est, in qua nemo nascitur.* Solinus. quoque, fidelis Plinij imitator, ferè eisdem verbis Essenorum antiquitatem commendans dicit: *Itaque per immensum spatium sæculorum, incredibile dictu, æterna gens est cessantibus puerperis.* hæc Solinus nihilo secius tamen doctissimus Baronius to. 1. annal. anno Christi 64. ca. 6. 7. & 8. Plinio, & Solino dicentibus, Essenorum sectam per multa sæculorũ millia extitisse, minimè credendum existimat, ea ratione ductus, quia qui res Iudaicas sunt prosequuti, tam antiquam originem Essenis non tribuunt: quare ipse vel post Christum, vel paulò antea, tempore Herodis maioris, viros hos claruisse autumat: nulla enim, vt ipse ait, antiquior apud Iosephum, de eis habetur memoria: ego tamen contrarium reperio, ipseq; ie apud Iosephum, eadem ferè verba, quæ apud Plinium, & Solinum potuit facilè inuenire: Is enim li. 18. antiquitatum Iudaicarum cap. 2. de sectis Iudæorum agens, sic loquitur: *Iudæi patriæ sapientiæ studiosi, iam inde à multis reto sæculis in tres sectas erant diuisi, Essenorum, Sadducæorum &c.* Idemq; author lib. 13. capit. 9. docet, tempore Ionathæ Pontificis, & Antiochi Regis, has etiam sectas floruisse: quod & tradit Genebrardus libr. 2. anno Mundi 3944. hoc est 143. anno ante Christi aduentum, imò neque ibi apud Iosephum eorum initia expressè recensentur, sed potius in confuso adnotantur, *multis retro sæculis* incepisse, quę verba tempora longissima denotant: quare id certum videtur, eos à sanctissimis Prophetis Elia, & Elisæo originem ducere, idque inprimis probo ex Genebrando viro grauissimo li. 1. Chronolog. anno Mundi 3272. *Elisæus,* (ait) *construxit cellas Prophetis in Hiericuntis solitudine: manauit institutum, & loci religio ad posteros, fuitque desertum hoc vsque Engaddi ab Essenis habitatum, hominibus continentiæ incredibilis.* Eodemq; loco habitasse Essenos, nempè in desertis Hierico, Plinius, & Solinus, vt supra, senserunt, & quamuis Genebrardus expressè non affirmet, Essenos ab Elisæo Prophetа immediatè in monastica disciplina fuisse institutos, clarè tamen docet, ab ipso, siue à prophetica sua familia ortos fuisse: idque colligitur apertè ex Nicephoro libr. 2. Ecclesiasticæ historiæ capit. 15. qui de Essenis differens: *Eos,* ait, *vitam propheticam flagranti, atque feruenti fide meditari, atque æmulari.* quæ est igitur hęc prophetica vita, nisi ea, quam Elias, & Elisæus, filijque prophetarum coluere? in huius verò rei confirmationem argumento vtar in hac materia validissimo. nam Esseni, de quibus Philo, & Iosephus, vt infra dicemus, plura admiratione digna scripserunt: fuerunt à Diuo Marco in AEgypto legibus, & institutionibus Euangelicis imbuti, alijsque Canonibus, & obseruantijs monasticis instructi, vt post Nicephorum, & Eusebium libr. 2. capit. 15. & 16. & Hieronymum de scriptoribus Ecclesiasticis in Marcum, communis tenet Catholicorum sententia. qui etiam censent, ab his Marci discipulis Christianorum Monachorum postea in AEgypto, & Palæstina agmina descendisse, vt & Nicephorus capit. 15. & expressius cap. 16. illis verbis significauit: *Cùm ad hodiernum vsque diem, non apud alios,*

Plinius. Solinus. Baronius. Iosephus. Idem. Genebrard. Idem. Idem. Philo. Iosephus. Niceph. Euseb. Niceph.

quàm apud nostros homines, regulas tales, viuendique mores conseruari compertum sit. & libr. 8 capit. 39 prope finem. *Equidem ab illa AEgyptijs tantopere hoc viuendi genus in ualuisse conijcio,* quæ ferè verba habentur apud Sozomenum libr. 1. cap. 11. & Eusebium libr. 2 cap. 15. & 16. erudite etiam Cassianus lib. 2 cap. 5. id demonstrauit, dicens: *Nam cùm in primordijs fidei pauci quidem, sed probatissimi Monachorum nomine censerentur, qui à beatæ memoriæ Euangelista Marco normam susceperè viuendi, &c.* & infra: *Ea igitur tempestate Ecclesiæ illius primitiuæ perfectio penes successores suos adhuc recenti memoria inuiolata duraret.* quibus manifestè ostendit disciplinam à B. Marco, primis illis Euangelicis Monachis traditam, usq; ad sua tempora perdurasse, idque & fortè expressius in præfatione ad Castorem propè finem indicauit, dicens: *Secundùm eam, quam vidimus Monasteriorum regulam, per AEgyptum, & Palæstinam antiquitus fundatorum, vel adijciam, vel recidam: neque quam enim credas rationabilium quidquam, vel perfectius in occiduis Galliarum partibus reperiri potuisse, quam illa sunt instituta, quibus ab exordio prædicationis Apostolicæ à sanctis, & spiritualibus Patribus fundata monasteria ad nos vsque perdurant.* hactenus Cassianus. Placet igitur Cassiano, Eusebio, Nicephoro, & alijs AEgyptij Monachos in professione, Essenis, hoc est discipulis B. Marci successisse.

Sozomen. Essub. Cassian. Idem.

Porrò argumentum, (vt ad propositum redeamus,) hac ratione formare licebit. Cassianus libr. 1. de institutis renunciantium, ferè per totum, Monachos AEgyptij, & Palæstinæ ab Elia, & Elisæo, filijsq; Prophetarum originem ducere, sæpè docet, ac repetit, cui subscribunt Nicephorus libr. 8. capit. 39. & Sozomenus lib. 1. capit. 11. & Hieronymus ad Rusticum, & Paulinum: ergo si AEgyptij Assetæ, siue Monachi ab Elia, & Elisæo ortum habuerunt, & hi præterea ab Essenis disciplinam susceperè viuendi, eorumq; successores extiterunt, necessariò fatendum erit, Essenos etiam ab Elia, & Elisæo, siue filijs Prophetarum, eorum successoribus promanasse: quod præterea demonstrat nominis Ethymologia; nam licet demus Essenos à vitæ sanctitate esse nuncupatos, quod voluit Chrysostomus homilia 44. in Acta Apostolorum, idque Philo in libro, cuius titulus est, *quòd liber sit probus:* apertè significat; tamen si nominis Ethymologia attentè consideretur, Essenos, siue Esseos, vt alij volunt, ab Elisæo potius dictos, quasi Elisenos, verius apparet, quæ denominatio placuit etiam doctissimo Enrico Enriquez, nostri tēporis authori graui, ac perdocto in secundo tomo libr. 12. capit. 5. in Glossa littera B.

Nicephor. Sozomen. Hieron. Idem. Chrysost. Philo.

OBIECTIO IX.

NOnam obiectionem vt conuellam, præsupponere oportet, inter alia pleraque magni momēti priuilegia, quibus B. Virgo sacrum Carmelitarum ordinem cohonestauit, illud singulare esse, quòd ex ipsius Deiparæ cœlesti oraculo ordo hic in finem Mundi duraturus esset: etenim Philippus Macerius, & Ioannes Feuardensius in vita sancti Petri Thomæ huius religionis obseruantissimi Professoris, affirmant, quòd, illo à Beatissima Virgine postulante, vt suum conseruaret ordinem, Marianum oraculum respondit: *Vsque in finem Mundi, Petre, Religio Carmelitarum permanebit. Nam Elias illius institutor, filio meo apparens, in transfiguratione id postulauit, & impetrauit.* Congruentem autem huius durationis eam crederem esse rationem, quòd huius antiquissimę religionis author Elias adhuc viuat, vt multæ sacræ Scripturę testimonia comprobant Malach 4. Ecclesiast. 44. & 48. Apocal. 11. & Matth. 17. venturusque sit in fine Mundi, vt Christi Ecclesiam defendat, & publicè contra Anti-Christū, à quo est interficiendus, prædicationis

Philippus Macer. Ioan. Feuarden. Malach. 4. Ecclesiast. 44 & 48. Apocal. 11. Matth. 17.

vocem

vocem exaltet: rationi ergo consonum est, vt huius religionis alumni, tanquam legitimi Eliæ filij, in aduentum eius cõseruentur, vt pariter cum illo sub tanti Ducis vexillo, contra Anti-Christum acriter dimicent, fideles doceant, debiles confirment, ac tandem Christi gloriam, & honorem tueantur. Deinde nonne rationi consonum est, vt religio alicuius tamdiu saltem duret, quamdiu durat patronus, & institutor illius? Si ergo huius religionis parens Elias adhuc viuit, viue que vsque in mundi finem, vt sacra testantur eloquia, congruit sanè sacrum hanc ordinem vsque in Mundi finem durare. Quare in alumnos huius sacræ religionis, qui & à Rechabitis originem trahunt, ad amussim mihi conuenire videntur verba Hieremiæ 35. *Domui autem Rechabitarum dixit Hieremias, hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Pro eo, quòd obedistis præcepto Ionadab Patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & feciſtis vniuersa, quæ præcepit vobis, propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab, filij Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus*: certè non defecit hactenus de stirpe Eliæ, neque in posterum deficiet multiplex successor: etenim ab Eliæ raptu, vsque ad tempus primitiuæ Ecclesiæ, continuata fuit per Prophetarum filios, aut per eos religiosos, qui Esseni, vel Elisseni ab Elisæo appellati sunt, à quo tempore, vsque ad annum 400 in quo fuit Ioan. Patriarcha Hierosolymitanus, eadem via nunquam fuit interrupta: à tempore verò huius Patriarchæ vsque ad Aymericum Patriarcham Antiochenum, qui fuit anno 1120. perdurauit: quo tempore multa in AEgypto, & Syria fuere Cœnobia huius Religionis, quæ à summis Pontificibus Leone IV. Adriano II. Stephano V. Ioanne X. & XI Gregorio V. Sergio VII. Alexandro II. & Gregorio VII. fuerunt mãximis priuilegijs exornata, & amplificata. Iam vero ab Aymerico, qui regulam, quam tradiderat Ioannes Patriarcha, è Græco in Latinum transferre curauit, vsque ad sanctum Albertum Patriarcham Hierosolymitanum, qui fuit anno 1171. etiam durauit. Is regulam religiosis tradidit breuiorem quidem, sed perfectissimam, & arctissimam. Sic mansit religio vsque ad Innocentium IV. anno 1248. à quo petierunt religiosi, vt in quibusdam mitigaret regulam: quod quidem factum fuit in quibusdam rebus parui momenti; mansit tamen in suo rigore. Hac autem ratione perseuerauit vsque ad Eugenium IV. anno 1431. cum autem animaduerterent religiosi, regulam sancti Alberti esse asperrimam, & arctissimam, supplices rogarunt, vt eam temperaret: annuit ille, duravitque hæc mitigatio in tota religione vsque ad annum 1561. quo tempore adueniente singulari illo, ac stupendo diuinæ gratiæ prodigio, inclyta scilicet Virgine, ac viragine beata Tharasia ad pristinum illum, ac rigidum statum omni ex parte reduxit, nec quidquam nocent huic sacræ religioni canini maledicentium latratus, qui quibusdam sacræ Scripturæ locis perperam intellectis durationem huius ordinis in finem Mundi in hunc modum lacerare moliuntur; obiectant illud Hieremiæ: *Aspexi, & ecce Carmelus desertus, & omnes vibes eius destructæ sunt.* at quis non videat hic sermonem esse non de Religione Carmeli, sed de Iudæa, quæ, vt ibi adnotat noster Lyranus, in Carmelo denominata est, eo quòd erat locus fertilis, & amœnus; deinde sagittam aliam aduersus eandem mittunt, ex pharetra Amos depromptam, qui capite primo ait: *Exsiccatus est vertex Carmeli*: quasi vaticinari voluerit per hæc verba, exsiccandum, & extinguendum esse Ordinem Carmelitanum; sed & hoc ineptè dici, nemo tam mentis inops est, qui non agnoscat, nam ibi Propheta inter supplicia futura

Hierem. 35.

Leo IV. Adrian. II. Steph. V. Ioan. X. & XI.

Greg. V. Serg VII. Alex. II. & Greg VII Ioan Patriarcha.

Hieremias.

Lyranus.

Amos 1.

Populo Dei, commemorat montẽ Carmelum, alioquin vberrimum, & multis fontibus, & riuulis affluentem, exsiccandum esse non in totum, sed secundùm verticem, vt & verba præcedentia satis indicant: *Et luxerunt speciosa Pastorum, & exsiccatus est vertex Carmeli.* Ac tandem telum aliud ex Isaia coniiciunt capit. 37. *Succidam saltum Carmeli*, quod impletum fuit, quando Sarraceni in Carmelum inuadentes, permultos habitatores eius extinxerunt: sed nec hæc obiectio quidquam prodest; primò, nam verba illa, non sunt Dei, nec ad Religionem Carmeli diriguntur, sed sunt Regis Sennacherib, qui minabatur deprædaturum montem Carmelum, in quo magna erat pecorum copia ibi pascentium. non obstante autem Sarracenorum cruenta persequutione, Monachi Carmeli sine defensione defensi, sine armorum munimine muniti, & in eremo inermes solius orationis, silentij, spei, pacis, & charitatis vallo constipati cœlestem vitam agebant. Vndè Isa. postquam ca. 32. prædictæ persequutionis populi Dei meminerat, subdit hæc verba: *Et erit desertum in Carmelo, & Carmelus in saltum reputabitur, & habitabit in solitudine iudicium, & iustitia in Carmelo sedebit, & opus erit iustitiæ pax & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum.* Licet enim temporibus Iudaicarum captiuitatum esset desertum in Carmelo, ita vt in saltum verè reputaretur; populus tamen monachorum illic commorantium faciebat in solitudine illa iudicium Dei, & seruabat in Carmelo iustitiam, de qua dictum est: *Iustitia iusti saluauit illum.* Ecce opus eorum erat pax, qua vnanimes ad inuicem, se diligentes, summa animi tranquillitate viuebant, & cultus iustitiæ erat silentium, quo vitabant multiloquia; & securitas, qua à corde fugabant inimicorum tam visibilium, quam inuisibilium pauorem omnem; ita erant in corde quieti, & securi, vt cor eorum non reprehenderet eos, & ideò confidentes in Deo eos protegente, cuius beneplacita faciebant semper, non timebant millia populi circumdantis eos, quia Dominus cum illis erat: teste enim Sapiente Prouerbiorum decimosexto. *Cùm placuerint Domino viæ eius, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* Deus enim licet armet vniuersam creaturam ad vltionem inimicorum, amicorum autem suorum, neque permittit capitis capillum perire, atque adeò cùm transeunt per ignem, flamma non nocet illis.

Isai. 37.

Esa. c. 32.

Prou. 16.

Atque hinc est, quod cùm de alijs dixisset Dominus Isaiæ cap. 32. *Plangite super regione desiderabili, super vinea fertili, &cæt* De monachis tamen Carmeli ait: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Quod si quispiam dicat, qua ratione credi potest, vt grassante bello per totam illam Carmeli plagam, hostes, immunes relinquerent monachos multos, audiat Mich. ca. 7 dicentem: *Terra erit in desolationem propter habitatores suos, & propter fructum cogitationum eorum.* Mox tamen de ipsis monachis subdit: *Pasce Domine populum tuum in virga tua*, id est, æquitatis, *gregem hæreditatis tuæ habitantes solos in saltu in medio Carmeli, pascentur Basam, & Galaad iuxta dies antiquos.* Vbi ponderatione dignum est verbum illud: *Gregem tuum.* Nam Gregorius Nissenus de monachis illis explicat illud Cantic. *Greges tui sicut oues tonsorum, quæ ascendunt de lauacro*, quia naturali ouium colore, quorum lanis induebantur, incedebant; & illud: *Habitantes solos in saltu in medio Carmeli*; per *solos* significat monachos, quia monachus idem est, quod solus, vel vnus. Addo vlterius ad explicandum loca, in quibus docetur Carmelum fuisse desertum, & exsiccatum, de persequutionibus Sarracenorum intelligi posse. Etenim vt tradant Trithemius de laudibus Carmelitarum capit. 8. Paulus Morigia de origine religionum li. 1. capit. 30. Carolus Tapia super authent. ingressi,

Idem.

Mich. 7.

Greg. Niss.

Paul. Morig. Carol. Tap.

ingressi, verbo *monasteria*, capite 17. duplici via fuerunt Carmelitæ sæpius vexati: primo à Chosdroa Rege Persarum circa annum Domini 534. qui cum caperet Syriam, etiam Hierusalem occupauit, & ferè omnes monachos, quos in finibus illis inuenit, gladio percussit; præcipuè in deserto Carmeli, Iordanis, & montis Neroi, inter quos fuit specialiter insignis martyr sanctus Anastasius Persa, de quo agitur officium die 23. Ianuarij, & cum illo turba multa monachorum Carmeli, Iordanis, & montis Neroi. Licet autem Heraclius Imperator, postquam Chosdroam deuicit, quã plurima monasteria reparauit circa annum Domini 636. eodem tempore surrexit secunda Carmelitarum persecutio ab Humar Rege Arabiæ, & Mahumeti discipulo, qui totam terram Sanctam, Syriam, Phœniciam, & Palæstinam suo Imperio subiugauit, quo tempore (vt refert S. Pater Cyrillus Græcus Tertius Latinorum generalis in epist. ad Abbatem Ioachim cap. septimo & octauo) in Carmelo pauci Monachi remanserunt superstites, quã Rex Humar bilosa rabie in Carmelitas acerrimè inuehebatur. Hæc oppressio durauit vsque ad tempora Caroli Magni Galliæ Imperatoris: tũc Sarraceni ægrè ferentes, quod Carmelitæ illi, sicut eorum Sacerdotes vestibus albis induerentur, vi compulerunt illos, vt vel album amictum deponerent, vel è finibus eorum exules recederent, qui, ne antiquam Eliæ, & Elisæi hæreditatẽ, & successionem in illa amitterent, elegerunt vestes albas in variegatas mutare ad imitationem illius, quã Elias misit Eliseo. Duravit hæc habitus mutatio vsque ad tempora Honorij Quarti, qui violẽter habitum, eis à Sarracenis ablatum, continuò restituit. Illo calamitoso tempore maximos labores pertulit Carmelitana Religio, adeò vt omnes Carmeliticæ Religionis historiographi referant ab anno 636. vsque ad ann. 1290. gladio impiorum occubuisse Monachos Carmeli centum quadraginta millia Martyrum, de quibus non obscurè loquitur Nicolaus de Lyra super Apocalypsim c. 19. vbi ait Humar Regem Arabiæ obtinuisse sibi Syriam, Ciliciam, Africam, & Hispaniam, in quibus erant, quam plurima monasteria Monachorum, & Virginum, & ex eis 140. millia Martyrum occidisse; omnes autem istos Monachos & Virgines, sub Eliæ Patriarchæ disciplina degere, nullus potest ambigere, cum tunc non esset alius Monachorum agnitus Pater cui possent hi filij adscribi, prout sancti Patres frequẽter docent. Circa annum autem Dom. 1126. Calo Ioannes Græcorum Orientis impijssimus Imperator, vt refert Otho Frisingensis lib. 7. cap. 28. & Hieronym. Romanus Augustinianus 1. par. lib. 5. c. 10. cœpit Carmelitas, qui quasi semen Dei in Carmelo remanserant, ita affligere, vt cum contra Mauros inueheretur, nec voti compos euasisset, in Religiosos Carmelitas, omnem suam euomuit rabiem, quosdam flagellando, alios exulãdo, multos occidendo. Circa annum verò Domini 1200. tempore Sancti Cyrilli Tertij Prioris Generalis Latinorum, iterum fuit à Sarracenis magna ex parte euersa Carmelitana Religio in monte Carmelo. Dixi magna ex parte, & non funditus, quia circa annum Dom. 1500 Baptista Mantuanus, & alij itinerarij testantur, post annum 1500. in Monte Carmelo perseueraſſe adhuc aliquos Monachos Carmelitas, & tunc potest optimè verificari illud Isaiæ: *Et ecce Carmelus desertum.* Nihil ergo Prophetæ Dei aduersus hanc sacrã Religionem somniarunt, imò in omnes eius filios præclarè mihi conuenire videntur verba illa Ecclesiastici 44. *Viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt, cum semine eorũ permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum, & filij eorum propter illos vsque in æternum manent, semen eorum, & gloria eorum non derelinquetur,* Sanè Beata Virgo non dereli-

Cyrillus. *Nicolaus de Lyra.* *Calo Ioan.* *Otho Frisingenſis.* *Mantuan.* *Isaiæ.* *Eccl. 44.*

quit, sed speciali sua protectione mirificè fouit. nam vt legitur in officio, à Sede Apostolica approbato, Virginis Mariæ de Monte Carmelo, lectione 5. *Cùm olim in Europa ordo hic esset ignotus, & ob id apud Honorium Quartum non pauci pro illius extinctione instarent, assistit Honorio noctu purissima Virgo Maria, planeque iussit, vt institutum, & homines benignè complecteretur.* Ex quibus clarè innotescit, quàm sollicitam curam Beatissima Virgo gesserit diuturnitatis, & conseruationis huius sacræ Religionis.

Offic. S. Mariæ de Monte Carm.

OBIECTIO X.

DEcimò nonnullos audio irridere Carmelitanum Ordinem gloriali, quod Diuum Ioannem Baptistam inter professores Eliani instituti: & monasticæ illius disciplinæ connumeret. Putant enim Ioannem minimè fuisse Monachum, sed hos irrisores, meritò irrideo ego, cùm ex sanctis Patribus apertè colligatur, Diuum Ioannem Baptistam fuisse Monachum, & Monachum Carmelitam, sanè quod Monachus fuerit, expressè testantur Diuus Hieronymus ad Eustochium de seruanda virginitate, Chrysostomus homilia prima in Marcum, sanctus Bernardus in sermone de excellentia Ioannis Baptistæ, Sanctus Isidorus libro secundo de officijs, capite vndecimo, Cassianus collatione 18. capite septimo, & libro primo de institutis renunciantium, capite secundo. Sozomenus libro primo historiarum, qui omnes Ioannem Baptistam vocant Principem Monachorum primitiuæ Ecclesiæ: si autem Monachus fuit, cum ratione ipsa valdè cohæret, fuisse professorem Eliani instituti, cum & incola fuerit Montis Carmeli, & Eliam in omnibus adeò imitatus fuerit, vt diuino Christi oraculo dictum sit veniisse illum in spiritu Eliæ, & in Monte Carmelo, & iuxta Iordanem habitauerit. Vnde sine dubio ipse vitam egit in desertis illis locis inter filios Prophetarũ, qui Monasticam Eliæ disciplinam profitebantur; nam illi, vt testantur Diuus Isidorus libro secundo de officijs, capite decimoquinto, & Hieronymus ad Paulinum, habitabant iuxta Iordanem; vnde Nicephorus Callistus libro decimooctauo Ecclesiasticæ historiæ capite trigesimo, refert, Reginam Helenã duo templa ædificasse, vnum in honorem Eliæ in planiori quadam parte Montis Carmeli, alterum verò in inferiori parte eius, ad Iordanem respicientem, quia in illis locis Patres illi morati fuerant: sed vt magis innotescat Ioannem Baptistam Eliæ institituti professorem fuisse, audiamus Diuum Hieronymum in commentario super Matthæum: *Ioannes* (inquit) *Elias dicitur, non secundum stultos Pharisæos, & quosdam hæreticos, qui reuersionem animarum introducũt; sed quia iuxta aliud testimonium Euangelij venerit in spiritu, & virtute Eliæ, & eandem Spiritus sancti vel gratiam habuerit, vel mensuram; sed & vitæ austeritate, rigoreq; vitæ Elias & Ioannis pares sunt.*

D. Hieron.

D. Isidor.

D. Hieron.

Nicephor. Callistus.

D. Hieron.

Vnde Diuus Ambrosius in epistola ad Vercellentes capite decimo quarto, in hunc modum loquitur: *Cùm ergo venit sacra plenitudo temporis, fuit ad dictos Monachos in desertis missus homo illic à Deo, cui nomen erat Ioannes, scilicet Baptista, monasticæ vitæ eremiticæ, ab Elia institutæ, cultor eximius. Ambo enim tam Elias, quam Ioannes fuerunt indumentis hispidis induti, luxu casti, victu frugi, conuersatione solarij, & deserta iugiter sequuti fuerunt etiam electi per Deum præcursores Christi, Ioannes quidem aduentus primi, Elias vero vltimi, dicente Domino: Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerũt eum, sed fecerunt in eum quæcunque voluerunt. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis, & propterea Sacerdotes, & Leuitæ, ab Hierosolymis per Iudæos ad Ioannem missi, intuentes, eum in omnibus conuersationem monasticæ vitæ Eliæ præcipuè sequi: quærebant ab eo,*

D. Ambr.

Matth. 17.

si ipse

Luce 1. *si ipse erat Elias, quoniam sicut Angelus Gabriel de eo prædixerat: venit in spiritu, & virtute Eliæ ad exemplum, cuius domo sui patris, & terrenis opibus derelictis, conuersatus fuit iugiter in desertis: & adinstar illius vinum, & siceram non bibens, habuit ad imitationem eius vestimentum de pilis Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, vt testatur Matthæus Euangelista capite tertio.* Accedit Beatus Ioannes quadragesimus quartus Patriarcha Hierosolymitanus libro secundo de institutione Monachorum, vbi idipsum non semel testatur: sic enim ait: *Hinc illi processerunt viri Elias, Eliseus, & Ioannes, qui pelliceis tunicis, & caprinis induti, inopes, atque egentes, angustiis, & doloribus afflicti, in solitudinibus errabant.* Hæc ille. Et ne quispiam dicat, rectè potuisse Ioannem in cauernis, & speluncis vitam egisse, absque eo, quod monasticam vitam professeretur, audiat, quid ipse postea subiecerit: *Ideo Christus sciens Ioannem expressam monasticæ vitæ Prophetæ Eliæ imaginem gerere, dixit turbis, ipsum esse Eliam*: Quid clarius?

Ioan 44.

OBIECTIO XI.

Hier. Rom. VNdecimò, redeo ad importunum illum auctorem Hieronymum Roman qui tanta efferbuit libidine impugnandi sacram Carmelitarum religionem, vt in eodem defensorio contendat, habitu, quo vtuntur, illos expoliare, dicens: falsum esse album colorem pertinere ad habitum eorum, eo quod Elias pallio albo vsus fuerit: hoc enim affirmat, in nullo fide digno libro inuenire potuisse. sed id ego diligentior inueni, nam in primis Ioannes Quadragesimusquartus Patriarcha Hierosolymitanus libro de instituit. Monachorum capite 40. postquam dixerat: *Docuit Elias Monachos, hanc religionem professentes, debere pallio superuestiri albo.* Postea subdit hæc verba: *Qui Eliam, velut monasticæ viuendi exemplar, erant imitaturi, in ardore nedum mentali sinceræ puritatis, sed etiam corporalis habitus albi eos desuper tegentis.* Trithemius Abbas de laud. Carmelit. cap. 6 idipsum in hæc verba contestatur: *Color autem ipsius habitus albus fuisse dicitur, per quem interior fratrū mundicia, & & puritas assignatur, tali Eliam amictum fuisse tradunt; tali habitu incessisse Eliseum, & filios Prophetarum.* Addit Sanctus Epiphanius in vita Eliæ, hoc genus albi habitus, quo religiosi eius vti debebant, in visione diuinitus sibi fuisse monstratum: verba eius sunt hæc: *Quem*, id est, Eliam, *cum enixeretur parens eius, eiusmodi Sabbacha patri suo visio apparuit, viri niueum quendam præseferentes habitum, &c.* Refert idem S. Dorotheus in vita Eliæ; dum ait: *Cum nasciturus esset Elias, pater eius Sabbach vidit illum ab Angelis albicantibus salutari.*

Ioan 44. Patriarch. Hierosolym.

Trith. Abbas.

S. Epiphan.

S. Doroth.

OBIECTIO X.

DVodecimò, quidam scioli obiciunt, quod si tāta esset antiquitas ordinis Carmelitani, reuera in actibus publicis deberent Carmelitæ præcedere, & præferri aliorum ordinum religiosis: è contra tamen fit, quod Prædicatores, Minores, & Augustiniani eis præferuntur in capella Summi Pontificis, & in publicis processionibus. Huic obiectioni congruè facit satis speculum ordinis Carmelitarū tract. super informatione B. Mariæ de monte Carmelo, articulo primo, vbi hæc verba lego: *Prædicatores, & Minores tempore Innocentij Papæ Tertij in Cismarinis partibus, videlicet in Tholosa, & Assisio inceperunt, qui continuò per diuersa regna Cismarina multiplicati, ac prædicationibus, & doctrinis in hominum frequentia laudabiliter insistentes, statim post suam fundationem habebantur venerabiles, & famosi; fratres verò prædicti Beatæ Mariæ de monte Carmelo, primo tempore Innocentij Quarti Papæ propter persecutionem Sarracenorum in terra sancta, vbi ipsorum religio fundata fuerat ab antiquo: ad partes Cismā-*

Cismarinas se transferentes potius tam extra ciuitates, & frequentiam hominum, modo eremitico, quo fecerant in terra sancta, quàm infra ciuitates cum hominibus habitare elegerunt per tempora longiora. In cuius euidentiam prædicti fratres conuentus suos, quos primo fundauerant in partibus Cismarinis, remotè à ciuitatibus, & frequentia hominum construxerunt. Qui postea per tempora longiora doctrinis, & prædicationibus, vtilitati proximorum proficere cupientes, infra ciuitates, & hominum frequentiam habitare inceperũt, & multorum locorum suorum, quæ fundauerant remotè à ciuitatibus, translationem ad ciuitates à Summis Pontificibus impetrauerunt. Et ideò Prædicatores, & Minores, tanquam prius in hominum frequentia conuersantes, & magis, & prius noti præponuntur dictis fratribus Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli. Hæc ibi. non obstante autem prædicta præcedentia, Ordo Carmeli tanta fulget antiquitate, vt de ipsius vetustate in iure non extet memoria; cum tamen de illa mentionem faciat: *Conc. Lugd.* etenim in decreto Lugdunensis Concilij, prohibente ne Ordines Mendicantes post Concilium Lateranense adinuenti, vlterius procederent absque Sedis Apostolicæ facultate; postea verò facit hanc exceptionem in hæc verba: *Sanè ad Prædicatorum, & Minorum Ordines propter eorum euidentem Ecclesiæ vtilitatem, præsentem non patimur constitutionem extendi: cæterorum Eremitarum Sancti Augustini, & Carmelitarum Ordines, quorum institutio, dictum Generale Concilium præcessit, in solido statu volumus permanere.* Hæc ibi. Ex quibus apertè constat, quòd si tunc Religio Carmelitana non censeretur à Cõcilio Lugdunensi approbata, reuera per suum generale decretum illam extinxisset, & quamuis quidam dicant, non esse legendum *in solido*, sed *insolito*, nihil prorsus refert hoc, vel illo modo legi, quia si solitus eius status non fuisset approbatus, minimè Concilium pateretur illum vltra progredi, cum & approbatas Religiones post Concilium Lateranense omninò deleuerit. Ecce fatetur, Concilium Lugdunense præcessisse Religionem Carmelitarum Cõcilium Lateranense, nec assignat certum tempus sui processus.

OBIECTIO Vlt.

AD extremum, vt vltimę quorundam obtrectatorum obiectioni satisfaciam, obseruandum est prius, quod Sancta Dei Genitrix, ac perpetua Virgo Maria, post obitum fratrũ, sororum, confratrum, & consororum Carmelitarum Ordinis, prima die Sabbati animas eorum, earumque in Purgatorio persistentes, suis intercessionibus à pœnis illius liberat, vt ipsa Beata Virgo pollicita fuit S. Simoni Stoch, Priori Generali Ordinis Carmelitarum. Hoc singulare priuilegium multi lacerant, sed immeritò, quia Summus Pontifex Ioannes Vigesimus secundus in Bulla, *Ioan. 22.* quæ incipit: *Sacratißimo*, data Lugduni 3. die mensis Martij anno 6. sui Pontificatus, his verbis illud confirmauit: *Istam ergo sanctam Indulgentiam accepto robore in terris confirmo, sicut propter merita Virginis Christus concessit in cœlis.* Meminit huius Bullæ Paleonydorus lib. 3. cap. 11 vbi o- *Paleonyd.* obiter obseruatione dignum arbitror, quod in eadem Bulla fatetur ipse Pontifex, B. Virginem sibi apparuisse, ac dixisse propter deuotionem, quam erga me habes, ab aduersario tuo te liberabo, & ad supremum dignitatis Ecclesiasticæ culmen te promouebo: in cuius rei recompensationem volo te beneuolum exhibere erga fratres meos filios Eliæ; & inter alia præcipit, vt Indulgentiã hanc Sabbatinam per propriam Bullam confirmaret. Eandem etiam postea acceptarunt, & confirmarunt Alexander V. in *Alex. 5.* Bulla, quæ incipit: *Tenore cuiusdam priuilegij felicis recordationis Ioannis Vigesimi secundi*: Clemens Septimus in Bulla, cuius *Clem. 7.* principium est: *Dilecti filij*, data in Vrbe veteri, die 15. Maij, anno 1528. vbi hæc

hæc verba habentur: *Die, quo à sæculo huiusmodi Purgatorium accesserint, ipsa Virgo gloriosa Dei Genitrix Maria, Sabbato sequenti post illorum confratrum, seu religiosorum, ac sororum obitus visitando à pœnis Purgatorij huiusmodi eorum animas liberabit.* Eandem etiam Indulgentiam confirmauit Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Vt laudes Gloriosissimæ Mariæ.* Ac tandem Academia Salmaticensis, exploratis Apostolicis his bullis, declarauit, validam esse hanc Sabbatinam Indulgentiam, & suo robore semper permanere, nisi per Summum Pontificem, aut Concilium aliquod derogetur, nosque testamur, insigniorum Doctorum illius Academiæ subscriptiones illam approbantes legisse, & vidisse. Quare cum non solum auctoritate tantorum Doctorum, sed expressis Summorum Pontificum oraculis, Indulgentia hæc Sabbatina sit corroborata, & stabilita, non video qua ratione quispiam absque ingenti temeritate illam inficiari queat.

Greg. XIII.

HOMILIA III.

In eodem festo, S. Mariæ de Monte Carmelo, Deiparæ laudes, necnon Carmelitici Ordinis encomia prosequimur.

CVm præsenti festiuitate sanctæ Mariæ de monte Carmelo valde congruere mihi videatur diuinum illud Sponsi elogium Cant. 7. *Caput tuum, vt Carmelus*, varia, quæ in eo delitescunt, arcana, in laudem Virginis placet primo referare, deinde encomia Carmelitanæ religionis prosequi. Scio, D Gregorium per caput hoc loco intelligere Christum Dominum, ipsumque monti Carmelo assimilare, verba illius sunt hæc. *Caput Ecclesiæ Christus, qui bene, vt Carmelus dicitur, quia ipse per passionem, quam sustinuit, ad gloriam Patris est exaltatus de quo scriptum est: Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium: in Carmelo quippe Elias orans, obtinuit pluuiam, & nos in Carmelo orantes pluuiam impetramus, quando in Christum credentes, Christum desideramus, & à patre irrigationem gratiæ suscipimus, quam rogamus.* Hanc interpretationem sequutus eruditus auctor Iustus in c. 7. Cant. ait: *In Carmelo monte S. Elias, & Eliseus sæpe receptaculum habuerunt, quapropter in capite Ecclesiæ Domino nostro Iesu Christo, quo sublimius nihil est, tanquam in monte Carmelo, est iusti habitaculum, & multitudo populorum, tanquam diuersitas animalium, sapientiæ percipit alimentum. Comæ capitis istius, sicut purpura Regis iuncta canalibus: eminentiores sunt Sancti, videlicet Martyres Christo consimilati.* Cæterum alij Doctores præsentem locum intelligunt de ipso monte Carmelo, in eo tamen sunt diuisi, ac discordes, quod quidam illum applicant ad Ecclesiam, sicut applicuit noster Nicolaus de Lyra, qui affirmans Carmelum montem esse in Iudæa altissimum, & pulcherrimum, multisque herbis odoriferis refertum, ait, Isaiam capite trigesimoquinto, ad explicandam Ecclesiæ Catholicæ fœlicitatem adhibuisse similitudinem à monte petitam: *Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit, quasi lilium germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans, gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron.* Etenim per fertilitatem, & amænitatem horum, & præsertim Carmeli, qui fœcundissimus erat; significare voluit Isaias, quicquid erat spiritualis amænitatis in vetere legi transferendum fuisse in Ecclesiam Christi. Alij tamen Doctores prædictum locum mysticè intelligentes, in laudem Virginis illum conuertunt. Doctissimi Gulielmi piam, ac præclaram expositionem primo loco apponam, ab eius verbis nihil prorsus detrahens: sic enim illum interpretatur: *Mens in Virgine matre, monti comparatur*

Cant. 7.

D. Greg.

Iustus.

Nicolaus de Lyra.

Isaiæ 35.

Gulielmus.

1. expos.

tur propter excellētiam gratiæ: Carmelus quippe in literis sacris mons est famosus; Cur autem non alij monti, sed Carmelo potißimum mens illa virginea comparetur, ratio est: Carmelus quippe interpretatur scientia circumcisionis, & ne pia mater videatur forte minus intellexisse mysterium Circumcisionis, quod in illo veteri populo contra originale reatum diuinitus sancitum erat. ne, inquam, videatur minus nosse mysterium circumcisionis, eo quòd filium duxit circumcidendum, quem priuilegio sacræ Conceptionis, & Natiuitatis sciebat esse ab omni originali, & labe immunem, & liberum: idcirco illi à filio specialiter dicitur: Caput tuum, vt Carmelus: ac si apertè diceretur: Bene sciebas, ô pia Mater, cur populo Dei datum esset remedium circumcisionis, & tamen me, quem sine concupiscentia, ac per hoc non in peccatis singulariter concepisti, carnali circumcisioni, quasi ab originali labe purgandum, subdidisti: neque hoc insipienter faciebas, sed diuinæ inspirationi, per spiritū edocta, seruiebas: quippe oportuit mediatorem legis factum ex muliere, fieri quoque sub lege, & hoc dispensatoriè, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Hæc Guilielmus.

2. *expos.* Secunda expositio: sit bonum exemplum, quo Beata Virgo intuentes se, docebat, intelligentiam huius loci conuertit. Etenim sicut nulla humani corporis pars magis eminet, & patentior est omnibus, quam caput; ita in Beata Virgine nihil magis omnibus patebit, quā optimum eius exemplum: hoc ergo cōparat cælestis sponsus Carmelo, quod (vt nuper dicebam) interpretatur, *dans scientiam circumcisionis*, quia Deipara Virgo exemplo suo docebat omnia animæ nociua circūcidere: in illam enim aspicientes, & compositos eius mores obseruātes, facile nosse poterant, quid in vita, moribusque eos circumcidere oporteret, nimirū, ex eius humilitate superbiā, ex patiētia iram, ex charitate inuidiam, ex temperantia ingluuiem, ex regulatissima tandem eius viuendi ratione, efferatissimam propriæ vitæ consuetudinem sibi resecandam addiscere poterāt.

3. *expos.* Tertiam expositionē huic affinem tradit antiquiss. Ioannes Quadragesimus quartus Patriarcha Hierosolymit. ex Ordine Carmelitarum assumptus, in lib. de institutione Monachorum c. 3. vbi hæc præclara habet verba: *Sponsus in epithalamio Virgini dicit gratulabundus Caput tuum, vt Carmelus: vbi per caput intelligitur rectè animæ mens, quia sicut in corporis membris caput præeminet, ita in viribus animæ mens dignior est. Et sicut à capite membra, ita à mente cæteræ vires animæ regūtur. Carmelus verò, cognoscens circūcisionē interpretatur. Recte igitur sponsus huic Virgini cōgratulās, ait: Caput tuū, id est, mēs tua, ô Deigenitrix, est, vt Carmelus, id est, verè cognoscens circumcisionē, quia prima fœminarum per spontaneam voluntatem, & virginitatem, sciuisti à te prorsus circumcidere omnem venerean: voluptatem.* Quartam expositionē tradit Dionysius Carthusianus art. 24. super Cant. Per caput Virginis, sanctam eius voluntatem intelligit, quæ instar Carmeli montis in Deum semper amoris altitudine ferebatur, & bonorum operum fructibus abūdabat. Additque posse etiā accipi eius intentionem in rebus omnibus altissimam. Sed arbitror (& hæc sit quinta expositio) rectius per caput Mariæ, vtrāque animæ eius partē superiorē intelligi, quæ Carmelo monti comparatur, tū quia sublimitate, & pulchritudine reliquos omnes mōtes, hoc est, reliquos omnes Sanctos, longè superat; tum etiā quia abundat omnium florum, odorumque suauitate, id est, omnium virtutum, & gratiarum fragrantia; tum tandem, quia sicut Carmelus mons propter altitudinem & viriditatem contemplationi erat aptissimus: ob quam causam Elias eò cōtemplandi gratia, se recipere consueuerat, vt 3. Reg. legimus, cap. 18. ita nullus locus inter puras creaturas ad contemplandum aptior inueniri potest, quàm Virginis caput, hoc est, suprema eius animæ pars, in qua pænè innumera Dei dona, prærogatiuæ, ac cælestia charismata præfulgebant. In hunc ergo

Ioannes 44.

4. *expos. Dionys. Carthus.*

5. *expos.*

3. *Reg. 18.*

mon-

montem si quis per piam, ac frequentem contemplationem ascenderit, facilè profectò in summam diuinæ bonitatis, sapientiæ, potentiæque admirationem rapietur. Sextam iam adnecto expositionem, in lectione Hebræorum fundatam, qui non legunt, *Caput tuum, sicut Carmelus*, sed *Caput tuum super te, sicut Carmelus*: quibus verbis indicat diuinus Sponsus, caput Virginis dilectissimæ sponsæ suæ non fuisse super humeros depressum, sed eminens, quod multum facit ad pulchritudinem: qua metaphora significat Virginis charitatem, quæ caput est reliquarum virtutum, eminentem in ea fuisse, non humeris ipsis cohærentem, id est, operibus tantum respondentem; sed altitudine, & eminentia omnia omnino opera transcendisse, ita vt non contenta fuerit Virgo operibus, ad quæ lege tenebatur: hoc enim erat depressū super humeros habere caput, sed semper ad excellētiora superogationis opera aspirauerit, quod est eminens habere caput super humeros. Aptè etiam charitas Virginis monti Carmelo assimilatur, quia sicut ille vberrimus erat fontibus, ac riuulis amœnissimus, ita charitas Virginis vberrima fuit operibus, fontibusque & riuulis, qui in proximorum vtilitate deriuabantur amœnissima. Huic interpretationi non parum mihi fauere videtur Rabbi Abnesdra doctissimus inter Hebræos: nam licet affirmet, per Carmelum hoc loco non intelligi montem illum, in sacris litteris celebratissimum; asserit tamen, significare colorem coccineum, sicut & 2. Paralipomen. vbi pro eo, quod vulgata nostra vertit, *coccino*, Hebraicum originale legit *Carmel*. Quis autem non videat, per coccineum colorem, ardentem, ac flammigeram Virginis charitatem aptè satis significari, quæ cum sit princeps reliquarum virtutum, iuxta illud Pauli: *Maior autem horum est charitas*; rectè per caput Virginis denotatur, quod quantò eminētius est, & sublimius reliquis corporis membris, tantundem feruentissima Virginis reliquorū omniū Sanctorum charitatem transcendebat.

6. expos.

Rabbi Abnesdra.

2. Paral.

1. Cor. 13.

Exercuit Beata Virgo feruentem hāc suam charitatem erga sacram Carmelitarum religionem, immò primitias illius ei obtulit sub protectionis suæ pallio, illam suscipiens, & materna suæ pietatis viscera primitus illi aperiens. Etenim, vt in magna domo, præter patremfamilias, matrem etiam aliquam, esse necesse est, non solum ad gignendos liberos, sed ad eos deinde lactandos, & alendos: sic in hac sacra Carmelitanæ religionis domo, etsi primos parentes Eliam, & Eliseum haberet, oportebat tamen propriam ei esse matrem, quæ ad spiritualem hanc religiosæ prolis familiam nutriendam, & propagandam, continuis suis officijs, ac meritis cooperaretur, qualem descripsit Sapiens, dantem prædam domesticis suis, & cibaria ancillis, omnesq; ei famulantes duplicibus vestientem. Quomodo autem Beatissima Virgo sacram hanc Religionem præcipuo amore fuerit prosequuta, & ob quam rationem specialis patrona, & tutrix illius sit, & quo titulo fratres Carmelitæ, Virginis Mariæ, præ alijs, nomen assumpserint, nunc palam faciam ex Ioanne Patriarcha Hierosolymitano in libro de instit. monach. in veteri lege exortorum, & in noua perseuerantium, qui habetur 9. tom. Biblioth. SS. Patrum cap. 36. & sequentibus: vbi eam potissimam assignat primariā, scilicet quod ordo Carmelitarum in laudem, & honorem Virginis Mariæ fuerit institutus: nam Elias huius instituti Monarcha in Carmeli monte orationi incumbens, dum septima vice de mari nubecula conflenderet (vt 3. Regum 18. narrat historia) septima ætate Virginem nascituram, & filium Dei parituram prægnouit; & ex tunc in virginitate perpetua ad honorem

Prouer. 31.

Io. Patriarc. Hieroſol.

Biblioth. SS. Patrum.

3. Reg. 18.

norem eiusdem Virginis in Carmelo religionem fundauit. *Curauerunt*que (vt verbis prædicti Ioannis vtar) *ex tunc successores Eliæ, cũ deuotione assiduè huic Virgini deseruire, dudum eorum antecessoribus reuelatæ, ac desideratæ, & postea eis exhibitæ, studueruntque hanc specialiter Virginem ideo sibi ipsis in patronam eligere, quia nouerant, ipsam solam singulariter eis conformem in primitijs virginitatis spontaneæ: quemadmodum enim virginitas spontanea fuit, primo per priscos professores huius Religionis inchoata: ita eadem virginitas fuit postmodum per Dei Genitricẽ primo in fœminis introducta, & incepta. Propter dictã ergo cõformitatẽ se ipsos Fratres B. Mariæ Virginis appellarunt* Hæc ille.

Accedit secunda ratio, quam grauissimi Auctores tradunt: nempe quia Fratres Carmelitæ fuerunt primi, qui in Ecclesia Dei templum, siue sacellum in honorem Beatæ Mariæ Virginis erexerunt. Ita id in primis testatur Ioannes Patriarcha de instit. monach. capite 36. qui in loco illius præclaræ regionis, vbi Elias nubeculam ascendentem vidit, in qua sibi ortus Virginis fuit præostensus, asserit: *Monachos Carmelitas anno Incarnationis filij Dei 83. ædificasse Virgini cappellam quandam in monte Carmelo iuxta fontem Eliæ: vbi professores præfati seipsos huic Virgini cõmendantes, singulis diebus in septem horis Canonicis ad effundendũ dictæ Virgini, & eius filio sedulas preces, ac laudes, etiam tunc semper conueniebant, & propter hãc causam cæteri, etiam eorum, qui à Religione externi erant, eos deinceps Fratres B. Mariæ Virginis de monte Carmelo appellauerunt.* Hæc Ioannes Hierosolymitanus, cui authorum turba magna subscribit, & in primis fama, & doctrina celebris Vbaldensis de sacramentalibus tit. 9. contra Vuicleph, & in doctrinali fidei art. 3. vbi docet ex testimonio Ioannis præfato, & ex Armachano Eccl. Hibernię Præsule, Carmelitas ob hanc rationem, quia sacellum Virgini primi dicarunt, Fratres Virginis Mariæ fuisse appellatos. Armachanus etiam apud Vbaldensem in sermone de Concept. B. Virginis Mariæ, quem prædicauit anno Domini 1342. in conuentu Carmelitarum Auenione sic loquitur: *Quoniam, vt dicunt fide dignæ historiæ à tempore Eliæ, & Elisæi, qui sæpius morabantur in monte Carmelo, iuxta Nazareth ciuitatem Dominæ nostræ ad tria milliaria, solebant homines deuoti secretius habitare, vsque ad tempora Saluatoris. Et tunc illi Eremitæ, prædicantibus Apostolis, inter cæteros sunt conuersi, & in vno latere montis ipsius, primi Ecclesiam in honorem B. Virginis construxerunt, & ob hoc nimirum inter Religiosos Dominæ nostræ primitus sunt adscripti, vt vocarentur Fratres B. Mariæ de monte Carmelo.* Hæc Armachanus.

Ioan. Hierosolym.

Vbaldensis

Armachan.

Accedit etiam Ioannes Trithemius Abbas Sponhaymensis, scholæque Haydelbergensis quondam clarissimum lumen, qui in libro de laudibus Carmelitarum cap. 7. ita scripsit: *Sicut ex veterũ lectione didicimus, titulum B. Mariæ Virginis Carmelitis conuenire maximè scimus. Nam ij ab exordio suæ institutionis Dei Genitricem semper maximo honore, & reuerentia sunt prosecuti. Enimuerò nõ diu post Domini passionem Fratres montis Carmeli cappellam in eiusdem montis latere in Dei Genitricis honorem construxerunt, eamque in Ordinis sui Aduocatam, ac Patronam elegerũt, & Fratres eius deinceps appellati sunt. Sicut ergo à Carmelo Carmelitæ, ita à cappella, quam ædificauerunt vsque in hodiernum diem, Fratres Beatissimæ Dei Genitricis, & Virginis appellantur. Et digna quidẽ Carmelitis denominatio, vt qui Dei matrem speciali semper amore venerantur, etiam illo sint titulo clariores.* Et infra: *Nec dubium mihi est, quin Deiparens Maria hunc Ordinem speciali fauore prosequatur, quem & loco vicinum, & tempore primum sibi, & filio in obsequium exortũ recognoscit. Digni profectò sunt fratres Carmelitæ sacratissimæ Virginis titulo insigniri.* Hæc Ioannes Trithemius.

Trithem.

Ante omnes verò Authores prædictos, docuit id historia quæ Romana dicitur, in qua de templo à Carmelitis Virgini dicato, sic scriptum inuenies: *A tempore Eliæ, & Elisei Prophetarum, religiosi*

gioſi de numero eorum, qui morabantur in mõte Carmelo, iuxta ciuitatẽ Dominæ noſtræ Nazareth, ſecretius ſolebant inhabitare vſque ad tempora Saluatoris, qui tandem prædicantibus Apoſtolis, in fide confirmati, in vno latere ipſius montis, primo Eccleſiam in honorem Virginis Mariæ conſtruxerunt. Meminit autẽ huius oratorij in obſequium Virginis à Carmelitis primitus cõſtructi Ioſephus Antiochenus, Paleonydorus, Hieronymus Platus de Bono ſtatus Relig. libro 2. capite 22. vbi nomen ab eo fatetur Carmelitas accepiſſe, quia prima omnium B. Virgini in terrarum orbe dicata Eccleſia, ab eis fuerit erecta. Paulus Morigia Ordinis Ieſuatorum, qui in libro de Origine Religionum lib. 1. cap. 30. apertè fatetur, Carmelitas, glorioſum Virginis nomen, & patrocinium prę cęteris, & meruiſſe, & accepiſſe, quia primi ſcellum, ſiue Eccleſiam in Virginis Mariæ honorem in Carmeli monte fundauẽrunt. Ecce illuſtriſſimam hanc nomenclaturam Virginis de monte Carmelo nacti ſunt religioſi Carmelitani, quia verè illi primi fuerunt, qui Virgini Mariæ in primo Eccleſiæ ſæculo oratorium conſtituerunt: primi, qui eius obſequio, & amori inter cæteros religioſos addicti ſunt: primi, qui tantæ Virginis conuerſationem, & familiare colloquium meruere. Nam, vt piè Mantuanus ſentit, Maria non raro Carmeli incolas inuiſere ſolebat, eorumque colloquio, & familiaritate oblectari; quod ex eo, opinor, maximè credibile, quia cum Nazareth (vt Authores ſupra adducti affirmant) tribus milliaribus tantum diſtaret ab Eliæ fonte, ſiue Carmeli vertice; quid mirum, ſi Sanctiſſima Virgo Eremitas Carmeli, cuius ſanctitas, & religio totam Palæſtinam, & Alexandriam illuſtrauerat, non ſæpè adiret, eoſque ſuis colloquijs, & neceſſitudine foueret? maximè cum poſt paſſionem Chriſti eos ad fidem? & Euangelij prædicationem conuerſos videret. Nec ignoro, quoſdam, etiam hoc Eccleſiæ naſcentis tempore, alia Virgini Mariæ templa conſtructa referre: Inprimis enim Vincentius Beluacenſis libro octauo in Spec. hiſt. cap. 92. teſtatur, Marthæ Mariæ ſororis hortatu, poſtquam in Galliam ex Palæſtina mirabiliter, Lazaro, & Maximino comitata, peruenit, poſt nouam Euangelicæ doctrinæ lucem Maſſilienſibus demonſtratam; demum factum eſſe, vt duo templa, alterum Chriſto Domino, alterum verò eius Genitrici conſtructa fuerint. Nec me latet, memoriæ eſſe proditum, Apoſtolorum ſæculo, templum aliud, Virgini fuiſſe dicatum!, ſcribit enim Raphael Volaterranus libro vndecimo Geograph. Antaradi, quę & Antaradus dicitur, nunc autem Tortoſa appellatur, antiqua, & egregia Phœniciæ Vrbs, in littore maris ſita, vt ex B. Hieronymo in Ezechielem capite 27. & ex Gulielmo Tyro 7. belli ſacri capite decimoquinto colligitur, ſacellum ſtare, quod primus omnium Diuæ Genitrici Petrus Apoſtolorum Princeps excitauerit, & in quo primum ipſe quoque ſacrificarit; immò qui Hiſpaniam, & res geſtas illic à Iacobo Apoſtolo deſcribunt, conſtanter affirmant, Sanctiſſimam Virginem in ciuitate Cæſar-auguſta, eidem Apoſtolo apparuiſſe, & poſt apparitionem templum, vel ſacellum, quod nunc etiam eſt celeberrimum, eodem Apoſtolo auctore erectum fuiſſe. Hanc verò primam in toto orbe Chriſtianorum Eccleſiam, varijs modis, tabulis, & teſtimonijs, perpetua gentis Aragoniæ fama, ſimul & traditio clamant. Qua de re etiam poſt Beutherium, meminit Ioannes Baſſeus in Chronico rerum Hiſpanicarum. Vetuſtius autem à Carmelitis fuiſſe conſtructum templum Virgini ſacrum, grauiſſimorum virorum authoritas, quos ſupra retulimus luculenter confirmat, quicquid Vincentius, Volaterrannus, Beutherius, & Baſſeus ſcribant. Nam cum hiſtoriæ fides

Ioſephus Antiochen. Paleonyd. Hiero. Plat. *Paul. Morigia.* *Mantuanum Parthen.* *Vinc. Belu.* *Volaterr.* *D. Hieron. Guliel. Tyr.* *Beuther.* *Ioann. Baſſ.*

ex numero, & testium grauitate crescat, tot sunt pro hac sententia testimonia, simul cum antiquissima eiusdem Religionis traditione, vt ab authoritate paucorum, ac singularium testium minimè superari queant. Sed verius crediderim primum templum, viuente Beata Virgine, fuisse illud extructum à B. Iacobo; primum verò post mortem fuisse, quod in latere montis Carmeli fuit ædificatum, ex qua distinctione constat, relatos historiographos non pugnare secum.

Atque hinc est, quòd attendentes Summi Pontifices, honorificam hanc nomenclaturam Fratrum S. Mariæ de monte Carmelo esse propriam huius sacræ religionis, ab antiquissimis illis temporibus monachorum habitantium in Carmelo; illam Apostolicis suis Bullis confirmarunt, expressis verbis declarantes, hunc sacrum Ordinem, à B. Virgine Dei parente, editum fuisse. Etenim Sixtus Quartus in quodam diplomate, Carmelitis concesso, id sequentibus verbis testatur: *Dum attenta meditatione pensamus, quod Virgo venustissima, quæ florem speciosissimum Dominum nostrum Iesum Christum, ineffabili Sancti Spiritus cooperante virtute, genuit, produxitque sacrũ ordinem Beatæ Mariæ de monte Carmelo à Sede Apostolica pluribusque Romanis Pontificibus approbatum, quem eiusdem gloriosissimæ Dei genitricis, semperque Virginis Mariæ specialis titulo voluit insigniri, &c.* Sixtus 4. Eodem fermè modo loquuntur Pontifices, Sixti Quarti successores, & nouissimè Gregorius Decimustertius in Bulla, quæ incipit, *Vt laudes Gloriosissimæ*; eisdem ferè vtitur verbis, ac ipse Sixtus Quartus; immò omnibus fidelibus Ordinem Carmelitanum sub titulo Beatæ Mariæ Virginis nominantibus Innocentius Quartus decem dies indulgentiarum contulit. Vrbanus verò Quartus tres annos, & totidem quadragenas indulsit. Et quidem si magni principes in pignus amoris, & in argumentum sui fauoris, & gratiæ, eis, quos ex sacro baptismatis fonte excipiunt, tanquam proprijs filijs charissima suæ familiæ cognomina mutuant, quibus non parum illi splendoris nanciscuntur; sanè Beata Virgo non minora sui amoris pignora, huic sacræ Carmelitanæ religioni præstitisse censenda est, cum Mariani sui nominis celsissimam nomenclaturam ei conferre non dubitauerit, vt iam non aliter nominentur, quàm fratres sanctæ Mariæ de monte Carmelo: & quod excellentius est, non solum sui nominis, sed & suarum virtutum alumnos huius sacræ religionis, legitimos hæredes instituit, vt palam ostendant sanctorum, ac sanctarum millia, quæ ex hac sacra religione prodierunt: etenim præter antiquissimos eius parentes sanctissimum Eliam, & Eliseum necnon filium Sareptanæ viduæ, quem Elias mortuum ad vitam reuocauit, & Sanctum Abdiã certè in ea floruerũt omnes filij Rechab, omnes Esseni, ac deniq; omnes filij Prophetarum, quos omnes monachos in veteri testamento fuisse, affirmant sancti Patres, præcipuè S. Hieronymus in epistola ad Rusticum, quæ in ordine est quarta, & in epistola ad Paulinum, quæ est in ordine decimatertia & alij plures: tunc autem non erat alius monachatus, quam Carmelitanus: in nouo autem testamento præter S. Ioannem Baptistam, Eliæ spiritus hæredem, quem sancti Patres, passim appellant monasticæ disciplinæ Patrem, & Principem floruere insigni vitæ sanctitate præditi. Sanctus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, qui loco Cælestini Primi in Concil. Ephes. præfuit, vbi Deiparam non solum Christotochon, sed & Theotochon, hoc est, Matrem Dei appellandam esse, contra Nestorium hæreticum publicè defendit, B Patriarcha Hierosol. qui quadragesimus quartus post D. Iacobum annumeratur, & scripsit teste Genadio contra obtrectatores sui

Greg. 13.

Innoc IV.

S. Hieron.

S. Cyrillus.

Ioan. 44.

Genad.

sui studij librum, in quo ostendit, sibi Origenis ingenium placuisse, non tamen doctrinam eius sequutum, alium etiam de instituto primorum Monachorum, in veteri lege exortorum, & in noua perseuerantium scripsit ad Caprasium, qui habetur tom. 9 Bibliothecæ sanctorum Patrum editione secunda, eiusque meminere S. Cyrillus Græcus in epist. ad Abbatem Ioachim, Thomas Vbaldensis de sacramentalibus tit. 9. capite octogesimonono, Molanus, & Genebrardus, & alij innumeri scriptores, eoque libro passim usi sunt Theologi, præcipuè ad confutandas hæreses, & deliria Magdeburgensium, Melanctonitarum, & aliorum asserentium, monachatum rem esse nouam, aut nudiustertius ortam in Ecclesia post Christum, eiusque doctrinam, quos Vbaldensis, contra Vuicleph confundit præcitato titul. 9. capite octogesimonono manifestè probans, monachatum antiquissimam esse hæreditatem Ecclesiæ, adumbratam in Enos, qui speciali præ alijs cultu cœpit inuocare nomen Domini; expressam autem in Elia Carmelitarum Patriarcha, continuatam verò in filijs Prophetarum, Rechabitis, atque Essenis vsque ad Ioannem Baptistam, simillimum, ac singularissimum Eliæ successorem, & sequacem: ac deniq; Apostolorum tempore perfectam, & per Dionysium Pontificem, qui primus ex monachis assumptus est in Papam, per Antonium, Cyrillum, & Ioan. Hierosolymit. vsque ad quartũ sæculum protractam: quo argumento, & doctrina Vbaldensis, quem etiam ibidem citat in doctrinali fidei art. 1. cap. 1. vsus est Dominus Cardinalis Bellarminus lib. 2. de monachis c. 5. de origine religionum contra huius temporis hæreticos Magdeburgensium, Calainum, & Melanctonem, licet postea in libello de scriptoribus Ecclesiast. ad an 390. dubitet de hoc Ioann. lib. ad Caprasium, quo tamen ipse frequenter (vt dixi) vsus est. Equidem si dubitare licet, eneruatur, & infirmatur doctrina Vbaldensis dicto tit. 9. vbi illius præcipuè libri authoritate fulcitus, sui temporis hæreticos ita expugnauit, vt Martini V. Pont. Max. meruerit non solum sui operis cõfirmationẽ obtinere, sed & sũmis etiam laudibus ab eo extolli, vt cõstat ex bulla dicti Martini V. Vbaldensis operibus inserta: consequenter etiam rueret magna ex parte veritas antiquitatis monachatus, quam Theologi docent, permulta mutuantes ex doctrina Vbaldensis, qui copiosus in hoc genere argumenti scripsit, & auctoritate Ioannis Quadragesimi quarti frequenter vtitur: floruit etiam Sanctus Bertoldus primus generalis Latinorum, S. Brochardus, S. Cyrillus Græcus, S. Simon Stoch Anglus, cui sanctissima Virgo insigne sui ordinis scapulare dedit, S. Hylarion, S. Albertus de Trapano, à Sixto IV. canonizatus; floruit S. Henoch Patriarch. Hierosol. qui vitam sancti Angeli scripsit, S. Ioannes itidem Patriarh. Hierosolymit. qui fuit non solum professione, sed etiam sanguine frater sancti Angeli, S Franciscus de Senis, S. Theodoricus Germanus. S. Petrus Thomas Bononiæ Legatus, Episcopusque Pactensis, ac tandem Patriarcha Constantinop. qui fundauit Bononiæ facultatem Theologicam in Vniuersitate Bononiensi ex ordine summi Pontificis, cuius vices ibi gerebat, vt constat ex libris institutionis eiusdem facultatis floruit Beatus Andreas de Corsinis Episcopus Fesulanus, B. Auertanus Gallus, & B Romeus, quorum duorum corpora honorificè coluntur Lucę in Ecclesia cathedrali, Beatus Petrus Luppus Belga martyr insignis, trucidatus ab hæreticis in Belgicis tumultibus, B. Iacobinus de Crachouia, B. Stanislaus Polonus martyr, B. Ludouicus Rauida martyr Siculus. sed & his non contentus, alios non minus insignes sanctos nunc commemorabo, hi sunt

Sanctus

Biblioth. SS. Patrum. *S. Cyrillus.* *Vbalden.* *Molanus.* *Genebrar.* *Vbalden.* *Mart. V.* *Card. Bell.*

Sanctus Sthelesphorus, Sanctus Dionysius Papa V. qui fuerunt primi, qui ex monachis assumpti sunt ad Pontificatum, vt scribit Sanctus Damasus in vita Sancti Dionysij, & adducit Illustrissimus Cardinalis Bellarminus libro secundo de monachis capite quinto de origine religionum, vt probaret, ante annos quadringentos fuisse in Ecclesia monachos Eliæ successores, Sanctus Anastasius Persa martyr illius temporis, Sanctus Benedictus Papa, & martyr, de quibus omnibus, tanquam de palmitibus vineæ Carmeli, Apostolica auctoritate fit officium in ordine Carmelitarum, & appositi sunt in Calendario, & Breuiario sub nomine Carmelitarum. Nec refert, quòd Trithemius dicat, hunc Benedictum fuisse Abbatem, ordinis Sancti Benedicti: nam reuera ex ordine Carmelitarum fuit assumptus ad dignitatem Abbatis Benedictini: quod non semel euenit, præcipuè in Hispania, immo paucis retro annis accidit, quod Reuerendissimus Dominus Martinus Cuperus Mechlinensis ex priori Prouinciali inferioris Germaniæ Ordinis Carmelitarum, fuit assumptus, & creatus Abbas conuentus Sancti Crispini celeberrimi Benedictinorum monasterij, & ex Abbate Episcopus Calcedonensis electus est, vt autem euidens fiat hoc ita fuisse, id testatur epitaphium, quod erat in tecto basilicæ Sancti Petri, quod proprijs expensis restituit: sic enim habebat aureis litteris scriptum, è regione sui sepulchri: *Hic iacet Benedictus, quem Carmelus protulit, Cassinus aluit, Vaticanum coronauit.* Alludens ad trés montes Carmeli, Cassini, & Vaticani, in quibus ortum, progressum, & finem habuit, cuius epitaphij memoria ne temporum iniuria deperiret, illud ex dicta Basilica excerpsit Claudius de la Ville Gallus doctor celeberrimus, & in libro heroicorum epitaphiorum apposuit libro secundo epitaphiū octauum, vbi hoc modo explicat veritatem epitaphij: *Carmelus protulit, Cassinus aluit, quia pro victu, & vestitu, & necessarijs ex Abbatiali Cassinensium dignitate annuos ingressus accepit.* His accedunt S. Albertus Hierosolymorum Patriarcha, qui Carmelitis dedit regulam quādam, & Patriarcha creatus Hierosolymorum suo iure, à se iam pridem confectam, confirmauit: Beati martyres Franciscus, aliàs (deprauatè) Francus, & Blasius Episcopus Cremonensis, quorum corpora Cremonæ requiescunt: B. Ioannes Soret-Nortmanus totius Ordinis Generalis Prior, ac reformator, Brunius Albarus, Pererius Comes stabilis Portugalliæ semifrater, vt vocant, cuius corpus glorioſum Vlysipone requiescit in regio conuentu Carmelitarum, quem sibi ipse ædificare fecerat, & postea professione semifratris emissa, in eodem monasterio humilitatis munera exercens, viuus, & mortuus miraculis coruscauit innumeris. B. Ioannes Sancius Valentinus, Prouincialis Valentiæ, B. Angelus Cernonichius Principis Cernonichij filius, quorum corpora in augusto Valentinorum Carmelitarum monasterio in dies miraculis conspicuè requiescunt. Consultò, vltimo loco refero alium S. Angelum Hierosolymitanum insignem martyrem, qui dono prophetiæ futura solitus vaticinari stigmata Domini, Patriarchæ nostro D. Francisco imprimenda fore, præsente B. Dominico, prædixit Romæ in Ecclesia S. Ioann. Lateran. vt tradunt Petrus de Natal. in vita S. Angeli post librū duodecimū, de Sanctis nuper canoniz. c. 10. & Baptista Mant. in apolo. pro Carmelitis, & præcipuè Thomas Bellorioſus in vita Sancti Angeli, quā Enoch Patriar. Hierosol. Carmelita, coetaneus ipsius Angeli scripsit, & postea ipse Thom. Protonot. Apost. prælo mandauit in triginta capita distributā, vbi postquam c. 20. retulerat sanctum Angelum ex Hierusalem summo Pontifici Honorio III. & Federico de Clara-

Cardin. Bellarm.

Trithem. Abb.

Claudius.

Petr de Natalibus.

Bapt. Mant.

Tho. Bellor.

Claramonte ex parte Patriar. Hierosol. attulisse quasdam reliquias, tibiam, & brachium Ioannis Baptistæ, caput Hieremiæ Prophetæ, brachium sanctæ Catharinæ, tibiam sancti Georgij, & imaginem Beatæ Mariæ Virginis, sic ait capite vigesimoprimo. *Relictis Honorio, & Frederico* in ciuitate veteri, *Romam venimus, vbi loca Sanctorum omnia deuotè lustrantes, manè proximo, maxima cum cleri, tum populi multitudine coacta, in basilica Sancti Ioannis Lateranensis, sanctus Dei Angelus magno spiritus feruore prædicare cœpit: aderant ibi sancti Dei viri Franciscus, & Dominicus, quos cum nusquam antea vidisset, supernæ claritatis splendore mens illustrata, nouas, sed sublimissimas Ecclesiæ columnas adesse prædixit; sermone tandem finito, sanctus Dominicus spiritu eleuatus, dixit sancto Francisco, hic est Angelus Hierosolymitanus, Christi, & fidei Catholicæ defensor, & declamator ardentissimus, qui doctrina, & sanctitate vitæ incredibiliter Christianæ fidei profuit, cui sanctus Franciscus respondit: hic est ciuis cælestis, qui in Sicilia martyrio coronabitur, & ambo simul animo hilari ad sanctum Angelum veniunt, & eum incredibili humilitate salutant, ac mutuo pacis osculo prosequuntur: tunc Angelus, saluete, inquit, maximi Christianæ militiæ Doctores, Dominicæ impugnator hæresum strenuissime, & Franciscе Christi præcipue imitator, qui virtute humilitatis, vera portabis stigmata Christi priuilegio datum est tibi mortiferam hæreticorum rabiem compescere, Christianum nomen defendere, & Ecclesiam augere, & illustrare; & Franciscus subdit: tibi Angele, veritatis defensor, merito gestiendum est, breui namque in Silicia martyrio vitæ militiam terminabis, & triplici laurea coronatus diuinæ fruitionis, & sempiterni gaudij præmia suscipies. Ad hæc Angelus; vobis sanctissimi viri, vobis magis gaudendum est, quibus Christianam Rempublicam fœlicibus cœptis, meritis, & doctrinis amplificare concessum est: ijs, aliisque vltro, citroque inenarrabili charitatis ardore dictis, de multis, & magnis scripturarum, & fidei mysterijs humiliter inter se locuti sunt, & cum propè ad sanctam Sabinam peruenissent, homo quidam genere nobilis, sed leprosus obuiam eis veniens dixit: orate sanctissimi viri, vt Deus fœdo hoc morbo vestra intercessione me liberet, quē illi in pace abire iubent, & subito sanus effectus, dat gloriam, & honorem omnipotenti Deo; Angelus autem cum Dominico, & Francisco illum diem, & noctem diuinis sermonibus, & oratione transegit.* Hæc ibi. Huius colloquij meminere celeberrimi viri Franciscus Maurolicus in suo Martyrologio die 6. Maij, Petrus de Natalibus in vita Sancti Angeli Carmelitæ, necnon Baptista Mantuanus in Apologia pro Carmelitis in vita Sancti Angeli, qui in huius rei testimonium hæc præclara carmina cecinit. *Maurolic. Pet. de Nat. Bapt. Mant.*

Cum mare transisses, cupiens inuisere Romæ
Reliquias sacras, cineres, monumenta que Patrum,
Et Lateranensis stares in limine templi,
Contigit æternis res memoranda diebus.
Nam minor Etruscæ veniens de monte laborum
Ad tua Franciscus sese vestigia flexis,
Prostrauit genibus, sacris dedit oscula plantis,
Insuper adiecit, salue Pater Angele montis
Incola Carmeli, te mors manet inclyta Christi.
Testis eris, tibi Rex diuum decus annuet istud,
Te quoque Francisco memorant responsa dedisse
Talia, soluendo tanto pro munere grates
O Francisce Deo, sed erit tua gloria nusquam
Inferior tibi; Christus enim sua vulnera quinque
Imprimet, & fies Christi patientis imago.
Dominicus Hispanijs, qui tunc veniebat ab oris
Forte aderat, tam mira notans præsagia Patrum,
Et tulerat casus mundi hæc tria lumina in vnum, &c.

Quid plura? Dion. Carth. quem secuti sunt Bergomensis libro de illu. fœm. & Guilielmus Einseingr. affirmat B. Virg. monasterium instituisse 150. monalium eius curam ipsa habebat; constat autem *Dion. Cart. Guliel. Einseingr.*

nunc-n illum aliud viguisse institutum nisi Elianum. Ob hanc ergo etiam rationem meritò Carmelitani fratres S. Mariæ de monte Carmelo nuncupantur, cum iuxta istorum sententiam Deipara Virgo monasticum Eliæ institutum fuerit professa.

Tandem, vt vno verbo innumeros huius religionis commemorem, quotquot ab Elia in spelunc is, cauernis, mõtibus, & desertis AEgypti, & Thebaidæ, & aliarum regionum monasticam vitã professi sunt Eliani instituti fuerunt cultores, ac huius sacræ religionis filij. Vnde Trithemius de laudibus Carmelit. ait: *Tot Sancti sub Ordine Carmelitano fuerunt, vt penitus numerari nequeant: etenim si quis stellas Cæli dinumeret, & Sanctos huius Ordinis numerare poterit.* Ex monialibus autem huius Ordinis nonnullas insigni sanctitate præditas referam, in Sanctorum, ac Beatorum catalogum redactas: hæ fuerunt Sancta Eugenia virgo Alexandrina, sancta Eufrasia virgo, Imperatoris Theodosij consanguinea, sancta Cyrilla virgo, & martyr, sancta Pelagia, quæ cum aliquando licentiosè vixisset, religionem hanc ingrediẽs, singulari Deo motione, habitu fœmineo, in virilem mutato (rem sanè mirandam, sed non imitandam) inter monachos sanctissimam vitam egit, vt Iacobus diaconus in eius vita refert: sancta Sara virgo, cuius meminit Vincentius lib. 18. capite 9. nec non sancta Eufrosina virgo, vt idem tradit Vincentius lib. 13. cap. 51. sancta Romana virgo, B. Mariæ Prior issa illius monasterij, quod sacta Helena in monte Caluario fundauit, vt refert sanctus Ambrosius in orat. in laudem Theodosij: ibidem sancta Sincletes virgo, sancta Matrona virgo, vtex sancto Heronymo, & ex sancto Vincentio adducunt Paleonydorus Bactauus lib. 2. cap. 4. & Thomas de sessu lib. 1. antiquitatũ Ordinis Carmelitarum capite 14. in monasterio Bethleem, sancta Paula vidua, & Eustochium, eius filia; sancta Venerea, sancta Theodora, sancta Vsia, sancta Adela, sancta Bassanilla, sancta Thotina, sancta Assella, sancta Auita, quarum vitas, & admirabiles virtutes refert Palladius in historia sanctorum Patrum in vita Opiani; qui & refert, quòd etiam in ciuitate Ancira reperiebantur plusquam decem millia monalium professionis Eliæ, inter quas quædam nomine Magna, heroica virtutis opera exercuerat in ciuitate Antini His adnecto Beatam Tharasiam, cuius excellentem doctrinam, ac religiosæ vitæ institutionem, diuinitus inspiratam, sequutæ innumeræ Virgines magna sanctitate floruerunt, & hodie in Ecclesia, tanquam fulgentissima sydera præfulgent: ac tandem Beata Maria Magdalena Florentina, à qua tot miranda sunt patrata, vt omnes audientes stupescere faciat. Consulto missos facio sanctos, & sanctas ex Ordine Tertiario, vt Eudardum Regem Angliæ, sereniss imum Infantem D. Alphonsum de la Cerda, qui Carmelitas in Hispaniã induxit, sanctam Angelam filiam Regis Boemiæ, sanctam Angelam de Arena, de qua Siluester Maurolicus Abbas sanctæ Mariæ Rochamatoris Ordinis Cistercien sis in historia sacra, mare Oceanum omnium ordinum appellata, lib. 4. vbi agens de Carmelitis Tertiarijs ait: quòd cum prædicta Angela vellet Tertiaria fieri alterius Ordinis, in antecedenti nocte in somnis apparuit illi scala Cælos tangens summitate, & imo terram, iuxta quam erant duo sancti Ordinis Carmelitarum, qui dixerunt ei, si vis per hanc scalam ad Cælum ascendere, sume habitum Tertiariorum B. Mariæ Virginis de monte Carmeli: sumpsit illa, & cum maxima sanctitatis opinione obijt in Sicilia die 21. Octob. 1556.

Paladius.

Siluest. Abb.

Vincentius.

S. Ambr.

Paleonyd.

Ad extremum, vt iam dicendi vela contraham, ad te mons Carmele, qui cognomen Dei parenti dedisti, ac tot innu-

numerabiles Martyres, Confessores, ac Virgines peperisti, sermonem conuerto; ô mons Carmele monasticæ disciplinæ exordium, perfectionis Magisterium, ac omnis virtutis fulgentissimum speculum; ô mons Carmele, magni Patris Eliæ domicilium, vbi austeritatis, & pœnitentiæ, ac cælestium arcanorum contemplationi assiduè deditus, cœnobitico statui primordia dedit; ô celebris mons Carmele, in quo in nouissimo tempore Ioannis Baptistæ vox illa clamantis in deserto prodijt: *Pœnitentiam agite, appropinquauit Regnum Cælorum*, ex tunc enim armorum spiritualium fragor insonuit; ex tunc instrumenta bellica religiosæ militiæ ad victoriam de hostibus comparandam, perstrepere cœperunt, ex tunc fortes in bello facti sunt ad expugnandum, non terram promissionis, sed cælestem patriã, Christo Domino dicente: *A diebus Ioan. Baptistæ, Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* O mons Carmele, vel eo solum nomine singulari veneratione dignum, quòd sacello Deiparæ Virgini dicato, sacer factus sis, & Marianis fauoribus locupletatus; ô tandem sacra Carmelitana familia, quæ mihi videris alter mons Carmelus, celsitudine sanctitatis, & decore virtutùm ei persimilis: si in illo auri, & argenti spiritualia mineralia delitescebant, hæc in te non desiderantur, cum cælestibus diuinorum chrismatum diuitijs, Apostolicis priuilegijs, ac plenissimis indulgentijs affluas, quos Carmelitano habitu indati, vel basilicas eorum visitantes, vel certè fratres eius protegentes, aut fauore quouis iuuantes, quotidiè lucrantur: quòd si mons ille Carmelus arborum amœnitate, ac herbarum suaueolentia, degentium in eo animos oblectabat, sanè Carmelitarum ordo viridarium est amœnissimũ, ager fœcundissimus, cum tot sanctitate, & doctrina conspicuos viros, velut fructiferas arbores, ac tot fœminas mira virginitatis suaueolentia fragrantes germinarit: quare cum hi omnes Carmelitanæ religionis alumni, Deiparæ Virgini, speciali ratione, se deuouerint, ac eius obsequio, & famulatui perpetuò se sacrauerint, rectè in hanc sacram religionem conueniunt verba illa: *Gloria Lybani data est ei, decor Carmeli, & Saron*: cum reuera ipsa Virgo præcipuus sit Carmelitanæ familiæ splendor, honor, & pulchritudo. vnde meritò vobis intonare licebit illud, quod olim ad Iudith, Virginem adumbrantem dictum fuit: *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.* Licebit & dicere te, Mariam Matrem, & nutricem diuinitus datam, habere gloriamur: maternam tuam pietatem in filios exerce, ad te confugimus, auxilium tuum imploramus, vt sicut regia munificentia, singulari filiationis tuæ gratia, in terra nos exornasti, ita eiusdem filiationis hæreditate in Cælo gaudere facias, quàm nobis largiri dignetur, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 11.

Matth. 11.

Isai.

Iudith 15.

HOMILIA IV.

Opportuna digressio in celebratione beatificationis sanctæ Matris Tharasiæ Carmelitani Ordinis monialis, nouæ reformationis discalceatorum fundatricis.

CVm occasione tractationis de sacris arcanis sanctæ Mariæ de monte Carmelo, in laudes sacræ Carmelitanæ religionis opportunè inciderim, ac eodem tempore sanctæ Matris Tharasiæ de Iesu, eiusdem ordinis alumnæ, desideratissima beatificatio recens admodum sit, nec possum, nec debeo eius præconia omnino silẽtio præterire,

Duo ego non diffiteor, quæ in simili argumenti genere Diuus Hieronymus, de quibusdam virginibus sermonem faciens, ingenuè fassus est. Etenim in epistola ad Eustochium agens de Paula dixit, quod & de Beata Tharasia dicere mihi licet: *Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas, & omnes artus humana voce resonarent, nihil dignum de sanctæ, ac venerabilis Tharasiæ virtutibus dicerem: nobilis genere, sed multo nobilior sanctitate.* D. Hier. ep. ad Eustoch. tom. 1.

Verba etiam eiusdem sancti Hieronymi in epistola ad Demetriadem satis vtique præsenti argumento mihi congruere videntur. *Scripturus ad Demetriadem Virginem Christi, quæ & nobilitate, & diuitijs prima est in Vrbe Romana, si cuncta virtutibus eius congrua dixero, adulari putabor, si quædam subtraxero, ne incredibilia videantur, damnum laudibus eius meæ faciet verecundia. Quid igitur faciam? quod implere non possum, negare non audeo.* Idē Sanctus epistola ad Demetriad. Hæc ille. Non dissimiliter si magnalia huius inclytæ Virginis prædicauero, incredibilia proferre iudicabor: si autem hoc timore concussus, portenta illius reticuero, laudibus eius iniuriam irrogabo? *Quid igitur faciam?* (aiebat D. Hieronymus,) *quod implere non possum, negare non audeo*: D. Hieron. attentè ergo mecum perpendens, quænam verba ex sacris eloquijs ad præconia huius sacræ Virginis decantanda proderem, nulla mihi aptiora visa sunt, quam prophetica illa, quæ Deipara Virgo de se ipsa protulit: *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.* Luc. 1. Hoc vaticiniū multis retro annis impletum nouimus in Deipara Virgine, vniuerso orbe eam Beatam acclamante: hodierna verò die impletur pariter in dilectissima eius filia Tharasia, quam iure specialis suæ filiationis, Marianæ virginitatis, & maternitatis legitimam hęredem fuisse in hunc modum demonstro. Sanè sicut communis est sanctorum Patrum sententia in caput 1. Luc. virginitatem, & maternitatem esse illa magna, propter quæ ait Virgo ab omnibus generationibus beatā se esse prædicandam: vnde Diuus Thomas in catena ex mente Diui Augustini ait: *Virgo non per suam virtutem dicit se beatam prædicandam, sed causam assignat dicens: quia fecit mihi magna, qui potens est: quæ tibi magna fecit? credo, vt creatura ederes Creatorem, famula Dominum generares, vt per te Mundum Deus redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam reuocaret.* D. Thom. Hæc ille: ita similiter, ob hæc duo præcipuè omnium fidelium generationes sanctam Tharasiam perpetuò beatam prædicabunt, quòd Virgo simul & Mater sit, Virgo immaculata mente, & corpore, & multorum pariter Filiorum fæcundissima Mater in Christo, vt loquitur Diuus Paulus: vnde non immeritò in eam conueniunt verba illa Diui Bernardi, de Deipara Virgine loquentis: *Nec similem visa est, nec habere sequentem, gaudia Matris habens cum virginitatis pudore*: D. Paulus. D. Bernard. super miss. in quo sanè non solum Deiparam Virginem, sed & Beatissimam Trinitatem mihi Tharasia æmulari videtur: nam vt dixit Nazianzenus Carmine in laudem virginitatis: *Prima trias Virgo est* D. Nazian. quis autem ignorat, Deum per Isaiam dixisse: *Ego, qui alios parere facio, ipse sterilis ero, & non pariens?* Isaias 49. Ecce trias pariter Virgo, & Mater esse perhibetur, dum inuiolata, & incorrupta manens, multos filios spiritualiter quotidiè parturit: Beata ergo Tharasia, meliora semper charismata æmulata, vt monuit Diuus Paulus, non solum Virgo inuiolata, sed & fæcunda multorum mater in Christo extitit. Obseruaui non semel Adam, dum fuit in statu innocentiæ, minimè solicitum de procreandis filijs, nec de successore post se relinquendo: at diuinæ legis præuaricator factus, ac propterea corruptionis, & mortalitatis pœnæ obnoxius, vxorem cognouit, & iam propagationis solicitudo animum eius pulsabat, vt his verbis eleganter dixit Diuus Basilius de

vera

vera virginitate? *Adam in eos conspicias vitam mortisque sententiam post Paradisi amissionem: tunc iam vxorem cognouit suam, vt vitæ posteæ mortalitatem prolis successione solaretur.* Angelos autem nulla vnquam procreationis cura solicitauit, quia ingenerabiles, & incorruptibiles erant, at licet physicè multiplicati nequirent, moraliter tamen propagari posse non ignorabant per Virginum multiplicationem, quæ mortali carne indutæ, Angelicam puritatem imitantur, & ipsorum Angelorum ruinas instaurant. Vnde sanctus Basilius libro de vera virginitate agens, dixit: *Bonum est coniugium, per quod humanæ posteritatis inuenta est propagatio; sed melior virginitas, per quam Angelorum reperta est successio*: ad hoc ipsũ respiciens Diuus Hieronymus libro primo aduersus Iouinianum, versans illa Geneſis verba capitis noni. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, acutè, & sapienter dixit: *Consideranda est vis verbi, & replete terram, nuptiæ quippe terram replent, Virginitas Paradisum*: atque huc facit singularis, inaudita, ac ingeniosa expositio sancti Basilij in locum illum Ioannis: *Leuate oculos vestros, & videte regiones, quæ albæ sunt iam ad messem*: vbi per messes albas intelligit virgines, & continentes, quos tanquam selecta grana diuinæ messis, aptasse dicit ad vacuas Angelorum sedes implendas: & posteà inquit: *Virginitas vitam nostram de corruptione, ad sanctitatis gloriam colligit, & grana intra Cælorum horrea congregat.* Equidem beata Tharasia non solum per se ipsam, quæ integerrima semper extitit Virgo, sed quia pariter, & Mater fuit, innumerabiles Virgines spirituaſiter parturiens, intus, & exterius amictu albo induta, quas tanquam spicas, quæ albæ sunt ad messem, nunc in Ecclesiæ militantis, postmodum in triumphantis horrea incessanter inducit. Quare meritò in B. Tharasiam cõueniũt verba illa Sap. 7. *Fœlix sterilis, & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto habebit fructum in respectione animarum sanctarum* Tot sanctorum Monachorum, & monialium agmina, per totum orbem terrarum longè latèque diffusa quis nõ videat fructus esse huius Virginis, ac fœcundæ Matris? Obseruaui, quod Gen. 12. de Abraham ait facer Textus: *Egressus itaque Abraham, tulit Saraim vxorem suam, & animas, quas fecerat in Haram*; certè fide Catholica docemur: hominum animas non fieri ab hominibus sed à solo Deo creari, nihilo secius tamen Abraham dicitur animas fecisse, quia eas conuerterat ad Dominum: vnde Paraphrastes Chaldæus ad significãdum legit: *Abraham tulit animas, quas subiecerat legi*; cum ergo beata Tharasia, tot fidelium animas non solum diuinæ legis iugo, sed Euangelicæ perfectionis disciplinæ subdiderit, meritò illam, nõ solum Virginem, sed fœcundam pariter Matrem compellare fas erit: vt enim dixit Diuus Gregorius hom. 3. in Euãg. *Quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit, & Mater eius prædicando efficitur, si per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur.* Hæc Diuus Gregorius, quibus persimilia sunt illa Diui Hieronymi in Euangelia: *Isti sunt Mater ait Dominus, qui me quotidiè in credentium animis generent.* Verum audire mihi videor beatam Tharasiam dicentem illud Isaiæ capitis 49. *Quis genuit mihi istos? ego sterilis & non pariens?* Quasi dicat cum ego Virgo sim intacta, quis ex me genuit, tam ingentem filiorum Sobolem? cui interrogationi ego hac ratione occurrendum arbitror, cum Spiritus sanctus ad imitationem Dei parentis voluerit beatam Tharasiam Virginis, & Matris honore cohonestare; certè quemadmodum Mariam stupendo miraculo fœcundauit, vt filium Dei naturalem conciperet, & pareret iuxta illud: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*: ita idem Spiritus sanctus beatam Tharasiam alioquin integerrimam Virginem, Matris

D. Basil. Sapient. 7. D. Basil. D. Hieron. lib. 1. aduersus Iouin. D. Basil. Paraphrast. Chaldæus. D. Greg. D. Hieron. Isai. 49. Luc. 1.

tris fœcunditate donauit, vt innumeros filios Dei adoptiuos spiritualiter conciperet, & pareret. Ex qua singulari prærogatiua illam erao Carmelitanę religionis miram excellentiam super reliquos Ecclesiæ Catholicæ monasticos ordines, quod quemadmodùm in Christo Domino duplex præfulget generatio, vna æterna, alia temporalis; illa in sinu Patris, hæc in vtero Matris; illa conuenit ei, quatenus Deus, hæc quatenus homo; illa fuit à Patre sine Matre, hæc à Matre Virgine sine Patre; ita mirabili quadam proportione duplicem huius sacræ Carmelitanæ religionis intueor generationem, primam à Patre sine Matre, hoc est, à solo antiquissimo Patre Elia, secundam verò, quam propriè regenerationem vocitare licet, à Virgine Matre, absque humano Patre, à sola scilicet Beata Tharasia integerrima Virgine. Opinantur tamen quidam, quòd sicut in generatione temporali mundi, diuina sapientia prouidit, vt vir, & fœmina conuenirent ad procreationem generis humani; ad quem scopum respiciens Dominus dixit: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus adiutorium simile sibi*: & continuò creauit Euam, & sicut in regeneratione spirituali voluit Deus, vt vir, & fœmina simul concurrerent, Christus scilicet, & Maria, ille vt Redemptor, hæc vt ministra redẽptionis, ministrando ei sanguinem, quo solus ipse nos redemit; ita (inquam) quidam piè opinantur, quod in regeneratione cum venerit filius hominis in illa vltima renouatione Ecclesiæ, cum fiet vnum ouile, & vnus Pastor, non solum virum, sed & fœminam adhibebit, vt neutri regenerationi desit sexus vterque, Eliam, scilicet, vt testantur sacra eloquia in extremo illo tempore venturum, & Beatam Tharasiam tanquam Viraginem, ac fortissimam mulierem quæ ardentissimo Diuini honoris zelo instar ipsius Eliæ, exæstuans in eius consortio, Antichristi rabiem compescet, arma diripiet, potentiam confringet, ac illustrem de illo victoriam reportabit, vt meritò dici possit: *Vna mulier fecit cõfusionem in domo Nabuchodonosor.* Gen. 2. Iudith 14.

Porrò, quia video nonnullos malè deceptos, falsò existimantes, Beatam Tharasiam, nouam aliquam in Ecclesia Dei religionem induxisse, aut alicuius noui Ordinis fundatricem extitisse, compellor dicere Beatæ Tharasiæ eam mentem fuisse, vt eandem religionem Carmelitanam, quam profitebatur, ad pristinum rigorem primæui sui instituti reduceret. Olim sacri Pontifices illud mitigauerant in nonnullis indulgentes, quæ Beati Alberti asperrima regula præferebat. Beata autem Tharasia non veniens soluere legem, sed adimplere, cupiens ne iota, aut apicem vllum illius regulæ præteriri, renouationem, & reformationem quandam instituit, sicut & in ordine Sancti Augustini illam fecit Sanctus Guliel mus, & in ordine Sancti Patris nostri Francisci D. Bonauentura, & in monialibus Dominicanis Sancta Catharina de Senis. Vnde in Bulla Beatificationis eius, non vocant eam Paulus Quintus alicuius nouæ Religionis inuentricem, sed *nouæ reformationis Discalceatorum fundatricem.* Sanè Beata Tharasia filia fuit Ordinis Carmelitani calceati, ab eo fuit instituta, in eo diuinis fulgoribus illustrata, in eo cælestem spiritum concepit, ac charismatibus supernis diuinitus fuit præuenta, & à Spiritu Sancto edocta, vt intra ordinem Carmelitanum manens, asperiorem, & pauperiorem viam ingrederetur: atque huc facit, quod D. Chrysostomus homilia vndecima in Acta Apostolorum quærens, an charitas paupertatem, an verò paupertas charitatem pepererit, respondet hæc verba: *Videtur mihi, quòd charitas paupertatem*: ardentissima igitur charitas, quam Beata Tharasia concepit inter moniales calceatas ordinis Carmelitani, D. Gulielm. D. Bonau. S. Catharina Senensis. Bulla Beatificationis. D. Chrysost.

ni, peperit paupertatem discalceatorum, eiusdem Ordinis, ac planè Apostolicam illam viuendi rationem: quare hodierna die, antiquissima Carmelitarum religio meritò cum sponsa in Salomonis epitalamio sibi vsurpare potest verba illa: *Omnia poma vetera, & noua seruaui tibi, dilecte mi.* In veteri lege obtuli tibi Eliam, Eliseum, & filios Prophetarum: hæc sunt poma vetera: in lege gratiæ obtuli Cyrillos, Albertos, Angelos, hæc sunt etiam poma vetera: obtuli centum, & quadraginta millia Martyres, vt testantur Chronicæ Tholosanæ, id referente Iustiniano ordinis Prædicatorum, hæc etiam sunt poma vetera: tandem nunc in nouissimis temporibus offero tibi Tharasiam Apostolico calculo beatificatam, ac filios, & filias eius insigni sanctitate præditas: hæc sunt poma noua, quæ pariter cum veteribus seruaui tibi, dilecte mi. Filia igitur est legitima Beata Tharasia ordinis Carmelitani calcaeti; mater tamen discalceatorum, & reformationis eorum auctrix, & fundatrix, adeo vt in eam rectè conueniant verba Isaiæ quinquagesimooctauo. *Aedificabuntur in te deserta sæculorum fundamenta generationis, & generationes suscitabis.* rectè ait *suscitabis*, quia per mitigationem regulæ Sancti Alberti, quasi emortuus erat, non substantialis, sed accidentalis Eliani instituti rigor; Beata autem Tharasia, diuino spiritu afflata, Euangelicæ suæ reformationis mirabili virtute, illum in Ecclesia suscitauit: quo autem tempore id præstitit, quia circumstantiam esse reor singulari obseruatione dignam ad commendationem Beatæ Tharasiæ, liceat mihi in ea parumper immorari. Cum diuinus Sponsus probè agnoscat, Sponsam suam Ecclesiam Catholicam, nisi eius auxilio suffultam, ac mirabili virtute præmunitam, facilè à tot vndique illam infestantibus hostibus superandam fore, in eo, singularem adhibuit curam, vt quoties Sathanas per impiissimos homines Ecclesiam Catholicam oppugnat, toties viros scientia, ac sanctitate conspicuos prouideat, qui aduersariorum tela acerrimè infringentes, illam vtiliter tueantur. In primordijs legis gratiæ insurrexit Simon Magus, qui Spiritus Sancti gratiam instar mercium, venalem facere satagebat; sed restitit ei Petrus Apostolorum Princeps. Blasphemat Cherinthus, & Ebyon, Christi diuinitatem abnegantes, sed Ioannes Euangelista, vocem illam intonans: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, quasi vehementi fulmine grauiter eos sauciauit. Insultant Sabellius, & Paulus Samosathenus, tres diuinas personas inficiantes, ac inter se illas confundentes; sed confuderunt illos Dionysius Alexandrinus, & Gregorius Thaumaturgus. Insanijt Arrius, filium consubstantialem Patri negans, sed insaniam, ac petulantiam eius retuderunt Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyssenus, necnon trecenti decem & octo sapientissimi Præsules in Synodo Nicæna congregati. Macedonius, & Eunomius proclamant, Spiritum Sanctum esse creaturam, sed silentium eis imposuere Nectharius Constantinopolitanus, Menas Antiochenus, Cyrillus Hierosolymitanus, necnon Damasus Pontifex Roman. natione Hispanus; Iouinianus, & Eluidius sacrilego ausu Dei parentis virginitatē infectātur sed ab hæreticis eorum cauillis Hieronymus, & Illephonsus Mariam vindicarunt: Admanthus, Iulianus, Pelagius, & alij huius farinæ hæretici, diuinæ gratiæ necessitatem, & humanę voluntatis, libertatem grauiter læserunt; sed Augustinus, Prosper, Chrysostomus, & Hilarius Arelatensis, antiqui Pictauiensis æmulator, illos validissimè expugnarūt. Impius Nestorius dignitatē Matris Dei

Cant. 7.

Isai. 58.

Ioan. 1.

Dei Virgini adimere impensè conatus est; sed acriter sacrilegum illius dogma refutarunt Sanctus Epiphanius, S. Leo Papa, Sanctus Cyrillus, & innumeri alij Patres Conc. Ephes. & Calcedonensis: refricant impudici Albigenses hæresim aduersus immaculatam Dei Genitricis Virginitatem, & instar Hidræ multorum capitum nascitur Manichæus, sed coercent omnes illos Dominicus, & Franciscus, ac percelebres eorum filij, Angelicus Doctor Thomas de Aquino, & seraphicus Bonauentura. Desipiunt Ioannes Hus, & Hieronymus de Praga procaciſſimi hæretici, errores Berengarij aduersus Petri claues oblatrantis, ab Orco suscitantes, sed illos interimunt Sanctus Vincentius Ferrer. B. Thomas Vbaldensis, ac sapientissimus Ioannes Capreolus. Deinde labentibus annis, fæliciora tempora succesſere, hæresibus non inualescentibus, sed silentibus potius, ita vt hæretici obmutuisse viderentur. At, proh dolor, postmodum non valentes ora comprimere, audita illa Euangelica lectione: *Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum*: infremuit Lutherus, dicens: *Non sum ego, non sum ego.* Quod rei euentus satis vtique probauit, non esse dæmonem mutum, sed loquacissimum: etenim extunc cœpit auctoritati sedis Apostolicę detrahere, indulgentias vilipendere, obedientiam summo Pontifici negare, monasticam vitam execrari, aduersus religiosa vota sibilare, austeritatem vitæ nihili pendere, ieiunia, & carnis macerationē, iniuriosa copiosæ Christi satisfactioni proclamare, sacramenta irridere, ac libidini, & carnis voluptatibus habenas laxare. At diuino numine prouidente contra hoc portentosum monstrum, ac pestilentem eius doctrinam Ecclesiæ bonam partem inficientem, suscitauit Deus spiritum beatæ Tharasiæ Carmelitici ordinis calceati monialem, quæ instar Euangelicæ, ac Apostolicæ illius mulieris, quæ (insultantibus Pharisæis aduersus Christum, ac temere asserentibus: *In Beelzebub principe Dæmoniorum eijcit dæmonia*) vocem intonuit, qua Luteranorum audaciam retudit, & omnes eius hæreses expugnauit, non solum verbis, & doctrina, vt volumina, ab ea, diuino spiritu afflante, scripta, Euangelicis instructionibus referta, Lutheri diabolicis documentis è diametro oppositis perspicuè contestantur; sed, quod mirabilius est, & ad victoriam de hoste reportandum efficacius, & potentius, præclaris suis gestis, ac heroicis operibus, tam proprijs, quam filiorum suorum, acriter illum profligat; vt in animum sibi faciendum induxerat Beata Tharasia, prout in itinere profectionis ad moniales testatum reliquit: vnde si Lutherus de medio tollere conatus est vitam monasticam; Tharasia monasticæ vitæ reformationem in Ecclesia inducit: si Lutherus impudenter spernit ieunia, vigilias, & carnis macerationem; Tharasia, è contra abstinentiam à carnibus per totum vitæ curriculum præfigit; perpetuas orationis vigilias fratribus suis præscribit, asperrimis vestibus illos induit, nudis pedibus incedere decernit: si Lutherus Virginū monasteria euertit, Tharasia innumera virorum, & fœminarum erigit, quæ per totum Orbem terrarum diffusa, mirificè præfulgent, per Hispaniam primitus, per Italiam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Orientalem, & Occidentalem Indiam, Persiam, & alia permulta tā per Christianas, quàm barbaras regiones; si Lutherus imagines sacrilego ausu execratur, Tharasia sola imagine Crucis Christi manu apprehensa, velut euaginato ense, Principes tenebrarum, ac dæmonum legiones ad pugnam prouocabat, & ad eos acrius irritandos, muscas vocitabat: si Lutherus, aduersus Eucharistiæ vsum temerè blasphemat, Tharasia per viginti annos singulis diebus Corporis Christi pastu reficiebatur,

Luc. 11.

Luc. 11.

B. Tharasia

ciebatur,& (vt id obiter dicam) quia quidam huius sacræ Virginis confessores iudicarunt nimiam videri hanc frequẽtiam, ac propterea meritò temperandam Deus Optimus Maximus testimonijs duobus omni exceptione maioribus, frequentiam illam approbauit; nam quoties deinde Christi corpus sumebat eius facies miris fulgoribus in conspectu omnium coruscabat, & cum quadam die sumptioni Eucharistiæ iam proxima, ad locum communionis accessisset, diuino quodam extasi rapta, ita in sublime Spiritus Sanctus non solum mentem, sed & corpus sustulit, vt cum Sacerdos non potuisset ori eius Eucharistiam immittere, sacra illa hostia vltro ad os eius euolaret. Tandem si Lutherus aduersus cantantium choros obmurmurabat, Tharasa fratribus, & monialibus suis psalmodiæ in choro septies, iuxta septem horas Canonicas, & iuxta illud Dauid. *Septies in die laudem dixi tibi*, quotidie vacare iubet, quibus diuinis laudibus, velut bellicis tormentis, aduersarios suos malè torquent. Ad quod significandum, vbi Vulgata nostra legit Canticorum septimo. *Quid videtis in Sunamitide, nisi choros castrorum?* alij legunt: *Quid videtis in Sunamitide, nisi multitudinem præliantium?* Vnde ingeniosè Rupertus in Comment. illius loci ait: *Laudando chori præliantur, & præliando castra laudant.* Verum & Dauid hæc duo mihi copulasse videtur, cũ dixit Ps. 149. *Exaltationes Dei in gutture eorum*; ecce canentium laudes: *Et gladij ancipites in manibus eorum*: ecce arma tenentes, vt contra hostes acerrimè demicẽt. Neminem igitur iam tam mentis inopem fore opinor, qui clarè non videat illustrem victoriam, quam Beata Tharasia de impio hæresiarcha Luthero reportauerit, vt meritò fortissimæ Iudith verba sibi vsurpare possit: *erit enim hoc memoriale nominis tui Domine, cum manu fœminæ deiecerit eum.* Iudith 9. Hanc autem victoriam reportasse, tanto glorioſius iudico, quanto ipsi Luthero ignominiosius fuisse arbitror, quod à tenera fœmina fuerit oppressus, ac superatus. Sanè cum Abimelech, vir alioquin fortis, & bellicosus, grauiter percussus fuisset à fœmina, id adeò sibi turpe, ac ignominiosum iudicauit, vt proximus morti ab armigero suo enixè postularet, vt interficeret se, ne diceretur mulier ipsum interemisse: *Ecce vna mulier*, ait sacer Textus, *fragmen molæ desuper iaciens, illisit caput Abimelech, & confregit cerebrum eius: qui vocauit citò armigerum suum, & ait ad eum: Euagina gladium tuum, & percute me, ne fortè dicatur, quòd à fœmina interfectus sim.* Iudic. 9. Non euasit hoc ignominiæ genus impius Lutherus, cum à fœmina Tharasia turpiter fuerit prostratus, ac deiectus; Hanc victoriam per mulierem factam attentè mihi perpendenti, verba illa occurrerunt propter Debboram dicta: *Noua bella elegit Dominus*: etenim si præterita tempora inspiciamus, reperiemus duces virorum, viros fuisse; mulierem vero, virorum ducem, neminem nisi Beatam Tharasiam: quare non aptè minus dicemus hac tempestate, quàm in sæculo illo Debboræ: *Noua bella elegit Dominus.* Iudic. 4. Cùm olim Rex Iabin Chananeus per viginti annos vehementer oppressérat filios Israel, vt libro Iudicum capite quarto legimus, decreuerunt illi bellum ei indicere, & illum expugnare: quamuis autem inter eos esset Barach, rerum bellicarum peritissimus, Debboram tamẽ elegerunt in generalem exercitus ducem, continuoque illa, militaris regiminis munere fungens, vocauit Barach, & dixit: *Vade, & duc exercitum in mõtem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum, ego autem adducam ad te Sisaram, exercitus Iabin, & currus eius, & tradam eos in manu tua*: ipsa etiam cum exercitu comitata est illum: *Ascendit cum decem millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu suo*: dixerat enim ei Barach: *Si veneris mecum, vadam, si nolueris venire mecum, non pergam*: postea verò ipsa Debbora in- Ibidem.

 star

ſtar prudẽtis, ac expertiſſimi ducis, monuit eum diem, quo hoſtem aggredi debebat, & in illum irruere: *Hæc eſt*, ait, *dies, in qua tradidit Dominus Siſaram in manus tuas*: ſubiunxit tamen deinde: *In hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara*: Non diſſimiliter huius Carmelitici exercitus diſcalceatorum ducem, creauit Deus alterã Debboram, Beatam ſcilicet Tharaſiam; nam licet verum ſit, virum illum ſanctitate inſignem Fratrem Ioannem à Cruce Carmelitanum, certamen hoc incepiſſe, ac de dæmonis faucibus multos eduxiſſe, qui nouæ huic militiæ nomen dederunt, ſapienter tamen, cum id præſtare cœpit, Beatæ Tharaſiæ, eius duci, & magiſtræ dixit: *Si venis mecum, vadam, ſi nolueris venire, non pergam*: Tharaſia quidem inſtar Debboræ, gubernabat, & dirigebat, Ioannes velut Barach executioni mandabat; illa ad eum dixit: Vade, & duc exercitum in Thaborem montis Carmeli, vbi transfigurabetis, & in virum alterum mutaberis, reliquaq; eum docuit, quæ ad victoriam de hoſte reportandam idonea eſſe iudicauit. Vnde non Ioanni, ſed Tharaſiæ hæc victoria ſcribi debet, *In hac die victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara*: in manu Tharaſiæ tradetur Lutherus, qui tunc in animis Lutheranorum viuebat; ſicut autem tunc parta victoria Barach dixit: *Surge, ſurge Debbora, & loquere canticum*; (vel, vt alij legunt) *loquere inſpectionem, loquere ornatum, loquere principatum, loquere ordinem*. His enim omnibus ſignificationibus grauida eſſe perhibetur vox Hebrea, quam vulgatus Interpres vocat *Canticum*: Sic ſanè nobis, B. Tharaſiæ dicere nunc licet poſt glorioſam hanc partam victoriam: *Surge, ſurge, loquere canticum*, canticum ſcilicet illud nouum, quod Ioannes dixit, cantare non poſſe, niſi virgines; *loquere inſpectionem*, pande nobis reuelationum, & cœleſtium viſionum arcana; *loquere ornatum*, narra nobis diuina chariſmata, quibus ſponſus te mirificè exornauit; *loquere principatum*, manifeſta nobis ſpecialem illum fauorem, cum Rex Regum, dum mortalem vitam ageres, te velut Reginam pretioſiſſimo diademate manu ſua coronauit; *loquere ordinem*, aperi nobis excellentiam huius tui ordinis, in quo te ordinatrice, ita omnia benè ordinata ſunt, vt nihil in eã abſque ordine inſpicere liceat: quod non obſcurè indicat, Deum principalem eius fuiſſe inſtitutorem, quia, vt ait D. Paulus: *Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt*. Ad Roman. 13.

Porrò, vt clarè videamus, quam ad amuſſim Debbora B. Tharaſiam obumbrauit, in memoriam quæſo reuocemus vocem Hebræam, *Debbora*, idem ſignificare, quod Latinè *Apis*. Conſtat autem, apem ſimul virginem, & matrem eſſe, vt cecinit Virgilius libro quarto Geor. Virgil. & admittit Diuus Auguſtinus de bono coniugali capite ſecundo, dum ait: *Deus apibus prolem ſine concubitu dare potuit: ergo carnem Chriſti in vtero virgineo rectè formare potuit*. D. Auguſt. Et Diuus Ambroſius 4 Exameron, commendans apes ab integritate virginali, fatetur pariter fœcundiſſimas eſſe: *Geminos*, inquit, *creant fœtus, & duplici cæteris auibus fœcunditate præponderant*. D. Amb. Deinde quia apes ſymbolum ſunt cuiuſdam religioſæ communitatis, cum & clauſuram ſeruent, & vni tanquam reliquarum magiſtri, & ſuperiori ſubijciantur: vt enim dixit Diuus Baſilius homilia octaua ſui Exameri: *Apibus communis eſt habitatio, communis volatus, communis vtraque omnium actio, & quod maximè eſſe conſtat ſub præſide, duceque, omnes ſua officia attingunt, & aggrediuntur: cæteras omnes certare, & muniri, alias inuigilare, quærendo victualia, alias ſollicitam caſtris adhibere cuſtodiam, alias futuros explorare imbres, & ſpeculari curſus nubium, alias de floribus ſerta fingere, alias rorem infuſum floribus ore colligere; nullam tamen alienis inſidiari laboribus*. D. Baſil. Cùm igitur Beata Tharaſia virgo ſit pariter & mater, copioſum ſpiritualium filiorum examen procreãs,

& cum

& cum duplicem instituerit communitatem Monachorum, & Monialium, quæ tanquam apes argumentosæ singulæ, suis muneribus attendentes, Euangelicæ perfectionis fauum incessanter elaborant, congruè satis Beatam Tharasiam adumbrari constat per Debboram, *apem* significantem: sed & illud, quod fertur de Alexandro, non alienum puto ab hoc argumento: desiderauit ille vehementer oculis suis inspicere, qua ratione apes ex materia illa, quam ex varijs floribus decerpebant, fauos mellis elaborarent: quod vt obtineret, hac industria vsus est, vitreum apiarium confici præcepit, & in eo copiosum apum examen introduci, putans hac ratione prospecturum, apes mellificare: sed falsa cum fefellit opinio; nam antequam illæ opus suum inchoarent, primum omnium luto intrinsecus vitrum delinierunt, vt sic nulla ratione faui constructio extrinsecus videri posset. Sanè licet iam ferè omnes moniales ex salubri Concilij Tridentini decreto clausuram seruare cõstringantur, Beata autem Tharasia strictissimam omnium clausuram instituit, ita vt extrinsecus spirituales eius apes nulla ratione prospici possint: & si quando, quod rarissimè accidit, cum externis sermonem inire necesse sit, id non aliter fit, quàm breuissimè, & velo vultum operiente, vt nec videre, nec videri liceat: vnde etiam & Alexandri (nobiles inquam, & principes) impediuntur, ne sacras apes intra monasteriorum apiaria elaborantes, prospicere queant.

Ad hæc de Debbora ait sacer Textus quarto Iudicum: *Erat autem Debbora prophetissa vxor Lapidoth*, quæ duo mirificè præfigurant, & quasi ob oculos nobis ponunt præclara duo cœlestia dona, quibus Beata Tharasia mirum in modum præfulsit: pollicitus fuerat Deus olim, copiosè effusurum spiritum propheticum super Ecclesiam suam: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ.* Inter has filias princeps Prophetissarum fuit Deipara Virgo, deinde Elisabeth mater Ioannis Baptist. Anna vidua filia Samuelis, filiq quatuor Philippi Diaconi, postmodum verò, vt obseruat Diuus Thomas 2. 2. quæstione 174. non defecit spiritus hic propheticus in Ecclesia Christi, etiam in fœminis: etenim dono prophetiq floruerunt Beata Angela monialis Carmelita, filia Regis Bohemiæ, S. Brigitta anno 518. cuius mirabiles prophetiæ Apostolico calculo sunt probatæ, Sanctæ Gertrudis Ducis Brabantiæ filia anno 664. S. Hildegardis anno 1130. cuius reuelationes confirmatæ fuerunt ab Eugenio III. Sancta Catharina Senensis anno 1360. ac tandem hac nostra tempestate, ne spiritus antiquorum vatum in Ecclesiam Catholicam defeciſſe videretur, ita copiosè Deus prophetiæ spiritum, ac diuinarum reuelationum lumen, in beatam virginem, & matrem Tharasiam effudit, vt inter illustriores Ecclesiæ Dei vates, ac celebriores Prophetissas meritò connumerari debeat: cuius locupletissimi testes sunt eius scripta, quibus pænè infinitas prophetias, & reuelationes, ex obedientia suorum confessorum, testimonio proprio omni exceptione maiori consignauit. Vocat deinde Debboram sacer Textus *vxorem Lapidoth*: vox hæc Hebræa est, quæ interpretatur *fœmina fulgurum*, vel *lampadum*, quòd præclarè in Beatam Tharasiam, & absque vllo dubio conuenit.

Iudic. 4.

Ioel 4.

Antiqui Rabbini super 4. cap. Iudic. affirmãt, Debboram præeximia sua pietate erga diuinum cultum curam habuisse nutriendi oleo ardentes lampades, quæ erãt in templo: *Arte* (inquiunt) *lychnapæa ad sacrum lucernarum vsum lychnos conficiebat* Beatã Tharasiam nemo ignorat ob excellentem virtutis religionem, quæ in illa singulatiter emicuit, diuini cultus sollicitam semper curam gessisse, & præcipuè illius, qui ad augustissimum

Iudic. 4.

D. Thom.

Eucharistiæ sacramentum pertinebat: illa Ecclesiæ munditiam præcipiebat, altaria quoad poterat, ornabat, lampades perpetuò ardere volebat, nō immemor illius: *Ignis in altari meo semper ardebit*, oleo diligenter illas nutriebat, vt nō abs re, prudēter existimare liceat, in præmium illius sedulæ diligentiæ in nutriendis oleo lampadibus, ad Dei cultum destinatis, diuinum sponsum, non solum oleo l[illegible]mam præ multis alijs partic[illegible]vuxisse, sed & miraculoso oleo, ex corpore eius perpetuò emanante, illam illustrare voluisse: secura sanè erit, non passuram à sponso repulsam, propterea quod veniente illo deficiat oleum in vase suo: tanta enim olei copia delibuta est, vt non solum anima, sed & corpus in olei fontem eruperit, & perpetuò, ac incessanter erumpat. *Leuit. 6.*

Cæterum cum à principio pollicitus fuero Mariana illa verba: *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius*, sacræ virgini Tharasiæ adaptare: restat explicare, quomodo sanctum nomen eius magnificet eam: sanè id, quod de emanatione olei nuper dicebam, nō obscurè id indicat; nam si Sponsa dixit: *Oleum effusum nomen tuum*; non video vbi copiosius hoc nostro sæculo illud effuderit, quam in Beatam Tharasiam, cùm ex abundantia spiritualis olei, quo spiritus sanctus illam inunxit, in corpus eius miraculosè redundarit. Referunt Historiographi, quod cum Alexander Magnus proximus esset ad bellum ineundum contra hostes, repente iuxta eius tentorium, fons olei ex terra foras erupit; consultis autem auguribus, primus illorum, nomine Aristander, respondit: *Oleum laborem indicat, sed & victoriam repromittit: nam oleo athletæ vnguntur, & olea victores coronantur*: certè perennis fons olei ex sacrosancto virginis corpore Tharasiæ erumpentis, vnum indicat, & aliud portendit, indicat ingentem laborem, quem luctādo aduersus hostes pertulit: portēdit verò lauream non solum præsentis Apost. beatificationis, sed & cœlestis beatitudinis, qua in choro Virginum à sponso, nunc, & postea resurgens gloriosè coronabitur. *Luc. 1.* *Cant. 1.*

Ad hæc legimus olim Deum, tanquā singularem fauorem ex celebri suo nomine Tetragrammaton, seu Iehouah, Abrahæ vnam literam, Saræ alterā dono dedisse: ille enim cum antea Abram, illa vero Sara nuncuparentur, postmodum Abraham, & Sarai vocati sunt: at Beatæ Tharasiæ, tanquam sponsæ suæ dilectissimæ, non vnam, vel alteram sui nominis litterā, sed totum ac integrum nomen suum IESVS ei donauit, vt iam non Tharasia solum, sed Tharasia de Iesu cognominaretur, & esset: quod si nomen etiam ipsum Tharasiæ speculemur non pauca à nomine Iesu mutuasse reperiemus; nam si nomen Iesu propter prodigia, & miracula, quæ in nomine eius patrantur, à Dauide mirabile appellatur: *mirabile nomen eius*: sanè Tharasia Græco idiomate idem est, quod Latino *miraculosa*, seu *prodigiosa*, quod nomē satis vtique conuenit ipsi rei: nam cuius mirabilis sanctitas, & immaculata vita gratiæ miraculum, ac prodigium fuisse toti Ecclesiæ constat, certè Tharasię nomen, quod *miraculosa* interpretatur, iure suo sibi vindicabat. Quid, quod & idē nomen Tharasia, vt multis placet, idem significat, quod Latinè *ter ipsa*? vt sicut olim vetusta illa ethnicorum sæcula suum Mercurium, vt excellentiam magisterij eius commendarent, Trismegistum illum vocitabant, ita & fœlicior nostra ætas nacta sit hanc sacram virginem, quam propter insignem eius sapientiam, ac Apostolicum illius magisterium Tharasiam nominat, hoc est, ter ipsam, seu Ecclesiæ Trismegistam. *Genes. 7.*

Ad extremum, vt iam finem dicendi faciā, ad vos omnes Carmeliticæ disciplinæ professores orationem conuerto, cum Isaia proclamans: *Attendite ad petram,* *Isai. 51.*

tram, vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis: attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos. Attendite quæso ad Eliam vestri Ordinis patrem, ac primum institutorem: attendite ad matrem vestram B. Tharasiam eiusdem reformatricẽ: quod si vos deterret rigor, ac aspera viuendi ratio Eliæ, inuitet vos, & alliciat viuum matris vestræ Tharasiæ exemplum, quę alioquin tenerrima virgo, ac varijs infirmitatibus vexata, non sibi indulgebat, sed Eliani rigoris æmulatrix vera, ad culmen perfectionis totis viribus anhelabat. Audite illam vobis dicentem illud Hierony. 2. *Induxi vos in terram Carmeli, vt comederetis fructus eius.* Sanè fructus huius sacri Carmeli, virtutes sunt, dona Spiritus sancti, ac diuina charismata: ad hæc delibanda Carmelum ascendistis; quæ cum in B. vestra matre Tharasia, tanquam in viuo exemplari, ac limpidissimo speculo, mirificè præfulgeant: nemini licebit excusationem illam præferre, quam D. Hier. adducit epistol. 20 ad Tharasiam, dum ait: *Ex eo siquidem lex videtur obscura, quoniam rarò, in quo conspiciatur exstitit.* Sanè B. Tharasia adeò perspicuè religiosæ vitæ normam, ac animatum Apostolicæ perfectionis speculum se exhibuit, vt in illa virtutes omnes in heroico gradu clarè conspicere liceret: in eam ergo mentis lumina conuertite, vt eam imitemini, & vt ab ea discatis quid corrigere, quid effugere, quid prosequi, quid ad Christo placendum tenere debeatis, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Hierem. 2.

D. Hieron.

* * *

DE SACRIS ARCANIS CVLTVS ET DEVOTIONIS ERGA DEIPARAM VIRGINEM AC D. IOSEPHVM EIVS SPONSVM.

LIBER DECIMVSOCTAVVS.

HOMILIA I.

EXHORTATIO AD DEVOTIONEM, VIRginis, adductis præcipuis rationibus ad eam stimulantibus, partim à mira eius sanctitatis excellentia, partim ab vtilitate, quæ in nos redundat, petitis.

D. Auguſt.

LICEAT antequã hoc genus argumenti exordiar, verba D. Augustini in opusc. de Assumptione Virginis mihi vsurpare: *Te Deus omnipotens pater, voto supplici exoro, vt qui mandas nubibus, & pluunt imbres, qui tangis montes, & fumigant, qui aperis terram, & germinat, quid dicam tubes, quid profetam præbes? ad quid sermonem dirigam, aperi:* Cuperem enim cælitus ardentes prunas in me dimitti, quibus fidelium animos ad Virginis deuotionem sectandã, inextinguibili ardore accenderem, & inflammarem: puto tamen hoc pio desiderio me alioquin Mariani honoris tepidum zelatorem omninò frustrandam non fore, cùm ex antiquorum Patrum doctrina ea in medium proferre duxerim, quæ diuina irrorante gratia, saxea etiam corda ad amorem, & deuotionem tantæ matris facile emollire possint, & quidem quàm sollicitos se exhibuerint Sancti Patres in suadenda cordiali

dali erga Virginem deuotione, pænè innumera eorum elogia conteſtantur. Ego ex his pauca quædam nunc ſeligam, vt ad alia me conuertam. Diuus Ioannes Damaſcenus oratione prima de dormitione Virginis, loquens cum ea, honoris, qui conſeruis habetur, beneuolentiam erga communem Dominam declarat: *Quo tamen modo ſtudium te honorandi, quæ Dominum peperiſti, negligendum erit? An non illud, vel non neceſſariò ſpiritui præferemus? hac enim ratione noſtram erga Dominam beneuolentiam luculentius oſtendemus.* Hæc ille. Diuus Bonauentura in epiſtola, quæ inſcribitur vigintiquinque memorialium, vbi quædam ad piè viuendum monita tradit, in 13. memoriali hæc habet: *Vt glorioſam Reginam Domini noſtri matrem benedictam, in ſummo habeas omni tempore venerationis affectu, & in cunctis ad eam neceſſitatibus, periculis, & preſſuris, tanquam ad refugium tutiſſimum te conuertas, ipſius tutelæ præſidium flagitando, eamque in tuam ſuſcipiens aduocatam, deuotiſſimè, ac ſecurè tuam ei cauſſam committas, quia Mater eſt miſericordiæ, quotidie ſtudens ei ſpecialem, & ſingularem reuerentiam exhibere.* Ac tandem Gregorius VII. Pontifex ſanctiſſimus, cuius memoriam in Martyrologio die 25. Maij, inter pleraque alia documenta, quæ tradidit Mathildi filiæ Beatricis Tuſciæ Ducisſæ, fœminæ integerrimę, & de Romana Eccleſia optimè meritæ, Deiparæ Virginis deuotionem his verbis commendauit: *De Matre verò Domni, cui te principaliter commiſi, & committo, & nunquam committere, quouſque illam videamus, vt cupimus, omittam: quid tibi dicam? quam cælum, & terram laudare, licet vt meretur nequeant, non ceſſant. Hoc tamen proculdubio teneas, quia quantò altior, & melior, & ſanctior eſt omni matre, tantò clementior, & dulcior circa conuerſos peccatores, & peccatrices. Pone itaque finem in voluntate peccandi, & proſtrata coram illa, ex corde contrito, & humiliato lachrymas effunde: inuenies illam indubitanter, promittо promptiorem carnali matre, ac mitiorem in tui dilectione.* Hæc Gregorius VII.

D. Damaſ.

D. Bonauen.

Gregor. VII.

Cæterùm iam varias rationes proponamus, quæ ad hanc Virginis deuotionem excitant, has ad duo præſertim capita reuocari arbitror, nimirum ad inſignem Virginis excellentiam, ſublimiaque eius merita, & ad noſtram ſpiritualem, & temporalem vtilitatem. Certè Virginis ſanctitas ac matris Dei celſiſſima dignitas præexcellens adeò eſſe perhibetur, vt hoc ſolo nomine etiam ſi pænè innumerabilia, quę non deſiderantur deficerent, iure ſuo ſibi vendicat ab omnibus creaturis ſeruiri, coli, ac ardenter amari. Hoc vt altius repetam à primordijs creationis Virginis illam petendam ſum arbitratus cum D. Bernardi his verbis eleganter eam deſcribentis in ſermone de S. Maria, cuius initium eſt Aue: *Arca teſtamenti typum tenet Sanctæ Dei Genitricis: illam fecit Bezeleel, iſtam condidit Emmanuel; Bezeleel, Ooliab in opere ſocium habuit, & Virgo quoque Virginum condita, præelecta, præſeruata, præparata, & ornata per Spiritum ſanctum, & eius omnipotentem filium fuit: Bezeleel interpretatur vmbra Dei, Ooliab protectio mea; prior ille Spiritus ſancti, iſte verò typum tenet filij; de illo dicitur ad Mariam: Virtus altiſſimi obumbrauit tibi; & ad Ioſeph, quod in ea natum eſt de Spiritu ſancto, filius verò ad patrem clamat: protege me, à facie impiorum, qui me afflixerunt. Item, de ventre matris meæ tu es protector meus. Bezeleel ergo cum ſocio arcam teſtamenti fabricauit. Sancta quoque Trinitas Virginem ſibi ſanctificauit, hoſpitiumque mundiſſimum ſibi præparauit. Neque enim pater abeſſe potuit, vbi eius ſpiritum, & filium cooperari voluit: quæcunque enim Pater facit, hæc eadem ſimiliter & filius facit: nec enim filius poteſt à ſe facere quidquam, niſi quod viderit patrem facientem. De Spiritu quoque legitur: Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Pater ergo in conſecratione Virginis exhibuit claritatem, Filius humilitatē, Spiritus S. charitatem. Pater lumen exhibuit rationis, Filius*

D. Bernard.

Ioan. 5.

Pſal. 33.

cinerem humilitatis, Spiritus sanctus oleum dilectionis. Pater exhibuit potentiam, Filius sapientiam, Spiritus sanctus omnium virtutum gratiam. Pater auctoritatem contra peccatum, Filius humilitatem contra mundum, Spiritus sanctus charitatem erga Deum, & proximum. Filius carnis mortificationem, Spiritus sanctus compunctionem, Pater cælestium contemplationem. Filius docuit eam diuina operari, Spiritus sanctus amare, & amari, Pater cælestia contemplari. Filius eam erudit, Spiritus sanctus eam prouehit, Pater eam perficit. Filius eam purificat, Spiritus sanctus eam pacificat, Pater eam honorificat. hæc dicens opera, vel dona Trinitatis non diuido, sed fideliter inseparabilia asſero: sicut enim in essentia vnitas, ita in operatione identitas. Hactenus S. Bernardus.

Sed quod ipse prætermisit de arca testamenti, quæ ex lignis erat Sethim, vt
Exod. 35. legimus Exod. capit. 35. imputribilibus minimè silentio prætermittam, vtpotè ad excellentiam, ac eximiam Virginis puritatem exprimendam mirum in modum conducens: id enim vmbra fuit gratiæ præseruationis maculæ originalis, quam spiritualem animæ putredinē esse, nemo Catholicus negat, cum iuxta
Conc. Trid. decretum Sacrosancti Concilij Tridentini sit verè, & propriè peccatum, & mors animæ eandem etiam præseruationem ab hac putredine delineatam intueor in arbore illa, ostensa Nabuchodonosori Regi Danielis c. 4. vbi hęc verba lego: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, & excutite folia eius, veruntamen germen radicum eius in terra finite.*

Porrò arbor illa, visa Regi in somno procerrima, & amplissima, pulcherrimis frondibus, floribus, & fructibus ornata, secundùm mysticum sensum, ad umbrauit miram status primi hominis, ante peccatum felicitatem. Eadem mox bonis suis omnibus, atque ornamentis expoliata, & excisa, seruata tamen radice, vnde rursus crescere, florescere, ac fructificari posset; significauit eiusdem primi hominis miserrimum statum, postquam lapsus esset in peccatum, quo omnis eius posteritas vitiata, & perdita est: fuit tamen radix, & germen eius seruatum: intelligo autem per radicem B. Virginem Mariam, peccato Adami nullatenus infectam: sic enim eam appellauit Isaias cap. 11. *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Per germen autem radicis Christum Dominum interpretor, qui non solum omnis peccati expers fuit, sed & arborem humanæ naturæ, vitio Adami destructam, & corruptam, non tantum in priorem, qua condita fuerat, dignitatem, sed multò etiam ampliorem, ac florentiorem reparauit, vt vbi abundauit delictum, superabundaret gratia. Verùm & multò ante præfiguratam intueor Virginis præseruationem à peccato originali: nā vt legimus Genes. cap. 2. serpens Virgi- *Isai. 11.* *Genes. 2.*
nis calcaneo insidias moliturus, diuino oraculo prædicitur, sed venenatum dentem huic calcaneo figere non potuit, quin potius caput ei conterendum prænunciauit: eundem calcaneo iuxta Philosophos nemo ignorat, partem esse illam pedis, quam inter gradiendum, naturæ ductu, primum in terra sistimus, cùm sit velut basis, cui ad perpendiculum totum corporis pondus innititur: vnde aptè Virginis Conceptionem prę figurat, cùm per illam primum in orbem terrarum gressum fecerit, seu primum in eo pedem posuerit, quem serpens antiquus, sicut & reliquos filios Adæ, peccati originalis morsu lædere nitebatur, sed mordere nunquam potuit, siquidem calceamentis diuinę gratiæ ita egregiè præmunita erat, vt diuinus Sponsus, quæ calceamenta ei contulerat, quasi admirans, dixerit: *Quā pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis?* quę verba de Virgine exponit Ambrosius de institutione Virg. capit 14. *Cant. 7.* *D. Ambr.*
Hæc autem Deiparæ calceamenta cœlestia fuere; nam Apocal 12. mulier illa amicta sole, quæ illam significabat, sub pedibus habuisse dicitur lunam, quę calceamen- *Apoc. 12.*

ceamentorum vicem subibat, ac proinde calceamenta hæc excelsiora fuere, quàm vt in ea venenatis dentibus serpens posset assurgere: quippè qui in sua
Genes.3. maledictione, Genes. cap. 3. accepit, vt super pectus suum graderetur, humi reptans, & terram comederet cunctis diebus vitæ suæ, id est, homines terrenis rebus inhiantes. Et sicut in benedictione Aser Deuter ca. 33. dicitur: *Ferrum,*
Deuter.33. *& æs calceamentum eius*: & Ezechiel. cap.
Ezech.16. 16. ad Ierusalem: *Calceauit te in hyanthino*, seu, vt alij vertunt, *hyacintho*, quod eundem sensum reddit: ita calceamenta Virginis non minus fortia calceamentis Aser fuere ad noxium serpentis caput conterendum, nec minus decora, & speciosa calceamentis illis Ierusalem Ianthinis, seu hyacinthinis, coloris cœlestis incorruptibilitatem significantis.
1.Mach.4. Deinde 1. Machabær. capit. 4. legimus, Iudam Machabæum cum alijs, altari holocaustorum, quia contaminatum fuerat à Gentibus, ne fortè esset illis in opprobrium, vti noluisse, sed acceperunt lapides integros, & ædificauerunt altare nouum, secundum illud, quod fuit prius; quanto magis Dei filius noluit in matrem accipere eam, quæ per peccatum fuisset contãminata, ne in eius opprobrium cederet, nam, sicut ad-
3.Thom. notauit Sanctus Thomas tertia parte, quæstione 27. articulo 4. gloria filiorum patres eorum, Prouerbiorum capit.
Prouer.17. 17. etiam per oppositum ignominia matris ad filium redundasset, & ideò negat ipse Virginem peccasse venialiter; eadem prorsus ratione, imò fortiori infero, neque contraxisse originale, quod deterius est, sed omni nouitate gratiæ, nouam sine vlla vetustate veteris Adæ Christo filio fuisse præparatam, tanquam altare sanctissimum, & animatum: sic enim eam vocat Methodius in Hypopantem. Deinde si moris est, vt quando aliqua Ecclesia maximè Cathedralis, aut Metropolitana ædificeanda venit, vt Episcopus Pontificialibus vestibus indutus, Clero, & populo fidelium deuotè procedentibus, primum fundamenti lapidem proprijs manibus apponat, & cum eo pretiosissima aurea numismata in signum perpetuæ stabilitatis, & æternæ memoriæ; similis in hoc facto viro sapienti, vt dixit Christus Dominus, Matth. cap. 7. *Qui ædifi-* Matth.7.
cauit domum suam supra petram, vt, licet descendat pluuia, & veniant flumina, & venti irruant in domum illam, nunquã tamen decidat. Nunquid statuens sapiẽtissimus architectus, & omnipotens Deus, templum matris suæ, in qua, velut in matrice domo habitaturus erat, & de qua in eius figura dictum est 3. Reg. 3.Reg.10.
cap. 10. *Non est factum tale opus in vniuersis regnis*, fundaturus erat illam super arenam? fundaturus erat super stercus originalis maculæ? fundaturus erat super immundissimas peccati fæces? absit longè à nobis hæc cogitatio, sed piè credamus, quod, sicut olim 3. Reg. capit. 5. 3.Reg.5
Præcepit Rex, vt tollerent lapides pretiosos in fundamenta templi; ita in Conceptione Beatissimæ Virginis, quæ ædificatio fuit Mariani templi pretiosissimi, diuinorum charismatum lapides à summo, ac peritissimo architecto iacti fuere.

Ad quæ omnia ista hac singulari ratione confirmo, quia Dei para habuit perfectissimam virginitatem non solùm corporis, sed & animæ. perfectissima autem menits virginitas creaturæ rationalis in eo certè posita est, nemine renuente, vt per peccatum, quod spiritualis quædam fornicatio est, nunquã violata fuerit. Cùm ergo Beata Virgo corpore, & mente perfectissima Virgo fuerit, consequens est, non fuisse nec per momentum, per peccatum originale violatum, atque corruptum: etenim quantumcunque per gratiam subsequẽtem momentum conceptionis spiritualis illa violatio, & corruptio peccati originalis penitus deleretur; perfectio tamen perfectissimæ virginitatis, prout

importat immunitatem, ab omni violatione peccati minimè repararetur, sicut quantumcunq; Diua Maria AEgyptiaca fuerit mundata ab omni labe peccati, & in resurrectione habitura sit corpus integerrimum; semper tamen verificabitur, violatam fuisse, nec id vlla ratione reparari poterit, (cùm ad præteritum (vt loquuntur Theologi) nulla sit potentia. Nec præteribo in idem argumentum egregiam rationem nostri Di-

S. Bernardi. Senens. ui Bernardini Senensis, tomo 4. sermone 49. post Pascha part 1 vbi sic ratiocinatur: *Certum est, quòd Deus creauit Adã sine peccato originali ex limo terræ: deinde ex costa eius creauit Euam etiam sine peccato; & certum est, quòd Christus incarnatus fuerit Deus, & homo, & fuit maior quàm Adam, & Eua, & maioris dignitatis: & tantum interest inter eos quantum inter creatorem, & creaturam. Modo non est credendum, quod ipse filius Dei voluerit nasci ex Virgine, & sumere eius carnem, quæ esset maculata peccato originali, imò credendum est, quod voluit sumere carnem ex carne purissimâ, & quòd eius mater fuerit plusquam Eua, & Adam, qui creati fuerunt sine peccato originali: quæ ratio mihi valdè applaudit.* Hæc D. Bernardinus Senensis.

Porrò, vt stupendam hanc Virginis excellentiam amplius elucidemus, singulare illud epithetum, quo vtitur Eusebius Cæsariensis lib. 7. de Demonstratione Euangelica, ca. 3. Virginem cohonestauit, attenta mẽtis cogitatione perscrutemur: appellauit illam librum no-

Euseb. Cæs. uum: verba eius sunt hæc: *Nouus liber de aduentu Dei, qui continet natalia Christi, filij prophetidis Mariæ.* Liber in sua prima significatione non significabat librum ex varijs folijs papyraceis compactum, sed arboris corticem, vt apertè indicãt verba Ciceronis lib. 1. de Natura Deorum:

Cicero. *Trunci obducuntur libro, aut cortice, quo sint à caloribus, & frigoribus tutiores.* Indicant etiam idem verba Virgilij, ecloga vltima, qui ad exaggerandum Cornelij bellum hæc carmina cecinit:

Nec illum nostri poterunt mutare labores, Virgilius.
Nec si cùm moriens alta liberaret in vlmo.
AEthiopum versemus oues sub fidere campi.

Atque ex hoc factum est, quòd cùm olim ob defectum papyri scripturæ in corticibus exarabantur, inde codex scriptus, vel scribendus, liber appellari cœpit: vtraque libri acceptio, & significatio non pauca Virginis præconia complectitur. Congruit mirificè illi vocari liber, prout idem pollet, quod arboris cortex, tum quia sicut cortex vndique truncum circumdat, & fouet, ita Beata Virgo filium Dei vtero suo, velut cortice, circumdedit, & fouit iuxta vaticinium Ierem. 31. *Nouum fecit Dominus su-* *Ierem. 31.* *per terram, fœmina circumdedit virum*: quẽ locum interpretantes Septuaginta, ca- *Septuaginta Interpr.* pit. 38. transtulerunt: *Quoniam creauit Dominus salutem in plantatione noua.* Nouitas autem inter alia plura in eo mirificè eniteat, quòd paruus cortex veri virginei, infinitæ magnitudinis, & immensitatis plantam, hoc est, incomprehensibilem filium Dei comprehendere potuerit. Tum quia sicut cortex ita à principio etiam suæ generationis cum arbore coniũctus est, vt nihil inter ipsum, & arborem mediari patiatur: quod ita verum asseuerant agricultores, vt affirment, si quidpiam aeris subintret inter corticem, & arborem, continuè incipere corticem arborem demoliri; ita Beata Virgo adeò cum Deo Optimo Maximo ab instanti etiam suæ Conceptionis, arctissimo charitatis vinculo copulata semper fuit, vt nullus vnquam alicuius peccati originalis infectus aer inter Deum, & ipsam subintrans mediarit; cuius non leue indicium est, ipsam postea per totum circulum vitæ, leuem etiam peccati venialis putredinem nescisse: tum quia sicut cortex à principio, & postea non alio nutritur humore, quàm eo, qui sibi ab arbore, seu trunco, quem tegit, communicatur; ita Beata Virgo, quæ cortex fuit anima, & corpore continens, tegens, & fouens filium

Dei,

Dei, nullo alio spirituali humore nutrita fuit, quàm à filio Dei sibi communicato, ex quo apertè efficitur, nihil coinquinatum in illam introire potuisse, cùm non aliunde, quàm ab arbore vitæ, & totius puritatis fonte, succum, & humorem suxerit. Secunda deinde acceptio libri, vt codicem scriptum iam significat: præclarè etiam in Beatam Virginem conuenit, cùm per illam, quam magna sit Virginis super reliquos omnes Sanctos excellentia, facilè innotescit: etenim illos Salomon Prouerbiorum capit. 11. folia reputauit: *Iusti autem, quasi viuens folium.* Virgo autem non tantum est folium, sed liber integer esse dicitur, multa folia comprehendens, cùm reliquorum cœlestia omnia charismata in se vna vberius complectatur: folia quidem soluta haud difficulter deformantur, & pereunt, cùm verò sunt in librum conglutinata, facilè custodiuntur, & characteres integri conseruantur: non dissimiliter multi Sanctorum, quia folia erant soluta, subtracto peccandi occasione, facilè perierunt, Dauid in veteri Testamento alienam vsurpauit vxorem, Petrus in nouo Christum abnegauit, Thomas discredidit, & Christi discipuli omnes scandalum passi sunt, vt prædixerat eis Dominus, Matth. capit. vigesimo sexto: *Omnes vos scandalum patiemini.* Beata autem Virgo liber est egregiè ligatus, & clausus, cuius folia non soluta, virtutes non diuisæ, sed ita ex singulari, ac præexcellenti dono confirmationis in gratiam inter se connexæ, & conglutinatæ, vt iacturam vllam pati non potuerint, aut quoquo modo cœlestium donorum impressi in illa characteres deformari: rectè etiam quadrat Virgini, librum nuncupari, cùm in ea, velut in libro, Pater æternus mentis suæ conceptum expreſlerit, verbum diuinum in candidissima vteri sui charta scribens. Vnde Beatus Andreas Cretensis oratione secunda de dormit.

Prou. 11.

2 Reg. 11. Ioan. 20. Matth. 26. Andr. Cret.

dixit cum Deipara loquens: *Tu es liber viuus eius, qui in te tacitè fuit scriptus, Verbi Paterni viuifico Spiritus sancti calamo.* præclarè quidem vocat Virginem librum viuum, quia licet alioquin auctor viua voce loquens, dicendi energia, & accurata actione, verbis, quæ profert, vitam quodammodo eis dare videatur, liber tamen scriptos illos sermones cõtinens, mortuus prorsus est, vitamque scripturæ conferre non valet: at Beata Virgo liber est viuificus, & animatus, conferens vitam Auctori vitæ, cùm Verbum Diuinum, quod in ea Pater æternus scripsit, verè ipsa genuerit, humana carne illum induens: ad quod significandum, aptè Ecclesia Catholica in multis Deiparæ Virginis festiuitatibus vtitur Euangelio, cuius initium est, *Liber generationis*, vt inde intelligamus Beatam Virginem librum esse viuificum, & vitam conferentem, cùm generatio ex propria ratione sit processio viuentis à viuente in similitudinem naturæ, vt Philosophi omnes cum suo principe contestantur: quod si vlterius obserues esse librum generationis Iesu Christi, qui *Saluator, & mitis*, interpretatur, inde clarè agnosces Beatam Virginem, communicante Christo Domino, non quamcunque vitam, sed vitam nobis valdè salutiferam, dulcem, ac suauem: filius Dei à Patre genitus talem vitam accepit, vt de ipso dicatur: *Sanctum, & terribile nomen eius*, & alibi: *Terribili & ei, qui aufert spiritum Principum*: à matre verò genitus, ita suauem ac mellifluam vitam ab ea mutuatus, vt qui antea Deus vltionum diceretur, iam *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis* à Diuo Paulo secundæ ad Corinthios capite primo proclametur; quo certè Patris nomine, etiam si non subiunxisset *misericordiarum*, non obscurè indicauerat filium Dei, postquam accepit vitam à matre, aperta habere erga nos suæ misericordiæ viscera, cùm Pater à patefaciendo dicatur,

Eccl. Rom. in fest. B.V.

Psal. 110. Psal. 75.

2 Cor. 1.

M. Varro. vt auctor est Marcus Varro libr. 4. de lingua Latina. Atque ex his omnibus colligo, quòd, si Auctores librorum, qui communi Reipublicæ applausu probantur, immortalem sibi nominis gloriam comparant, adeò vt Ouidius libro 15. Metamorphoseon, propter editum à se librum, figmentis, & mendacijs plenum, parem putarit cum stellis adepturum laudis immortalitatem, dicens:

Ouidius.

Iamque opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.
Parte quidem meliore me super alta perennis
Astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum.

Certè si libri, alioquin fabulosi, ac mendacia scaturientes, immortalis nominis gloriam suis authoribus conciliarunt, planè cùm Deus librum hunc B. Virginis, communi omnium generationum applausu receptum, vt ipsa in suo Cantico cecinerat: *Beatam me dicent omnes generationes*, in lucem ediderit, omni prorsus errore, & mendacio carentem, vtpote in se continentem increatam Dei veritatem, iuxta illud Christi Domini: *Ego sum via, veritas, & vita*: non potest ex illo, tanquam verus eius auctor, non magnam laudem, ac immortalem nominis gloriam sibi comparasse: si enim Dauid dixit: *Mirabilis Deus in Sanctis suis*, quos constat seruos eius esse, quantò quæso mirabilior in matre sua fuisse credendus est; in qua tot prodigia patrauit, vt eadem Virgo haud arroganter dicere non dubitarit: *Fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.*

Luc. 2. Ioann. 6. Psal. 67. Luc. 1.

Cæterùm iam à rationibus, quæ miram Virginis excellentiam ob oculos mentis nobis proposuere, ad alias nostram vtilitatem concernentes, quæ nos tanquam proprij commodi auidissimos impensius mouere solent, sermonem conuertamus: inter has primo loco iam appono, quòd Christus Dominus moriturus in testamento, quod in lecto Crucis condidit, hoc magni momenti legatum nobis reliquit, vt Beatam Virginem in spiritualem nostram matrem haberemus: nam cùm Virgini dixit, Ioan. capit. 19. *Mulier ecce filius tuus*, omnes nos in eo, curæ, & protectioni illius tradidit, vt ad illam, tanquam ad charissimam matrem, confugeremus: & quidem cùm Christus Dominus sit Pater Iustorum, iuxta Vaticinium Isai. capit. 63. *Tu enim Pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israel ignorauit nos, tu Domine Pater noster, & Redemptor noster*; & ex alio capite Beata Virgo sit mater Christi; consequens est, ipsam spiritualem esse matrem iustorum, vt his verbis intulit Diuus Athanasius sermone de Deipara: *Decet te Matrem, Regeneratricem, Dominam, ac Heroam cognominare, eo quòd ex te prodijt Rex Dominus.* Vnde arbitror, Beatam Virginem, tanquam amantissimam matrem in corde suo velut charissima pignora, filios suos custodire: nam si Diuus Paulus ad Philippenses capit. 1. testatur, cor suum domicilium esse filiorum, quos in Christo genuerat: *Eo quòd vos habeam in corde.* imò 2. Corinth. capit. 7. adiecit: *In cordibus nostris estis ad commoriendum, & conuiuendum*; quantò magis de materna Virginis charitate existimare debemus, in eius corde omnes suos spirituales filios, velut in domicilio sibi iucundissimos contineri? quod non ignorans Ecclesia Catholica ex Psalm. 76. eandem Virginem loquens dixit: *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te sancta Dei Genitrix.* Etenim Virgo videns filium suum non dedignari cor suum erga nos apponere, vt loquitur B. Iob 7. *Quid est homo, quia apponis erga eum cor tuum?* Nec ipsa dedignatur ad imitationem filij in corde suo nos habere. Quare sicut olim Abraham Genes. 12. obsecrauit Saram: *Dic obsecro te, quod soror mea sis, vt bene sit mihi propter*

D. Athanas. Ad Phil. 1. 2. Cor. 7. Psal. 76. Iob c. 7. Genes. 12.

propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui; ita & nos obsecrare possumus Deiparam: ô Virgo Maria, ô Sara nostra, quæ (Princeps) interpretatur, dic, quòd sis Mater nostra, vt propter te benè sit nobis à Deo, & ob gratiam tui viuat anima nostra in eo, vt propter talem Matrē AEgyptij (Dæmones intelligo) indemnes nos prætereant, & Pater, Filius, & Spiritus Sanctus nostri misereantur. Cùm ergo B. Virgo sit constituta Mater nostra, ita maternum amorem in nos exercet, vt Dei Patris amorem imitetur, prout egregiè obseruauit his verbis Sanctus Antoninus 4. parte, titulo quinto, capite vigesimo, §. vndecimo, quod dicitur de Patre æterno Christi, dici potest de beata Virgine: *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, passum voluntate, & affectu, & quomodo non etiam cum illo nobis omnia donauit?* Certè amorem suum ipsa Virgo testatur Prouerbiorum 8. *Ego diligentes me diligo*; ex qua dilectione oritur in illa singularis cura, quam de nobis gerit, in via Domini nos dirigit, in tribulationibus consolatur, in perplexitatibus, & angustijs, pœnas, quas Deus contra nos iratus infligere minatur, aut minuit, vel certè pœnitus auertit: petitiones nostras exaudit, & nostris necessitatibus materno affectu opitulatur, vt in illam aptè conueniat illud Isaiæ 49: *Nunquid obliuiscì potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui?* Certè Beata Virgine Christum generante vtero suo, nos omnes etiam spiritualiter genuit, indeque est, quod licet alioquin B. Virgo plusquam Regia Maiestate in sublimi loco sedeat apud filium, magna Angelorum stipante caterua, & in summo honore super omnes puras creaturas constituta sit, nihilominus tamen cum Mater nostra sit, huius maternitatis minimè oblita, non dedignatur nobis familiariter conuersari, precibus nostris annuere, minima etiam nostra negotia pertractare, ac rerum omnium ad nos pertinentium solicitam curam gerere, vt ipsa his verbis reuelauit S. Brigittæ, libro septimo suarum reuelationum, capite vigesimo quinto. *Eadem humilitas est nunc in filio meo in potentia Deitatis suæ, sicut tunc fuit, quando reclinabatur in Præsepio, iacens inter duo animalia, licet omnia sciret secundum Deitatem, nihil tamen loquebatur secundùm humanitatem: sic etiam nunc sedens ad dexteram Patris, audit omnes loquentes ad eum cum charitate, & respondet per infusiones sancti Spiritus, quibusdam verbis, & cogitationibus quibusdam quasi ore ad os loquitur, sicut ei placet similiter ego, quæ sum Mater eius, ita humilis sum nunc in corpore meo, quod est super omnia, quæ creata sunt, exaltatum, sicut tunc fui, quando Ioseph desponsata eram.* Et infra ad calcem capitis: *Sicut ergo humilis fui cognita soli Deo, & Ioseph; sic etiam nunc sum humilis, sedens in sublimissimo throno, parata præsentare Deo omnium orationes rationabiles; sed aliquibus respondeo per infusiones diuinas, aliquibus autem loquor secretius, sicut beneplacitum est Deo.* Hactenus Beata Virgo. Atque hinc est, quod sicut pueri cum aliquid terriculi, vel aduersi sibi obijcitur, collum Matris lachrymabundi arctius complectūtur, vel ad gremium eius confugiunt, ita & nos hostium incursibus, ac varijs tēptationibus oppressi, ad Virginem per collum significatam, accurrere debemus, & cum lachrymis, & precibus maternum eius gremium amplecti; quin etiam non solum in hostium impugnatione, verum etiam sicut olim Ruben, vt legimus Genes. 28. *inuentas Mandragoras Liæ matris detulit*: ita & nos bona nostra, aliaque pietatis opera Virgini deferamus, & per ipsam Deo offerenda transmittamus, nō secus ac ea, quæ à corpore per collum ascendunt in obsequium capitis, prout id nos facere monet Diuus Bernardus sermone 3. de aduentu dicens: *Studeamus & nos dilectissimi per ipsam ad Deum ascendere, qui per ipsam ad nos descendit; per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram venit miseriam.* Addo in idem argumen-

Antonin. 4. part. tit. 5 c. 20.

Ad Rom. 8.

Prou. 8.

Isai. c. 49.

Ibidem.

Gen. 28.

D. Bern. ser. 3. de aduētu.

D. Thomas opuſc. 8. mentum egregia ac pia verba D. Thomæ opuſc. 8 vbi ait: *Magnum eſt in quolibet Sancto, quando habet tantum de gratia, quod ſufficit ad ſalutem multorum, ſed quando haberet tantum, quod ſufficeret ad ſalutem omnium hominum de mūdo, hoc eſſet maximum, & hoc in Chriſto, & in B. Virgine fuit: nam in omni periculo poteſt obtinere ſalutem ab ipſa Virgine gloriosa:* vnde Cantic. 4 *Mille clypei, id eſt, remedia contra pericula, pendent ex ea: item in omni opere virtutis poteſt eam habere in adiutorium: & ideò dicit ipſa Eccleſiaſt. 24. in me omnis ſpes vitæ, & virtutis.* Secundam noſtrę vtilitatis rationem ſubijcio, quia Beata Virgo Aduocatæ munere fungitur apud filium, idque potentiſsmè, atque vt omnia ad ſalutem noſtrā profectura facilè ab eo impetret: id quod Eccleſ. cap 4 docet, ſancti Patres conteſtantur, ſacræ litterę indicant, variæ reuelationes confirmant, ac portentoſa exempla apertiſsimè comprobant: ſanè Eccleſia præterquam quod in percelebri cantico, Salue Regina, Virginem alloquens, ait: *Eia aduocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte:* in oratione etiam vigiliæ Aſſumptionis ita orat: *Munera noſtra Domine apud tuam clementiam Dei Genitricis commendet oratio, quam idcirco de præſenti ſæculo transtuliſti, vt peccatis noſtris apud te fiducialiter intercedat.* Idipſum, vnanimi conſenſu frequenter referunt Patres; nam Sanctus Ephræm oratione de laudibus Virginis vocat eam *Vallum fidelium, & propitiatorium laborantium.* Andreas Cretenſis in ſalutatione Angelica: *Chriſtianæ fidei propugnaculum, & eorum, qui ſpem in ea collocant, propugnatricem.* Nazianzenus in tragœdia de Chriſto: *Patronam acceptiſſimam.* Bernardus ſermone primo de Aſſumpt. *Aduocatam ſalutis noſtræ negotia pertractantem.* D. Bonauentura in hymno te Matrem Dei laudamus, ſic illam alloquitur: *Tu agonizatrix pugnantium, aduocata pauperum, miſeratrix, & refugium peccatorum, tu erogatrix munerum, poſt Deum ſola ſpes noſtra, tu ſalus te inuocantium, tu promotrix iuſtorum, congregatrix errantium* Diuus Anſelmus de excellentia Virginis capite duodecimo. *Te Domina per ipſam gratiam, qua te Pater omnipotens Deus ſic exaltauit, & omnia tibi ſecum poſsibilia donauit, quatenus id apud ipſum in nobis impetres, & obtineas Benigniſsimus filius tuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus erit ad concedēdum quidquid voles promptiſsimus, & exaudibilis: tāummodo itaque velis ſalutem noſtram, & verè nequaquam ſalui eſſe nō poterimus* Hæc ille. Sanctus Antoninus 4 part. tit. 15. capite 19 §. ſecundo, in idem argumentum ait: *Sapientia aduocati, & eloquentia manifeſtatur ex tribus, ſcilicet, quod obtineat apud iuſtum, & ſapientem Iudicem. Secundò, contra aduerſariū aſtutum, & ſagacem protegat. Tertiò, quod in cauſa deſperata vincat: ſed Virgo Maria aduocata noſtra obtinuit apud ſapientiſsimum, & iuſtum iudicem Deum cōtra aſtutiſsimum aduerſarium diabolum, in cauſa deſperatiſsima inter Deum & hominem, in qua nullus hominum qui eam præceſſerant, loqui audebat.* & 4. part. titulo 15. cap 44. §. ſecundo, inquit: *Ipſa ſola omnes inferiores reduxit, tanquam mediatrix reconciliationis; & adiutrix redemptionis, & Angelorum numerum reſtaurauit, & ſubuenit ruinæ ante conſpectum Domini, vt dicitur in figura de S. Iudith capite decimotertio, & hominem lapſum reuocauit ad ſuperos.* Vt autem idē S. explicaret efficaciam aduocationis, & interceſſionis Deiparæ Virginis, hæc præclara ſcripſit 4 part. tit. 15. cap. 17. §. 4 *Oratio Sanctorum non innititur alicui rei ex parte ſua, ſed tantum miſericordiæ ex parte Dei; oratio autem Virginis innititur gratiæ Dei iure naturali, & iuſtitiæ Euangelij. Nam filius non tantum tenetur audire Matrem, ſed & obedire iuxta illud Apoſtoli: Filij obedite parentibus veſtris, quod etiam eſt de iure naturæ.* Et mox: *Oratio Deiparæ erat nobiliſsimus modus orādi, tum quia habebat rationem iuſſionis, & Imperij, tam quia impoſsibile erat eam non exaudiri iuxta illud, quod in figura eius dixit Salomō matri ſuæ Berſabeæ 3. Reg. 2 cum aliquid petere vellet: pete (ait) mater mea, neque enim fas eſt, vt auertam faciem meam.*

Cant. 4.

Eccl. 24.

In Antipho. Salue Regina

In ſec. Miſſ. vig Aſſump

S. Ephræm orat. de laud. Virg.

Andr. Cret. in ſalut. Angelica.

S. Nazianze. in tragœ. de Chriſto

S Bernard. ſerm. 1. de Aſſumpt.

D. Bonau. in hymno Te matrē Dei.

S. Anton. 4. par. tit. 15. c. 19 §. 2.

Idem 4. par. tit. 15. c. 44. §. 2.

Iudith c. 13.

Idem D. Anton 4 par. ti. 15 c. 17 §. 4.

3. Reg. 3. Reg. 1.

meam Hæc S Antonius. Vnde S. Brigitta in reuelationibus cap. 84 refert, Sanctos apparuisse, & dixisse Virgini: *O Domina benedicta, tu portasti Dominum in te, & tu Domina omnium es: quid est, quod non poteris? quod enim tu vis, hoc factum est.* Non potuit sanè sublimius prædicari Mariana potentia, cum & diuinam non aliter commendauit Dauid, quàm dicens: *Ipse dixit, & facta sunt.* Et quidem si Apostolus Christi seruus ad Philip. 4. intrepidè pronunciauit: *Omnia possum in eo, qui me confortat;* quanto magis Deiparēs omnia poterit in eo, quem genuit: ad quod respiciens B. Petrus Damianus serm. 5. de Natiu. Virginis dixit: *Quomodo illa potestas tuæ potentiæ poterit obuiare, quæ de carne tua carnis suscepit originem? accedis enim ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed imperans.* Deinde ex sacris literis hæc eadem Patrum doctrina non obscurè deducitur. Etenim Abacuc 3. dum ait: *Deus ab Austro venit, & S. de monte Pharon.* Licet S. Gregorius Magnus libro 33. moralium capite 1. per hunc montem vetus testamētum significari dicat, vtpote vmbrosum propter prophetiarum obscuritatem, & condēsum ob multitudinem allegoriarum, & cæremoniarum, & mysteriorum, quę in eo continebantur; per illum tamen B. Virginem intelligendam esse docuerūt Theophil. in eundem locum Abacuc. Eſichius serm. de B. Virgine, quæ meritò mons dicitur ob altitudinem dignitatis, gratiæ, & sanctitatis suæ vmbrosus, quia Spiritus sanctus obumbrauit illi, & condensus ob multitudinem arborum. mons vero sic condensus, refugium ceruorum, & leporum, & aliorum animalium, imò & eorum, quos iudices insequuntur, solet esse. Sic B. Virgo refugium omnium est, etiam peccatorum, quos diuina iustitia punire satagit, & ad hunc confugientes montem liberantur. Quot enim millia fuerunt, sunt, & erūt, qui iam in gehennam damnati fuissent, vel damnandi forent, nisi Mater Dei pro illis interuenisset. Deinde verba illa Ioannis Apocalyp. capite duodecimo. *Apertum est templum Dei in Cœlo*, Beatam Virginem significat habentem viscera misericordiæ suæ aperta ad subueniendum occurrentibus ad eam, ac fortiter ad eos defendendum à volentibus violenter extrahere illos ab ea. Quod satis apertè figuratum fuit in templo illo, 1. Machabæorum decimo, vbi sic dicitur: *Quicunque confugerint in templum, obnoxij Regi in omni negotio dimittantur.* Aduertenter dixit in omni negotio, quia licet confugientes ad Ecclesiam, non possunt violenter extrahi, vt in capit. inter alia de immunit. Ecclesiæ, & in toto titulo, Cod. de his, qui ad Eccles. confug. sunt tamen aliqui casus, in quibus delinquētes non debent Ecclesiæ immunitate gaudere: non sic autem confugientes ad Virginem, sed in omni negotio confugientes ad illam, immunitate gaudent: vnde Ludouicus Blosius vir sanè spiritualis in spec. suo cap. 12. in medio: *Dulcissima* (inquit) *Maria nullum à se repellit peccatores ad se piè & humiliter confugientes, blandè suscipit, fouet, protegit, & filio suo materna fiducia reconciliat. Citius Cœlum cum terra perierit, quàm ipsa aliquem seriò se implorantem, sua ope destituat.* Atque ad hoc ipsum significandum consultò diuinitus inditum arbitror Deiparæ nomen Mariæ, quod *Maris stella* interpretatur; nam prætermissis alijs rationibus congruitatis illius, illa satis nota est, cuius meminit Diuus Epiphanius hæres. 78. vbi contra Antidicomarianitas sic loquitur: *Beata Maria non fortuito, aut solū placito, vt quidam putant, sed diuina dispensatione nomen accepit, ita vt ipsa quoque vocabuli sui figura magnum quiddam inueniret: interpretatur enim maris stella, vt aspectu illius dirigere cursum possint, & destinatum portum apprehendere. Simili modo fratres, oportet, vniuersos Christicolas inter fluctus huius sæculi confugere ad Mariam, quæ superno verum cardini Deo proxima est, & ex aspectu exempli eius, cursum vitæ dirigere quod qui fecerit,*

S. Brigit. in reuel. c. 84.

Psal. 144.

Ad Philip. 4.

B. Pet. Dam. ser. 5. de Natiu.

Abacuc. 3.

S. Greg. Mag. lib. 33. mora. c. 1.

Theophil. in eundem locū Abac.

Eſich. ser. de B. Virg.

Apoc. 12.

1. Mach. 10.

In 1. de immunit. Eccl. in tit. C. de his, qui ad Eccl. confug.

Blos. in spec. suo c. 12.

D Epiph. hæres. 78.

non iactabitur vanæ gloriæ vento, nec frangetur scopulis aduersorum, nec absorbebitur voragine voluptatum, sed prosperè veniet ad quietis æternæ portum. Ad extremum D. Anselmus de excellentia Virginis capite 6. tantam potentiam, & efficaciam precibus Virginis tribuit, vt dicere audeat, non semel contingere; velociorem esse salutem ad inuocationem nominis Iesu, quàm Mariæ: verba eius sunt hæc:

D. Ansel de excell. Virg. cap. 6.

Hæc velocior est nonnunquam salus, memorato nomine Mariæ, quàm inuocato nomine Iesu vnici filij sui, & id quidem nõ ideo fit, quod ipsa maior & potentior eo sit: nec enim ipse magnus & potens est per eam sed illa per ipsũ, quia filium eius Dominum est, & iudex omniũ, discernens merita singulorum: dum igitur ipse à quouis suo nomine inuocatus, non statim exaudit, profectò id iustè facit: inuocato autem nomine Mariæ, & si merita inuocãtis non merentur, vt exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, vt exaudiatur. Hoc denique vsu humanus quotidie probat, cum quis proposito Dominico nomine efficaciter ab alio aliquid impetrat, quod simpliciter sua prece nequaquã impetrare potest. Hæc Anselmus. Id quod sanè cedit in Christi gloriam, & in eius doctrinę adimplementum, qui Ioan 14. dixit: *Amen amẽ dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Et hinc posset Diuus Augustinus à perplexitate, quæ ei tribuitur, *Positus in medio, quo me vertam nescio; hinc lactor ab vbere, hinc pascor à vulnere;* piè, & reuerenter cessare, verteus se prius ad Virginem, & ea pro aduocata assumpta, ad Christum recurrere; quia, vt ex Diuo Anselmo, & D. Bernardo refert, & asserit Seraphinus Firmianus problem. 54. in Virgine à filio deriuatur diuina pietas absque vllo iustitiæ terrore; at in filio, licèt attrahat pietas, terret tamen, quod scriptum est: Iudicem esse eum adeò seueram, vt rationem sit exacturus de vnoquoque verbo otioso. Quid autem mirum, si magis præfidat reus in sola pietate, quàm in ea iustitiæ coniuncta, quando eadem diuina est pietas in vtroque & filij, & eius matris tribunali?

Ioan. 14.

D. Ansel. D. Bernard. Seraph. Firmian. probl. 54.

Matth. 12.

Quæ omnia satis superque efficacia mihi videntur ad excitandam in nobis fiduciam magnam in intercessione Deiparæ Virginis, & magna ad ea, quæ postulat ad impetrandum potentiam, iuxta illud Psalm. *Ponite corda vestra in virtute eius.* Ita sanè posuit Seraphicus noster D. Franciscus, de quo Sanctus Bonauentura in vita eius capite nono dixit, in Matre Domini post Christũm præcipuè fidens, eam sui, ac suorum aduocatam constituit. Quod idem plerosque alios Patres factitasse, & factitandum nos monuisse lego. Nam Sanctus Damascenus oratione prima de dormitione, inquit: *Tibi nos quoque hodierna die assidemus, ô Domina, Domina, atque iterum dicam Domina, Dei Genitrix Virgo: animas nostras ad spem tuam non secus, atque ad firmissimam quandam anchoram alligantes, mentẽ, animam, corpus, totos denique nos tibi dicantes, ac consecrantes Psalmis, & hymnis spiritualibus, quantum possumus, honorantes.* Hæc Damascenus. Sed Sanctus Ephræm in oratione de Virgine his verbis ad eam precatur: *Sub alis tuis custodi me, & protege; miserere mei, qui sum luto inquinatus, ne aduersus me glorietur satanas exitiosissimus, vt in me exurgat execrandus inimicus meus: Non mihi alia fiducia, ô Virgo sincera: tu enim meus portus, ô Virgo inuiolata, & præsens auxiliatrix. Denique sub tutela, & protectione tua totus sum: crebris lachrymis te ô celeberrima Mater imploro, & aduoluor tibi.* Hæc S. Ephręm. Hanc fiduciam erga Virginem excitabat Sanctus Germanus Patriarcha Constantinopol. orat. de oratione Deiparæ, in memoriam reuocans, Matrem Dei ad adiuuãdum potentissimam esse: verba eius sunt hæc: *Certè Domina Dei parens, certè meum refugium, vita & defensio, arma & gloriatio, spes & robur meum, concede mihi, vt & ego quoque cum ea fruar inenarrabilibus, & quæ comprehendi non possunt, tuis bonis in cœlesti perseuerantia: habes enim, sat scio, cum tua voluntate concurrentem potentiam,*

Psalm. 49.

D. Bonau. in vita S. Francisci c. 9.

D. Damasc. orat. 1. de dorm. B.V.

S. Ephræm orat. de B.V.

S. Germ Patriarch. Constan. orat. de orat. Deip.

tentiam, vt quæ sis Mater altissimi, & propterea audeo. Ne ergo priuer mea expectatione ô Domina intemerata, quæ vniuersorum expectationem supra rationem peperit Dominum nostrum Iesum Christum. Hæc ille. Verum, quia nihil efficacius in egentium animis fiduciam gignit, quàm largitas, ac liberalitas eius, cui preces fundere debent, placet eximiam Virginis largitatem, ac inauditam liberalitatem palam facere; non tamē alijs verbis, quàm quibus eam ad amussim expressam reperio in reuelat. Sanctę Gertrudis capite duodecimo, vbi hæc habentur: *Sub matutinis in festo Dominicæ Annūciationis, dum in monasterio monialium, in quo degebat Gertrudis, cantaretur Aue Maria, vidit ipsa tres riuulos efficaciſsimos procedentes à Patre, & Filio, & Spiritu sancto, cor Virginis Matris suauissimo impetu penetrare, & de corde ipsius rursus efficaci impetuositate suam originem repetere, & ex illo influxu S. Trinitatis hoc Beatæ Virgini donatum fore, quod ipsa est potentissima post Patrem, sapientissima post filium, & benignissima post Spiritum sanctum. Cognouit etiam, quod quotiescunque illa salutatio Angelica, Aue Maria, cum deuotione à fidelibus recitatur in terris, prædicti riuuli efficaciori impetu superabundantes, circumfluunt Beatissimam Virginem, & ex altero latere reinfluunt cor ipsius sanctissimum, sicque eum mira delectatione repetunt fontem suum, & ex illa reduntatione venæ quædam gaudij, delectationis, & æternæ salutis resperguntur in omnes personas Sanctorum, & Angelorum, & insuper illorum, qui in terris commemorant eandem salutationem, per quas renouatur omne bonum in singulis, quod vnquam per salutiferam incarnationem filij Dei sunt adepti.* Hæc ibi. Illud tamē apprimè obseruandum est: oportere cum deuotione, & affectu erga Virginem, & cum fiducia in illam operibus bonis vacare, & cum B. Virgine ad nostram salutem cooperari, in cuius figuram 3. Regum primo Nathan dixit Reginæ Bethabeæ: *Et adhuc te loquente cum Rege, ego veniam post te, & complebo sermones tuos.* Sanè si vis, vt

S. Gertrud. in reuel. c. 12.

3. Reg. 1.

benedictiones tuæ acceptæ sint coram Deo, suppliciter ora Reginam Mariam, vt in nobis non regnet Adonias, non dominetur in nos peccatum, non principetur libido; sed pacificus Rex Salomon, id est, Christus: quia tamen non sufficit sola Virginis intercessio, pondera subsequentia verba Nathan: *Adhuc te loquēte cum Rege ego veniam post te, & complebo sermones tuos* In quem locum Diuus Chrysostomus ait: *Illi complent sermones Sanctorum, qui operibus humilibus, & pijs correspondent eorum intercessionibus.* Specialiter tamen de intercessione Beatæ Virginis. Diuus Bernardus homilia secunda super Missus, inquit: *Vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum.* B. Virginem contemplor dicentem: illud cuiusdam Matris, cuius meminit Esdras cap. 2. *Educaui vos cum lætitia, & amisi vos cum luctu, & tristitia, quoniam peccastis coram Domino Deo vestro, & quod malum est coram eo feeistis.* Ite filij, & petite à Domino misericordiam, ecce B. Virgo cooperationem nostram postulat; vnde cum in nuptijs Chanæ Galileæ intercessit ad supplendum defectum vini, minimè à filio miraculum postulauit ministris non cooperātibus: quin potius illis dixit: *Quæcunque dixerit vobis facite.* Dominus dixit eis: *Implete hydrias aqua.* Et nisi implerent, penitus vino carerent. Cupis diuinæ charitatis vino per intercessionem Virginis inebriari? diuinum auxilium ad superandos hostes efficaciter impetrare? adhibe ad id cooperationem tuam iuxta monitum Virginis: *Quæcunque dixerit vobis facite.* Cui persimilis est illud, quod per Salomonem ipsa monet: *Nunc ergo filij audite me, & estote sapientes.* Sapientia autem famulorum, quis non videat in eo sitam esse, vt hæris obediant, & & directioni eorum cooperentur. Vnde quod Dauid dixit: *Spera in Domino, & fac bonitatem, & pascera in diuitijs eius.* Idem erga Beatam Virginem famulis eius factitandum est, vt fiduciam suam

D. Chrys. in Gen. c. 1.

D. Bern. ho. 2. sup. miss. est.

Esdr. c. 2.

Ioan. 2.

Ibidem.

Ibid.

Prou. 8.

Psal. 36.

in ea collocantes bonis operibus pariter inhient.

Secunda vtilitas ad deuotionem virginis maximè impellens, illa certè est, quod in tremendo articulo mortis, materno affectu, tanquam charissimis filijs efficacissimè succurrit, aduersus omnes tentationes potentissima diuinæ gratiæ auxilia ad eas vincendas impetrans: etenim quoniam ipsa virili animo non minus religiosè, quàm officiosè Christo adstitit in Cruce morienti, non sine ingenti animæ suæ, quam doloris gladius pertransiuit, cruciatu; ideo peculiariter illi datum est suis filijs spiritualib⁹ singulari pietate sibi deuotis, eamq; inuocãtibus in extremo vitæ constitutis, suã opem impertire, dæmones pellere, illisque vt sancto fine vitam hanc claudant impetrare, & sicut luna præesse dicitur nocti Genes. 1. quia noctem illuminat: ita Virgo in mortis articulo, quæ nocti assimilatur, suis deuotis illucescit, & depellit tenebras. Quare Pelbartus de Themesuar in stellario Virginis libro duodecimo, parte secunda, capite 1. Virgini accommodat illud Sapient. 10. *In fraude circumuenientium illi affuit, & custodiuit eum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & dedit illi claritatem æternam.* Quia Deipara tempore mortis à fraude dæmonum tẽtantium suos deuotos custodit, atque tutatur. Vnde Ecclesia Catholica non semel nos monet auxilium in morte à Virgine enixè postulare: *Tu nos ab hoste protege, & in hora mortis suscipe*, & alibi, *Iter para tutum*: tunc enim in itinere adsunt pænè innumeri deprædatores, à quorum infestissimis incursibus Virgo deuotos suos protegit; & ideo Ecclesiam hortatur, vt dicamus, *iter para tutum*, quibus verbis mihi annuere videtur ad iter, quod planum, ac tutum parauit Deus filij Israel mediante virga Moysis. Etenim sicut mare Rubrum Moysi virga percussum, ac diuisum iter sicco vestigio, Dei populo ad terram promissionis lacte, & melle manantem contendenti præbuit; ita per Virginẽ, quam virga Moysi, vt supra diximus, adumbrabat, transitus per mare huius mundi ad cœlestem patriam electis repromissam expeditus Dei seruis redditur. Ecclesiasticus etiam non ignorans hanc miram Deiparæ virtutem ad subueniendum in mortis articulo, his verbis nos monet ad Virginem confugere: *In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua conserua vias eius, inuestigia illam, & manifestabitur tibi, & continens factus ne derelinques eam; in nouissimis enim inuenies requiem.* Ecce in his vltimis verbis præmium famulatus Deiparæ, requie scilicet perfrui in nouissimo mortis tempore: cum grauior tentationum tempestas animam perturbans insurgere consueuit. Genesis capite 3. diuino oraculo serpenti dictum fuit, ipsum insidiaturum calcaneo mulieris: *Tu insidiaberis calcaneo eius.* Quod ille incessanter implet in semine eius, hoc est, in spiritualibus Virginis filijs: insidiatus enim calcaneo illorum, nempe extremæ parti, hoc est, fini, tum ipsius mundi, cum extremis temporibus ex Apocalyp. 20. *Soluetur Satanas modico tempore de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog.* Atque per se, & per Antichristum, eiusque præcursores primum, deinde per eiusdem assecias bellum contra Ecclesiam acrius & ferocius instaurabit, sciens Apocal. 12. quod modicum tempus habet. Tum etiam insidiatur calcaneo vniuscuiusque nostrum, quia in exitu vitæ singulorum vehementius omnes suæ versutiæ neruos ad eos perdendos intendit, vt habet sacrum Concilium Tridentinum sessione 14. capite secundo, de extrema vnctione; quo quomodo tamẽ calcaneo serpens insidietur, à Virgine eius caput obterendum prædicatur, & idcirco Virginis præsidium omni quidem tempore reuerenter, & deuotè, sed impendente præsertim morte, quando plus imminet periculi, enixius est implorandum

Genes. 1.

Pelb de Themes in stell. Virg lib. 12. p. 2 c. 1.

Sap. 10.

In hym. Officij B. M.

Exod. 13.

Eccl. 6.

Apoc. 20.

Apoc. 12.

Concil. Trid. sess. 14. c. 2.

plorandum, vt tortuosi draconis caput proterere dignetur. Quod S. Ephræm in oratione ad Virginem precatur, his verbis: *Adesto mihi nunc, & semper, ô Virgo Dei Genitrix, mater misericordiæ, benigna, & clemens in præsenti quidem vitæ cursu feruens protectrix, atque auxiliatrix, hostiles quoscunque impetus à me auertens, & in via salutis me constituens; ac in extremæ vitæ articulo miseram meam animam conseruans, & tenebrosos, atque horrendos pessimorum dæmonum aspectus ab ea procul repellens; in tremondo autem die iudicij ab æterna me damnatione liberans, & postremo in numerum iustorum me referens, atque inaccessæ tui filij Domini, & Dei gloriæ me hæredem efficias.* In lamentatione Deiparæ super passione Domini, ad eandem sermonem dirigens, sic ait: *Eripe* (inquit) *nos ô Virgo sancta, atque intemerata à quacunque necessitate ingruente, & à cunctis tentationibus diaboli; esto nostra conciliatrix, & aduocata in hora mortis, atque iudicij, nosque à futuro inextinguibili igni, & tenebris exterioribus libera, & filij tui nos gloria dignare, ô Virgo & Mater dulcissima, & clementissima.* Sic ille. Porrò vt præsentissimum iuuamen, & præsidium, quod B. Virgo in articulo mortis famulis suis præstat, clarius vobis innotescat, non grauabor illustrissimum huius rei exemplum hic apponere lib. 7 reuelationum S. Brigittæ: reuelauit, quomodo filio suo Carolo in articulo mortis singulari adiumēto fuisset. *Ego* (inquit) *steti prope eundem filium tuum Carolum, paulò antequam emisit spiritum, vt carnalem amorem non sic memoria haberet, quod propter eum aliquid Deo contrarium cogitaret, vel loqueretur, nec aliqua Deo placentia vellet omittere; neque illa, quæ possent esse quomodolibet diuinæ voluntati contraria, vellet perficere, ad animæ suæ nocumentum; ego etiam taliter iuui eum in illo arcto spatio, id est, exitu animæ suæ à corpore, vt non tam duram pœnam sustineret in morte, quod ex ea inconstans fieri posset, aliqualiter desperando, & ne Deum in morte obliuisceretur. Ego etiā custodiui taliter animam ab ipsis immortalib. inimicis, id est, dæmonibus, quod nullus eorum tangere posset; sed statim cum egressa fuit à corpore, accepi eam in meam custodiā, ac defensionem. Quo facto turba dæmonum festināter fugit, & recessit, qui ex sua malitia ipsam cupiebat deglutire, & æternaliter cruciare.* Hæc ex illa reuelatione, & infra Angelus testatus est, Virginem Dei Genitricē ex virtute sua eidem Carolo contulisse quicquid illi deerat in armis spiritualibus, & indumentis, quæ pertinēt ad milites, intraturos in regno Cœli ad Summum Imperatorem. Hæc ibi.

S. Ephr. orat. ad Virginē.

Idem Sanct. Ephr. in lam. Deip. super pass. Domin.

In reuel. S. Brigit. lib. 7.

Tertia ratio, quæ meritò nos vehementer impellere debet ad Virginis deuotionem diligenter inuestigandam, illa non vltimum locum tenet, quod cum Deiparens dæmonibus terribilis sit, velut castrorum acies ordinata; certè aduersus eos partes nostras agens, eorum versutias, & stratagemata dissoluit, potentiam eneruat, vires confringit, ac in fugam vertit, ne ab illis tandem superemur, & vincamur. Ad quod significandum frequenter Sancti Patres Beatam Virginem præfiguratam fuisse affirmāt per Iudith, & per Iaelem, quoniam sicut illa, vt legimus libro Iudith, Holofernem deuicit, ac proprio gladio interemit, ita & Virgo dæmonem superauit, adeò vt melius, quàm in illam in Virginem conueniant verba Iudith dicta capite decimo sexto. *Dominus omnipotens nouit eum, & tradidit eum in manus fœminæ, & confodit eum.* Nobisque potiori iure Virgini licebit, quod ciues Bethuliæ Iudith capite 13. ei cecinerunt: *Benedixit te Deus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.* Sicut item virago illa Iael infestissimum hostem Sisaram delusit, & clauo tempora eius perfodit, ne contra populum Dei amplius insæuire posset, ita B. Virgo immanissimum humani generis hostem, qui velut Leo rugiens circuit quærens, quem deuoret, reprimit, & compescit, ne penitus nos demoliatur, & absumat. Quare Beatæ Virgini dæmonem confodienti ad a-

Iudith 13.

Ibid. c. 16.

Ibid. c. 15.

Iudic. 4.

mussim quadrant verba illa Iudicum
Iudic. 5. quinto: *Manum misit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram quærens in capite vulneri locum, & tempus valide perforans. Inter pedes eius ruit, defecit, & mortuus est: voluebatur ante pedes eius, & iacebat exanimis, & miserabilis.*

Accedit his ex D. Bernardino figura veteris arcę, hostes Israel in fugam conuertentis, quam his verbis explicat tomo 3. sermone 11 art. 1. cap. 3. *Figurata est Beata Virgo in figura Arcæ Mosaicæ, de qua Num. 10. scriptum est, cum eleuaretur Arca, dicebat Moyses: surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua*; vt mystè innuatur, quod quando elenata fuit Virgo gloriosa ad cœlestia regna, dæmonis potentia imminuta est, & dissipata; vnde pro illa dici potest illud Ecclesiast 24. *Superborum, & sublimium colla propria virtute calcaui.* Hæc Sanctus Bernardinus. Cœlestis sponsus ad significandam hanc miram potentiam Virginis, ad propulsandos à nobis inimicos nostros, & eosdem expugnandos, comparat illam equitatui populi
Cant 1. Dei: *Equitatui meo in curribus Pharaonis, assimilaui te amica mea.* Canticorum primo. Etenim omissis alijs expositionibus, quibus eundem locum alibi enucleaui, per equitatum Dei aptè intelligi cœlestem Angelorum militiam, auctor est Diuus Gregorius Nyssenus in Comment istius loci, quem ibidem sequutus est doctissimus Gulielmus: & habet fundamentum in illo Apocalyp. 19.
D. Nyss. in comm super Cant. *Exercitus, qui sunt in Cœlo, sequebantur Verbum Dei in equis albis.* Beata igitur Virgo
Apoc. 19. equitatui Dei in curribus Pharaonis assimilatur: sicut enim in liberandis Israeliticis ex seruitute Aegyptiaca equitatus Dei, fortitudo nimirum sanctorum Angelorum, enituit in subuertendo Pharaone, & curribus eius in mari Rubro; ita Deiparæ fortitudo in exitu seruorum Dei, ex mundo ad terram promissionis præcipuè elucet in dæmone, eiusq; curribus, seu munitionibus euertendis, penitusque demergendis in mari Rubro passionis Christi, cuius virtute dæmones à sanctissima Virgine omninò expugnantur. In Sanctæ Brigittæ reuelationibus in serm. Angelico capite vigesimo, Angelus cum dixisset de promptitudine Angelorum in obsequium sanctissimæ Virginis, subijcit hæc verba: *Super omnes etiam malignos spiritus ipsam sic Deus potentem effecit, quod quotiescunque ipsi aliquem hominem Virginis auxilium ex charitate imporātem, impugnauerint, ad ipsius Virginis nutum illico pauidi procul diffugiunt, volentes potius pœnas suas, & miserias sibi multiplicari, quàm eiusdem Virginis potentiam super se taliter dominari.* Hæc ibi. *In reuelat. S. Brig. c. 20.* Atque ad hoc idem significandum, singulariter inter omnes interpretes putat Diuus Bernardus sermone super signum magnum, lunam, quæ stultum significat, iuxta illud Ecclesiast. 27. *Stultus sicut luna mutatur*, positam sub pedibus Virginis, vt vidit Ioannes Apocal. cap. duodecimo, significare dæmonem à Virginis pedibus conculcatum, & superatum. Verba eius sunt hæc: *Vnicus ille stultus totius stultitiæ princeps, qui verè mutatus vt luna, sapientiā perdidit in decore suo, sub pedibus Mariæ conculcatus, & contritus, miseram patitur seruitutem.* Ad extremum quoties quæso satanas, vt Christus Dominus dixit Luc. 24. *expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum*: & nostris frequētissimis peccatis, ac demeritis exigentibus obtinuisset, nisi Deipara Virgo potētia sua illum coercuisset, ac vires eius enerualsset: quoties vos peccatores laqueo irretitos, ac varijs vitijs velut prædam suam iamiam deglutiendam, ab eius cruentis faucibus extorsit? vt meritò in illam præclarè conueniant illud Psalm. 44. *Eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum, & pauperum à diripientibus eum.*

Ecclesi. 27. *Apoc. 12.* *Luc. c. 24.* *Psal. 44.*

Porrò, vt iam dicendi finem faciam, ac propositum argumentum absoluam, vltimam rationem appono, vtilitatem

nostram

nostram respicientem. Nemo sanè est ita mentis inops, qui cùm in curia Regum officium, dignitatem, aut felicem aliquam negotij expeditionem ardenter cupiens, beneuolentiam eius, qui hæc bona dispensare potest, sibi conciliare contemnat: cùm ergo nos omnes cupiamus peccata nostra remitti, cœlestia charismata nobis infundi, donum perseuerantiæ nanciscì, vt sic vitam consequamur æternam: certè nisi dementati simus, Virginis beneuolentiam ardentissimo affectu nobis conciliare oportet, quia ipsa constituta est à Deo dispẽsatrix omnium bonorum spiritualium,

D. Bern. ser. sup. missus. vt his verbis edixit Diuus Bernardus serm. super Missus: *Intuere ô homo consilium Dei, consilium sapientiæ, consilium pietatis. Cœlesti rore arcam rigaturus, totum vellus prius infudit; redempturus humanum genus, pretium vniuersum contulit in Mariam. Quare? forte vt excusetur Eua per filiam, vt querela viri aduersus fœminam deinceps sopiretur? piissimum sanè consilium, sed & aliud latet, nec totum hoc est. Intuemini igitur, quantò deuotionis affectu eam à nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, vt si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare, quæ ascendit delitijs affluens.* Hactenus Diuus Bernardus. Huius muneris dispensandi bona cœlestia, quo Deipara Virgo gaudet; præclaram reperio figuram Genes. cap. 24. vbi hæc verba lego:

Genes. 24. *Prolatis vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque eius, ac matri dona obtulit.* Non obtulit quidquam Eliezer fratribus Rebeccæ ex omnibus bonis Domini sui, quæ secum portabat, quoadusque consensum assumens sponsalem, audiuit:

Ibidem. *En Rebecca coram te est, tolle eam, & sit vxor Domini tui, sicut locutus est Dominus.* Tunc Domino gratijs pro exauditione actis, Rebeccæ non solùm ditissima dona, & vestes pretiosissimas dedit; verùm & ipsa vasa aurea, & argentea, quibus asseruabantur: similiter Angelus Gabriel, missus à Deo ad Beatissimam Virginem nuntius sponsalium inter Deum & naturam humanam, audito consensu Virginis dicentis; *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Cùm non esset capax tantorum bonorum, quæ & Virgini, & vniuersæ humanæ naturæ donanda erant, ad auctorem omnium primum Virginem iam plenam gratia remittens, ait: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Deinde interius eam instruit, propter consensum in Matrem Dei per eam exhibitum, factam fuisse ex speciali dono Dei dispensatricem omnium diuinorum donorum, quæ in humanam naturam conferenda deinceps erant; vnde Angelus audito consensu Virginis, officio sibi commisso functus, continuò Ibid. discessit ab ea, vt Euangelica narrat historia: non dona distribuens, vt Eliezer: hoc enim Virginis Dei matris munus erat; sed consensum, & responsum Virginis relaturus, non Deo, qui prius nouerat Virginis mentem, quàm ventrem, sed vniuersis Angelorum ordinibus, vt introducto iam Dei filio in orbem terrarum, velociter venirent, vt adorarent eum in templo sancto suo, virginis thalamo. Atque hinc fuit, quòd sacrosancta Virgo, vt muneris sibi commissi initium faceret, statim surgens, abijt in montana cum festinatione, & salutauit Ibid. Elisabeth; qua salutatione audita, Ioannes in vtero, & parentes eius repleti sunt Spiritu sancto. Ecce quomodo dispensatrix incipit munus implere. Idem prosequitur munus in præsepio Bethleemitico, & Pastoribus, & Magis Regibus resalutatis: nam cùm eius, & Dei omnipotentis simul filius infans esset, recensq; e natus, Mater nomine, & loco filij salutantes resalutabat, & ad vocem salutationis eius, mirum dictu, quę, & quanta Dominus dona vtrisque spiritualia distribuit. In his initijs munus dispensatricis omnium bonorum, quæ in Ecclesia fidelibus communicantur, in

Virgine consecratur. Laban cùm esset rusticus, & agrestis, cùm vidisset inaures, & armillas in manibus sororis suæ, festinus egressus, venit ad virum, qui stabat propè fontem aquæ; sic nos, qui deuotioni Virgin. Mariæ deditissimi sumus, videntes non solùm in manibus eius thesauros diuinorum charismatũ, sed etiam in manibus fratrum nostrorum, quæ per eam quotidie vniuersis communicantur, negligentiæ, & stultitiæ meritò arguemur, si Virginem confestim nõ adeamus, stantem propè fontem aquæ viuæ, & vitæ æternæ, Christum scilicet Iesum, vt cœlestia nobis largiter dispenset, Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Genes. 24.

HOMILIA II.

Prosequimur idem argumẽtum, ex multiplici capite ostendentes deuotionẽ, ac filialem affectum erga Beat. Virginem, singulare nostræ prædestinationis signum esse; sed prius permultas alias prædestinatorum notas ex sacris Scripturis, & Sanctis Patribus proponimus.

Conc. Trid. sess. 6. c. 12.

Vamuis sacrum Concilium Tridentinum sess. 6. ca. 12. docuerit, neminem absque speciali Dei reuelatione certitudine fidei agnoscere posse, se ad felicissimum prædestinatorum numerum pertinere: sic enim ait: *Nisi ex speciali reuelatione sciri nõ potest, quos Deus sibi elegerit*; quod multò ante mihi prædixisse videtur Salomon Eccl. 9. *Nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta*; nihilominus ex sacris Scripturis, & sanctis Patribus permulta signa diuinæ prædestinationis colliguntur, quæ maximam quandam moralem illius certitudinem in prædestinatorum animis generant. Vnde D. Bernardus in serm. de septuag. ait: *Nescit homo, vtrum amore, vel odio dignus sit, quia in ista vita certitudinem electionis non habet, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate cruciemur: propter hoc data sunt signa quædam, & indicia salutis manifesta, vt quibus certitudinem regat Deus eam sollicitudinis, vel fiduciam præstet eam consolationis.* Hæc D. Bernardus. Primum & præcipuum est, cùm nullius lethalis peccati labe conscientia grauatur, maximè si id per longum tempus contingat: quod non obscurè indicant verba D. Pauli 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* Cùm enim quempiam nõ reprehendit conscientia peccatum aliquando commisisse lethale, tunc planè vsurpare potest illud eiusdem Apostoli ad Rom. 8. *Ipse spiritus testatur spiritui nostro, quod filij Dei sumus.* Secundum signũ prædestinationis arbitror esse, cùm quis post, vel multa peccata lethalia patrata, præmissa debita eorum confessione, per longum tempus ab omni lethali peccato se abstinet, vel si labitur, diligenter curam habet, vt iterum confestim resurgat, sacramento confessionis frequenter vtens: his enim pœnitentibus sic contritis, & emendatis D. Paulus 2. Cor. 13. ait: *An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in nobis est?* Quibus persimilia sunt verba illa Christi Domini, Ioannis 14. *Vos autem cognoscetis eum, qui apud vos manebit, & in vobis erit.* Tertium signum est libenter verbum Dei audire: vt enim Christus Dominus Ioan. 8. dixit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*; vnde D. Marcus in Act. Apost. ait, audierunt autem verbum Dei: *Quotquot præordinati erant ad vitam æternam*: certè sic vt esurire, & auidè comedere, signum vitæ corporalis vulgus vocat; sic dixerim vitæ spiritualis, & æternæ magnum esse indicium affectare suauissimum illum pastum animarum, libenterque audire verbum Dei, & discere, sustinere ti-

Eccl. 9.

D. Bernard. in serm. de septuag.

2. Cor. 1.

Rom. 8.

2. Cor. 13.

Ioan. 14.

Ioan. 8.

Act. Apost.

duo

duo docentem Iesum, nec habere, quod manduces, vt quondam turba illa; certè sedere ad pedes Christi, ibique cum Magdalena audire verbum Dei, nec ab ore loquentis pendentem posse auelli, non ob ministeria domestica, non ob murmur sororis, non pænè ob fustuarium (vti nec sic Diogenes ab Antisthene abigi aliquando potuit) ego electionis indicium valdè apparens esse sentio: quòd si audire verbum Dei, signum est prædestinationis, multò magis eiusdem signum erit illud meminisse, & exequi: vt enim cùm non regerit cibos datos, signum benè affecti corporis est; sic memoria Verbi Dei firma bonæ mentis signum præsefert: vnde de B. Virg. quæ inter puras creaturas principem prædestinatorum locum tenet, Diuus Luc. ait: *Conseruabat omnia verba hæc in corde suo.* Quod velut gazophylatium, & quæpam rationalis, & viua bibliotheca erat: hinc Christus Dominus, postquam dixit: *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud,* hoc est, in corde retinent, & opere complent: hos enim ipse etiam comparauit terræ bonæ. Luc. ca. 8. quæ semen retinet, & fructum affert: *Qui in corde bono, & optimo, audientes verbum, retinent, & fructum afferunt.* Vnde sicut non retinere cibum, desperatissimam valetudinis corporis designat, ita non retinere in corde cibum Verbi diuini, signum est reprobationis, vt his verbis docuit Diuus Gregorius homilia 15. in Euangelia: *Cibus mentis est sermo Dei, & quasi acceptus cibus, stomacho languente, reijcitur, quando auditus sermo in ventre memoriæ non tenetur, sed quisquis alimenta non retinet, huius profectò vita desperatur.* Quartum signum est tribulationibus, & aduersitatibus premi: etenim Apoc. ca. 3. Dominus ait: *Ego, quos amo, arguo, & castigo.* Vnde Diuus Paulus ad Hebræos cap 12. inquit: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem filium, quem recipit; in disciplina perseuerate, tanquam filijs vobis offert se Deus: quis enim filium, quem non corripit Pater? quod si extra disciplinam facti est, cuius participes facti sunt omnes; ergo adulteri, & non filij estis.* Super quo D. Augustinus sic infert: *Si exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à numero filiorum. Noli esse iniquo sensu, & puerili, vt dicas, plus amat Pater meus fratrem meum, cui permittit facere quidquid vult, quam me, quia si me mouero contra eius iussionem, flagella inuenio. Potius gaude sub flagellis, quia tibi seruatur hæreditas; illis ad tempus parcit, quos in æternum damnabit.* Hinc Diuus Petrus Chrysologus in epistol. 4. sumpta metaphora ab ædificatione templi Hierosolymitani sic ait: *In ædificatione enim temporali omnes lapides prius malleis tundebantur, ne in illorum positione sonus mallei audiretur: neque in horreo Domini reponitur granum, donec flagellis, aut triturantium pedibus sit excussum; sic & viui lapides, qui ponendi sunt in illa cælesti Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas; varijs infortuniorum concussionibus poliuntur, priusquam in ædificio cælestis habitaculi collocentur.* Vnde sancta Ecclesia canit:

Tunsionibus pressuris
Expoliti lapides
Sua coaptantur locis
Per manus artificis:
Disponuntur permansuri
Sacris ædificijs.

Aduerte tamen non esse signum prædestinationis, varijs tribulationibus, & aduersitatibus concuti, nisi patienter tolerentur, vt enim dixit Diuus Gregorius sermone 3. de bona patientia: *Nec enim magis aliud iniustos, & iustos discernit, quàm quòd in aduersis iniustus per impatientiam conqueritur, & blasphemat, patientia autem iustos probat.* Quintum signum prædestinationis est abstinere se à detractionibus: cùm enim Dauid interrogasset: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo. Respondet inter alia: Qui opprobrium non accepit aduersus proximos suos.* Sextum signum est inimicos diligere: vt enim dixit D. Ioan. epistola prima, & tertia:

D. Augustin.

Petr. Chrys. epist. 4.

In offic. dedicat. temp.

D. Greg.

Psalm. 14.

In

Luc. 11.

Luc. 8.

Apoc. 3.

Ad Heb. 12.

Ioan. epist. 1. & 3. *In hoc manifesti sunt Filij Dei à filijs diaboli, si diligimus fratres.* Ad quid etiam facit illud: *Dimittite, & dimittetur vobis.* Septimum signum ex Diuo Bernardo apponit Sanctus Bonauentura libr. 4 pharetræ cap. 19. ad finem, dum ait: *Moriens vix vnquam aliquis in cella in infernum descendit, quia vix vnquam nisi Cœlo prædestinatus, in ea vsque ad mortem persistit.* Octauum signum est misericordia in afflictos, aut pauperes, Christo Domino dicente: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Vnde 3. Regum capit. 6. Salomon portas templi, in quo Dominus holocausta acceptabat, de lignis oliuarum esse voluit, vt parabolicè cœlum patere operibus misericordiæ ostenderet. Nonum munditia cordis est, iuxta illud: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Decimum paupertas spiritus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cœlorum.* Et in vniuersum octo Beatitudines, de quibus Diuus Matthæus cap. 5. signa esse diuinæ prædestinationis, quibus electi à reprobis secernuntur, percensuit doctissimus noster Vega libr. 12. de iustificatione impij in Concilium Tridentinum à cap. 12. vsq; ad 20. Sed sancti Patres præter omnia huc vsq; à me commemorata: alia multa signant, quorum breuitatis causa pauca, sed præcipua recensebo, Diuus Ambrosius in apologia de Dauide capite 19. ait: *Signum electorum esse malè de se sentire, dolere de peccatis, vulnus suum agrosce re.* Diuus Gregorius libr. 34. moralium inquit: *Euidentissimum signum reprobo rum est superbia, electorum verò humilitas.* Idem etiam Diuus Gregorius lib. 8 moralium capit. 41. Signum prædestinatorum cœlestia desiderare: verba eius sunt hæc: [Electorum anima ad cœlestia eriguntur, reproborum verò ad terrena; vt quòd ferrum mox ad magnetem aduolat, cognationem quandam alterius cum altero significat, & quòd naphta bythuminis quoddã genus, citissimè ad visum ignem inflammatur, signum est igneæ cuiusdam in ipso naturæ; sic cœlestis cuiusdam originis, & iuris in ciuitate Dei, & Beatorum habendi quoddã indicium est, sæpè Cœlum suspirare, & dicere illud Psalm. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo, &c. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Diuus Thomas opusculo 60. de humanitate Christi, inter electorum signa constituit, spirituali gustu prælibare cœlestium bonorum dulcedinem: prædestinatis enim dicitur: *Gustate, & videte, quàm suauis est Dominus.* Qui enim gustat, sitit iterum; & in illo semper id contendit, vbi pleno se prouoluat ore: quia dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ. Ac tandem Diuus Hieronymus ait in epistol. quæ incipit, vetus scripturæ celebrata sententia docet: *Signum prædestinationis esse viuere, vt pauci, quia diuinum est oraculum: multi sunt vocati, pauci verò electi.*

Matth. 5. 3. Reg. c. 6. Matth. 5. Vega libr. 12. de iustific. D. Ambr. in apol. de Dauide c. 9. D. Greg. libr. 34. moral. Psalm. 41. D. Thom. Psal. 33. D. Hier. Matth. 10.

Cæterum nostro argumento inseruiens, inter signa prædestinationis singularis deuotio, ac filialis erga Deiparam Virginem affectus, non vltimum locum tenet: nam si Diuus Paulus ait ad Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui*, certe sicut prædestinati debent Christi Domini imaginem humilitate, patientia, & castitate in se exprimere; ita & in eo imaginem Christi gestare debent, vt sicut ille Beatam Virginem, tanquam veram Matrem singulariter coluit, & adamauit; ita & ipsi eandem singulari cultus, & amoris affectu prosequantur. Hanc salubrem doctrinam contestantur sancti Patres, probant diuinæ reuelationes, adumbrant variæ figuræ, confirmant sacrarum litterarum oracula, ac permultæ tandem rationes constabiliunt, & quidem in primis ex sanctis Patribus, primum pronuncio Diuum Antoninũ 4. part. titul. 15. cap. 14. § 7. quandam Anselmi sententiam afferentem, in hæc verba: *In Antiphona Salue Regina, dicitur:* D. Antonin.

Ad Rom. 8.

Eia ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte: vt enim dicit Anselmus, impossibile est, quòd illi, à quibus Virgo Maria oculos misericordiæ suæ auertit, saluentur, ita necessarium, quòd hi, ad quos conuertit oculos suos, pro eis aduocans, iustificentur, & glorificentur. Ipse etiam Diuus Anselmus libr. orat. ait: *O Maria tu peccatorem toti mundo despectum materno affectu amplecteris, nec deseris, quousque Deum per te placatum, ipsum suæ gratiæ recuperabit.* Diuus Bonauentura in stimulo diuini amoris part. 3. cap. 19. *Verè* (inquit) *Domina Regina est misericordiæ, quia non est in hac vita sic desperatus, sic miser, cui non impetres misericordiam Saluatoris, si ad tuum reclinabit regimen.* Diuus Germanus Patriarcha in sermone de Zona Virginis, sic loquitur: *Quo modo corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem, ita & sanctissimum tuum nomen, Virgo beatissima, quod in ore seuorum tuorum versatur, assiduè, in omni tempore, loco, & modo, vitæ, lætitiæ, & auxilij non solùm est signum, sed ea etiam procurat, & conciliat.* Diua Catharina Senensis tractat. 4. dialogorum capit. 139. testatur se hæc verba ab ore Deiparæ Virginis accepisse: *Mariæ vnigeniti filij mei Genitrici gloriosæ concessum est à bonitate mea propter incarnati Verbi reuerentiam, quòd quicunque iustus, vel peccator, qui recurrit ad eam cum deuota reuerentia, nullo modo diripietur, vel deuorabitur ab infernali dæmone: nam ipsa est à me velut esca dulcissima collocata, & electa pro capiendis hominibus, & animabus, præcipuè peccatorum.* Beatus Alanus libr. de psalterio Virginis capit. 11. ad finem scribit, Beatam Virginem, cui ipsa valdè familiaris erat, hoc ipsum sibi in hæc verba docuisse: *Secretum iam pandam tibi diuinæ prouidentiæ: scias enim, & securè intelligas, quod & indilatè alijs patefacias, quòd videlicet signum probabile est, & propinquum æternæ damnationi, horrere, & alia diari, & negligere salutationem Angelicam, totius mundi reparatiuam; habentibus verò deuotionem ad hanc, signum est ordinationis, & prædestinationis permagnum ad gloriam.* Diuus Bernardus sermone super Salue Regina in hunc modum loquitur: *Conuenienter vocatur Regina misericordiæ, quòd diuinæ pietatis abyssum, cui vult, & quando vult, & quomodo vult, creditur aperire, vt quiuis enormis peccator non pereat, qui Sancta Sanctorum patrocinij sui suffragia præstat.* Et serm. super Missus, & libr. de Concept. Virginis, hæc in idem argumentum habet: *Sicut à te despectus, & auersus necesse est, quòd pereat.* Ac tandem perdoctus author Pomerij in suo stellario lib. 12. part. 2. art. 1. postquam retulerat verba Diui Bernardi super missus, dicentis: *O homo, securum habes accessum ad Deum, vbi Mater stat ante Filium, & Filium ante Patrem, Mater ostendit Filio pectus, & vbera, Filius ostendit Patri latus, & vulnera; nulla ergo poterit esse repulsa, vbi tot concurrunt amoris insignia;* ipse continuò subdit: *Si ergo nulla potest esse repulsa, ergo sequitur, quòd seruire Mariæ est certissimum signum salutis æternæ consequendæ.* Hæc ex antiquis Patribus, & diuinis reuelationibus. Venio iam ad figuras, & imagines ad amussim hoc ipsum adumbrantes. Sanè peccator hoc indicium, ac iræ diuinæ placationis signum habere poterit, cùm ad B. Virginis deuotionem cor suum pulsari, & moueri senserit: quod non obscurè in Rege Assuero delineatum inuenimus: ille enim tactu virgæ aureæ, quam manu tenebat, delicti pœnam remittebat, vt habetur Esth. 5. in Regina Esther numer. 2. *Cumque vidisset Reginam Esther stantem, placuit oculis eius, & extendens contra eam virgam auream, quam tenebat manu.* Et cap 4. numer. 11. *Absque vlla cunctatione statim interficiatur, nisi fortè Rex auream virgam ad eum tetenderit, pro signo clementiæ, atque ita possit viuere.* Virga hæc B. Virginem, virgam vigilantem, & virgam de radice Iesse Regiæ prolis Dauid egressam designabat, de qua Isai. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, &c.* Et Ierem. 1. & sic de ea dicitur Prouerbiorum 23. *Si percusseris eum virga, non morietur.* Idq; Christus se facturum promit-

D. Anſel.
D. Bonauen.
D. Ger. Patr.
D. Cathar. Senenſ.
B. Alan. lib. de pſalterio Virg. c. 11.
D. Bern. ſer. ſup. Salue Regina.
Auctor Pomerij.
Eſther 5.
Cap. 4.
Iſa. 11.
Ierem. 1.
Prou. 23.

promittit, Isai. 11. *Percutiet terram virga oris sui*; id est, Virginis deuotione. Prætores Romani in signum liberationis à seruitute, virga caput serui tangebant, qui statim efficiebatur liber, vt habetur in li. 2. ca. 1 aduersus libertatem, sic etiam media Virginis deuotione à Christo Domino peccator *à dæmonis seruitute liberabitur.* Idem etiam prædestinationis signum præfiguratum in illis verbis inuenio Leuit. capit. 26. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciet vos anima mea.* Quod spiritualiter impletur in ijs, in quibus quasi in medio cordis à Deo Optimo deuotio erga Deiparam infunditur, quam per tabernaculum De figuratam, communis est Patrũ consensus; vnde de rectè hoc mystico tabernaculo illud Isa. 4. intelligi posse diximus: *Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine, & à pluuia.* Hæc enim spiritualiter omnia à Deipara sanctissima suis deuotis præstari cernimus, qui sciant, quòd compluribus, qui in sceleribus suis computrescunt, Christus Dominus dicere posset id, quod Salomon 3. Regum 2 dixit Abithar Sacerdoti, qui fuerat socius Tyrannidis Adoniæ, & consequenter obnoxius crimini proditionis contra Regem: *Equidem vir mortis es, sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei.* Equidem cum Arca illa testamenti sanctissimæ Virginis figuram gereret, vt latè prosequitur Diuus Ambrosius sermone 8. profectò Arcam Domini portare nihil aliud erit, quàm affectuosam B Virginis deuotionem semper in corde, & præoculis habere. Bone Deus, quam multi in infernum fuissent detrusi, nisi hanc secum mysticam portassent Arcam, & nisi ad illam, vt olim ad Arcam Noe confugerent, vt à diuinæ iræ diluuio protegerentur? Accedit, quòd Beata Virgo præfigurata fuit per arcum illum, de quo Genes. 9. Dominus dixit: *Hoc est signum fœderis inter me, & vos in generationes sempiternas, arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram,* scilicet, vt non amplius disperdam illam, sicut feceram in diluuio: ad quod videtur alludisse Ezechiel capit. 1. cùm dixit. *Quasi arcus cùm fuerit in nube in die pluuiæ.* Profecto Beata Virgo Arcus est fœderis sempiterni inter Deum, & homines, dũ genuit nobis Saluatorem, qui fecit vtraque vnum. fœdus autem inter eam, & Christum initum est, vt ad illam conuersos ille non despiciat, sed protegat, & adiuuet, vt resipiscant; & in adepta gratia perseuerent iuxta illud Eccl. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Ac tandem Beatam Virginem per cœlestem Hierusalem adumbrari nemo ignorat: de illa autem dictum est Psalm 78. *Qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea; certum autem est prædestinatorum habitaculum cœlestem esse Ierusalem.* Hæc ex figuris subobscuris sacrarum litterarũ, nunc ex clarioribus sacræ Scripturæ testimonijs iuxta communem Ecclesiæ intelligentiam, idem argumentum probare contendo: illa enim consueuit in omnibus Deiparæ Virginis festiuitatibus, quæ secundùm litteralem sensum de diuina sapientia intelliguntur, secundùm moralem, Virgini aptè satis accommodare, quo supposito: tam tritũ, quàm egregium est testimonium illud Eccles 24. in persona Virginis dicentis: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi, in Iacob inhabita, in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices.* In Iacob quidẽ inhabita, i. in supplantatore vitiorum (Iacob verò supplantatorem sonat) in Iacob quoque electi, sicut in Esau reprobi, intelliguntur iuxta ea, quæ Apostolus fusè disserit in epistola ad Roman. vbi capit 9. ex Malachia capit. 1. citat illud: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui,* subdit: *In Israel hæreditare.* Id est, in contemplatiuo, Israel enim, idem est, quod Iacob, prædestinatorum typus, & vt multis placet, idem est, quod videns Deum, verùm, quod magis est

Isa. 11.
Rom 8.
Leuit. 26.
Isa. 4.
3. Reg. 2.
D. Ambr. ser. 8.
Genes. 9.
Ezech. 1.
Prou. 8.
Eccl. 24.
Rom. 9.

in

inelectis meis, id est, in ijs, quos elegi, mitte radices: quod inferius se adimplesse ipsa B. Virgo testatur dicens: *Radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea.* Certè per populum honorificatum prædestinatos intelligit, sicut Apostolus ad Rom. 9. per vasa contumeliæ reprobos intellexit; vnde 1. Regum 2. dicitur: *Domine, qui discedunt à te, erunt ignobiles.* Cùm ergo Beata Virgo ait, in populo honorificato, impleuit certè, quod ei iussum fuerat à Domino: *In electis meis mitte radices*; scilicet deuotionis, & amoris tui. Addo his testimonijs illud Sapient 10. *In fraude circumuenientium illi affuit, & custodiuit eum ab inimicis, & seductoribus tutauit illum, & dedit illi claritatem æternam.* Quibus consonat illud Ecclesiast. cap. 6. *In omni animo tuo accede ad illam, in nouissimis inuenies requiem in ea.*

Rom 9. 1. Reg. 2. Sapien. 10. Eccl. 6.

Ad extremum rationibus idem intentum confirmare pergo. Prima sit, quia Deus Optimus Maximus voluit electis suis Beatam Virginem in singularem Matrem dare, vt satis indicant verba illa Genes. cap. 3. *Inimicitiam ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius.* Sicut enim reprobi semē serpentis sunt, ita prædestinati, qui Christum naturalem Virginis filium caput suum, & parentem agnoscunt, etiam huius benedictæ mulieris spirituale semen censentur, vt latè docet Rupertus libr. 2. de victoria verbi Dei, cap. 16. & Sanctus Antoninus 4. part. titul. 15. capit. 14. §. 6. Vnde respectu horum filiorum spiritualium Beatæ Virginis Christus Dominus dicitur primogenitus, vt loquitur Diuus Paulus ad Roman. cap. 8. *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Ad quod respiciens Diuus Bonauentura in speculo Beatæ Virginis capite 8. dixit: *Benedictus frater, per quem Maria est nostra Mater, & benedicta mater, per quam.* Hinc ergo fit, quod sicut Deus, tanquam auctor naturæ, agniculo instinctum præbuit, quo ex balatu propriam matrem inter mille oues agnoscit, & ad eius vbera fidenter accurrit, ita ipse, quatenus auctor gratiæ, prædestinatis gratiam infundens, hoc singulare tribuit, vt Beatam Virginem singulari amore diligāt, & in eam affectu valdè filiali propendeant, & misericordiæ illius vbera appetant. Secunda ratio in eo fundatur, quod omnes prædestinati, quotquotiā Deo fruuntur in Ecclesia militante, singulari deuotione, & amore Beatam Virginem prosequuti fuerunt, vt propterea Dauidicum illud elogium Psal. 44 *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* De Sanctis singulari deuotione erga Virginem affectis, meritò intellexerunt grauissimi Ecclesiæ Patres, Diuus Athanasius sermone de Deipara, Beatus Andreas Cretensis orat. 2. de dormitione Virginis, Diuus Damascenus oratione 1. de Natiuitate, & Gregorius Papa Secundus in epistola de Germano, quæ habetur in 7. Synodo, Actor capite 4. Sicut ergo prædestinati Ecclesiæ militantis Beatam Virginem filiali amore tanquam Matrem prosequuti sunt, ita & prædestinati Ecclesiæ militantis similiter prosequuntur; vnde propterea Canticor. 7. dicitur Deiparæ: *Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus lilijs* Quoniam, vt alibi dixi, ex Diuo Epiph. sermone de laudibus Virginis, Christus granum frumenti in Cruce mortuum multum fructum attulit, & sic prædestinati omnes velut acerus tritici ex Christi passione multiplicati in vtero Virginis Beatissimæ, tanquam spirituales eius filij continentur, eo modo, quo in vtero Rebeccæ in duobus geminis Iacob, & Esau, duos populos fuisse sacra Genesis commemorat Historia.

Psal. 44. D. Athanas. D. Andreas Cretens. D. Damas. Greg. Papa. Cant. 7. D. Epiph.

Tertiam rationem subijcio, quia inter alia celeberrima Virginis epitheta, insigne est *Stella maris*, vnde illo vtitur Ecclesia Catholica in hymno *Aue maris stella*, quod propterea inter pleraque alia præclarè in eam conuenit, quia

Genes. 15.

sicut per mare nauigantes, per stellam maris ad optatum portum cursum dirigunt, & perueniunt, ita per B. Virginē quotquot ad illam se conuertunt, diriguntur ad portum salutis æternæ. Ac tandem illud in idem argumentum obseruatione dignum est, quòd Christus Dominus, quos singulari amore prosequitur, eosdem Deiparæ clientelæ committit, vt Ioannem discipulum, quem diligebat, Virgini ex Cruce pendens in filium tradidit, *Ecce filius tuus*. Legimus in vita S. Eleazarij Comitis Ariani c. 14. Garsendam nobilem, & sanctam matronam, cùm pro S. Eleazario, quem nutrierat feruenter oraret, corporeis auribus audiuisse Christum, sibi dicentem: *Inueni huic, pro quo tam multum oras, nouerís me matrem meam dedisse magistram; nihil igitur de illo dubites*. Et in reuelationibus B. Gertrudis lib. 3. cap. 1. *Exspirituali* (inquit) *quadam reuelatione dum intellexisset sancta Virgo Gertrudis sibi in augmentum meriti aliquid aduersitatis imminere, & inde ex humana fragilitate trepidaret; pius Dominus ipsius fragilitati condescendens, misericordem Matrem suam inclytam Cœlorum Reginam, Imperatricem, illi dedit in matrem, benignamq; dispensatricem, vt quantumcumque nimietate aduersitatis supra vires grauaretur, semper ad ipsam Matrem misericordiæ securum haberet recursum; cuius interuentu se sciret alleuiandam. Post hæc breui interuallo temporis elapso, cùm valdè grauaretur, recurrit ad desolatorum consolatricem, cupiens ab ea doceri, quid tunc sibi magis expediret, & ab ipsa opportunum responsum accipere meruit*. Et li. 4. earundem reuelationum ca. 49. in vigilia Assumptionis, cum cantanda esset missa, cùm ex intimo cordis affectu B. Gertrudis, lecto decumbens, deprecaretur Dominum, vt sibi apud dulcissimam matrem suam dignaretur fauorem, & gratiam obtinere, cui ipsa, vt sibi videbatur, nunquam debitum obsequium exhibuisset, Dominus se in amplexus matris amicissimos declinans, exhibuit ipsi omnem filialem dilectionem, qua erga eam affectus fuerat, dicens: *Rogo te Domina mater amantissima, quòd peccatoribus ego propter te sim propitiatus, & respice hanc electam meam eo affectu, ac si omnibus diebus vitæ suæ tibi placita, summaque deuotione seruisset: ad quod Virginea mater, quasi tota liquefacta, & in melleam dulcedinem resoluta, se totam huic cum beatitudine sua ob amorem filij videbatur impendere*: Hæc ibi. Ex quibus omnibus infero per argumētum à contrario, quòd sicut pietas, & conuersio in Virginem, signum est æternæ prædestinationis; ita auersio à Virgine, & defectus pietatis in eam, signum est æternæ reprobationis, ad quod Salomon in persona Virginis loquens, dixit Prouerb. 8. *Qui in me peccauerit, lædet animam suam: omnes qui me oderunt, diligunt mortem*. Vnde D. Bonauentura tomo 2. opusc. de psalt. B. Virginis, inquit: *Qui dignè coluerit illam, iustificabitur, qui autem neglexerit illam: morietur in peccatis suis*. Hoc etiam idem mihi significasse videtur Ecclesiasticus, dum B. Virginem cum rosa componit, dicens: *Quasi plantatio in Iericho*. Etenim sicut ad rosam frequenter apes conueniunt, & eius virtute fruuntur; atri verò scarabæi fragrantiam odoris illius ferre non valentes, longè ab ea discedunt, ita prædestinati, velut argumentosæ apes ad mysticam rosæ Mariam conueniunt, vt mira eius virtute fruantur. Reprobi verò tanquam spurcissimi scarabæi, eximiæ suæ sanctitatis fragrantiam sustinere non potentes, ab ea longè se sequestrant, Cui sit honor, & gloria in sęcula sæculorum. Amen.

Ioan. 19.
S. Eleazar.
B. Gertrud.
Prou. 8.
D. Bonauen.
Eccl. 24.

HOMI-

HOMILIA III.

Apponuntur obsequia varia, à Virginis cultoribus præstanda, per quæ tanquã per efficacissima media affectum deuotionis erga Deiparentem, diuinæ irrorante gratia, comparare, & fouere facilè poterunt.

INter omnes filios, quos Deipara Virgo spiritualiter Christo peperit, sicut nullum Ioanne Euãgelista chariorem, vtpote ab ipso Iesu in pignus amoris sui à ligno pendente ei donatum, ita nullum illo obsequentiorem, & in famulando virgini diligẽtiorem fuisse arbitror. Quare, vt debitè Virgini inseruiamus, meritò illum in vnum exemplar ad imitandum nobis proponere deberemus, in eo tamen præsertim, vt absque vlla interposita mora, incunctanter incipiamus Virgini deuotè famulari: sicut enim Sanctus Ioannes, vbi à Christo, è Cruce suspenso, audiuit: *Ecce mater tua*, affectu filiali erga tantam parentem accensus, *ex illa hora accepit eam in sua*; ita & nos filiali amore Virginem prosequentes, nulla interposita mora, Ioannis exemplo admoniti, eam in propria cordis penetralia, singulari pietate, amore, & deuotione recipiamus. Certè probatio amoris exhibitio est operis, iuxta illud 1. Ioannis 3. *Filioli non diligamus verbo, & lingua, sed opere, & veritate*, quod & lumine naturæ solum illustratus docuit Aristoteles 1. Rhetor. capite decimoquinto, vbi cum personas recensuisset, quibus amor, & honor esset impendendus, statim subijcit varia opera, quibus ille manifestari debet: *Partes* (inquit) *honoris sunt sacrificia, monumenta, & versibus, & sine versibus, præmia, luci, processiones, sepulchra, statuæ, victus publici, adorationes, conspectus, euitationes, munera, quæ apud singulas gentes pretiosa sunt.* Hæc ille. Ex quibus satis vtique innotescit, etiam apud ethnicos homines amoris, & honoris testificationem obsequiosis operibus declarari solitam. Est tamen apprimè obseruandum, quòd præcipua conditio ad illa exhibenda, est accurata mandatorum Dei obseruatio, cauendo ab omni peccato mortali, ipsa Beata Virgine è cœlo clamante famulis suis, quod olim ministris in nuptijs Canæ Galilææ, *quodcunque dixerit vobis, facite*; vnde & quod per Dauidem Dominus dixit, in Virginem conuenit: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Inter hæc igitur obsequia Virgini præstanda, primo loco illud adscribendum censui, vt qui se Deiparæ Virgini famulatui mancipare, ac deuotionem eius ex corde profiteri cupit, hãc, quam mox subijcio, huius professionis formulam, semel cordiali amore erga tantam matrem recitet, inuocatis pro testibus, & intercessoribus, sanctis, quos ipse peculiares patronos habet, eamque in solemnioribus Virginis festiuitatibus renouet: formula hæc est: *Sanctissima Virgo Dei Genitrix Maria, ego N. licet vndecunque indignissimus, qui in numerum seruorum tuorum recipiar, fretus tamen pietate tua admirabili, & impulsu tibi seruiendi desiderio, eligo te hodie coram Beatis Archangelis Michaele, Gabriele, & Raphaele, Angelo item meo custode, & coram Sanctis Ioachimo, Anna, Ioseph, Ioanne Baptista, Petro, Paulo, Ioanne Euangelista, & coram Sanctis N.N. & Curia Cœlesti vniuersa in meam peculiarem Dominam, Patronam, ac Matrem, firmiterque statuo, ac propono me tibi ex hoc tempore semper obtemperaturum, ac fideliter famulaturum, atq; vt ab aliis quoque tibi seruiatur, pro viribus meis effecturum. A te ergo Mater piissima per sacratissimum filij tui Iesu Christi Domini nostri, qui pro me effudit sanguinem, peto suppliciter, vt me in numerum deuotorũ tuorum adscribere, & in seruum tuum perpetuum admittere digneris. Adsis mihi in actionibus meis, gratiamque mihi à filio tuo impetres, vt in cunctis meis cogitationibus, verbis,*

& operibus, ita me geram, nihil vt vnquam tuos, tuique filij oculos offendam: ac memor sis mei, nec me deseras in hora mortis meæ; ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria. Amen. Vt autem hanc oblationem, qua Virgini Deiparæ nos deuouemus, aliquo veterum exemplo confirmemus, attexam hoc loco id, quod Cæsarius libro septimo miracul. cap. 39. de Walthero de Birbach viro potēti, ac nobili, & Ducis Louanij consanguineo, qui in sæculari militia satis strenuus, celebre nomen erat consequutus, scribit his verbis: *VValterus* (inquit) *sanctam Dei Genitricem ab ipsa puericia cœpit inuocare, & ex intimo cordis affectu diligere, atque ieiuniis, eleemosynis, & Missarum celebrationibus honorare. licèt enim corpore deditus esset torneamentis, corde tamē totus erat in obsequio Beatæ Virginis.* Deinde cum nonnulla Deiparæ in eum beneficia narrasset Cæsarius, subijcit: *Considerans* (inquit) *VValterus adhuc in sæculo positus, tanta circa se B. Dei Genitricis beneficia, in tantum in illius amore accensus est, vt in quadam paupere Ecclesia, in eius honore dedicata, conscio sacerdote, fune collo suo iniecto, seruum glebæ se illi super altare offerret, soluēs singulis annis censum de capite suo, qualem serui originarij soluere consueuerant: & quia propter honorem Reginæ cœlestis se tam valdè humiliauit, ipsa suum dilectum valdè glorificauit.* Hæc Cæsarius. Quæ porrò beneuolentiæ signa Deipara huic Waltero antea ostenderit, colligere licet ex quadam re planè admirabili, quam Cæsarius eodem loco recenset: *Cùm* (inquit) *quodam tempore inter multos VValterus stans, Missam audiret, Sacerdos, vt in canone Calicem leuauit, crucem auream sub eius pede conspexit, cui annexa fuit cartula, hæc continens verba: Crucem hanc defer ex parte mea (Mariæ, scilicet matri Christi) amico meo VValtero militi prope Birbach, quàm cum Sacerdos legisset, post cōpletionem Missæ pulpitum ascendit, & clamauit: Estne aliquis hic miles, qui vocetur VValterus de Birbach? respondentibus quibusdam: ecce ille est, Sacerdos eum seorsum duxit, crucem porrexit, & vbi illam inuenerit, vel quis miserit, intimauit, quam lætus suscipiens, in cœnobio Hemmenrode, postea conuersus, eam Abbati resignauit.* Et infra subdit: *Cuius Crucis aurum tanti est fulgoris, vt omne aurum in eius pallescat comparatione.* Hæc Cæsarius. Hic porrò Walterus, non solum Cistercienſem ordinem in monasterio, quod Hemmenrode dicitur, ingressus est, vbi Cæsarius eiusdem Cœnobij monachus, qui hęc literis mandauit, eum familiariter cognouit: sed etiam ibi vitam duxit sanctitate, & erga Virginem pietate cōspicuam. Tandem Dei Genitrice eum vocante, transiuit ad patriam miraculorum signis, quæ loco citato recensentur, post obitum clarus.

Cæsarius.

Idem.

Secundum obsequium Virgini impēndendum illud est, vt quotidie cum primus è lecto surgit, præmissa salutatione Dominica, & Angelica, hanc assuescat sui recommendationem B. Virgini facere, quam in officio Ecclesiastico reperio: *O Domina mea sancta Maria, me in tuam benedictam fidem, & singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ, hodie & quotidie, & in hora exitus mei, animam meam, & corpus meum tibi commendo, omnem spem meam, & consolationem meam, omnes angustias, & miserias meas, vitam, & finem vitæ meæ tibi committo, vt per tuam sanctissimam interceßionem, & per tua merita omnia mea dirigātur, & disponantur opera, secundùm tuā, tuique filij voluntatem.* Deinde hac recommendatione finita, hæc præsertim beneficia postulet, à Christo sibi impetrari remissionem peccatorum, extinctionem illius vitij, quod in se magis dominatur, præseruationem ab omni peccato mortali, donum perseuerantiæ, ac ardentem amorem erga ipsam Deiparam. Vesperi autem ante cubitum, præmissa similiter oratione Dominica, & Angelica, hac vtatur recommedatione, quam officium paruum B. Virginis tradit: *O Maria Dei Genitrix Virgo gratiosa, omnium desolatorū, BV. ad te clamantium, consolatrix vera per illud magnum gaudium quo consolata es quando cognouisti, Dominum Iesum die 3. à mortuis impassibi-*

Off. Eccles. mane

Off. paruum BV. Vespe.

possibilem resurrexisse, sis consolatrix animæ meæ, & apud eundem tuum, ac Dei natum vnigenitum, in die nouissimo, quãdo cum anima & corpore ero resurrecturus, & de singulis meis factis rationem redditurus, ne digneris iuuare, vt perpetuæ damnationis sententiam, per te pia Mater, & Virgo, valeam euadere, & cum electis Dei omnibus ad æterna gaudia fœliciter peruenire.

Tertium obsequium est, quod famulus Virginis assuescat, antequam domo egrediatur, vt Virgini beatissimæ, veluti peculiari suæ Dominæ, in cubiculo, coram eius imagine, se, suaq; negotia peragenda commendet, ac sub eius amplissimo pallio, hoc est, peculiari patrocinio, tantisper se cogitatione sistat, eoque munitus præsidio, contra varias hostium, tum visibilium, tum inuisibiliũ insidias, quæ plurimæ passim occurrũt, foras exeat, salutationem Angelicã recitet, & ab ea, eiusq; filio, veluti exeundi veniam, benedictionemq; petat illo versiculo:

Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria.

Idem quoque tibi præstandum erit, vbi domum reuersus in cubiculum te receperis, & profecto ea ratione seruabimus id, quod D. Hieronym. epist. 22. inter alia monita virgini Eustochio, alijsque religiosam vitam instituere volentibus, cãtopere commendat illis verbis: *Egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat, antequã sessio, nec prius corpusculum requiescat, quàm animus pascatur.* Sic ille. Vnde de Deipara per eam occasionem salutanda, Lanspergius in ordinario breui manuscripto de ratione viuendi Carthusianorũ egregiè sic monet: *Persoluto sacro, & redditis debitis gratiis rediens ad cellam, ad imaginem B. Mariæ paulisper subsiste, aut si festinato intrandum est, dum claui reseras ostium, ora Matrem Dei, vt te adoptet, teneat, possideat in filiũ. Cellam ingressus, primum sit, quod ante omnia facias, vt in oratorio ad orationem procidas, B. Mariam cellæ Patronam, ac Dominam salutaturus: dic ergo mente deuota vnũ Aue Maria.* Hæc ille.

D. Hieron.

Lansperg.

Quartum obsequium sit, vt speciali deuotionis affectu, & quoad fieri possit, frequenter salutationem Angelicam recitet, ad quem affectum excitandum, commentarium hunc, Laconico (vt aiunt) stylo scriptum, in salutationẽ Angelicam accipe, variã meditationis materiam tibi subministrantem. *Aue:* hoc hoc est, gaude, causa autem huius gaudij multiplex est: scilicet, quia in matrem Dei diuinit⁹ electa, quia originalis maculæ expers, quia gratia plena, quia Spiritus in te superueniens obumbrauit, quia Dominus tecum, quia benedicta tu in mulieribus, quia Deum Virgo concepisti, quia permanens Virgo eundem peperisti, quia benedictus fructus ventris tui, quia filium varijs modis exaltatum vidisti, quia antiquum serpentem superasti, & cunctas hæreses interemisti, quia filio tuo, Deo & Domino frueris, & cum illo in æternum coregnabis. *Maria,* dulcissimum, ac mellifluum nomen, quod interpretatur amarum mare, maris stella, illuminata, illuminatrix, Domina, dominans, guttula, spes imitatrix Dei, Deus ex genere meo, quæ omnia meditanti miram præconiorum Virginis materiam subministrabunt. *Gratia plena.* Certè à principio suæ creationis, plenior Seraphinis, filium Dei concipiens, superplena, non solum gratia gratum faciente, sed gratijs gratis datis, in morte plenissima, in Assumptione supereffluens, quippe quæ instar pretiosi vasis, liquore pleni, precibus nostris mota, varios fauores in nos fundit. *Dominus tecum,* quia est pater tuus, filius tuus, spõsus tuus, tecum omnipotentia Patris, tecum sapientia Filij, tecum bonitas Spiritus sancti, tecum Dominus, qui pariter est tuus, qui ex te carnem assumere dignatus est. *Benedicta tu in mulieribus,* quæ cœlestibus benedictionibus cumulata super omnes puras creaturas, nullius etiam leuis maledictionis particeps vnquam fuisti. Benedicta tu inter coniugatas, quæ pariter Virgo, & ma-

& mater fuisti, & mater non cuiuscumque, sed Dei Benedicta, quia absque dolore maledictionis filium peperisti. Benedicta, quia maledictionem communis conuersionis in pulueremeuasisti. Benedicta tandem tu ab Angelo Gabriele, ab Elisabeth, à Simeone, ab Anna Prophetissa, à Marcella exclamante: Beatus
Luce 11. venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. Benedicta ab omnibus generationibus terrestribus, & cœlestibus. Benedicta tandem à Domino Deo tuo. *Benedictus fructus ventris tui*, Iesum, prolem vteri tui benedixerunt Angeli in Natiuitate, Simeon & Anna in Templo, pueri Hebræorum in die Palmarum acclamantes: Benedictus, qui venit in nomine Domini; ac tandem, vt loquitur Di-
Apoc. 5. uus Ioannes Apocalypsis capite quinto. Omnis creatura, quæ in Cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, omnes pariter agnum benedicũt. Fructus sanè ita benedictus, vt maledictionem, quam immisit fructus ligni prohibiti, ipse ex ligno pendens deleat, & gustatus vitam reparet: talis est etiam fructus ventris tui, vt sit hæreditas Domini, & merces Beatorum in cœlo; talis denique est fructus ventris tui, vt sit idem, quem generauit vterus Patris æterni, in eoque excedit fructus ventris tui, quòd ex eo carne indutus, egrediẽs, vtilior nobis, quàm ex vtero Patris prodiuit: quo nihil excellentius dici potest. *Iesus* interpretatur Saluator, & medius, quod munus excellentius præ reliquis, erga Beatam Virginem ipse exercuit: alijs enim medicinam subleuatiuam post casum præstitit; Virgini matri vero suæ præseruatiuam parauit. Nomen tãdem Iesus sanctum est, & laudabile, magnum, & admirabile, tremendum, ac terribile, celebre, & glorioſum, ita vt ad illud omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, nomen dura peccatorum corda emolliens, deuotionis ignem nutriens, conscientiam exhilarans, imbecilles roborans: in laude est dulce cãticum, mel suauissimum, in corde nectar cœleste: quæ omnia nõ ignorans Diuus Augustinus de contritione cordis capite 5. tom. 9. dicebat: *Iesu propter nomen tuum dulce, fac mihi secundùm* D. August.
nomẽ tuum, Iesu obliuiscere superbum, te prouocantem, respice piè miserum, te inuocantem: Iesu nomen tuum dulce, nomẽ delectabile, nomen confortans peccatorem, & nomen beatæ spei quid est enim Iesus nisi Saluator? ergo propter temetipsum Iesu, esto mihi Iesus, esto mihi Saluator benignus: noli Domine, noli attendere sic malum meum, vt obliuiscaris bonum tuum: ô bone Domine Iesu, & si ego admisi, vnde me damnare possis, tu non amisisti, vnde saluare soles. Sancta Maria: sancta anima, sancta intellectu, volũtate, appetitu sensitiuo, & omnibus eiusdem animæ potentijs; sancta corpore, sancta omnibus eius sensibus, sanctaq; vtero suo, filium Dei concepit; sancta, cuius virgineum clausſtrum, etiam parturiẽs, inuiolatum permansit; sancta vbera, quæ lactauerũt Christum Dominum; sancta omnia, & singula eius membra, quibus Christo Domino, & præsertim infanti, varijs modis inseruiuit, ac ministrauit: quod si sanctum, idem est quod mundum, in his omnibus, & singulis, quæ commemoraui, mira præfulget Virginis mũditia: *Mater Dei*; quæ cum sis Genitrix Dei, qui est omne bonum, cui vni quicquid boni habemus, acceptum referimus, à quo bona cuncta speramus, cui tot nominibus tantum debemus. Ideò tu præ omnibus, secundùm Deum, summa charitate, atque amore à nobis es diligẽda, quæ cum ex hac maternitate Dei, dignitatem quandam infinitam sis assequuta, singulari propterea reuerentia, & adoratione, quam vocant hyperduliam, præ cæteris Sanctis est colenda; quæ propter hanc intimam cum filio cõiunctionem, & apud ipsum vales auctoritate, vt magna fiducia sub tuum præsidium confugere possimus, quò apud eum pro nobis intercedere, & quę saluti nostrę sunt necessaria ab eo impetrare digneris:

quid

quid enim negabit matri ostendenti pectus, & vbera? Tu es illa terra nostra à Domino benedicta, quæ, dante Domino benignitatem, dedisti fructum tuum, & germinasti Saluatorem. Tu es mulier illa fortis à Salomone, multis encomijs celebrata; quæ facta es quasi nauis institoris, de longe, hoc est, de cœlo, portans panem tuum, Christum scilicet, qui est panis vitæ, & hūc panem viuum, qui de cœlo descendit per tuum partum Virgineum enixa in Bethleem, quæ domum panis sonat, exposuisti. Tu es fons ille paruus à Mardochæo per somnium visus, qui creuit in fluuium maximum, & in lucem, solemq; conuersus est, & in aquas plurimas redundauit, vt propterea ab Epiphanio, Damasceno, & alijs fons lucis æternæ, quæ illuminat omnem hominem, meritò appelleris: ex te enim ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster, qui de se ipse dicebat: *Ego sum lux mundi. Ora pro nobis.* Diuus Bernardus sermone secūdo, de Aduētu, in hunc modum precatur beatam Virginem. Domina nostra, mediatrix nostra, aduocata nostra, tuo filio nos commēda, tuo filio nos reconcilia, tuo nos filio repræsenta, cum sis vera Dei Genitrix, ac proinde Regina cœlorum, Domina item Angelorum, atque hominum. Idcircò nos seruos, ac famulos tuos opem tuam humiliter implorantes, precibus ac meritis tuis defendere, ac protegere dignare, cum mater nostra vocari non dedigneris. Idcircò pro nobis filijs tuis, licet indignis, sub tuum præsidium confugientibus, apud sacratissimum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum quęsumus intercedere digneris, cum mater misericordiæ, mediatrix item & aduocata nostra meritò voceris, ad nos gementes, & flētes in hac lachrymarum valle, illos tuos misericordes oculos conuerte, & clientum tuorum, piè te inuocantium, patrocinium apud iudicem filium tuum, vt suscipias, enixè rogamus. *Nunc*: hoc est, in hac præsenti vita, quę veluti nunc, instans indiuisibile, velox est, breuis, ac momentanea. Nunc, quia ex huius spatio nihil habemus, præter hoc præsens nunc, fugax, & indiuisibile: præteritum enim præterijt, & ignoramus, quantum nobis vitæ in futurum supersit. Nunc, dum in hoc exilio, & valle lachrymarum sumus, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, quando adhuc tempus est misericordiæ, antequam veniat nox, quando nemo potest operari. Nunc igitur ad te clamamus, ad te suspiramus gementes, & flentes, vt Iesum benedictū fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostendere digneris. *Et in hora mortis nostræ.* Nos omnes tuum suppliciter imploramus auxilium, vt in extrema illa, & periculosa pugna, qua callidus serpēs nostræ vitę calcaneo insidiatur, tu Dei Genitrix nos ab eodem hoste protegere, eiusque caput conterere digneris, vt iustificationis gratiam, & in accepta iustitia magnum illud, vsque in finem, perseuerantiæ donum, quod sine speciali Dei auxilio haberi non potest, nobis efficaciter impetrare, & in hora mortis nos suscipere, filioq; tuo præsentare digneris.

D. Epiphan.
D. Damasc.
D. Bernard.

Illud etiam in salutatione Angelica obseruatione dignum censui, omnia scilicet contenta in ea ita inter se connexa, vt primum rationem reddat secundi, & in secundi tertium, & sic de alijs, vsque ad vltimum. Quare Virgo salutatur per *Aue*, quia est *Maria*, amarum mare, maris stella, Domina, & illuminata; quare sic Maria? quia *gratia plena*; quare gratia plena? quia *Dominus tecum*, qui fons est gratiæ, liberaliter eam tanquam futuram matrem suam effundēs; quare Dominus tecum? aptam te reddens, vt sis mater Dei, quia *benedicta tu in mulieribus*: hoc est sanctior præ omnibus fœminis; quare benedicta tu in mulieribus? quia *benedictus fructus ventris tui*: origo enim sanctitatis matris sanctitas filij fuit: nec enim fructus benedictus

dictus fuit, quia arbor benedicta erat; sed contra benedicta arbor, quia fructus eius benedictus erat; quare *benedictus fructus ventris tui*, sanè quia Iesus, hoc est, *Saluator mundi*, cui, quia Saluator, non solum competit sanctitas creata gratiæ habitualis, & vnionis hypostaticæ, sed sanctitas increata Dei, cum ipse sit Verbum Patris, ei consubstantiale. Propter hæc ergo tam stupenda in te patrata mysteria; *Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus*, vt à morte perpetualiter vitam æternam consequamur.

Quintum obsequium valdè singulare docuerunt me nonnulli insignes viri, nimirum vt perenti quippiam propter amorem Virginis, aut in eius nomine polliceatur, vel saltem proponat, nunquā id negaturum: ita fuisse irrefragabilem nostrum Doctorem Alexandrum Alensem, scribit Sanctus Antoninus 3. parte historiarum tit. 24 capite octauo, §. primo. Cùm enim esset hic Doctor Parisijs, & ex singulari ad Virginem deuotione, nihil se negaturum eius amore, quidquam postulanti vouisset, à quodam fratre ex Ordine Minorum, Virginis amore rogatus, vt illum Ordinem ingrederetur; quamuis tanta, & tam inopinata petitione territus, à Deo tamen intus permotus, se id illico facturum statim respondit, idque Virginis amore & opere præstitit; & Ordinem nostrum mirum in modum sua doctrina illustrauit. Quare non sua tantum, verum & seipsum propter Deiparam tradidit, adeò vt verba illa Apostoli 2. ad Corinthios capite vndecimo sibi vsurpare posset, Deiparam alloquens: *Ego pro te Virgo Beatissima libenter impendam, & superimpendar ipse.* Surius etiam die 24. Septembris de Sancto Gerardo Martyre, & Episcopo Canadiensi in Hungaria, hæc scribit: *Si quis reus ab ipso veniam peteret per nomen Matris Christi, mox eo audito, lachrymis perfundebatur, & reum in gratiam humanissimè recipiebat.*

D. Antonin.

2. *Cor.* 11.

Surius.

Sextum obsequium à sanctis viris satis vsitatum, maceratio corporis est in honorem Dei parentis, præcipuè tamen ieiunium in die Sabbati, & in vigilijs festiuitatum eiusdem Virginis: id enim pergratum esse Deiparæ Virgini, miracula & beneficia in illud præstantes ab eadem Virgine collata satis apertè indicant, quorum meminit Cæsarius libro septimo, capite 39. Vincentius Beluacensis in Speculo Historiarum libro 7. capite 102. & 103 & Chronica Priorum domus Carthusiæ, necnon Petrus Abbas Cluniacensis libro secundo Miraculorum cap. 29. & nos etiam multa adducemus libro vlt. de mirandis Deiparæ Virginis.

Cæsarius. Vincen. Beluacen.

Septimum obsequium est, idque magni momenti ad acquirendam, augendam, & fouēdam deuotionem erga beatam Virginem, frequens exercitium est interiorum animæ affectuum, quos erga eandem beatissimam Virginem excitare debet: ad quod melius præstandum, præmittere oportet varios actus fidei, firmissimè credens excellentiam beatæ Virginis super omnes puras creaturas, virginitatem & maternitatem eius, & alia permulta eius charismata, & prærogatiuas: deinde in memoriam reuocare clementiam, & liberalitatem eius, ac indicibilem potentiam, ad impetrandum quæcunque opus habemus, ad vitam æternam consequendam: hac enim, vel simili alia cognitionis face præeunte, cōtinuò conari debet varios in voluntate excitare affectus tum adorationis, & reuerentiæ, tum feruētissimi amoris, tum fiduciæ, tum tandem congratulationis; qua vtens Diuus Hilarius hom. 2. de natiuitate Christi, sic Virginem congratulatur: *Agnosce ô verè B. Virgo Maria gloriam tuam, illam* (inquam) *gloriam, quam tibi vel Angelus nūciauit, vel Ioannes per os Elisabeth Matris adhuc de secreto vteri prophetauit. Benedicta itaque tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, & vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini ad me? Exulta mater salutis humanæ: ecce Domini mei vniuerso mundo*

D. Hilar.

mundo per tanta retro sæcula promissum, prima susciperè mereris aduentum: habitaculum immensæ Maiestatis efficeris: spem terrarum, decus sæculorum, commune omnium gaudium peculiari munere nouem mensibus sola possides. Initiator omnium rerum abs te initiatur, & profundendum pro mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit, ac de te sumpsit, quod etiam per te soluat. Refert etiam Diuus Bonauentura in speculo Beatæ Virginis cap. 9. quod Diuus Anselmus tanti hoc
B. Bonau. exercitium faciebat, vt diceret: *Assiduè rogandam esse Mariam, vt congratulatio beatitudinis eius sit semper apud nos, & compassio miseriæ nostræ sit semper apud eam.* Diuus etiam Bernardus ad congratulandum Virgini de eius gloria in hæc verba nos hortatur sermone primo de As-
B. Bernard. sumpt. *Vt interim sileam beneficia, quæ pro illius glorificatione consequimur; si eam diligimus gaudebimus vtique, quia vadit ad filiũ: plene, inquam, congratulabimur ei, nisi fortè, quod absit, inuentrici gratiæ omnibus modis inueniamur ingrati.* Rectè ait Diuus Bernardus, si diligimus eam, congratulabimur, quia re vera cõgratulatio ex amore oritur, vt docet D. Thomas 2 2 quæst.
D. Thom. 28. art. 1. vbi loquens de gaudio ait: *Gaudium propter hoc, quod ipsi bono amato propriũ bonum inest, & conseruatum ex amore causatur, & hoc maximè pertinet ad amorem beneuolentiæ, per quam aliquis gaudet de amico prospere se habente.* Vnde opusc. 301. docet, in patria Beatos Deo congratulari in omnibus etiam operibus suis. Equidem si S. Agnes, id referente Diuo Ambrosio libro quarto epistol. 34 editionis Romanæ, parentibus suis, ad eius sepulchrum vigilantibus, virginum choro
D. Ambr. comitata dixit: *Congaudete mecum, & congratulamini mihi, quia cum his omnibus lucidas sedes accepit, & illi sum iuncta in Cœlis, quæ in terris posita, tota intentione dilexit;* quanto potiori iure B. Virgo, quæ super omnes Seraphinos exaltata, & à dextris filij sui sedens, iuxta illud Dauidis: *Astitit Regina à dextris tuis; à nobis, vt par est, expostulat congratulationis affectũ.* Huic cõgratulationis exercitio valdè deditum lego Carolum Beat. Brigittæ filium, qui propterea, vt habetur libro 7. reuelatio-
Lib 7 reuel. S. Brigit. num cap. 13. à morte æterna fuit liberatus: etenim dæmon cõquestus fuit apud supremum Iudicem, quod Beata Virgo animam Caroli è corpore egredientem, è manibus suis eripuerit; B. autem Virgo in hæc verba respõdit, valdè quidem notanda: *Dum hæc anima in corpore erat, magnam charitatem habuit ad me, reuoluens hoc sæpius in corde suo, quod me Deus suam Matrem dignatus fuit facere, & quod super omnia creata me sublimiter voluit exaltare, & ex hoc tanta charitate cœpit Deum diligere, quod in corde suo dicebat sic: in tantũ ego gaudeo, quod Deus Virginem Mariam matrem suam habet super omnia charissimam, quod nulla creatura, vel corporalis delectatio est in mundo, quàm ego in permutationem illius gaudij reciperem: imò illud gaudium omnib. terrenis delectationibus præferrem, etsi possibile esset, quod ipsa in vno puncto minimo à dignitate, in qua est, à Deo remotior fieri posset; ego magis mihi in permutationem eligerẽ, in profundo Inferni æternaliter cruciari; & idcircò sit ipsi Deo pro bene dicta gratia illa, & immẽsa gloria, quam dedit suæ Matri dignissimæ, infinita gratiarum actio, & gloria sempiterna. Ergo ô diabole, vide modo cum quali voluntate iste obijt, quid itaque tibi videtur? vtrum magis iustum erat, quod anima eius in meam veniret defensionem ante iudicium Dei, an in tuas manus impiè cruciandas?* respondit diabolus: *non est mei iuris, quod illa anima in meas manus veniret, quæ te diligit plus quàm se, antequam iudicium factum sit.* Hæc ibi. Sed & illud, si tã ę Matris filos obseruãtes esse profitemur, valde nos impellere deberet ad gratulationis affectum erga Beatissimam Virginem exercendum, quod ipsa enixè à nobis illum expostulat, dum in officio Ecclesiæ Romanæ in die Sanctæ Mariæ ad Niues ait: *Congratulamini mihi omnes gentes, quia cum essem paruula, placui Altissimo, & de meis visceribus genui Deum, & hominem.* Auditam autem fuisse ab omnibus hanc Virginis

D. Iacob. petitionem, teſtatur D. Iacobus in ſua lithurgia, dum ait: *Tibi ô plena gratia, vniuerſa creatura gratulatur, Angelorum cœtus, & hominum genus teſtatur.* à quibus non diſſident illa D. Bonauenturę, in litanijs beatæ Virginis dicentis: *Sancta Maria, cui Sancti, & Sanctæ congratulantur.* Verum quia Diuum Paulum audio dicentem ad Roman. 12. *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flētibus*; non ſolum cum Virgine de eius bonis & gaudijs congaudere, & congratulari nos oportet; ſed & de eius doloribus acerbè condolere. Hi tot fuere, vt Rupertus in Cant. cap. ſecundo dicat: *Maria fuit lilium inter ſpinas, quia quæcunque ſpinæ filium, eædem matrem confixerunt, & lacerarunt vulneribus compaſſionis.* Et vt lego in Reuelat. S. Brigittæ, S. Agnes dixit: *Tot ictus gladij Virginem ſuſtinuiſſe per compaſſionem, quod in ſuo filio vulnera videbat.* Tantæ ergò matri tam dira patienti, ac tam acerbis doloribus confectæ æquum eſt condolere, & compati. Præcipui autem dolores, quos Virgo pertulit, ad ſeptem, ſicut & gaudia, reuocantur, ad cruentam Circumciſionem, fugā in Ægyptum, triduum, quo puerum Ieſum perdidit; aſpectum, quo Chriſtum humeris ſuis grauiſſimū crucis pondus geſtantem, vidit, ignominioſam eius crucifixionem, & mortem, diræ lanceæ vulnus, ac tandem depoſitionem eius de cruce, cum inter brachia ſua illum ſuſcepit: qui dolor per totum triduum vehementiſſimè animam Virginis ſauciabat, iuxta vaticinium Simeonis: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, ſcilicet mortis Chriſti.

Rom. 12. Rupert. S. Brigit. Luc. 2.

Octauum obſequium eſt, vt examine conſcientiæ præmiſſo, cum dormitum quis ſe confert, necnon præmiſſis actib. contritionis, Deiparam Virginem ſalutet, & deprecetur, vt ea nocte dignetur illum ab omni labe peccati immunem cuſtodire, & quietam faciat ducere noctem.

Ad extremum his obſequijs accedūt alia, quæ prolixitatis cauſa vitādæ, compendio percurram, hęc ſunt in feſtiuitatibus Virginis ſacrę confeſſionis, & Euchariſtiæ ſacramenta frequentare, Roſarium, aut Officium Virg. quotidie, vel certis diebus, & maximè Sabbatis recitare, quoties excitatur è ſomno, præmiſſo Gloria Patri, Virginē ſalutare per Aue, templa eius adire, altaria viſitare, imò ſi facultas adſit, erigere, donaria ei offerre, imagines eius religiosè exoſculari, aliquam illarum ſecum ferre, ante illā genu flectere, aut caput aperire, quoties videtur, breui aliqua antipho. aut oratione illam venerari, gratanter eius laudes ſcribere, proferre, legere, & audire: feſta eius ſpeciali religione cuſtodire; audito Mariæ nomine caput inclinare, immaculatam eius Conceptionem tueri, frequēter in proſperis & aduerſis ad illam, tanquam ad piiſſimam matrem confugere, litanias eius quotidie, vel ſtatis diebus, repetere in eius honorem eleemoſynam erogare, & maximè ad conſecrādas Chriſto virgines, aut orphanas nuptui tradendas: quoties pulſus horologij ſonat, toties illam reſalutare, Deum orare, vt donum deuotionis erga matrē ſuam ei conferat: ita orabat S. Bonauentura: *Dulciſſime Ieſu, dignare donare mihi miſero peccatori, matri tuæ dignè ſeruire.* Frequenter inſtare Virgini, vt extirpatione vitiorum, quæ magis illum vexant, acquiſitionem virtutum, quibus magis indiget, remiſſionem peccatorum, & donum perſeuerātiæ, ac fœlicem in Domino mortem ſibi impetrare dignetur. Cæterum, quia contingit, nonnullos feruētiores ſe exhibere in obſequijs virginis præſtandis, quam Chriſto Domino, placet hoc loco apponere, quod ex D. Antonino refert Auctor Pomerij, vbi hanc quæſtionem agitat in hæc verba: *Nunquid igitur peccant ij, qui videntur certè multò magis, & deuotius B. Virginem in veneratione habere, quam Chriſtum? nam plerique deuotiores ſunt ad ieiunandum ſabbatum in honorem Virgi. & vigilias feſtiuitatū eius, & ad dicendum Officium Virg. ampliori rene-*

D. Bonau. to. 2. opuſc. 2. libello in defectū religioſorum c. 2.

Auct. Pomerij lib. 2. p. c. 2.

reuerentia, quam faciant in ieiunijs, & officijs festiuitatum Christi, & amplius feruent in deuotione veneratiõis Beatæ Virginis, quàm Christi. Respondetur secundùm S. Antoninum Florentinum in 4 parte summæ, quòd tales magis ex simplicitate mouentur, quàm scientia; vnde licet nõ deberet fieri, quia tamen secundùm Damascenum, honor matris in filium redundat: patientiam habet Christus huius simplicitatis. Sanè etiam credere possumus, quòd vult Deus per Spiritum Sanctum inflammare multos ad Virginis matris deuotionem specialem, vt per eius merita salutem consequantur, & alij eorum exemplo ad deuotionem Virginis inducantur. Bonus quippè filius Dominus Iesus scit, quòd quidquid impenditur matri, non nisi propter Christum, ex ea natum, fit. Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

S. Antonin.

HOMILIA IV.

Prosequimur principale argumentum, de interna, & externa adoratione Deiparæ Virgini debita, agentes, vbi genuflexionum cultum valdè illi gratum, & ab Angelis, & à viris sanctis vsitatum, multipliciter ostendimus.

TRiplex esse adorationis genus cuncti Theologi vnanimi consensu docent cum Angelico Doctore 3. part. quæst 27. Etenim omnes diuidunt adorationem in latriam, duliam, & hyperduliam. Latria est cultus, soli Deo debitus propter excellentiam increatam, quam habet, ac supremum Dominium, quo super omnes creaturas principatur: ob hanc enim rationem D. Paulus dixit 1. ad Timoth. 2. *Soli Deo honor, & gloria*: etenim sicut, quia excellentia Dei, vt est in seipso singularissima; est nulli communicabilis, sic etiam singularissima adoratio, ei soli debita est, ita vt sicut propter infinitam eius bonitatem, debetur ei specialis dilectio super omnia, quę non potest alicui creaturæ tribui quantumcunque sublimi: ita ratione infinitæ eius excellentiæ, singularis adoratio; ac peculiaris infinitæ perfectionis illius æstimatio, ei debita est, atque hoc genus adorationis fuit, quod deferri sibi prohibuit Diuus Petrus Actor. 10. & Paulus, & Barnabas Actor. 14. Vnde D. Augustinus serm. 7. ad fratres in Eremo prę̃clarè dixit: *Quando duliam damus Sanctis, Deo verò latriam reseruamus, tunc damus nos, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Hæc ille. Et quidem cum adorationis latria sit actus quo Deo tanquam primæ causæ, & supremo omnium Domino nos subijcimus, consequens est, non posse hoc genere adorationis creaturam aliquam adorari: quòd adeò verum esse reor, vt tametsi humanitas Christi, & eius Crux latriæ adoratione veneretur propter illius vnionem cum Verbo, & huius cõtactum cum carne Verbi, necnon & illius significationem: alia tamen species latriæ est, distincta ab ea, qua Deus colitur: etenim hæc respicit intrinsecã sanctitatem, & excellentiam ipsius Dei: illa verò extrinsecam rei adoratæ. Dulia deinde est adoratio, quæ exhibetur sanctis propter excellentiam participatam sanctitatis. quòd si illa sanctitas sit singulari aliqua ratione præexcellens, tunc adoratio illi respondens, hyperdulia dicitur, & hac adoratur Beata Virgo, vt docet D. Thom. 3. part. q. 25. artic. 5. dum in corpore ait: *Debetur ei non qualiscunque dulia, sed hyperdulia.* Hæc autem maior excellentia attenditur, tum penes perfectiorem gradum gratiæ habitualis, & gloriæ illi respondentis, qua super omnes puras creaturas Beata Virgo prædita est, necnon penes sublimiorem dignitatem, nempè matris Dei, qua super omnes etiam spiritus Angelicos præfulget:

S. Thom.

1. Tim. 2.

Actor. 10. & 14.

S. Aug.

S. Thom.

get : cui enim Angelorum Deus vnquam dixit, mater mea es tu; & licet nõnulli Theologi censuerint hyperduliæ cultum exhibitum Virgini, nõ esse perfectiorem in specie, duliæ cultu, qui reliquis Sanctis exhibetur; quia vterque in perfectione gratiæ habitualis fundatur, quæ eadem est in specie in omnibus; tamen hyperduliæ adorationem, quæ defertur Virgini propter dignitatem condignę Matris Dei, sine dubio censeo perfectiorem dulia in specie esse, quia dignitas Matris Dei, est dignitas specie, distincta à dignitate gratiæ habitualis; licet alioquin illam vt consentaneam dispositionem præsupponat, vtpotè ad eleuatiorem ordinem expectans, scilicet vnionis hypostaticæ, cùm implicet contradictionem, illam esse Matrem Dei nõ existente vnione hypostatica personæ diuinæ cum carne, ab ea genita. Vnde

D. Thom. D. Thomas 2 2. qu. 103 artic 4 ad 2. ait: *Hyperduliam debitam Virgini propter affinitatem ad Deum, esse potissimam speciem duliæ, communiter sumptæ.* Cùm igitur dignitas hęc, in qua fundatur prędicta adoratio, sit specie distincta à dignitate gratiæ habitualis, & ad perfectiorem ordinem gratiæ pertinens; consequens est, adorationem in illa fundatam, esse specie perfectiorem omni dulia, vtpotè habentem obiectum formale diuersum perfectius in specie, vt more scholasticorum Theologorum loquar.

Quamuis autem quidam Theologi putarint, B. Virginem propter contactũ cum Christo, adorari posse cultu latriæ, sicut propter eandem rationem adorãtur vestes, & Crux, ex qua ille pependit, oppositum tamen sapienter docuit Diuus Thomas 3. part. quæst 25. artic 5. vbi

S. Tho. 3. p. q. 25. art. 5. postquam proposuerat hoc argumentũ: *Coniunctior est Christo Mater eius, quàm Crux; sed Crux adoratur adoratione latriæ, ergo & mater Christi est adoratione latriæ adoranda.* Respondet ad 3. in hæc verba: *Dicendum, quod Crux non est capax veneratiõnis, vt in se consideratur, sed Beata Virgo secundùm seipsam, est veneratiõnis capax, & ideò non est similis ratio.* Quibus verbis vult Diuus Thomas, quòd cùm res inanimata, qualis est Crux, non sit capax venerationis, nisi propter extrinsecam excellentiam Christi, ei applicatam; nullum est periculum, quòd adoretur propter seipsam; at creatura rationalis, cùm sit capax venerationis propter aliquam intrinsecam excellentiam, periculum est in praxi, vt si latria colatur, diuinus honor ei deferatur; & ideò Beata Virgo, nec propter illam rationem adoranda est cultu latriæ. Addo, quòd dum isti exaltare volunt Virginem, dicentes, adoratione latriæ coli posse; nullum certè maiorem honorem ei tribuunt, si rem attentè perpendant; nam maior personæ honor adoratæ est propter intrinsecam, & propriam excellentiam coli, quàm propter extrinsecam habitudinem contactus; cùm huiusmodi honor potius sit testimonium excellentię illius personę, propter quam fit adoratio, quàm eius, in qua actus adorandi materialiter terminatur: maiorem igitur honorem deferimus B. Virgini hyperduliæ cultu, eam propter intrinsecam suam perfectionem adorantes, quàm si illo genere adorationis latriæ propter alienam sanctitatem adoraremus.

Sed quid mirum, quòd tantus hyperduliæ honor Virgini deferatur, tantaq; reuerentia colatur, cùm & ipse Christus in terris sic illam honorauerit, vt ei subditus esse voluerit, & nunc in cœlis eo honore illam prosequutus fuerit, ad dexteram suam eam collocarit? quod longè ante figuratum videmus 3 Reg. 2. in Bethsabea matre Salomonis, cui Salomon ad se venienti, omni honoris significatione occurrit, eamque dignissimo loco excepit: sic enim de Bethsabea legimus: *Surrexit Rex in occursum eius, ad-* 3. Reg. 2.
oraniitque eam, & sedit super thronum suum, positusq; est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius: quæ omnia figuram fuisse honoris, quem Deiparæ defert Christus,

docet

S. Bernardi. docet S. Bernardinus Senensis tomo 3. serm. 11. art. 2. eaque singillatim expendit, & c. 2. particulariter animaduertit verbis illis, *adorauit eam*, significare reuerentiam filialem, qua matrem dignissimam Christus honoret: scimus enim illud Eccles. 3. *Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorat matrem suam*; quod à Christo Domino minimè est prætermissum in sanctissima matre sua: *Quam* (vt ait Damascenus orat. 1. de dormit.) *Christus bonus legislator, etiam si legi minus subiectus sit, legem tamen, quam ipse de parentibus honorandis sanxit, explens, honorat.* Et Hippolytus orat. de sanct ficat. *Qui dicit* (inquit) *honora patrem, & matrem, vt decretum à se promulgatum obseruaret, omnem gratiam matri, & honorem impendit.* Idem habet Augustin. libr. de Assumpt. tom. 9. *Ad benignitatem* (inquit) *Domini pertinet, matris seruare honorem, qui legem non soluere venerat, sed adimplere.* Bernardus serm. 1. de Assumpt. *Quis non credat Dei filium honorare matrem? ideoque potest Deipara meritò appellari Mater honorificata.* Quare Georgius Nicomed. orat. de oblat. Deipar. *Quis honor* (inquit) *exhiberi poterit puritati Deiparæ? ex æquo respondet: cuius amore captus opifex, ex ea solùm construxit tabernaculum, in quo minimè recusauit habitare, in quo paterna voluntas est impleta; quænam gloria ei poterit tribui pro meritis, cuius superiorem gloriam præter se ostendet creator? ô donum, quod nullo potest honore, vt par est, affici.* Hæc Georgius.

Ecclı3. Damasc. Hippolyt. Augusſt. D. Bernard. Georg. Nic.

Hanc reuerentiam, quam Deiparę deberi diximus, declarasse videtur Iacob Patriarcha Genes. 28. cùm euigilans de somno, in quo scalam illam à terra ad cœlum vsque protensam, Angelos item ascendentes, & descendentes per eam, ipsumque Dominum scalę innixum viderat, pauens præ admiratione, in hæc verba prorupit: *Quàm terribilis est locus iste?* cuius rationem subijcit: *Verè hic non est aliud, nisi domus Dei, & porta cœli* quasi dicat iuxta interpretum sententiam, & præsertim Bernar. ser. 6. de Anniuers. Eccl. *Locus iste est omni reuerentia dignus, quem Deus ipse, sua quoque præsentia dignatur, cùm sit domus Dei, & porta Cœli.* Quānis autem locum hunc Rupert. libro 7. Comment. in Genes. capit 23. referat ad Ecclesiam Christi, quæ futura erat; & Bernard. loc. citat. sacra Christianorum templa præsignata velit: tamen & ipsā Deiparam per locum illum terribilem, præcipuè quoque intellectam, nemo inficiari poterit, qui attentè perspexerit, eam esse domum Dei, in qua Deus singulari modo præ alijs omnibus habitauit, eamque per hanc scalam Iacob, & portam cœli adumbratam, frequenter doceant Patres. Vnde Andreas Cretensis orat. 2. *Hæc est* (inquit) *porta cœli, de qua Iacob dixit: quàm terribilis est locus iste? verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* Cùm ergo Deipara propter singularem Dei præsentiam in eius vtero, atque in eius anima præ omnibus alijs sit locus ille à Patriarcha Iacob terribilis vocatus; idcircò magna religione, omnique reuerentia, ac tremore colenda erit: quod adeò verum putauit auctor Pomerij, vt lib. 12 p. 1. art. 2. dicat, si loquamur de Cruce Christi, in quantum fuit illi coniuncta, & ad Christum pertinēs, maior honor debetur Matri Christi, quàm Cruci; tali ratione, quia cùm coniunctio ad Christum sit causa honoris, vbi est maior coniunctio ad Christum, ibi debet maior esse honor; sed coniunctior est Christo Mater Christi, quàm Crux Christi: ergo maior honor debetur Matri; sec⁹ si loquimur de Cruce ratione Crucifixi, cui debetur latria, sed non Matri, quia latria Deo soli debetur, iuxta illud Deut. 6. & Luc. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies,* scilicet cultu latriæ.

Genes. 28. Bernard. Rupert. Andr. Cret. Auct. Pomer. Deut. 6. Luc. 4.

Verùm vt ad id, vnde nōnihil digressus sum, redeam, singulare illud adorationis gen⁹ erga Dei parentē, quā Theologi hyperduliam vocant, hoc est, eminentiorem, & excellentiorem duliam, expressè tradunt Patres, dum asserunt,

Virgi-

Athanaſ. Damaſc. German.

Auguſt. Bernard. Petr. Dam. Rupert.

Greg.

Nazianz.

Ioa. Cantac.

Virginem, tanquam matrem Dei eſſe venerandam: ſic Athan. in Euangel. de ſancta Virgine, Damaſcen. li. 4. de fide ca. 15. German. Patriarch. epiſt. ad Ioann. Synnadon, quæ habetur action. 4. 7. Synodi, Aug. ſer. 35. de Sanctis, Bernardus ſerm. 1. de Aſſumpt. Petr. Damian. ſermone 1. de Natiuit Mariæ, Rupert. lib. 3. in Cantica, in illud cap. 4. *Veni coronaberis*. Anſelm. opuſcu. de excell. Virginis ca. 8. Demum Gregor. Papa in epiſt. ad Germanum circa fin. quæ habetur in eadem 7 Synod. Actor. 4. Qui omnes cum Athanaſio, Virginem etiam appellant Dominam, & Reginam, ideoq; ipſi honorem deferendum affirmant. Idipſum clariſsimè teſtatur Nazianz. in trag. de Chriſto patiente, his verbis: *Admitte, ô Virgo inclyta, hic quando tibi Verbi parenti, ſed ſuper morem tuum, legemque ſolùm inter omnes contigit honor.* Et Ioan. Cantacuzen. in apolog. 3. & 9. contra Mahumetanos. *Credimus* (inquit) *& confitemur, quòd Mariæ ſimilis homo nec natus ſit, nec poſthac ex viro, & muliere naſciturus uſque ad conſummationem ſæculi, & ſecundùm humanam naturam, eam Angelis inferiorem eſſe iudicamus, tanquam hominem: honore autem, & ſanctimonia ipſam omnibus Angelis indubiè præferimus, eo quòd Verbum, & filium Dei ſecundùm carnem peperit.* Accedit Epiph. hæreſi 79. in medio, qui dicit Mariam Virginem cæteris eſſe honoratiorem, propter myſterium incarnat. vbi nomine illo comparatiuo apertè indicauit genus illud adorationis excellentioris, quã hyperduliam vocamus: ſed obijcit nobis Philippus Melanchthon in reſponſione contra Clerum Colonienſem, Epiphanium, qui hæreſi 78. circa fin. & 79. narrat, mulieres in Syria ſtatuam Mariæ circumtuliſſe, & ei liba, & alia munera obtuliſſe, easque acriter reprehendit: *Nunc verò* (inquit Melanchthon) *magna pietas ducitur inuocare Mariam, & donaria liberaliter cumulare*. Sed hæc hæretica obiectio, nullius momẽti eſt: etenim Epiphanius abſq; præiudicio cultus debiti Deiparæ Virginis ſupra reliquos omnes Sanctos, morem illarum mulierecularum reprehendit; tum quod ipſæ fungerentur munere ſacerdotali, offerentes ſacrificium B. Virgini, cùm nuſquam mulieribus à Deo fuerit commiſſum ſacrificare, ſed ius ſacrificandi penes viros ſemper fuerit: quia imò Paulus 1. ad Cor. 14. *Non permittat, vt mulier in Eccleſia loquatur, nec aliquod miniſterium perficiat*. Tum quòd placentulam illam panis ſolemni ritu, per aliquos dies Beatæ Virgini, tanquã Deo offerrent; quare Diuus Epiphanius minimè improbat cultum, qui Beatæ Virgini adhiberi ſolet, donaria aliqua ad eius honorem in templis ſuſpendendo. Vnde cùm & eodem loco S. Epiphanius negat Virginis adorationem, de latriæ cultu planè loquitur, vt verba eius manifeſtè commonſtrant: ſic enim loquitur: *Re vera ſanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus: reuera Virgo erat ipſa honorata, ſed non ad adorationem nobis: ſed ipſa adorans eum, qui ex ipſa carne genitus eſt.* Ecce adorationem latriæ ſoli Deo debitam, negat Beatæ Virgini, non verò hyperduliæ.

1. Cor. 14.

D. Epiph.

Hanc autẽ obſeruandum eſt, bifariã poſſe nos exercere erga Beatam Virginẽ tum internis actibus, vt ſic non ſolum anima, ſed & corpore illam veneremur: interna adoratio, actus eſt elicitus à voluntate, vt planè docuit D. Thom. 2. 2. quæſt. 84. vbi dicit, adorationem conſiſtere in interiori mentis deuotione: dixerat autem ſupra quæſt. 82. art. 1. ad 1. deuotionem eſſe actum voluntatis; quare licet adoratio ſupponat honorificam recognitionem excellentiæ rei adoratæ, non tamen conſiſtit formaliter in ea, ſed in ſubmiſsione, qua excellentiam illius cognoſcendo, ei nos ſubdimus, & tanquam ſuperiori honorem, quo digna eſt, ei deferimus: externus autem adorationis cultus propriè fit per membra corporis, & ſenſus, cùm ex vi, & imperio interni cultus in extrema, & ſenſibilia illa reuerentiæ ſigna

S. Tho. 2. 2. q. 84.

S. Tho. q. 82. ar. 1. ad primum.

prorum-

prorumpimus, quorum meminit Arist. 1. rhetoric. cap. 5. in hæc verba: *Honoris partes sunt, sacra, memorationes, decantationes carminum, aut solutæ orationis ad laudem recitatio, præmia, delubra, vel primi consessus, sepulchra, imagines, publici ritus, inclinari, loco cedere, munera quoque offerre.* Hunc autem externum, & sensibilem cultum docuerunt nos, non solum Reges Magi, de quibus Diuus Matth. cap. 2. ait: *Intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum.* Necnon Diuus Paulus ad Ephes. 3. dum inquit: *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi.* Sed & ipsemet Christus Dominus exemplo suo nos instruere volens, circa modum æternæ adorationis exercendæ, genuflexionis cultu vtebatur in oratione, vt Diuus Lucas testatur cap. 22. dicens: *Ipse auulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis, & positis genibus, orabat.* Ac tãdem de sancto Simone Anachoreta, de quo Diuus Damasus testatur in eius vita per triginta annos habitasse supra eminentem quandam columnam solis ardorem, & frigoris intemperiem patienter ferens. Beatus Theodoretus Episcopus Cyrensis in eius vita scribit, ipso præsente pariter cum alijs suis familiaribus, adeò frequenter Simonem genuflexionis cultu Deum adorasse, vt quidam eorum, qui ibi aderant, mille ducentis, & quadraginta quatuor genuflexiones enumeraret, & defatigatum, à numeratione destitisse; Simon autem ab eis non desistit, sed incessanter perseuerans, ita humiliter se inclinabat, vt fere caput cum pedibus coniungeret: sed & de S. Bartholomeo Apostolo omnes vitæ illius historiographi referunt, per diem centum genuflexiones præstare solitum, & totidem per noctem: vt ergo quispiam B. Virginem genuflexionum adoratione religiosè colat singulis diebus, oportet, vt liberius huic exercitio vacet, secretiorem aliquem locum eligere, vbi aliqua pulchra adsit Deiparæ Virginis imago: non enim sine causa Christus Dominus dixit Luc. 6. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & claude ostium, & ora Patrem tuum in abscondito.* Quod & multo ante aduentum Christi obseruasse nouimus S. Prophetam Danielem, vt legimus Danielis 6. vbi hæc verba habentur: *Fenestris apertis in cœnaculo suo cõtra Hierusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat.* Deinde in memoriam reuocet tres præcipuas causas, ob quas B. Virgo meretur adorationis hyperduliæ cultu super omnes Sanctos, & cælestes spiritus à nobis honorari, nimirum propter excellentissimum gradum gratiæ, & gloriæ, in quo omnes Beatos collectiuè transcendit: propter celsissimam, ac suo modo infinitam Matris Dei dignitatem, ac tandem propter excellẽtissimum dominium, ac regale sceptrum, quo principatur, & dominatur, non solum super totam terræ faciem, sed super vniuersam cælestem Curiam. Deinde incipiat primam genuflexionem, vel Virginem salutando, vel aliquo honorifico nomine eam compellando: quòd si memoria non tenuerit varia Virginis epitheta, habeat ad manum Virginis Litanias, & quot ibi fuerint Virginis appellationes, tot ipse exhibeat genuflexiones, nominibus illis, eam inuocando. Potest etiam aliter illas in hunc modum exercere, vt recitans stando Rosarium, vel coronam B. Virginis, singulis orationibus Dominicis, & Angelicis singulas genuflexiones adiungat, cum hoc tamen discrimine, vt incipiens orationem Dominicam ad Christum Dominum genuflexionem referat, recitans verò salutationem Angelicam ad B. Virginem illam dirigat; perutile etiam ei erit, sequentem formulam exequutioni mandare. Constituat se ante imaginem Deiparæ Virginis, & postquam postulauerit ab ea, quæ sibi magis necessaria iudicat ad salutem æternam animæ suæ instet per

Arist. 1. rhetor. c. 5.

Matth. 2.

Ephes. 3.

Luc. 22.

D. Damasus in vita S. Symonis.

B. Theodor.

Luc. 6.

Daniel 6.

has obsecrationes, impetra mihi hoc Deipara Virgo per æternam prædestinationem tuam.
Per immaculatam Conceptionē tuam.
Per sanctam Natiuitatem tuam.
Per dulcissimum Nomen tuum.
Per deuotam Præsentationem tuam.
Per celæstē in terris Conuersationē tuā.
Per purissimam Desponsationem tuam.
Per salutiferam Annunciationē tuam.
Per superuenientis in te Spiritus sancti obumbrationem.
Per humilem Visitationem tuam.
Per virgineum, & hilarem partum tuū.
Per intemeratam, ac perpetuam virginitatem.
Per mundissimam Purificationem tuam.
Per sincerissimam Conuersationem tuā, cum dilecto Filio tuo.
Per gladium doloris, qui pertransijt animam tuam.
Per gaudia Resurrectionis Filij tui.
Per superefluentem in te in die Pentecostes gratiæ plenitudinem.
Per admirabilem Assumptionem tuam.
Per gloriosam Coronationem tuam.
Per viscera misericordiæ tuæ.

Poterit etiam has genuflexiones exercere, antiphonas B. Virginis recitās: hymno illo præmisso, Memento salutis auctor, facta genuflexione ad Christum Dominum: deinceps quot antiphonas B. Virginis inciperit, totidem genuflexiones ei faciat: antiphonæ verò sunt hæ: *Quem terra, pontus. O gloriosa Domina. Aue Maris stella. Aue Regina Cælorum. Alma Redemptoris Mater. Salue Regina*, & excepto tempore quadragesimali: *Regina Cæli lætare*; ac tandem genibus flexis dicat: *Sub tuum præsidium*, &c. Est autem aduertendum in festis Beatæ Virginis, & in sabbatis multiplicandas esse genuflexiones: quod si quispiam corporis debilitate laborat ad illas exercendas, poterit eas supplere per deuotam corporis, & capitis inclinationem: quia tamen quidam propter negotiorum multitudinem non possunt huic exercitio vacare, eos moneo, vt saltem in ingressu, & egressu è domo, vel è cubiculo, vel quoties imaginem Deiparæ vident, toties genuflectant, aut caput ei reuerenter inclinent, pariterque salutent, ne à cultu debito tantæ Matris omnino extorres, & alieni fiant. Vnde Sanctus Gerardus Pannoniæ Episcopus, & postea martyr, vt refertur in eius vita in diœcesi sua statuit, vt audito nomine Deiparæ Mariæ, omnes genuflecterent, & caput inclinarent; sanè ad hoc adorationis Beatæ Virginis laudabile exercitium, non solum nos inuitant Angeli in Cælo, sed & Sancti in terra: & quidem quod ad Angelos attinet, licet Diuus Bernardus homil. 1. super missus est, serm. 4. & 5. de Assumptione accommodet Angelis verba illa: *Quæ est ista, quæ progreditur*? Quasi inquirentibus de persona sibi ignota, quod etiam habet Laurentius Iustinianus serm. de Annūcitione; arbitror tamen Angelos tam in via, quam in patria à primordijs, creationis mundi B. Virginem cognouisse, adorasse, & ante Regiam eius Maiestatē spiritualiter genuflexisse: etenim Angeli à principio Christum fide cognouerunt, & ab initio suæ beatitudinis eundem in Verbo intuiti sunt, tum quia fidei visio respondet, tum quia ad eorum statum maximè spectabat, suum caput, ac Regem agnoscere; vnde D. Paulus ad Hebræos 1. dixit: *Et cum iterum introducit primogenitum in Orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli eius.* Quibus verbis non obscure indicat, semel Christum iussum fuisse adorari ab Angelis, cum primum illis per fidem propositus fuit, & iterum cum re ipsa in Vtero Virginis incarnatus, ex ea in lucem prodijt. Quòd si Angeli in via mysterium Incarnationis cognouerunt; consequens est, cognouisse ab initio B. Virginem saltem conceptu communi, credendo Filium Dei ex fœmina sumpturum carnem: videntes autem Deum, cum illa visio sit perfectissima, & clarissima, consequens est,

S. Gerardus Pann. Episc.

D. Bern. hom. 1. in missus est, & ser. 4. & 5. de Assumpt.

Lauren. Iustinian. serm. de Annunc.

Hebr. 1.

est, ita terminatam fuisse ad mysterium Incarnationis, vt clarè etiam viderint futuram Matrem Dei, præsertim, quòd Beatæ Virginis cognitio multum ad eorum statum pertinebat, cum ipsa perpetuò futura esset eorum Domina, ac Regina, & quidem cum iuxta communem Theologorum sententiam, Angeli non solum extra Verbum, sed in Verbo clarè videant B. Virginem, consequens fit, ab initio illam vidisse, cum visio beata non recipiat mutationem, & augmentum; vnde D. Thomas 3. part. quæst. 30. art. 2. ad 3. planè concedit, Virginem agnitam fuisse ab Angelis; nam licet dicat latuisse eis modū, qualiter Christus Dominus iaceret in virginea cellula; hoc ipso tamen præsupponit, verè agnouisse virgineam cellulam; licet ignorarent modum ineffabilem, quo ibi conceptus fuerat. Cum igitur B. Virgo fuerit ab Angelis cognita, à primordijs creationis mundi pariter etiam fuit ab eis tunc adorata, cum certò scirent Matrem esse sui Dei, & Dominam, & Reginam suam: nunc autem Angelos Beatam Virginem adorare, & sicut ad nomen Iesu genu flectunt iuxta illud Pauli: *In nomine Iesu omne genu flectatur cælestium*, &c. ita & B. Virginem, & sanctissimum suum nomen spirituali genuflexione adorant, & colunt. Vnde Diuus Damascenus orat. 1. de Natiuitate B. Mariæ, & 2. de Assumption. præclarè dixit, *decet Dei Matrem ea, quæ filij sunt possidere, & ab omnibus adorari.* Quare consuetudo illa depingend genu flexo Angelum Gabrielem, cum Beatam Virginem salutauit, mihi valde arridet. Cum sancti Patres vnanimi consensu doceant, Angelicum illum Paranymphum missum fuisse sub specie humana, facile mihi persuadeo, singulari non solum interna, sed extrema reuerentia B. Virginem fuisse alloquutum, ad hanc autem reuerentiam pertinet genuflexio, vt consueuit fieri nuncijs ad Reginas destinatis.

S. Tho. 3 p. q. 30. art. 2. ad 3.

Philip. 2.

D. Damasc. orat. 1. de Nati. B. Mariæ & 2. de Assumpt.

Ad hæc, nunc in Cælo Angeli speciali cultu beatam Virginem tanquam veram Dei sui parentem, adorant; vnde D. Athanasius serm. de Deipara dixit: *Beatam te prædicant omnes Angelorum, & terrestrium hierarchiæ, quæ & in Cælis benedicteris, & in terra prædicaris.* Et Diuus Damascenus orat. 2. de dor. agens de Assump. Deiparæ in Cælum inquit: *Hodierno die choreas agunt Angeli, plaudunt Archangeli virtutes concelebrant, Principatus exultant, Potestates lætantur, Dominationes gaudent, Throni festum diem agunt, Cherubim laudibus efferunt, Seraphim gloria afficiunt, nec minus ipsi gloria afficiuntur, cum gloriæ parenti gloriam tribuunt.* Vnde noster S. Bernardinus tom. 3. serm 3 art. 3 dixit: *Merito habent de illa omnes cælestes spiritus confiteri, & dicere illud 4. Reg. 10 Serui tui sumus: quæcunque iusseris, faciemus.* Præsertim tamen septem principes Angelorum Deiparam peculiariter venerari, & adorare, non obscurè indicat visio illa D. Ioannis Apoc. 4. vbi ait, se vidisse *Septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.* Quorum alter est S. Raphael, vt ipse testatur Tob. 14. Per illum enim thronum, ante quem reuerenter adstant cælestes illi spiritus, B. Virginem intelligi, quā illi venerantur, constat ex B. nostro Amadeo, de cuius sanctitate agitur in 3. part. Chron. S. Patris nostri Francisci l. 6. c. 30. qui in suis reuelationibus in primo raptu cum cælestem curiam vidisset, audiuit Gabrielem, hæc sibi dicentem: *Septem Angeli sumus, qui Geniticē Dei nostri veneramur: alios omnes vestri generis præcedimus.* Et loquebatur de septem Angelis, qui throno Dei astant, vt videre est ex eis, quæ ibi subijciuntur. Imago etiam septem horum Angelorum virgas manu præferētium, quæ Venetijs musiuo opere peruetustæ in quadam ex parastatis S. Marci habetur, ita est constituta, vt stantes ipsi Virginem, in throno sedentem, circumstent. Idem quoque in celebri, & antiqua imagine Deiparæ in monte

D. Athan.

D. Io. Dam.

S. Barnard.

4. Reg. 10.

Apoc. 4.

Tob. 12.

Chro. sancti Francisci. B. Amad.

Virginis cernitur, quæ septem habet Angelos sub throno. Idem etiam in imagine S. Mariæ Angelorum Romæ in thermis Diocletianis, quæ in summo altari colitur. Quem depingendi morem veritati consonum esse, manifestè astruit Diuus Ioannes Damascenus ora. 1. de dormit. Virginis, vbi apertè tradit, Angelos Deiparæ, tanquam Dei throno astare, dum ait: *Tues solium illud Regium, cui astiterunt Angeli, Dominum, & effectorem insidentem cernentes.* Accedit ad id confirmandum, quòd illuminatus noster doctor Mayro serm. de creatione animæ B. Virginis, postquam varia Virginis priuilegia exposuisset, sub motaphora Stellæ maris, in hunc modum loquitur: *Decimum priuilegium huius Stellæ maris est, quia habet septiformitatem in ambitu, quia septem stellæ notabiles voluuntur circa eam, ideò eius regio dicitur septentrionalis. Ita & Mater Domini dicitur habere septem Angelos notabiles, qui assistunt eius throno, de quorum numero dicitur B. Raphael, vt dicitur in Tobia iuxta illud Apocalypsis: Gratia vobis, & pax, &c. & sequitur: à septem spiritibus, qui in conspectu Throni Matris, quæ sedet à dextris eius.* Hæc Mayro. At dicet quispiam; quanam ratione apud Mayronem stella maris circumdatur à septem stellis, cum ipsa sit vna ex septem, posita in extremitate caudæ vrsæ minoris, quæ dicitur Cynosura. Respondeo, Mayronem, vt expressè habet in illo sermo. in 4. & 9. priuilegio, & in serm. de nomine B. Virginis, stellam maris ponere in ipso vero polo mundi, & addit, illam non describere circulum circa polum, sed intra proprium ambitum volui: & quia non videtur propter exiguitatem (quod humilitati Virginis accommodat) pro illa nos sumere aliam, quæ vt ipse ait, dicitur Tramontana, quæ est in cauda vrsæ minoris, & facit modicum circulum, estque polo maximè propinqua. Atque ita clarum remanet in Mayronis sententia, polum, seu stellam, si quæ sit in eo, à septē stellis vrsæ minoris circūdari, à quibus distinguitur, atque ita, quod docet Mayro, optimè quadrat in Virginem, quæ est in Ecclesia veluti polus, & vertex mundi, sublimis supra omnes, nosque in hoc mari nauigantes, & naufragantes dirigit ad portum.

D. Io. Dam.

Mayro.

Porrò sanctissimos etiam viros solitos fuisse B. Virginem adorationis cultu per genuflexiones religiosè venerari, ex varijs, hisque authenticis historijs facilè commonstrabo. Legimus in libro, cuius titulus est, Scala Cæli, idque refert Pius auctor Segala lib. de arte mirabili amandi, seruiendi, & honorandi B. Virginem, monachum quemdam Deiparentis famulatui addictissimum, solitum fuisse frequentissimè genuflectere ante B. Virginem, & præcipuè quando sacrum Mariæ nomen auribus insonabat. Cum autem ob nimiam senectutem tanta corporis debilitate laborasset, vt Abbas duos fratres illi destinasset ad mouendum, & conducendum eum, quo ipsi placuisset; accidit, vt cum prædicti fratres à cella eius abesset, opusque esset moueri, & ad idipsum cum niteretur, nihil profecisset, tunc ad B. Virginem se conuertens, dixit, adiuua Domina famulum tuum fratrem: (rem sanè mirabilem) continuò Beata Virgo cum magna Virginum comitiua ei adfuit, quarum duæ, vna à dextris, alia à sinistris eum tenentes, subleuarunt, Beataque Virgo videns, quàm multum illi displiceret, quòd ob nimiam corporis debilitatem non posset solitum genuflexionum tributum ipsi pendere, illum restituit ad pristinum illud robur, quo triginta retro annis in iuuentute sua gaudebat quo beneficio accepto, toto vitæ suæ tempore quoties poterat Virginem genuflectens adorabat: Chronica etiam Patrum Capuccinorum rem aliam huic argumento satis congruam commemorant. Quidam frater desiderans B. Virginem excellenti cultu adorare, centum genu-

Scala Cæli.

Segala.

Chro. Cap. puccinor.

flexiones

flexiones singulis diebus Virgini magna exhibebat humilitate: quia tamen alijs suæ religionis occupationibus prępediebatur, decreuit à numero illo centum genuflexionum quinquaginta subtrahere, & alia solum quinquaginta pręstare; cum autem quadam die huic sacro exercitio vacaret, B. Virgo ei apparuit, pretioso cooperta pallio, cuius medietatem præfulgentes stellæ ornabant, quę hunc in modum eum alloquuta est; scito fili, quòd genuflexionibus tuis cœpisti pallium meum his splendentibus stellis decorare, at quia quinquaginta genuflexiones subtraxisti, medietas huius pallij rutilantibus stellis caret: quibus Marianis verbis admonitus frater, agnouit, quantum placeret Deiparæ Virgini genuflexionum cultus, & deinceps centum, quas solebat genuflexionis singulis diebus integerrimè præstare. Deinde in vita S. Elisabeth Regis Vngariæ filia, quam refert Surius, narrat ipse, quòd præ eximia deuotione: qua Virginem colebat, quandam ancillam suam monuerat, vt singulis noctibus illam à somno excitaret, cum in consortio Principis esset in lecto, ita tamen silenter, vt clanculum posset surgere, bonamque noctis partem in genuflexionum cultu in Virginis honorem consumere: *Nocturno* (inquit) *tempore à latere viri surgens, orationibus, & genuflexionibus occupabatur.* Surius etiam tom. 2. refert de Sancta Catharina virgine filia D. Brigittæ, huiusmodi genuflexionibus in cultum Deiparæ ita deditam esse, vt singulis diebus quatuor horas in hoc sancto exercitio insumeret, copiosum lachrymarum imbrem præ eximia eius deuotione effundens. Denique Pelbartus in suo stellario, commemorat quendam ex nostris fratribus ad tria signa campanæ pro salutanda B. Virgine solitum fuisse ter genuflectere: cum autem quadam die accideret, vt audito signo, frater ille pigritia superatus, & corporis ignauia victus, è lecto, in quo iacebat, non surgeret ad salutandam Virginem, & ante illam ter (vt solebat) genuflectendum, sed tres salutationes Angelicas iacens recitaret; tunc somno correptus, vidit sublimem, & excelsam Ecclesiæ turrim, ita profundè flecti, & inclinari, vt Crux in cacumine eius sita, terram tangeret: quod per tres vices fieri obseruauit. qua mirabili visione monitus fuit, ne deinceps ignauia corporis torpens, solitas illas genuflexiones inter salutandam Virginem vnquam omitteret: pariterque fuit tacitè reprehensus, quòd cum alioquin turris inanimis, & omni sensu carens, audito signo salutationis Angelicæ ter genuflexisset, ipse tamen rationis, & agnitionis excellentiæ Deiparæ particeps, nec semel genuflexisset, sed inurbanè, & irreuerenter in lecto quiescens, Virginem saluтasset; Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Surius in vita Sanctæ Elisabeth filiæ Regis Vngariæ.

Surius tom. 2.

Pelbar. in suo stellar.

HOMILIA V.

In idem argumentum, Hyperduliæ cultu, qui omnium aliorum Sanctorum cultum excedit, Ecclesia Catholica imagines Deiparæ Virginis religiosè veneratur, cuius occasione imaginum vsus multifariam constabilitur.

§. I.

Recensentur primi, & nouissimi hæretici, qui imagines Christi, B. Virginis, & Sanctorum demoliri tentauerunt.

PErmulti fuere, qui sacrum imaginum vsum ab Ecclesia Dei penitus exterminare conati sunt. Doctissimus noster Alfonsus de Castro tanquam *Alfonsus de Castro.*

quam primis huius erroris auctoribus, illum tribuit, cuidam nomine Felici, re tamen infœlici cum damnatus fuerit in Concilio Frãconiæ, si credimus Platoni in Adriano Primo. tribuit eundem Sereno Episcopo Massiliæ, quem D. Gregorius lib. 7. epistola 109. lib. 9. epist. 9. acriter reprehendit, & quod mirabilius est, eundem errorem tribuit D. Epiphanio; sed pace tanti viri dixerim, aliter se res habet: nam vt obseruauit Illustrissimus Card. Bellarminus de imaginibus Sanctorum lib 2. cap. 6. Fœlix quidam natus fuit: in Synodo Francferdiensi est fœlix Episcopus Vrgelitanus: hic autem, vt tradit Ado in Chronico, non incidit in eum errorem, sed in illũ, quòd Christus est filius Dei adoptiuus, & non naturalis. Serenus autem Episcopus longe ab eo errore alienus fuit: nam cum confregit imagines, id fecit, quia recens conuersi, pro dijs illas adorabant. quare D Gregorius præcitato loco potius laudat zelum eius, & fidem, solumque eius temeritatem increpat, quòd eo medio vsus fuerit ad extinguendum illum abusum, monetque eum, vt fideles illos instruat, qua ratione imaginibus religiosè vti possint. Diuus autem Epiphanius, quàm longe ab hoc errore abfuit, testimoniũ omni exceptione maius tradit 7. Synodus act 6. tom. 7. vbi ab omni erroris suspicione circa imagines purgatur: his ergo omissis, Nicolaus Sanderus l b. 1. cap. vltim. de imaginibus affirmat, primos imaginum hostes fuisse Manicheos, cuius duplex fundamentum est; primum, quia Faustus apud Augustinum lib. 20. cap. 3. contra Faustum gloriatur, quòd suæ sectæ homines Deũ sine imaginibus, & simulacris colerent; secundum quia Thamasius satis id indicat in 7. Synodo; Nicephor. verò lib, 16. c. 27. & Cedrenus in compendio, arbitrantur, Principem huius erroris fuisse quemdam nomine Xenaidias, imperante Cerone: fuit autem ille homo Persa, & Barbarus, imò & seruus fugitiuus, & quamuis baptizatus non esset, simulans tamen se Christianum, in Episcopatum se intrusit: Cardinalis tamen Bellarminus l. 2. de imaginibus c. 6. to. 1. primos imaginũ exterminatores fuisse Iudæos, qui in suo Thalmud, quod in lucem prodiit anno Christi CDLXXVI. ord. 2. diserte docent, Christianorũ Ecclesias esse domos idololatriæ: quod propter imagines dixisse, clarè constat ex 7 Synodo; vbi frequenter Iconomachi dicũtur Hebræi, tum ex dialogis Leõtij, quorum quædam pars habetur in eadem Synodo action. 5. postmodum post annum Domini DC. exortus est Mahumetus, qui imaginum vsum penitus interdixit, vt habetur in eius in Alcorano cap. 15. & 17. Vnde videmus Turcas nullas prorsus admittere imagines, & propter earũ cultũ nos Christianos idololatras existimare: postea verò annis ferè centum elapsis, hoc est post annum Domini DCC. Hebræus quidam maleficus Ezidi Regi Arabum Mahumetano promisit triginta annos vitæ, si in suo Imperio iuberet imagines Christi, & Sanctorum ex Christianorum Ecclesijs diuelli, cuius historiæ meminit 7. Synodus action. 5 eandemque referunt Cedrenus, Zonaras, & Nictha in vita Leonis Isauri, cæterum inter Impera tores, primum qui imagines deleuit, putant nonnulli fuisse Philippicum, quia illas ex parietibus S. Sophiæ abradi iussit: Constantinus Papa restitit, sed falluntur, quia non ex errore contra imagines, sed ex odio illas tantum abrasit, quia sanctos illos Patres repræsentabãt, qui 6. Synodo interfuerant, vt adnotauit Paulus Diaconus lib. 18. in additione Eutropij, & lib. 21. Iam verò Leo Tertius dictus Isaurus, à quibusdam Iudæis deceptus, hunc errorem vehemẽtissimè auxit; nam & imagines è templis deponi, ac deleri præcepit, & igni tradi, & fideles, qui ei contradicere ausi sunt, interfecit, vt referunt Paulus Dia-

D. Greg.

Card. Bellar.

Syn. Francf.

Ado in chronico.

Seren. Episc

D. Greg.

7. Synod.

Nicol. Sander.

Aug. lib. 2. c 3. contra Faustum.

Thamas. in 7. Synod.

Niceph. cap. 17.

Cedren. in compen.

Bellarmin.

Thalmud Iudæorum.

7. Synod. Dial. Leont.

Mahumetus anno Christi DC. exortus imagines interdixit vt habetur in Alcor. c. 15. & 17.

7. Synod.

Cedren. Zonaras, & Nictha.

Patres in 6. Synod.

Paul. Diac.

Paul. Diac. Zonaras, & Cedrenus. Diaconus, & Zonaras in vita ipsius, & Cedrenus in compendio historiæ, & Sãderus lib. 7. de visibus, Monar hæresi 130. & Platina in Greg. Secundo refert illum Leoni restitisse, & Gregorius Tertius illum excommunicasse, & Imperio priuasse, & hanc fuisse primam occasionem, propter quam à Græcis Imperatoribus Latina Ecclesia defecit. In eodem errore perstitit Constantinus Quintus Copronymus Leonis filius, qui etiam Nestorianus fuit, vt ex eisdem hystorijs constat, qui Conciliabulum Constantinopolitanum contra imagines congregauit. Retinuit postea eundem errorem Leo Quartus, quo mortuo Irene vxor eius, & Constantinus Sextus, eius filius, Catholicam Ecclesiam defenderunt, & *Adrianus I.* eorum tempore Adrianus Primus congregauit 7. Synodum, 2. Nycænam pro imaginum defensione. Ille verò Constantinus grandior factus, repudiata Nicæna Synodo, errori Iconomachorum adhæsit, ante quos omnes Imperatores Iulianus apostata imaginem Christi confregit, & Christianis, quòd imagines, vt idola, adorarent, obiecit, vt D. Cyril. Alexandrin. lib. 6. contra illum circa med. & Sozomen. lib. 5. hist. cap. 20. testantur. Postea verò hunc errorem secutus est Fœlix, vt docet Concil. Senomen. decret. fidei cap. 14. & eius discipulus, Claudius Taurinensis Episcopus, vt refert Ioannes Aurelianensis libris de cultu imaginum, quos contra illum scripsit. Postea Vuicleff eundem errorem amplexus est, vt latè Vualden. tract. tom. 3. de sacramentalibus ca. 50. & sequentibus, qui in Concilio Constantiensi sess. 15. damnatus est, Denique Lutherus, Caluin. Zuinglius, Carolstadius, & reliqui huius temporis hæretici, vehementer contra imagines inuehuntur, vt referunt Prateol. sub eorum nominibus, Lindanus in suo Dubitantio dialog. 2. Cochlæus in actis Lutheri, & Sanderus lib. de typica imaginum adoratione.

Cyril. Alex. Sozomen. *Conc. Seno:* *Ioan. Aurel.* *Vualden.* *Conc. Constan* *Prateol.* *Lindan. Cochleus. Sander.*

§. 2.

Imaginum, præcipuè Christi, & B. Virginis vsus, & cultus ex sacris Scripturis comprobatur.

POrrò sanctum ac religiosum esse imaginum vsum, quem semper Dei Ecclesia seruauit multifariam, multisque modis apertissime commõstrabo. Primo ex sacris Litteris, in quibus legimus, imagines factas Dei iussu, etenim Exod. 25. Deus fieri præcepit duas imagines Cherubin super Arcam; vnde D. Hieronymus epistola ad Marcellam dicit, tabernaculum fuisse adoratum à Iudæis, quia ibi erant Cherubin 3. etiam Reg. c. 6. & 7 ex diuino præcepto sculpti fuerunt Cherubin, boues, & luna: Numerorum 21. Deus imaginem serpentis ænei exaltari fecit: serpens autem ille æneus, cum salutem miseris in se aspicientibus adferret, ab illis adorabatur; vnde D. August. lib. 3. de Trinit. cap. 10. inter signa religiosa veneratione digna, connumerat serpentem illum æneum: ipse etiam Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 9. expressè docet, supradicta diuinitus instituta veneranda esse, quia honor eorum ad Prototypum transit: est autem certum secundum fidem imagines illas Cherubin, & serpentes, tanquam vtiles à Deo institutas fuisse, & Psalmus 98. Dauid ait: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*, vbi ad litteram sermo est de Arca testamenti, vt omnes exponunt, nec solum Arcam, sed etiam mensam, propitiatorium, totumque tabernaculum adorata esse à filijs Israel, testatur 7. Synod. act. 3. vt Damascen. lib. 4. de fide cap. 17. dicens, Mosaicum populum tabernaculum illud adorasse, quod cœlestium rerum imaginem gerebat. Scio hæreticos, & Iudæos aduersus hæc loca alia ex eisdem sacris

Exod. 25. *D. Hieron.* *3. Reg. 6. & 7.* *Numer. 21.* *D. August.* *Aug lib 30. de doctrina Christiana. cap. 9.* *Psal. 98.* *Damasc.*

sacris Scripturis afferre, quibus sibi probari videtur, omne imaginum genus abolendum esse: etenim Exod. cap. 20. prohibetur omnis Dei similitudo; nam postquam dixerat scriptura: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.* subiungit infra, explicans: *Deos aureos, & argenteos, non facietis mecum;* id est, non facietis imagines aureas, vel argenteas, quæ Deum repræsentent, & Deutero. cap. 40. *Memento, quòd Dominus locutus sit tibi in monte Horeb; vocem verborum audisti: imaginem nullam vidisti: observa ergo te ipsum, ni forte deceptus, facias tibi vllam similitudinem* Et Isaiæ cap. 40. *Cui similem fecisti Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* & Cap. 46. Et Capit. 46 *Cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & similem fecistis? qui confertis aurum de sacculo, & argentum statera ponderastis, conducentes aurificem, vt faciat Deum.* Denique Actor 17. Paulus dicit: *Genus ergo cum simus Dei, non est existimandum auro, vel argento, aut lapidi, artis sculpturæ, & cogitationis hominum diuinum esse simile.* Accedit, quod Ierem. cap. 10. imago lignea vocatur *doctrina vanitatis*, & Abacuch c. 2. conflatile, appellatur doctor mendacij: ad hæc, & similia loca, quibus prohiberi videntur imagines, & præcipuè ad illud Exod. cap. 20 *Non facies tibi sculptile*, D Damascenus orat. 1. de imaginibus respondet, verum esse illo præcepto fuisse prohibitas Hebræis omnes imagines Dei, vt omnino ab idololatriæ periculo, ad quam ex gentium consuetudine valde propensi erant, abstraherentur, vt indicauit etiam Eleazarus inter Hebræos peritissimus, apud Eusebium lib. 8. de præparat. Euang. cap. 3. vnde ad vitandum hoc periculum, Deuteron. cap. 4. dicitur. *Non videatis aliquam similitudinem, ne fortè faciatis vobis sculptam similitudinem*, &c. Et 4. Reg cap. 18. Ezechias confregit serpentem æneum, quia superstitiosè illo vtebantur filij Israel. Sed hæc responsio meritò non placet Cardinali Bellarmino lib. 2. de imaginibus cap. 7. quia Sanctus Irenæus lib. 4. cap. 31. & 32. disertè docet, decalogum esse legem naturalem, excepto præcepto de sabbato: & Tertullianus lib. de idololatria contendit, nunc maximè obseruandum hoc præceptum: idem docet Diuus Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 59. & de exhortatione Martyrij. cap. 1. Beatus Augustinus passim affirmat totum decalogum, excepta lege de sabbato, à Christianis seruandum, & nominatim illud: *Non facies tibi sculptile.* Vide librũ 16. contra Faustum cap. 4. & 7. & lib. 19. cap. 18. lib. 3. contra 2. epist. Pelagian. cap. 4 Idem habet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 122 artic. 1. & 4. Ergo si in decalogo prohiberentur omnes imagines, peccarent Christiani, habentes imagines. Quare eam veram, & legitimam responsionem esse arbitror, non prohiberi in illis locis absolutè, sed idola, & deos manibus fabricatos, quibus vero Deo relicto, latriæ cultus impẽditur. Vnde Leuitic. capite 26. clarius dicitur: *Non facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, neque insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum: Ego enim sum Dominus Deus vester.* Et ideò capite 18. dixerat Deus. *Ego Dominus Deus vester, iuxta consuetudinem terræ Aegypti, in qua habitastis, non facietis.* Et subdit ca. 19 *Nolite conuerti ad idola, nec deos conflatiles facietis vobis.* Et ad hunc modum vbicunque explicatur hoc præceptum, significatur substantiam eius esse, vt nullus præter verum Deum colatur, & adoretur, vt Deus. Ita exponit Augustinus supra, dicens, hic præceptum esse, idola non colere. Indicat Cyprianus lib. 3. ad Quirinum ca. 59 & lib. de exhortatione ad Martyr. cap. 1. & Tertullianus lib. 2 contra Marcionem circa finem. Clarius Damascenus lib. 4. de fide cap. 13. & Diuus Thomas 3. part. artic. 3. ad 1. omnia illa verba: *Non habebis deos alienos*: quod vt magis intelligatur, obseruanda est distinctio inter imaginem, & idolum: illud enim inter hæc discri-

Exod. 20. *Deut. 40.* *Isai. 40.* *& Cap. 46.* *Actor. 17.* *Ierem. 10.* *Exod. 20.* *Damasc.* *Eleazar. Euseb.* *Deuter. 4.* *4 Reg. 18.* *Card. Bella.* *Cyprian.* *D. August.* *S. Thomas.* *Leuit. c. 26.* *& cap. 18.* *& cap. 19.* *August.* *Cyprian.* *Tertull.* *Damasc.* *D. Thomas.*

discrimen interest, quòd imago est vera rei similitudo, imago enim ab imitando dicta est; idolum autem est falsa similitudo, id est, repræsentans id, quod re vera non est, vt cum gentiles proponebant statuas Veneris, aut Mineruæ, illa signa idola erant, quia repræsentabant deos generis fœminini, quales dij nec sunt, nec esse possunt, atque ita nec verè repræsentabant, sed erant falsæ imagines: id enim quod non est, repræsentari non potest. vnde Habacuch cap. 2. dixit: *Habac. 2.* *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus conflatile, & imaginem falsam?* Ecce clarissimè definit, idolum esse imaginem falsam, cui consonat illud Diui Pauli ad Corinth. cap. 8. *Ad Cor. 8.* *Scimus, quia idolum nihil est in mundo.* quod propterea dixit Apostolus, quia licet idolum sit aliquid materialiter, nihil tamē est formaliter, cum id repræsentet, quod nihil est, ac proinde falso. cui loco aliū similem adducit Hieronymus in cap. 7. Oseæ, ad probandum, idolum nihil esse: nam Hester. cap. 14. secundum septuaginta dicitur: *Hieron. in c. 7. Oseæ.* *Ne tradas sceptrum tuū his, qui non sunt;* id est, idolis. Atque *Hester. 14.* hac ratione Eustachius in libro vndecimo Odisseæ idolum vocat imaginem inanem, qualis est, quæ cernitur in vmbra hominis. Ex hoc igitur discrimine inter imaginē, & idolum, colligo, quoties in scripturis prohibētur fieri, aut coli sculptilia, sermonem esse de simulacris, quæ homines, tanquam deos, venerabantur: sed contra hanc salutationem insurgit Caluinus libro primo institutionum, cap. 11. §. 9. & 10. Vbi conatur ostendere, etiam Iudæos, & gentiles non habuisse simulacra pro dijs. sed in simulacris Deum verum coluisse, & tamen reprehendi, quia Deus non patitur cultum suum vllo modo communicari cum imaginibus. Et certè si Deus non debet coli in imagine, eodem modo sancti, licet colendi essent, non essent tamen colendi in imaginibus. Quòd Iudæi non habuerint simulacra pro dijs, sed Deum verum in idolo coluerint, probat Caluinus, quia Exod. cap. 32. populus dicebat de vitulo aureo: *Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra AEgypti.* *Exod. 32.* Vbi fatentur, se in vitulo colere eum Deum, à quo fuerant liberati de AEgypto, & ibidem Aaron indicturus diem festum in honorem vituli aurei, iussit præconis voce dici: *Cras solemnitas Domini est.* & Iudic. cap. 17. *Iudic. 17.* mulier quædam ait: *Sanctificans sanctificans coram Domino mille, & centum argenteos, vt faciam sculptile, atque conflatile.* Quòd etiam Gentiles coluerunt Deum verum in idolis, probatur primo ex August. in Psal. 113. qui refert, Gentiles respondere solitos, cum accusabantur idololatriæ, se non colere ipsa idola, sed numen, quod per idolum significabatur. Sed in hac solutione mentitur Caluinus multipliciter in caput suum: nam primo falsum est, quòd Iudæi, & Gentiles non habuerunt simulacra pro dijs, cum Iudæi *Exod. 32* Exod. cap. 32. dixerint: *Fac nobis deos, qui nos præcedant, & isti sunt dij tui Israel.* Et *Iudic. 18.* Iudic. cap. 18. *Deos meos, quos mihi feceram, abstuliſtis.* & 3. Reg. cap. 12. de duo- *3. Reg. 12.* bus vitulis Ieroboam dicitur: *Ecce dij tui Israel,* similiter Gentiles simulacra sua deos vocabant, vt satis clarè indicant *Daniel. 5.* verba illa Daniel. cap. 5. *Bibebant vinum, & laudabunt deos, quos aureos, & argenteos, æreos, ligneosque, & lapideos.* Quibus persimilia sunt illa Sapient. capite *Sap. 13.* 13. *Appellauerunt deos opera manuum suarum.* Secundo falsum est, quòd Iudæi, cum fecerunt vitulum aureum, nō sint obliti Deum verum; nam plane è diametro pugnant verba Caluini cum verbis scripturæ. Caluinus enim l. 1. cap. 11. §. 9. sic ait: *Nec tamen incogitantes erant Iudæi, vt non meminissent, Deum esse, qui eos adduxerat de terra AEgypti.* Ac scriptura Deuteron. cap. 32. *Deum* (inquit) *qui te ge-* *Deut. 32.* *nuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.* & in Psalm 105. *Fecerunt vitulum* *Psal. 105.* *in Horeb, & adorauerunt sculptile, & obliti sunt Deum, qui saluauit eos, qui fecit magnalia*

gnalis in AEgypto, mirabilia in terra Cham,
Ierem. 2. *terribilia in mari rubro.* Et Ierem. 2. *Ambulauerunt post vanitatem*, id est, post idola, *& non dixerunt, vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra AEgypti?* quid clarius? Tertio falsum est, quòd Iudæi in omnibus suis idolis Deum vnum, & verum colere voluerint; quia certè nulla causa reddi potest, cur potius vitulum fecerint, quàm ouem, aut aliquid aliud, nisi quia assueti erant videre maximum Deum AEgyptiorum, qui est vitulus niger, albis maculis insignis, quem ipsi vocabant Apim. de quo Cicero libro primo de natura deorum, & Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 5. & scriptores omnes, Herodotus, Diodorus, Plutarchus, Plinius, Suidas, Eusebius. Iudæi ergo, quia viderant in AEgypto in summo honore vitulum, putauerunt ipsum Deum Cæli esse vitulum illum, & ideò illi imaginem vituli statuerunt. Deinde, quia Iosue cap. vlt. datur optio Hebræis, an velint seruire dijs alienis, quibus seruiunt Thare, Hachor idololatræ, an idolis Amorrheorum, an Deo Israel: non ergo in idolis adorabant, vel putabant se adorare Deum Israel. Nam aliqui potuissent respondere, ineptam esse optionem illam, quandoquidem in ipsis idolis Amorrhæorum, & Thare, & Hachor Deum verum colerent. Idem confirmatur ex 3. Reg. cap. 18 vbi Elias dicit:

Cicero. *Augustin.* *Herodot.* *Diodorus.* *Plutar.* *Plinius.* *Suidas.* *Eusebius.* *Iosue c. vlt.*

3 Reg. c. 18. *Vsquequo claudicatis in duas partes, si Dominus est Deus, sequimini eum; si Baal est Deus, sequimini illum.* Vbi clarè opponitur Baal Deo vero. Quando ergo Iudæi colebant idolum Baal, certè non colebant Deum verum. Adde illud

Deuter. 32. Deuteronom. cap. 32. *Immolauerunt dæmonijs, & non Deo, dijs, quos ignorabant.* Adde etiam, quòd falsò accusarentur Iudæi seruijsse dijs alienis, si in idolis semper coluissent Deum verum. Sed contra hæc omnia obiectant Caluinistæ, quia Exod. cap. 32. dicitur: *Cras solemnitas Domini est.* Et Iudic. capite 17.

Exod. 32. Iudic. 17.

Sanctificauit hoc argentum Domino, vt faciam idolum, ergo vere Iudæi in idolis suis Deum verum adorabant: sed nihil obest hoc cauillum, nam Iudæi idololatriæ nomen ipsum Domini idolo tribuebant, vt clarè constat ex illo Sapient. cap. 14. *Incommunicabile nomen lapidibus, & ligno imposuerunt* Nomine igitur Domini non intelligebant in illis locis verum, sed falsum: sed vrget, adhuc Caluinus, Ethnicos, seu Gentiles idola deos esse putasse: sic enim ait lib. 1. cap. 11. §. 9. *Nec ita stupidi fuisse Ethnici credendi sunt, vt non intelligerent, Deum alium esse, quàm ligna, & lapides.* Respondeo, quòd licet aliqui non fuerint ita stupidi, vt putarent idola lignea, vel lapidea esse deos; tamen plurimi ita stupidi erant, vt verè crederent ipsa idola viuere, & sentire, & deos esse. Neque erat hæc tanta stupiditas, quantam Caluinus videri vult, quia diaboli opera interdum idola mouebantur, & loquebantur, & futura prædicebant, seu potius moueri, & loqui videbantur: nam reuera diabolus ea mouebat, & in eis loquebatur, sed populus credebat ipsa vere moueri, & loqui: solita verò idola loqui patet ex cap. 21. Ezec. & cap. 10. Zachariæ, & ex lib. 1. cap. vlt. Valerij Maximi: deinde omnes prophetæ laborant, vt doceant, aurea, & argentea non esse deos: ita Isaias ca. 46. Dauid Psalm. 134. Habac. 2. Baruch. 6 vbi habentur hæc verba: *Vnde notum sit vobis, quia non sunt dij.* Stulti autem certè essent, si id refellere conarentur, quod nemo negaret: accedit, quod Actor. 19. de Paulo dicunt ethnici: *Paulus hic suadet dicens, quia non sunt dij, qui manibus fiunt.* Igitur illi putabant deos esse, quos industria manuum suarum fabricabant: corruit ego euasio Caluini.

Ezech. c. 21. & c. 10. Zachar. & ex lib. 1. c. vlt. Valer. Max. Isai cap. 46. Psal. 113 & Psal. 134 & Habac. 2.

Actor. 19.

§ 31.

§. 3.

Ex Christi Domini exemplo.

SEcundo principaliter sacrarum imaginum vsum mirificè obstruit, quòd Christus Dominus illum approbauerit, imò & absque penicillo diuina sua virtute effecerit, ac depinxerit; nam vt tradunt Burchardus 1. part. cap. 6. § 8. & magister historiæ Euangelicæ cognomento Commestor, fugiens in AEgyptum ad Nili fluuium Christus infantulus, marmori à B. Virgine superpositus, vt madidæ eius vestes exsiccarentur, marmori corpusculi sui figuram insculpsit, quæ ad hæc vsque tempora ab AEgyptum peragrantibus cernitur. In Nazareth, dum pessimi Christi conciues eum ducerent, vt è supercilio collis præcipitem deijcerent, ipse transiens per medium illorum ibat, & exiguo in loco delitescens, ibidem corporis sui figuram reliquit impressam: vt verò tradit. Nicephor. Callist. lib. 2. hist. Eccl. cap. 7. postquam Abagarus scripto suo persuaderet Christo, vt voluisset ad se venire, ipsumq; e, quo iam dudum affligebatur inueterato morbo liberaret, non potuit desperato Iesu propter responsum acceptum aduentu, quid caperet consilij incertus, eo tamen, quo in Christum tenebatur, desiderio perculsus, pictorem eximium ad eum misit, eique vt diligenter, & accuratè faciem eius, in pictura effingeret, imaginemque pro desiderato illo sibi adferret, imperauit. Et ille quidem venit, atque in loco maiori stans, pingere Christi vultum, vt dicebat, conabatur. Quum verò cœptum opus non succederet, diuinus quippe splendor, & gratia in vultu eius coruscans impedimento erat; re ea cognita, Saluator textum lineum petit, in eoque prius loto faciem suam exprimit, & ad Abagarum mittit: hanc eandem historiam testantur Stephanus, & Adrianus Pontifices apud Ibonem 4. parte sui decreti cap. 83. & habetur etiam in libro Adriani de imaginibus non longè à principio in 3. tom. Concilium: eandemque historiam refert Damascenus libro quarto de fide cap. 17. & oratione 1. de imaginibus circa finem, & Euagrius lib. 4. histor. capite 26 deinde Adricomius in 2. part. descript. Hierusalem num. 44. Aliam imaginem vultus Christi ab ipso, impressam in hęc verba commemorat: *Veronicam lineum capitis sui peplum dedit Christo, quo faciem suam tergeret, cui Dominus faciei suæ imaginem perfectè impressit, eique in amoris sui pignus reddidit.* Quod in hodiernum vsque diem, Christi facie insignitum, Romæ in sancti Petri basilica in Vaticano, grandi honore asseruatur, ac statis diebus populo ostenditur: hanc autem historiam veram esse contestantur perplures graues auctores, Conradus Brunus lib. 1. de imaginibus cap. 13. Iulius Salignanus tom. 8. cap. 7. Rutilius Benzonius, lib. 1. de fuga, qui alio titulo dicitur speculũ Episcoporũ, disputat. 1. q. 2. Bredẽbachius in descr. terræ sãctæ, Cõradus Clingi⁹ lib. de locis cõmunibus c. 70. Paschasius in description. terræ sanctæ die 20. Ioannes Echius de passione Christi articul 5. consideratione prima, Paulus Grisaldus in decisionibus fidei Catholicæ verbo Imago: Ad hæc sacram suam effigiem, imò & totum corpus plagis laceratum Christus Dominus etiam mortuus impressit Syndone, quam mercatus fuit Ioseph ab Arimathia, vt habetur Marc. cap. decimoquinto quæ Syndon religiosè asseruatur à Duce Sabudiæ, de cuius virtute, ac sacris arcanis, tam latè, quàm doctè scripsere Alphonsus Paleottus Archiepiscopus Bononiensis lib. de stigmatibus sactæ Syndoni impressis, & eruditus eius commentator Daniel Malonius. Illud tamen obiter interrogarim, cur

Burchar.

Niceph. Cal.

Stephan. & Adria. Pontif. apud Ibonem.

Damasc.

Euagrius.

Adricom.

Conrad Brunus.

Rutil. Benzon.

Bredẽbac.

Conra. Clingius.

Paschal.

Ioa Echius.

Paul. Grisal.

Marc. 15.

Alfons. Paleot.

Daniel Malon.

Christus corporis sui effigiem, in qua vulnera, cicatrices, flagellationes, ac præcipua passionis suę vestigia cernerentur, tam admirabili artificio in Syndone pinxit. Arbitror quidem, quia Imperatores victoriarum suarum trophæa accurratè pingi, & publicè in foro exponi curarint, ita Messala Princeps prælij sui summam, quo Carthaginienses, Hieronemque deuicerat in Sicilia, proposuit in latere curiæ Hostiliæ: Lucius Scipio tabulam victoriæ suæ Asiaticæ in Capitolio collocauit; ita Lucius Hostilius non solum victoriæ suæ labores pingit, sed etiam populo assistens declarat. Christus igitur tanquam strenuus Imperator, victoriæ suæ trophæa pingi, publiceque extolli, atque explicari voluit. Sed cur sanguine sui certaminis discrimina pingi placuit? puto, ni fallor, quia celebris picturarum accrescit fama, si optimis sint pictæ coloribus: ideò pictores minio, cennabari, chrisocolla, sandice, sandoraca, indico purpureo, sexentisque eiusdem generis coloribus vtuntur, sed Christus sanguine suo pingit, quo celebriorem redderet suam imaginem: accreuit Apelli laus, quòd cum Alexandriam appulisset, ludibrioque ab eius vrbis pictoribus ei diceretur, à Rege inuitatum esse ad prandium, vt cum ad conuiuium accederet, graui cum temeritatis dedecore, quasi non iuitatus repelleretur; exitū haud sperato similem res habuit: irruit ad Regis mensam Apelles, hominis audaciam miratur Rex, vt inde abscedat imperat: temeritatis notam modestè purgat Appelles; se enim inuitatum accessisse respondit: à quò sit inuitatus, Rex suscitatur, tunc Apelles carbone ex igne arrepto, statim eius, à quo inuitatus fuerat, imaginem tanto artificio expressit, vt miratus Rex, maximo eum in honore deinceps haberet. sed ecce plusquam Apelles Christus Dominus, qui celeberrimam, nulloque sæculo interituram imaginem, non carbone, sed purpureo sanguinis sui atramento depinxit. Certè singulare pictoriæ artis decus est, cum illi pictoris nomen non minorem, quàm colorum nobilitas; linearum artificium, recessuū fucus conferat excellentiam. Imagini Rhodi muro effictæ, Rhodum à Demetrij obsidione seruanti, dignitatem cōtulit, non Satyrus tibijs canens, non colorū valor, non pingendi artificium; sed Prothogenis pictoris fama. Quanta igitur erit sacrosanctæ imaginis Syndone effictæ laus? quanta dignitas? quando eam non Apelles, non Talisus, non Zeuxis, non Prothogenes, sed qui Apelle melior, Talisō nobilior, Zeuxi famosior, Prothogene præstantior est Christus, splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, qui non Satyrum, nō canem, non equum, non auiculas, pictam vuam rostro inuadentes, sed propriam sui corporis effigiem tanto mirabilius pinxit, quanto eam ad charitatis flammam in nobis accendendam, imò & ad animos nostros charitatis iaculis feriendos, fructuosius accommodauit? Sed & illud, quòd valdè miraculosum est, in hac sacra Sindone obiter etiam adnotandum, quod cum myrrha; tanquam pix, corpori linteamina agglutinet, vt Chrysostomus obseruauit hom. 8. necnon etiam aloe vnguentum tetram inurat maculam, & cum alioquin mistura aromatum multa esset, quasi librarum centum, vt scribit Ioannes c. 19. nihilominus tamen hæc omnia delere non potuerint effigiem vultus Christi Domini, & plagarum totius corporis; ac tandem, vt ad id redeam vnde nonnihil digressus sum; cum Christus ex Oliueti monte conscendit in Cælum, lapidi, à quo diuulsus ascendit, pedum suorum vestigia insculpta reliquit, vt testatur sanctus Paulinus Nolanus epist. 11. ad Seuerum, & Borchardus 1. part. cap. 6. §. 8. Obuius deinde fugienti Petro Romæ factus, in loco, qui dicitur, Domine, quo vadis? extra portam Capenam,

Chrysost. hom. 8.

Ioan. 19.

Paul. Nolan.

Borchard.

penam, aliàs sancti Sebastiani, pedum suorum vestigia marmori reliquit impressa, quæ hucusque Ecclesiam sancti Sebastiani extra Vrbis muros visitantibus, exponuntur. Cum ergo Christus Dominus has omnes, quas retulimus imagines, diuina sua virtutè confecerit, & Ecclesiæ suæ, tanquam veneranda pignora reliquerit, impudens, & hæreticus est, qui sacrarum vsum imaginū detestatur. Catholici igitur Christo canamus:

Ter tua corde meo Iesu pingatur imago,
Pinxisti hanc viuens, mortuus, & moriens
Mortuus, inuoluunt munda quum Sindone corpus.
Abagaro viuens, Veronicæ moriens
Dulcis amor, Iesu, sunt hæc clarissima signa.
Te velle in nostris cordibus imprimere.
Non lignum, aut marmor, non lanam, aut lintea quæris,
Viuiri quæris viscera nostra tibi.
Vna ergo nobis mens sit, sit spiritus vnus,
Vnum cor, vnum pectus, & vnus amor.

§. 4.

Ex sacris Conciliis.

PAEne innumera cōcilia tàm Orientalia, quàm Occidentalia eandem veritatem definierunt; præcipuè tamen ad eam solum constabiliendam celebrata fuit 7. Synodus, vbi actione 2. omissis multis alijs, hæc habentur: *Ego sanctas imagines toto corde suscipio, non velut nouum dogma, nuper inuentum, sed clare cognoscens ex Apostolica traditione, sanctorumque Doctorum in Ecclesia iussum per manum nobis traditum fuisse.* Et ibidem dicitur: *Non est imaginum structura pictorum inuentio, sed Ecclesiæ Catholicæ probata legislatio, & traditio.* Et actione 7. assertio cōtraria damnatur, tāquam hæresis, & act. 2. & 3. habentur epistolæ Synodicæ, in quibus tota Ecclesia Græca, & Latina in hac veritate conspirarunt: hanc 7. Synodum sess. 2. Nicænam vniuersalem, legitimamq; fuisse constat, quia auctoritate Adriani I. 350. Patres ad illam cōuenerunt, & sub eius obedientia, ac præsidentibus eius legatis, processit, ac denique à Leone III. confirmata est, vt Photius, Proclus, & Platina cōtestantur, nec non, & Iuon. 4. par. sui decreti c. 147. deinde habetur hæc veritas in 6. Synodo Canon. 73. Frolano, & Canon. 82. Item in 8. Synodo canon. 3. renouantur decreta 7. Synodi. in Occidente celebratum est Concilium Romanum sub Gregorio Tertio, quod quidem notionale fuit, sed concurrerunt ad id Concilium ferè mille Episcopi, vt auctor est Sigibertus in Chronico. In eo Concilio damnata est hæresis Iconomachorum, imagines è templis deturbantium, sub ipsis initijs huius contentionis. Celebratum est etiam Concilium tempore Stephani, & Caroli Magni pro eadem re, vt testantur Adrianus Primus, qui Stephano successit in libro pro imaginibus ad Carolum: addo Concilium Florentinum sess. 5. vbi 7. Synodum confirmat, & Iconomachos impios appellat, & Synodum habitam in villa Gentiliacensi anno 1266. iuxta Sigibertum, vel 1267. iuxta Adonem: in ea de imaginibus actum, & admoniti Græci, vt cum alijs pijs sentire vellent, vt Paulus AEmilius testatur libro secundo. Quia tamen nimis onerosum esset, & legenti prolixum testimonia omnium Conciliorum ad verbum hoc loco transcribere, solum duo quæ instar mille sunt, referam.

Photius. *Proclus.* *Platina.* *Iuon. 4 par. cap. 147.* *6. Syn. Can. 73. & Can. 82.* *8. Syn. Can. 3.* *Conc. Florent. sess. 5.* *Paul. AEmil. lib. 2.*

Primum est ex 2. Synodo Nicæna act. 7. in definitione, quæ in hæc verba exclamauit: *Hæc est fides Patrum, hæc est fides orthodoxorum, hæc fides Orbem terrarū confirmauit. Credentes in vnum Deum, in Trinitate laudatum, venerandas imagines amplexamur. Qui secus agunt anathemate percelluntur. Qui sic non sentiunt ab Ecclesia depelluntur. Nos antiquæ Ecclesiæ legislationi insistimus, nos decreta Patrum custodimus, nos adij-*

2. Syno. Nicæn. act. 7.

7 Synod. actione 2.

Act. 7.

Act. 2. 3.

7 Syn sess 2.

adijcientes aliquid, aut auferentes Ecclesiæ anathematizamus, nos venerandas imagines susceipimus. Nos, qui secus faciunt, anathemate percellimus: quicunque sententias sacræ Scripturæ de idolis contra venerandas imagines adducunt anathema: qui dicunt quòd imagines Christiani, vt Deos, adorant, anathema: qui scientes communicant cum illis, qui contra venerandas imagines sentiunt, aut eas dehonestant, anathema. qui audent Ecclesiam Catholicam dicere idola aliquando suscepisse, anathema. Et in eadem Synodo 2. Nicæna act. 3. approbantur litteræ ab eadem Synodo Orientalium Episcoporum ad Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum, in quibus inter cætera hæc habentur: *Sanctas imagines reuerentur in principio adorantes Dei Verbi propter nos incarnati Domini nostri, & Seruatoris Iesu Christi, qui formam serui adsumpsit imaginem. Veneramur etiam, & adoramus imaginem Deiparæ, & Dominæ nostræ irreprehensibilis, immaculatæ, & inexplicatæ celsitatis matris, quæ illum perperit. Quin etiam Sanctorum Apostolorum, & victorum Martyrum, Sanctorumque, & Beatorum, veluti amicorum Dei, imagines colimus, non in materia, aut coloribus honorem constituentes, sed per hoc officium nostrum, quòd ipsis, quorum typum imagines gestant, debemus impartientes: cum sciamus iuxta Basilij Magni sententiam, quòd imagini honor exhibitus, ad ipsum prototypum refertur* Hæc ibi.

2 Syno. Nicæn act 3.

Secundum est ex Concilio Tridentino, sess 25. in decreto de inuocatione, veneratione, & reliquijs Sanctorum, & sacris imaginibus: vbi hæc verba habentur: *Doceant imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impartiendam: non quod credatur ineesse aliqua in iis diuinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur: id quod Conciliorum, præsertim verò secundæ Nicenæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.* Cæterum vt hæc firmiora sint, testimonia Cõciliorum, quæ in contrarium huius veritatis producunt hæretici, & referamus, ac diruamus. In primis nobis obiectant Concilium Francofordiense, quod licet imagines retinendas iudicauerit, eis tamen adorationem exhiberi prohibuit, & quo ad hanc partem Synodum Nycænam damnauit, quæ prædictam adorationem approbauerat. Respondet Illustrissimus Card. Bellarminus, cõcedens, Synodum Francfordiensem sese Nicænæ opposuisse, propter auctoritatem quorundam, quos ibi refert, qui eorum temporum historias scripserũt, atque dicit ex duplici errore, non iuris, sed facti processisse. Primò, quia putauit Synodum Nicænã factam esse sine auctoritate Papæ. Secũdò, quia credidit, illam definisse, imagines esse adorandas adoratione latriæ, quod ipsa damnauit; in quo, inquit, non errauit in doctrina, sed solũ in falsa existimatione, quã de Synodo Nicæna habuit. Sed, vt verum fatear, mihi difficile creditu est, Synodum Francfordiensem potuisse ex errore facti contra Nicænam procedere; quia Nicæna Synodus paulò ante congregata fuerat sub eodem Pontifice Adriano, à quo fuerat confirmata. Legati autem eiusdem Adriani adfuerunt Concilio Francford. vt ijdem auctores fatentur: qui ergo fit, vt tota illa Synodus Cõcilij Nicæni auctoritatem, & doctrinã ignorare potuerit, cũ à Legatis Pontificis instrui posset? multo autem incredibilius est, cognita per Legatos auctoritate illius concilij, & Romani Pontificis approbatione, illud nihilominus damnasse, cum in eadem

Bellarminus.

Conc. Trid. sess. 25.

eadem Synodo Francfordiensi, vt ijdem auctores referunt, definitū fit, suprema definiendi auctoritatem, & approbandi Concilia, penes summum Pontificē residere, quare quadrifariam respondendum duxi. Primò respondeo, nihil nobis obesse hanc hæreticorum obiectionem, quia Centuanatores ipsi Cēt. 8. cap. 9. affirmant, illi Synodo Francford. nō cōsensisse, sed potius repugnasse Adrianum Papā, & legatum eius, certū autem est, Synodū cui repugnat Romanus Pontifex, nullius fuisse auctoritatis, vt patet, tum ex Gelasio in tom. de vinculis anathematis, tum experientia ipsa docente, nullam Synodum legitimam haberi, cui Romanus Pontifex repugnat. Secundò respondeo, quòd licet permulti historiographi referant, illud Concilium Francfordiense fuisse coactum tempore Adriani, eiusque auctoritate contra errorem Elipandi de filiatione adoptiua; tamen, quòd in eo Concilio aliquid actum sit de imaginibus, nō constat; & in 3. tomo Concil. eam partem nunc habemus, quæ filiationem Christi naturalem definit; de imaginibus verò nihil extat: & quod admiratione dignum est, Ionas Aurelianēsis auctor, ferè illorum temporum lib. 11. de imaginibus, in principio huius Concilij & erroris Elipandi mentionem faciens, de imaginibus prorsus tacet: & D. Antonius 2. part. titu. 14. c. 1 § 6 in eodē Concilio dicit, fuisse damnatum eundē errorem Felicis de filiatione adoptiua; nihil verò dicit ibi fuisse tractatum de imaginibus, quas ab Adriano I. dicit fuisse defensas. Tertiò respōdeo pro vt respondent Alanus Copus l. Dialog. 4. c. 18. & 19. & Dialog. 5. cap. 12. & 13. & breuius Surius tomo 3. Conciliorum in præfatione ad Synodum Francford. hunc scilicet errorē falso fuisse impositum huic Synodo: nā ita potius defendit honorē imaginū, & non veram septimam esse Synodum, sed pseudosynodum Constantinopolitanam, quam Græci interdum septimam vocabant, reprobauit. Quod primum probo ex Concilio Senonensi, in decretis fidei cap. 13. dicente Carolum Magnum in Frācfordiensi conuentu, erroris Iconomachorū suppressisse insaniam. Secundò, quia Paulus AEmilius l. 2 de gestis Francorū prope finem, dicit, Concilium illud fuisse congregatum contra Græcos, imagines damnantes, & imaginibus, inquit: suus honor seruatus est; & idem dicit Blondus lib. 1 decadis secundæ; & Sabellicus lib. 8 AEnead. 8. & Platina in vita Adriani, vbi sic ait: *Biennio post Theophilus, & Stephanus Episcopi insignes, Adriani Nomine, Francorum, & Germanorum Synodum habuere, in qua & Synodus, quam Græci appellabant, & hæresis de tollendis imaginibus damnata est.* Et Gallisarius Arelat. in Chronog. Anno 816. in Carolo Magno, dicit, in eo Concilio damnatos fuisse Græcos, & imagines restitutas: nō est igitur verisimile, quòd huic Synodo imponitur: quamquam si ipsa errasset, non posset eius auctoritas, in hac parte, cum auctoritate Concilij Nicæni comparari, cum in eam Romana sedes nunquam consenserit, quæ alteram Synodū approbauit: de libris autem illis, Carolo Magno falso impositis, nihil curandum est, quia neque à Carolo scripti sunt, & prout nunc extant, non constat, an sint admodum antiqui; immo ab alio hæretico existimātur conficti, prout scripti fuerunt tempore Adriani I. ab eodem satis confutati sunt, vt in 3. tom. Concil. habetur. Quarto respondeo, quòd licet Concilium Francfordiense fuerit legitimum, fuit tamen particulare, cum Papa Adrianus, & Legati eius ei non subscripserint, vt & ipsi hæretici Centuriatores fatentur: Synodus verò Nicæna Generale, & plenarium Concilium fuit: est autem regula Diui Augustini lib. 2. de baptismo cap. 3. concilia particularia plenarijs sine dubitatione cedere debere; qua etiam ratione respondetur ad aliud Concilium Constā-

tinop.

Centuanat. cent. 8 c. 9.

Paul. AEmi.

Blondus.

Sabellicus.

Platina.

Gallisarius Arelat.

Ionas Aur.

S. Antonin.

Ala. Corpus, Surius.

3. to. Conc.

D. Augusti.

tinop. quod hæretici obiectant, in quo imagines abolentur, illud enim planè fuit particulare sub Constantino Copronymo, cum ad illud non fuerint vocati, nec adfuerint, nec per se, nec per Legatos Pontifex Romanus, nec etiam Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus Patriarchę, sed solus Pseudo Episcopus, quem hæretici, deposito Sancto Germano, indignè Patriarcham fecerant, vt testantur Cedrenus, & Zonaras in vita Constantini Copronymi, imò & ipsi etiam hæretici Magdebulgenses fatentur Centur. 8 cap. 9. necnon & Paulus Diaconus (qui tunc viuebat) lib. 22. rerum Romanarum. Vbi obiter adnotandum censui, Concilium istud Constantinopolitanum falso vocari Ephesinum tertium à multis recentioribus, vt ab eo, qui edidit concilia in quadam admonitione præmissa 7. Synod. & ab auctore summæ Conciliorū in principio 7. Synodi à Sixto Senensi lib. 5. bibliothecæ sanctæ, annot. 247. & ab alijs: causa erroris fuit, quòd Concilio isti præsedit Atheodosius Episcopus Ephesinus: nā quòd verè nō Ephesi, sed Constantinopoli habitum sit, patet ex omnibus antiquis historicis, & ex ipso Concilio, quod insertum habetur act. 6. Nicæni Concilij.

Centur. 8. c. 9.

Paul. Diac.

Sixtus Senen.

Ad extremum obijciunt ijdem hæretici, Concilium Ilibertinum, in quo apertissimè prohibetur imaginum vsus, huic Concilio vt satisfaciant Doctores, in varias sententias abierunt. Quidam enim dicunt prohibuisse, ne imagines ritu Gentilicio adorarentur, alij, quòd solum prohibet imagines Dei, eo quòd cum purus spiritus non est figurabilis, vt est in seipso, sed vt plurimū per quandam analogiam ad alia. Magister autem Canus lib. 5. de locis cap. 4. non dubitauit Concilium illud errasse, prouinciale enim erat, non generale. Sed hæc omnia planè mihi videntur absque fundamento dicta: verba enim illius canonis, quæ in 1. tom. Concil. & de cōsecratione dist. 4. cap. placuit, & in decreto Iuon 3. par. cap 40. habentur, hęc sunt: *Placuit, in Ecclesia picturas esse non debere, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.* Ex quibus verbis non obscurè colligitur, ibi non prohiberi imagines simpliciter, sed ne in parietibus Ecclesiarum depingerentur. Quæ lex potuit eo tempore expedire, fuit enim illud Concilium circa tempora Concilij Nicæni, quando idololatria adhuc vigebat, vnde facile accidere poterat, vt imagines Sanctorum in parietibus depictæ, ab infidelibus irreuerenter tractarentur. Ita respondet Alanus dialog. 5. cap. 16. Sander. lib. 2. c. 4. Ayala lib. de traditionibus 3. part. de antiquit. imag. qui aliam rationem illius decreti subiūgit, scilicet, quia imagines in parietibus depictæ facilè deformantur: quia verò hoc incommodum diligētia euitari potest, & antiqua illa necessitas iā cessauit; ideò decretum illud vsu abrogatum est. Et in septima Synodo huiusmodi imagines in parietibus depictæ admittuntur.

Canus lib. 5. de locis c. 4.

In decreto Iuon. 3. p. c. 40.

Alanus. Sander. Ayala.

§. 5.

Ex antiquissimæ Ecclesiæ traditione, & consuetudine.

ANgelicus Doctor 3. part. quæst. 25 art. 3. vsum imaginum Christi censet haberi ex traditione Ecclesiæ; verba eius sunt hæc: *Dicendum, quòd Apostoli familiari instinctu Spiritus sancti, quædam Ecclesijs tradiderunt, seruanda, quæ non reliquerunt in scriptis, sed in obseruatione Ecclesiæ per successionem fidelium* Vnde ipse Apostolus dicit 2. ad Thess. 2. *State, & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, scilicet, ore probatū, siue per epistolam, scilicet, scripto trāsmissam. Inter huiusmodi autem traditiones, est imaginum Christi adoratio. Vnde & B Lucas dicitur depinxisse Christi imaginem, quæ Romæ habetur.* Hactenus D. Tho. id ipsum fatetur

S. Thom.

2. ad Thess. 2.

Idem S. Tho. fatetur in 3. distinct. 9. artic. 2. ad 42. dicens: *Inter multa, quæ Apostoli tradiderunt, quæ scripta non sunt in Canone, vnum est de vsu imaginum.* Imò non desunt, qui putent, adeò antiquum imaginum vsum fuisse, vt à tempore Enos inceperit. *Lipoman.* Lipomanus enim super Genesim exponens verba illa capit. 4 Enos cœpit inuocare nomen Domini, sic loquitur. *Primus inuocare cœpit nomen Domini Enos, quia secundùm aliquos, primus inuenit imagines quasdam, per quas orationis deuotio excitaretur; vel, quia eius tempore instauratus est Dei cultus, ritusque cœpit ceremonijs Deum colere.*

Deinde communis, & receptissima est traditio imaginum Christi, quas Nicodemus fecit; præcipuè tamen Auctor *Auctor suppl. Chron.* supplementi Chronicorum lib. 8. affirmat, quòd ille clauos, lanceam, ac linteamina, & passionis Christi instrumenta diligenter seruauit, & ad exemplar imaginis Christi in linteaminibus sepulchralibus impressæ, ipse Christi imaginem exsculpsit, quam imaginem quidam esse volunt eam, quæ nunc in ciuitate Lucensi, maxima confluentium *Mallonius de sacr. stigmatibus.* frequentia, colitur: Etenim Mallouius de sacris stigmatibus syndonis Christi capit. 2. numer. 15. refert, quòd quidam Episcopus è Galilæa prædictam imaginem in nauigio deportauit, multis cum luminaribus, sed sine vllo custode diuinæ prouidentiæ illam commisit, quę nauis ad Lucensem portum deuenit; tuncque per Angelum admonitus Lucensis Episcopus, imaginem curru magnifico imposuit, locumque sibi ipsa imago inuenit Lucæ, vbi magnifico templo extructo, singulari pietate, vt diximus, colitur. Habemus deinde ex antiquis historijs, Siluestrum Papam imagines Petri, & Pauli, quas apud se habebat, Constantino Imperatori ostendisse, quibus ille cognouit eosdem esse, qui sibi in visione apparuerant: ita refert Niceph. li. *Niceph.* 7. hist. cap. 33. & in edicto Constantini, quod in 1. tom. Conciliorum habetur, vbi etiam dicitur eosdem Siluestrum, & Constantinum, varijs ædificatis templis, in eis multas imagines posuisse, quas sequentes Pontifices imitati sunt, vt ex Damaso, Platina, & alijs, qui vitas Pontificum scripserunt, constat: meminit etiam Eusebius libr. 1. hist. cap. vlt. *Euseb.* & libr. 7. capit. 14. imaginem Petri, & Pauli, quibus ferè à principio Ecclesia Romana vsa est. Patet hæc eadem traditio ex antiquorum Patrum scriptis, Dionysij, Athanasij, Basilij, Chrysostomi, & aliorum, quorum testimonia in 7 Synodo Actor 3. 4. 5. magna ex parte referuntur: plura etiam congessit Damascenus, orat. 1. & 3. de imaginibus, qui etiam lib. 4. de fide cap. 16. *Statuas* (inquit) *Sanctorum erigimus, & visibiles imagines* Et Augustinus libr. 10. confess. capit. 34. reprehendit picturas, quando in eis non seruatur vsus necessarius, & pia significatio: & libr. 1. de consensu Euangelist. cap. 10. satis significat, suo tempore fuisse in vsu imagines Petri, & Pauli; & li. 20. contra Faustum cap. 73. idem habet de imagine Abrahæ, filium sacrificare volentis, libr. 5. contra Iulianum. Similia docet de imaginibus Adæ, & Euæ Gregor. lib. 9. epist. 9. Hanc eandem traditionem, & consuetudinem Ecclesiæ probat antiquissimus vsus imaginum, qui semper viguit in Ecclesia: nam in secunda actione secundæ Synodi Nicænæ epistola Synodica Adriani I Pontif. Rom. ad Constantinum Imperatorem, & Irenem eius Matrem, inter cætera in hunc modum ait: *Hi Principes Apostolorum sunt* (Petrum, & Paulum intelligit) *qui Catholicam Orthodoxam fidem auspicati, per scripta quidem, veluti legibus latis, fidem suam seruandam præceperunt, omnibus scilicet, qui in sedes illorum successuri erant, & in fide eorum vsque ad consummationem sæculi permansuri, atque ita nostra seruat Ecclesia, & sanctas eorum figuras veneratur. Vnde in hunc vsque diem venerandæ horum imaginibus Ecclesiæ nostræ ornatæ, ac conspicuæ sunt, quēadmodum Sanctissimus, & Beatissimus Papa Siluester in principio Christianorum nostro-*

7 Syn. act. 3. 4. & 5. *Damasc.* *D. Aug.* *Idem de cōsensu Euang.* *Idem contr. Faustum.* *Idem contr. Iulian.* *Gregorius.*

rum orthodoxa fide teſtatur. Calliſtus III. in quodam diplomate, quod in Eccleſia Cæſar augustana aſſeruatur, & Vaſæus in Annalibus rerum Hiſp. & noſter Pineda in Monarchia libr 10. capit. 2 § 4. meminerunt cameræ Angelicæ, quam fabricauit D. Iacobus, à quo tempore exat imago Dei Genitricis poſita ſuper baſim petream, in qua Deipara apparuit B. Iacobo Apoſt. & Cardinalis Iacobus de Vitriaco in ſua Orientali hiſt. ca. 44. nec non Raphael Volaterranus libr. 11. commemorant aliud ſacellum à Diuo Petro extructum, in honorem Dei parentis, in quo locata erat eius imago. Nicephorus libr 15. capit. 14. tradit Pulcheriam Auguſtam templum condidiſſe Conſtantinopoli, in quo religiosè locauit effigiem Deiparæ, à S. Luca depictam, quam è Hieroſolymis ad eam miſerat Eudoxia. Tertullianus in libr. de pudicitia ante medium, bis teſtatur, in ſacris calicibus Eccleſiæ Catholicæ, depictum fuiſſe Chriſtum in forma paſtoris oberrantem, ſuis humeris ouem reportantis ad ouile. S. Damaſus in vita Silueſtri ſcribit, Conſtantinum in loco, vbi fuerat baptizatus, poſuiſſe agnum ex auro puriſſimo, ad dexteram agni, ſtatuam argenteam Ioannis Baptiſtę In Eccleſia autem ipſa Lateranenſi poſuiſſe imagines argenteas Saluatori, Apoſtolis duodecim, & Angelis quatuor. In 7. Synodo Act. 6. refertur, quemadmodum diſcipuli S. Epiphanij, templum Epiphanio erexerant, ac imaginem eiuſdem in eo poſuerunt. D. Athanaſius in libello de paſſione imaginis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qualiter crucifixa eſt in Syria; in vrbe Beryto, ait: *Poſt quam curati ſunt (per vuctionem ſanguinis, qui ex imagine fluxerat) cuncti, qui ægritudine detinebantur, cucurrit omnis multitudo Iudæorum ad domum S. Eccleſiæ, quæ in eadem vrbe erat, vbi & Metropolitanum inuenerunt: cuius prouoluti veſtigijs, ſe peccaſſe, & grauiter deliquiſſe, magnis vocibus fatebantur: is cum ab eis perquireret omnem rei geſtæ veritatem, Sanctam Iconam Domini Saluatoris eidem demonſtrantes, annunciauerunt cuncta, quæ in ea exercuerant, & qualiter ab ictu lanceæ ſanguis, & aqua emanauit ex latere ipſius, nec non & de mirabilibus ab ea oſtenſis, ipſi retulerunt per ordinem: ille verò interrogabat qualiter Icon ipſa ab eis fuiſſet reperta, & ſi ab aliquo eam accepiſſent. at illi retulerunt ei, quòd quidam Chriſticola, per obliuionem, in cellula Synagogæ proxima, dimiſiſſet eandem Iconem, dum ſe ad alium locum transferret, hoſpitandi gratia: qui ſtatim iubetur inquiri, & repertus, in præſentia Domini Metropolitani ſtatuitur; cumque ab eo ſtudioſiſſimè fuiſſet interrogatus, quomodo Icon apud ſe deueniſſet, vel à quo tam mirabiliter poſita eſſet, reſpondit, dicens, quòd Nicodemus, qui ad Ieſum nocte venerat, proprijs manibus eam compoſuiſſet, & moriēs Gamalieli tradidiſſet. Gamaliel autem, Doctor is Gentium Pauli magiſter, cùm diem ſibi cerneret adeſſe extremum, Iacobo eā reliquit, & Iacobus Simeoni, & Simeon Zachæo, & ſic per ſucceßiones temporum in Hieroſolyma perdurauit, vſquequo ſubuerſio illius vrbis patrata eſt quadrageſimo & tertio anno poſt Aſcenſionem Domini ad cœlos, ſed biennio antequam Titus, & Veſpaſianus eandem ſubuerterent Vrbem, admoniti ſunt à Spiritu ſancto fideles, atque diſcipuli Chriſti, vt relicta Vrbe, ad regnum ſe transferrent Agrippæ Regis; quia ipſe tunc Agrippa Romanis fœderatus erat. Qui egreſſi ab Vrbe, omnia quæ ad cultum noſtræ Religionis, vel fidei pertinere videbantur, ſecum auferentes, in has regiones ſe tranſtulerunt; quo tempore etiam Icon cum cæteris rebus Eccleſiaſticis deportata, vſque hodie in Syria permanſit, quam ego ipſe à parentibus ex hac luce migrantibus, mihi traditam, iure hæreditario, vſque nunc poſſedi. Hæc certa, & manifeſta ratio eſt de Icone ſancta Domini Saluatoris, qualiter de Iudæa in Syriæ partes deuenit.* D. Baſi. oratione in S. Barlaā, in fine, in ipſa concione oſtendit imaginē S. Barlaam alicubi in templo depictam, & ait gaudere ſe, quòd melius pictores expreſſerint manum eius, pro Chriſto combuſtam, quam ipſe oratione deſcripſerit: *Abeo* (inquit) *fortium Martyrū Sanctorum*

Pineda.
Card. de Vitriaco.
Volaterran.
Niceph.
Tertullian.
S. Damaſus.
7. Syn. Act. 6
D. Athanaſ.
D. Baſil.

Euodius.

D. Damasc.

Ad Thessal.

1. Cor. 11.

Damasc.
Athanas.
7. Synod. act. 4. & 5.

Euseb.

7 Syn sup.

Niceph.
Damasc.
Theophyl.
Ambros.

Sozomen.

1 Reg 5.

Athanas.

2. Syn Nic.
Euagrius.
Procop.
Zonaras.
Couarr.
Niceph.

florum pictura, à vobis superatus; gaudeo, tal vestræ fortitudinis victoria, hodie victus. Video manus ad ignem luctam, exactius à vobis descriptam: video luctatorem in vestra imagine illustrius depictum. Euodius libro 2. de miraculis S. Stephani, scribit, in Ecclesia, vbi reliquiæ S. Stephani seruabantur, fuisse quoque imaginem eiusdem Martyris depictam, ad quam visendam frequentes homines concurrere soliti erant. Et D. Damascenus lib. 4. de fide ca. 17. apertè docet, cultum Crucis, & imaginum, esse Apostolicam traditionem: quæ omnia cùm ita sint, reuocate quasi in memoriã verba D. Pauli ad Thessalonicenses: *Ecce fratres, state, & tenete traditiones nostras, quas edocti estis, siue per epistolam, &c* & 1 ad Cor. 11. *Laudo vos fratres, quia per omnia mei meministis, & sicut tradidi vobis, traditiones tenete.*

§. 6.

Ex miraculis valdè authenticis.

ILlud sanè mirificè astruit & constabilit veritatem Catholicam de cultu, & veneratione imaginũ, quòd Deus propter earum cultum solitus est stupenda miracula patrare. Certum autem est, auctorem veritatis non posse miraculis approbare mendacium, & superstitionem: vera autem fuisse hæc miracula nemo absque ingenti temeritate inficiari potest, cùm illa referant Sanctissimi Patres, Damascenus oratione 1. & 3. de imaginibus, Athanasius libro de Passione, imò & 7 Synodus Act. 4. & 5. & alij permulti, quos molestum esset percensere: solùm ad exemplificandum, nonnulla illorum, quæ illi commemorant, hic apponam. Ex antiqua traditione habetur, mulerem illam, quam Christus à fluxu sanguinis liberauit, in memoriam tanti beneficij, imaginem, seu statuam Saluatoris Cæsareæ erexisse: refert id Eusebius lib. 7. hist. cap. 14. vbi addit iuxta illam imaginem nasci solitam herbam, quæ cùm primum fimbriam imaginis attingebat, similem morbum curabat. Quam historiam recipit etiam dicta 7 Synodus 4. in epistol. Germani Patriarchę Constantinop. circa finem. eiusdem meminit Nicephorus lib. 6 hist cap. 15. & Damascenus orat. 3. de imaginibus circa medium, & Theophylactus sup Matth. 9. Indicat autem Ambros. libr de Salomone cap. 5. mulierem illam fuisse Martham, quod ex Eusebio colligi non potest: solùm dicit ex illa ciuitate Cæsareæ fuisse oriundam, & præ foribus domus suæ illam statuam æneam posuisse. Addit Sozomenus lib. 5. hist. cap 20 de eadem imagine aliud miraculum, quòd videlicet, cùm Iulianus Apostata statuam Christi inde amouisset, & suam in eodem loco posuisset, mox ignis de cœlo statuam Iuliani discerpsit, & caput à reliquo corpore diuulsit, planè ad eum modum, quo olim accidit idolo Dagon 1. Reg. 5. D. Athanasius de Passione imaginis Domini cap. 2. refert, effigiem Saluatoris à Nicodemo fabricatam, cùm à Iudæis sacrilego ausu fuerit percussa, sanguinem emisisse: cuius rei mentionem faciens 2. Synodus Nicæna act. 4. ait: *Ex imaginis latere exiuit sanguis, & aqua.* Deinde Euagrius scribit lib. 4 hist. cap. 26. Procopius de bello Persico, Zonaras to mo 3. annalium in Romano Lucapeto, lege Couarr. libr 4 var. resol capit. 17. nu 11 & Nicephorum li. 2 h st. cap. 17. & lib. 17. cap. 16. quòd Edessena ciuitas ab imagine Saluatoris, quam linteo impressam, Abagaro miserat Christus, sæpius ab incendio fuit liberata; imò & Romæ Lateranensis tholus, tribunam appellant alij, in qua Saluatoris imago, quæ Romano populo apparuit, adhæsit, septies ab incendij exarsione, qua reliquum Ecclesię corpus conflagrauit, immunis seruata fuit.

Per effigiem etiam Christi Domini in sacra Syndone impressa, quæ Taurini asseruatur, quot miracula fuerunt patra-

ta, monumenta extant, atque testimonia omni exceptione maiora, illud tamen singularissimum referam, quod medijs cincta flammis quodam modo ardens non comburebatur; cuius quidē miraculi magnitudinem, & præstantiā, quoties mecū ipse tacitus contemplor, toties mystici illius rubi memoria obrepit, qui Moysi non sine summa admiratione ardere videbatur, nec tamen absumi, Exod. cap. 3. Circa hoc miraculū hæc declarabuntur, quo tempore, & quàm graue acciderit incendium; tum cur sacra Syndon non exarserit, indicabitur. Vt igitur tanti incendij fideliter explicetur atrocitas, describantur hoc loco, quæ memoriæ prodidit de S. Cappellæ exarsione Pingonius: ita enim scribit in sua Euangelica Syndone: *Sed dira bellorum præsagia anno 1532. demonstrata sunt, cùm 6. Nonas Decembr. Barbaræ Virginis festo die, nocte media nix illabente, illud sacellum, in quo Syndon reponebatur, flammis incognitis exarsit. Accurrebant omnes, sed omnium diligentissimus Kilbertus Lambertus ducis à clauibus, & consilijs, ascito secum ferrario fabro Gulielmo Pussodo nomine, & Franciscanis duobus, imperterrito animo, per medios ignes gradiuntur, cancellos ignitos aræ maximæ affixos, seraſque infringunt, Syndonem, iam liquefacta capsa argentea, extrahunt, & integram, cedente circum flamma, reportant: effusis ignibus grassabatur incendium, absumebantur marmora, & columnæ, sed potentiore piorum hominum fide, viáque numinis superata est ignis natura: fugiebant flammæ, & qui putabantur arsuri, veluti frigido rore perfundebantur, seque ipsos sunt admirati, velut illis quondam Hebræis pueris contigisse credimus. istud equidem palam omnes vidimus (tunc enim aderant) & obstupuimus; nec multo post Syndon repræsentata est integerrima, præterquam (extrema tamen iconis partes) incomplicatur: exiguæ quædam combustionis notæ, veluti perpetuæ miraculi testes remanserunt.* Hæc ille. Verùm diligenter percunctanti, cur in tam graui incendio Syndon non conflagrarit, video tres potissimum assignari posse causas: alteram quidem quòd exarsionis eius ignis verus non fuerit, sed apparens tantum aut fictitius, qualem ignem fatuum vocat Arist. vel qualē Seruij Tullij, in incunabulis prouoluti, cæsariem leniter obtemasse, memoriæ prodidit Tit. Liuius decad. 1. li. 1. aut qualem Ascanij pueri comas lambēte.., Virgil. 2. Æneid. sic describit:

Exod. 3.

Pingonius.

Arist.

Tit. Liu.

Oritur mirabile monstrum, Virgil.
Namque manus inter, mœstorumque ora parentum,
Ecce leuis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactúque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.
Nos pauidi trepidare metu, crinemq; flagrantem
Excutere, & sanctos restinguere fontibus ignes.

Eodem flammæ genere maximam cœnobij partem conflagrare opinabantur S. Benedicti eruditioni commissi Monachi, cum eos metu maximo trepidare, ac sollicitos aquas exhaurire, aquisque flammas restinguere, conspexit Benedictus, Diabolique versutia cognita, non tam fallaces flammas, aquis extinguendas, quàm fallaciæ auctorem Diabolum Crucis signo fugandum, cognouit: fugato enim dæmone, statim fictæ exarsionis metus euanuit. Verùm in atroci hac conflagratione, non fictas, aut apparentes tantum flammas, sed solidas, realesque, vt ita dicam, exarsiones, & solutum argentum, marmoraque in cineres redacta, reliquaque etiam S. Cappellæ monumenta combusta, testata sunt.

Hæc igitur vera causa non fuit, alia ergo quærenda. Altera assignari posset, si quis diceret, quòd peracutè prospexit auctor, Syndonem ex re minimè exarsioni apta, esse confectam, qualis est linum illud, quad, Plinio auctore, viuum, siue albestinum, & amiantum appellatur: eo enim lini genere contextas mappas ardentes in focis, illæsas tamen se

Plinius. se prospexisse testatus est Plinius lib. 19.
Ioan. Bapt. Porta. cap. 1. Ioan Baptista Porta libro secūdo Magiæ naturalis cap. 10. Dicitur autem amiantum linum, ex amianto lapide, quo in fila resoluto, pannus texitur, cuius adminiculo, paucis quibusdam additis, docet idem Ioannes Baptista Porta, eo loci igne præseruari quædam, ne lædantur ab igne; hoc lini genere describit Damasus Papa in suo Pontificali de consuet. Eccl. Lateran. annexum aureum agnum pondo lib. 12. Lateranensi Ecclesiæ à Constātino donatum, sic dicens: *Ex stipa, alij ex stupa, amianti, annexū ex auro purissimo fecit Constantinus, pensantem libras duodecim.* Et Anastasius Bibliothecarius relatus in tomo 1. Conciliorū in Siluestro, varia pretiosissima describens munera à Constantino Magno donata Ecclesiæ Lateranensi, inter cætera sic scribit: *In medio fontis columna porphyretica, quæ portat phialam ex auro purissimo, pensantem libras quinquaginta, vbi ardēt balsami libræ ducentæ, annexum ex stipa amianti habentes.* De quibus lege Pancianium, & Baronium Cardinalem: neque vero omninò censuerim incredibile, si ea vera fuerint, quæ igne non absumantur, qualia sunt Adamas, aut AEtytes lapis, alio nomine Gagates dictus. Quin potius tantum abest, vt Calazias gemma grandineo colore, duritie tamen adamātina, igne absumatur, vt ne igne quidem calescat. Fateor, & me linteamina quædam, ardenti illita aqua, ita exardescentia conspexisse, vt tamen non comburerentur, nec minima quaque in parte læderentur; imò hominis manus, ardenti aqua perfusas, absque vllo sensu, aut dolore cōflagrare, vim ipsam flammarum ardentis aquæ raritate eneruante. Hac ergò ratione, sacram Syndonem tanquam exarsioni minimè aptam, ab incēdio fuisse seruatam, quis dixerit? ac falsæ responsionis commentum partes ipsæ Syndonis flamma consumptæ euincent. Vera ergo addatur causa, ac miraculum summum agnoscatur. Deniq; potestas, & magnificentia prædicetur: ea enim ratione Syndonem seruauit in noxiā, qua rubum in flamma, tres pueros in fornace combustis funib. ac vinculis: si enim ingens Paganorum multitudo, eximiam Dei prouidentiam, pietatemque cognouit, cum Sanctæ Agathę velum, flammis iniectum, intactum tandem, innoxiumq; receperunt: ita nos quoque in sacrosancta seruanda Syndone, Dei magnificentiam agnoscamus, ac pietatem commendemus, qui sacro suo cruore ad passionis suæ in nobis memoriam conseruandam, Syndonem obsignauit, atque ad suæ in nobis charitatis ostensionem in medijs ignibus eandem seruauit intactam. Quod si ad miraculi veritatem comprobandam, Syndonem aliqua in parte ignibus tangi, aut lædi etiam passus est, sacram tamen imaginem (quæ eius eximia in nos clementia fuit) nec lædi, nec tangi passus est. Iam vero in magno hoc miraculo magnum agnoscamus mysterium, quod Deus sacrum hoc vestimentum, passionis suæ sanguine signatum, aliqua in parte cōburi passus est, vt Isaiæ vaticinium impleretur, quo dicitur cap. 9 *Vestimentum, mistum sanguine, erit in combustionem, & cibus ignis: paruulus enim filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius.* Scribit etiam Beda libro de locis sanctis cap. 5. in sudarium, quod fuit super caput Iesu (ita enim sanctam Syndonem nominat) sua ætate à Maiuuia Sarracenorum Rege, auersum grandem pyram fuisse iectam, nec tamen combustum, sed veluti raptum, in sublime euolasse, & in summo aere diutissimè, quasi lusitans, detentum, tamen cunctis inspicientibus, leuiter in cuiusdā Christiani sinum penetrasse; & ideò totum populum Christianum summa veneratione illud salutasse, & osculatum fuisse. His omnibus adnecto miracula, ad imaginem Deiparæ patrata: quia tamen, si omnia prosequi vellem, in immensum abiret oratio, solum tibi in memoriam

Dam. Papa.
Anast. Bibl.
Pancian. Baron.
Exod. 3.
Dan. 3.
Isai. 9.
Beda.

reuoco, quod Iulianus Apostata, mandato Dei Genitricis, ad preces S. Basilij coram eiusdem imagine fusas, à Sancto Mercurio hasta confessus fuit, & vt verbis vtar Nazianzeni orat. in Iulian. *Lethale certè, orbique vniuerso salutare vulnus accepit.* Greg. Naz.

Quam historiam D. Damasc. orat. 1. de imagin. refert in hæc verba: *Quòd autem imaginum institutio non noua, sed prisca sit, & apud sanctos, & eximios Patres nota, & vsitata, disce ex his, quæ in vita Beati Basilij ab Helladio eius discipulo, in Pontificatuque successore conscripta sunt. Pius enim vir, vt ipse narrat, Dominæ nostræ adstabat imagini, in qua Mercurij etiam celebris Martyris figura descripta erat: adstabat autem supplicans, vt impius Iulianus tolleretur; ex qua quidem imagine didicit, quid esset euenturum. vidit enim Martyrem ad exiguum tempus obscurum, id est (vt rectè interpretatur Bilius, ab oculis suis euanescentem, non multò autem post hastam cruentam tenentem.* Damascen.

Hęc apud Damascen. ex Helladio. S. Heduuigis Ducissa Poloniæ, vt in fine eius vitæ apud Surium 15. Octobris habetur, crebro imaginem quandam Deiparæ apud se ferre viuens solebat, & cum ea tumulata est: quæ tribus digitis sinistræ manus moriēs, ita eam strinxerat, vt commodè ea auelli nō posset, sed anno 1268. post 25. ferè annos ab eius obitu, reserato sepulchro, cùm ossa sacri corporis transferenda eleuarentur, consumptis carnibus, & membrorum compage soluta, tres illi digiti inuenti sunt prorsus integri, & incorrupti, & intra illos imago Deiparæ: cerebrum quoque inuentum est recentissimum, & ex capite liquor instar olei, suauissimi odoris erūpebat: quæ amorem ac deuotionem eius erga Virginem, Deo maximè gratum fuisse testabantur. Surius.

Ad hoc profero singularem historiam ex narratione Abbatis Theodori Eliotæ apud Sophronium in Prato Spir. cap. 45. cuius illa sunt verba: *Dicebat Abbas Theodorus Eliotes, quòd fuerit quidam incluſus in monte Oliuarum, certator maximus: impugnabat autem illum fornicationis spiritus: die verò quadam cùm instaret illi vehementer, cœpit eiulare senex, & dicere dæmoni: quamdiu non dimittis me? recede iam à me, qui mecum consensisti. Apparuit dæmon visibiliter, dicens; iura mihi, quia nemini dices, quod tibi dicturus sum, & te non amplius oppugnabo. iurauitq; illi senex, dicens: per inhabitantem in altissimis, nulli dicam quæ mihi dixeris: tunc ait illi dæmō: Noli adorare hanc imaginem, & vltra te nō impugnabo. Habebat autem hæc imago expressam figuram Dominæ nostræ sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ferentem Dominum nostrum Iesum Christum. Ait incluſus dæmoni: Dimitte me, vt deliberem. In crastinum autem hoc significauit ipsi Abbati Theodoro Eliotæ, tunc habitanti in Lauria Pharam, narrauitque illi omnia. senex autem ait recluso: verè Domine Abbas illuſus es, qui iurasti dæmoni; verumtamen bene feciſti hæc reuelans minus malum tibi esset, nullum in illa vbe lupanar omittere, quod non ingredereris, quàm vt neges, te adorare Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum cum Matre sua. Confirmatum igitur & corroboratum plurimis verbis, reliquit illum in loco suo. Apparuit dæmon incluſo rursus, dicens: Quid est hoc peßime senex? Dico tibi, quia vt periurus in die iudicij iudicaberis. Respondit incluſus, dicens: Scio quidem, quia iurauī, verumtamen Dominum, & creatorem meum adorabo, tibi autem non obediam.* Hæc in Prato Spirituali. Sophron.

Hanc historiam, tamquam à Sophronio Archiepiscopo Hierosolymitano, in libro Prati Spiritualis descriptam, totidem verbis legit Stephanus Monachus in Synodo 2. Nicæna act. 4. & iterum act. 5. Steph. Mon.

Quàm porro pia sit, quantaq; imitatione digna eorum consuetudo, qui coram Deiparæ imagine lampadem domi accendūt, eorumq; qui antequam domo pedem efferant, & iter aliquod ineant, Dei Genitrici, coram eius imagine, quā in cubiculo habent, commendare se solent, vtrumq; insigni Deipara ipsa miraculo, ex eodem Prato spirituali cap. 180. com-

Prat. Spirit. comprobabo, cuius historiã totidem hic verbis referemus: *Narrauit nobis sanctissimus Dionysius presbyter Sanctæ Ecclesiæ Ascolitarum, & sacrorum vasorum custos, de Abbate Ioanne Anachoreta, dicens: Quasi verè magnus in generatione ista fuit, atque ad commendationem summorũ illius apud Deum meritorũ: hoc de ipso miraculum narrabat: In spelunca, inquit, morabatur senex in partibus villæ quæ dicitur Sochus, viginti fere milliaribus ab Hierusalem; habebat autem senex in spelunca imaginem immaculatæ Dominæ nostræ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, in vlnis ferentem Christũ Dominum, & Saluatorem nostrum: quoties igitur abire volebat ad locũ aliquem, vel per vastam solitudinem, siue Hierosolymã ad adorandum Sanctam Crucem, & venerabilia loca, vel in Sinai montem, orationis gratia, siue ad Martyres distantes ab Hierosolymis, multis, prolixisq; interuallis: erat enim senex, Martyrum reuerentiæ mirabiliter deditus. Et nunc quidem pergebat Ephesum ad S. Ioannem, nunc autẽ Euchaitam ad S. Theodorum, nunc verò ad S. Theclam in Seleuciam Isauriæ, nũc ad S. Sergium in Saraphas, & modò ad istum, & modo ad illum Sanctum reficiebat candelam, & accendebat, vt sibi consuetudo erat: & cum reuertebatur accensam inueniebat candelam, quæ ex diuina virtute nondum tota consumpta erat. Deinde Edessæ in Syria imago Virginis iussit S. Alexium in templo retroduci, eius nomen diuulgauit, vt* Breu. Rom. *Breuiarium Romanum narrat die 17. Iulij, & nũc Romæ in eiusdem S. Alexij æde, in marmoreo, ac sublimi tabernaculo, columnis quatuor subnixo, religiosè asseruatur.* Sanè de idolorum simulachris Dauid cecinit Psal. 113. *Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, aures habent & non audient, manus habent, & non palpabunt.* At loquuta est imago vmbratilis D. Deiparæ S. Hyacintho Odrouantio, dicẽs: *Gaude tibi Hyacinthe, quia orationes tuæ gratæ sunt filio meo, & quicquid per me ab eo petieris, impetrabis.* Aspexit oculus imaginis Mariæ illum sceleſtum Anatoleum, vt Niceph. Niceph. narrat, & se ab illo auertit. Audiuit auris imaginis Mariæ mellifluũ Bernardũ, illa verba orantem: *Monstra te esse matrem*, & se esse matrem illi liquido lacte demonstrauit. Manũ dextram Marianam persentit ille inter alios Getha, qui imagine ipsius in porta Constantinopolitanę vrbis visa, vlterius procedere nequiuit, sed retroactus inuisa vi, retrocedere coactus fuit. Pedes verò tam celeres illius imaginis habent, vt imago eius Lauretana, in domo culta, & se, & domiciliũ Marianum nõ semel, neq; in vnũ locum deportarit. Gutturis porro eius vox tã est sonora, & efficax, quã nõ est sonora vox tubæ, vt etiam à moribundis, imò, & à mortuis audiatur, & exaudiatur: dabo duos testes: *Adolescens quidã à Morauia in Polonia redux, habuit obuios subuersores viarum, ab his spoliatus insuper, & vulneribus cõcisus, pro mortuo relictus est: in aliã siluã cum recessissent, ille quoque ad se rediit, reptans, vt potuit appulit ad proximũ pagum, in eo triginta totis diebus decubuit absque cibo, & potu: nullus fuit, qui misereretur, & ipse erat suæ vllo obello. vulnera autem interim hiabant, & putrescẽtia, vehemẽtiorem in modum, tabo diffluebant. Subijt tandem in mentem recordari D. Virginis Claromontanæ: illam ergo precibus interpellabat, vellet sibi esse propitia, sanitatemque vulneribus adhiberet. Obruitur interim somno profundissimo, in quo vidit, quandam supra humana specie sibi appropinquantem, vulnera abluentem, persanantem, cicatricem obducentem. Deinde anno Christi 1526. Iste à Libitina illustris matrona à Morauia, vnicum filium habebat, fulcimentum extremum familiæ, & senectæ: is in iuuentutis flore, magnas spes de se ostentans, conuertit eas in mœrorem: languet, agonizat, moritur: quid faciat mater? tota se in lamentare soluit, & dum plorat, ab Angelo admonita custode, vitæ melioris, originariam fontanã D. Virginem Claromontanam orat: deinde adolescentis cadauer capulo inditum currui imponit, vehendum ad templum Deiparæ: postquam fuit ante ædem Diuæ Virginis Claromõtanæ, ille qui mortuus fuerat, quasi de graui somno excitatus, oculos aperuit, verba formauit, surrexit, processit, D. Virginem ante*

Abraham Bzouius in monili gemmeo ad finẽ.

Idem ibid.

quàm

quàm videret, adorauit viuus, & vigens à tali ope. Nihilominus tamen, licèt argumentum à miraculis à Deo patratis, per imagines firmissimum sit ad euertendā hæreticam eorum prauitatem, qui imaginum cultum abnegant: illud tamen hæretici infirmare contendunt, dicentes, multa esse, per quæ Deus miracula fecit, quæ tamen non coluntur, & adorantur; nam Eliseus per aquā Iordanis curauit lepram Naaman, Christus sputo curauit cæcum, nec tamē adoramus aquam, vel sputum: quin etiam per homines malos aliquando facit Deus miracula, & tamē eos homines omni honore indignos iudicamus. Respondeo, spectandum esse finem miraculorum: id enim, quod miraculo confirmatur, Dei testimonium habet: nam Eliseus & Christus nō adhibuerunt aquam, vel sputum in miraculis, vt aquam vel sputum honorarent, sed vt ostenderent, ille quidem esse Prophetam Dei; iste, se verum Dei filium. Similiter homines mali nō faciunt miracula, vt se, & vitam commendent, sed fidem: quare non ipsi, sed fides, quam prædicant, veneranda est. Deinde falsò supponitur, sputum Christi non esse adorandum: ego Christi Domini saliuam, ex diuino illo ore emanantem, adorare nō dubitarem, sicut vngues, & capillos, licèt velut hominis excrementa habeātur. Miracula autem per imagines facta, ideò facta sunt, vt probarent, ac sancirēt imaginū cultum. Nam, cur quæso ignis cœlestis discerpsit statuam Iuliani, nisi vt vindicaret iniuriam factam statuæ Christi? & cur ab imagine ab Iudæis cōfossa, sanguis prodijt, qui infirmos plurimos curauit, vt est apud Athanasium lib. de pass. imag. Domini. Gregor. Turonensem de gloria Martyrum, c. 21. Rhegin. in Chronico anni 804. nisi vt ostenderet, se honorare id, quod Iudæi contumelia afficiebant.

4. Reg. 5. Ioan. 9.

Athan. ſ. Greg. Turon. Rhegin.

§. 6.

Ex Sanctis Patribus, ac vetustissimis Doctoribus.

VNanimis est in hac parte Sanctorum Patrum consensus: quorum vt breuitati consulam, selectiora quædam testimonia solum apponam. Diuus Damascenus libro 4. Orthodoxæ fidei cap. 17. ait: *Quia nonnulli nobis exprobrant, quod adoramus, & veneramur Saluatoris nostri, & Reginæ nostræ Deiparæ imaginē, insuper & reliquorum Sanctorum, & famulorum Christi, audiant, quod à principio Deus hominem ad suam imaginem fecerit. Cuius igitur gratia inuicem adoramus, nisi quatenus ad imaginem Dei facti sumus? nam, vt inquit Deifer, & Magnus in diuinis Basilius, imaginis honor ad exemplaris transfertur honorem.* Et infra: *Quia non omnes literas norunt; neque lectioni incumbunt, Patres nostri cōsenserunt, veluti quædam trophæa, hæc in imaginibus repræsentare ad promptam memoriam: siquidem ob negligentiam frequenter cogitatione non tenentes passionem Christi, imaginem transfixionis Christi videntes, in Saluatoris passionis memoriam redimus, & procidentes adoramus, nō materiam, sed imagine repræsentatum, vt neq; materiam, ex qua scriptum est Euangelium, sic neque Crucis materiā adoramus, sed quod typo, figuráque exprimitur: nam quid refert Crux à materia si non habet Christi representationem?* Damascen.

Diuus Athanasius sermone 5 cōtra Arrianos: *In imagine Regia, species Regis, & forma apparet, & in Rege imaginis species: sine enim omni discrepantia vultus Regis in imagine expressus est, vt qui videt imaginem, videat in ea Regem, & vicissim, qui Regem intuetur, agnoscat illum ipsum eundem esse, qui in imagine repræsentatur. Cæterum, quia in ambobus nulla est dissimilitudo, qui posit conspectam imaginem, velit Regem videre, huic ad eum modum ita imago iure loqueretur: ego, & Rex vnum sumus: ego enim in illo sum, & ille in me; & quod in me animaduertis, id quoque in eo animaduertas; & quod videris in illo, vide-* D. Athan.

videris & in me. Qui igitur adorat imaginem, in illa adorat ipsum Regem, quippe cum ipsa imago nihil aliud sit, quàm Regis forma, ac species.

Damasus. Damasus Papa lib. Pontificali in vita Siluestri: *Huius temporibus fecit Constantinus Augustus Basilicas istas, quas & ornauit. Basilicam Constantinianam, vbi posuit dona ista, fastigium argenteum, habens in fronte Saluatorem, sedentem in sella quinque pedum, pensantem libras centum viginti, & duodecim Apostolos habentes singuli quinos pedes, pensantes libras nonaginta, cum coronis ex argento purissimo. Item à tergo respicientem in absde, Saluatorem sedentem in Throno, in pedibus quinque ex argento purissimo, pensantem libras centum quadraginta, & Angelos quatuor ex argento in quinis pedibus, qui pensant singuli libras centũ quinque, cum gẽmis Alabandenis.*

D. Gregor. D. Gregorius li. 7. indict. 2 epist. 53. ad Secundinum: *Imagines, quas tibi dirigendas per Dulcidum Diaconũ rogasti, misimus. Vnde valde nobis tua postulatio placuit, quia illum toto corde, tota intẽtione diligis, cuius imaginẽ præ oculis habere desideras.* Et infra: *Dum nobis ipsa pictura, quasi scriptura, ad memoriam filium Dei reducit animum nostrum, aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet. Ideoq; direximus tibi furtarias duas, imaginem Dei Saluatoris, & Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, Beatorumque Apostolorum Petri, & Pauli continentes per supradictũ filium.*

Nicetas. Nicetas de Imperio Ioannis Cõmeni. *Illud insignem eius pietatem testatur, cum Romanæ phalanges, vrgentibus hostibus, & audacius se inferentibus, laborarent, imaginem Dei Genitricis cum gemitu, & miserabilibus gestibus intuens lacrymas, bellicis sudoribus calidiores fundebat, neq; id frustra: statim enim cœlesti robore armatus, Scythicam aciẽ profligat, quemadmodum olim Moyses extensione manuum Amalethiticas turmas dissipauit.*

Paul. Diac. Paulus Diaconus de gestis Longobardorũ lib. 7. c. 14. *Hac tẽpestate Leo Imperator, apud Constãtinopolim, Sanctorũ imagines depositas, incendit. Romano quoque Pontifici idem facere, si imperialẽ gratiam habere vellet, mandauit. Sed Pontifex id facere contempsit. Omnis quoq; Rauennensis exercitus, & Venetiarum, talibus iussis, vno animo restitere, & nisi eos Pontifex prohibuisset, Imperatorẽ super se constituere aggressi fuissent. Per idẽ tempus Leo Imperator ad peiora progressus est, ita vt compelleret omnes Constantinopoli habitantes, tam vi, quàm blandimentis, vt deponerentur, vbicumque haberentur, imagines, tam Saluatoris nostri, quàm eius Sanctæ Genitricis, & omnium Sanctorum, easque in media vrbis concremari fecit: & quia plerique ex populo tale scelus fieri præpediebant, aliquot ex eis capite truncati, alij alia parte corporis mulctati sunt. Cuius errori Germanus Patriarcha non consentiens, à propria sede depulsus est, & eius loco Anastasius presbyter ordinatus est.*

Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus, in vita S. Ioannis Damasceni: *Ingruerant vniuerso Orbi nox horrida, atque profundæ tenebræ, ita vt obscurarentur venerabilium imaginum præclaræ figura: illarum auctor fuit, non à triuio aliquis, ac plebeius, qui in exigua tantum parte orbis, malitiam suam disseminaret: sed vir ille (vt sic dicam) manu fines Orbis complectens, Romanorum videlicet Princeps. Is potentia inflatus, vi summa nitebatur, vt ad vnam venerandas imagines omnes, & locis in omnibus, demoliri posset. Et ea propter imaginum cultores, partim dilaniari faciebat, sicut Leo rapiens, & rugiens, verè tam animo, quàm corpore Leo: partim in diuersa rugitu suo fugabat, atque adeo sæuiebat, vt fidelium plerique in subterraneis spelunciis sese occulerent, existimarentque tutius leonibus, ac draconibus conuenire, quàm cum illo, illiusque familiaribus habitare. Nonnulli etiam metu perterriti, vsque in extremos Orbis terminos procurrerunt: Leo enim rugiet, & quis non formidabit? ab ipso, inquam, quasi à conspectu colubri fugiebant. At Ioannes ille, non à leonina feritate, sed gratia, nomen sortitus, spiritaliq; gratia plenus, aduersus singularem hunc serpentem stomachari, & excandescere cœpit; ita autem stomachabatur, vt recte & virtutem, & zelum dixeris stomachationem, non ad Saracenos cum Thracibus, neque ad columnas Herculis cum Constantinopolitanis profugit, neque ad desertiora loca ex*

Ioan. Patr. Hierosol.

palatijs transijt propter rugitum leonis. Sed & cum versaretur Damasci, & cum Monasticam, solitario Palæstinæ loca exerceret, strenuus, & impauidus aduersus Leonem pugnabat. Quamuis autem ille strenuissimus mentis athleta, tanto locorum interuallo abesset à tyranno, libris tamen, & sermonibus cor illius dissecabat, veluti tricuspidibus hastis, quas igne Spiritus sancti fabricabat, vitali aqua solidans. In eadem historia refert, quomodo ipsi Damasceno per Beatam Virginem manus restituta sit, quam propter imaginum defensionem amiserat. Accedunt his Sanctus Basilius orat. in Sanctum Barlaam, Gregorius Nyssenus oratione in Theodorum, Sanctus Augustinus libro 1 de consensu Euangelist. cap. 10. & libro 22. contra Faustum capite 73. & lib. 3. de Trinitate capite decimo. Diuus Ambrosius li. de incarnationis Dominicæ sacramento capite septimo & orat. de obitu Theodosij, & alij quamplurimi Patres, quorum testimonia refert 7. Synodus actione 3. 4. & 5. Plura etiam concessit Diuus Damascenus orat. 3 de imaginibus. Verum quia hæretici referunt pro suo errore Diuum Epiphanium in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, vbi ipse refert, quod ingressus quandam Ecclesiam, cum imaginem velo depictam vidisset, statim illud scidisse, quod talis pictura contra diuinum præceptum existeret: opus est tantum Doctorem ab hac calumnia vindicare: etenim Diuus Damascenus oratione prima de imaginibus expresse tradit, partem illam extremam illius epist. non esse Epiphanij, sed ab aliquo hæretico suppositam; cuius rei varias coniecturas congerit Alanus supra capit. vigesim. Tres vero, aut quatuor sunt potissimæ. Primum est, quod in 7. Synodo actione sexta duo testimonia Epiphanij afferuntur, quibus abutebantur hæretici, qui conuicti sunt illa falso confinxisse, & Epiphanio imposuisse. Si autem in hac epistola Epiphanij hæc pars eo tempore legeretur, certè hæretici illam maximè vrgerent: signum est ergo eam partem non fuisse ab Epiphanio scriptam, sed postea ab hæreticis impositam: hanc enim esse hæreticorum consuetudinem constat eadem septima Synodo actione 38. vbi Macharius confessus est, se mutasse testimonia Sanctorum; & Adrianus in responsione ad Carolum, ostendit hæreticos corrupisse epist. Cyrilli ad Successum; & similia videri possunt in Eusebio libro quarto historiarum capite vigesimoquinto. Athanasio epistola ad Serapionem. Nicolao etiam Papa epistola ad Leonem. Secundo, ex contextu epistolæ hoc non obscurè colligitur. nam pars illa, in qua hæc fabula continetur, extrema est totius epistolæ, quæ incipit ab illo *§ Præterea audiui quosdam, &c.* ante quam particulam, epistola est absoluta, & completa, vt patet ex vltima clausula: *Deus autem pacis det nobis iuxta suam clementiam, vt conteratur Satanas, &c.* Tertio, Gregorius libro nono epistola nona reprehendens Serenum, dicit, nullum antiquorum Patrum ausum esse imagines confingere, neque de vllo hoc esse scriptum. Quarto, constat ex Chrysostomo, Basilio, Athanasio, Gregorio Nazianzeno, & Nysseno, & alijs Patribus Epiphanio æqualibus, ea ætate, vsum imaginum in Ecclesia Græca, & vniuerso Oriente frequentissimum fuisse. Qui ergo verisimile est nouum, & inusitatum Epiphanio visum esse? aut si hæc contra scripturam esse credidit (vt ibi dicitur) quomodo cæteros errores, atque hæreses impugnans, nusquam hunc vsum reprehendit? addo tandem in illa epistola non satis explicari, cuius fuerit figura in illo linteo depicta, nec dicitur fuisse alicuius Sancti. Vnde fortasse contingere potuit, vt fuerit alicuius hominis profani, vt notarunt Cardinalis Bellarminus de imaginibus, & ante illum Marianus Victor in scholijs ad hanc epistolam, quæ habetur tomo secundo operi-

D. Basil. *D. Gre. Nyss.* *D. Aug.* *D. Ambros.* *7. Synod. Damascen.* *Epiphan.* *Damascen.* *Alanus.* *7. Synod.* *Eusebium.* *Athanasium.* *Nicol. Papa.* *Gregorium.* *Chrysost.* *Basilium.* *Athanas.* *Greg. Naz.* *Greg. Nyss.* *Card. Bellarmin.* *Marian Victor.*

oper. Diui Hieronymi epistola sexagesima.

§. 8.

A multiplici vtilitate.

SAcrarum imaginum, & præcipuè Christi Domini, & Beatæ Virginis pium, ac religiosum vsum multiplex vtilitas mirificè commendat: illa in primis notissima est, & experientia satis comprobata, quòd cum aspiciuntur, deuotionis igniculos, ac pios in voluntate excitant affectus. Vnde Georgius Patriarcha Alexandrinus, & Metaphrastes referunt, Diuum Chrysostomum Pauli effigiem cum intueretur, vehementer commoueri solitum, immo ipsemet Chrysostomus in oratione quòd veteris, & noui testamenti idem sit auctor, hæc verba scripsit: *Ego & ex cera fusilem picturam plenam adamaui: vidi enim Angelum in imagine Barbarorum nubes propulsantem.* Beatus quoque Asterius Episcopus Amaseæ, cum sanctæ Euphemiæ Martyrium in imagine expressum describisset, quomodo lictor, arrepto virginis capite, & in tergum reflectens, dentes virginis malleo & terebro excuteret, subdidit: *Sed lachrymas fundo. nam hæc mihi passio vocem aufert, vt amplius loqui nequeam; nam tam exactè sanguinis guttas, ex ore defluentes, pictor expressit, vt iuraueris à labijs profluere.* Quod quidem testimonium cum in sancta Synodo actione quarta relatum esset, clarissimi Duces dixerunt, ad picturæ emphasim exprimendam, quòd sanctus vir hæc videns, compunctus est. Et Basilius Ancyranus Episcopus subdit: *Iste sanctus vir, eisdem affectibus obnoxius fuit, quibus etiam Greg. Ambo enim per imagines ad lachrymas acti sunt.* Sanctus Gregorius Nyssenus orat. de Deitate Fil j, & Spiritus sancti; & in Abraham dicit: *Vidi sæpe inscriptionis imaginem, & sine lachrymis transire non potui, cum tam efficaciter pictura ob oculos poneret historiam. Procumbit enim ante aram Isaac, genibus innixus circumductas ferens in tergo manus. Ille vero à tergo pueri innixum pedum curuamini, sinistram comam pueri apprehendit, ad se trahens. Declinat faciem ad puerum, miserabiliter infundens; dexteram autem gladio obarmatam gestat, quam etiã ad eundem dirigit, iamque gladij acies propemodum ipsum corpus attingit, cum illum diuina vox à facto deterret.* Hoc autem testimonium cum in Synodo 7. Nicæna esset recitatum, subdit Theodorus Episcopus Cathanes: *Beatus Gregorius vigilantissimus ad diuina oracula, inspecta Abrahæ historia fleuit, quanto magis inspecta œconomia Domini nostri Iesu Christi veri Dei, ad lachrymas, & vtilitatem contemplantes nos adhortabitur.* Basilius Ancyræ Episcopus: *Frequenter* (inquit) *Beatus Pater historiam legit, sed obiter, post quam autem eam pictura expressam vidit, fleuit.* Et Patriarcha eidem Concilio præsidens intulit: *Nonne & nos lachrymas funderemus, si Dominum & nos videremus Cruci affixum?* Sed vt picturæ vis melius appareat (habet enim plus ad commouendum virium, quam oratio) licebit nobis ex gentilium scripturis exemplum afferre; scribit enim Appianus in libro secundo de ciuilibus bellis, quòd interfecto Cæsare, quidam ex eius amicis crudelitatem interfectorum populo ostensurus, ex lecto Cæsaris, qui tum in foro positus erat, imaginem eius ex cera fabrefactam protulit, quæ tres, & viginti plagas vultui, & vniuerso corpori ferino ritu impressas, atque patentes repræsentabat: quo nimirum spectaculo maiorem in populo dolorem, & iram concitauit, quàm vlla vel oratione, vel actione potuisset. Huius vim exitus comprobauit: eo enim horrendo spectaculo viso, populus ita ira excanduit, vt contra Cæsaris persecutores multa crudeliter tentarit inflixeritque supplicia.

Georg. Patriarcha. Metaphr.

Chrysost.

B. Asterius Episcopus.

Basilius.

Greg. Nyss

Theod Episcop. Cath.

Basilius Anc. Epis.

Appian.

Secunda vtilitas est, quòd imagines multum deseruiunt ad in-

Damaſ. ſtruendam rudem, atque indoctam plebem, vt eleganter Damaſus loco ſupracitato dixit: ſolet enim, vt rectè dixit Greg. Nyſſ. orat. de Sancto Theodoro, etiam figura tacens in pariete loqui, maximeque prodeſſe, & vt inquit Diuus Gregorius libro 7. epiſtola 109. pictura in Eccleſijs adhibetur, vt qui litteras neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. & Diuus Gregorius lib. 9. epiſtola 9. inquit: *Quod legentibus ſcriptura, hoc & idiotis præſtat pictura, quia in ipſis ignorantes vident, quid ſequi debeant, in ipſa legunt, qui litteras neſciunt.* Quibus conſonant verba Diui Damaſ. libro 4. cap. 17. *Quia non omnes litteras norunt, neque lectioni incumbunt, Patres noſtri conſenſerunt, hæc imaginibus repræſentari.* Conſona etiam ſunt alia venerabilis Bedæ libro 19. de templo Salomonis: *Imaginum aſpectus multum compunctionis ſolent præſtare contuentibus, & eis, qui litteras ignorant, quaſi viuam Dominicæ hiſtoriæ pandere lectionem.* Quapropter ſicut hiſtoria honeſta eſt in Eccleſia neceſſaria, ita & ſanctarum imaginum vſus: omnes enim hiſtoriæ vtilitates ad imagines accommodari poſſe, facile conſtat: quod non ignorans Plutarchus de gloſſa Athe. inquit: *Pictores idem coloribus, & figuris exprimunt, quod ſcriptores verbis, & dictionibus. Materia quidem, & modo imitationis differunt: vtriſque non idem eſt finis propoſitus.* Itaque optimus hiſtoriæ ſcriptor habetur, qui narrationem perſonis, animoque mouendo aptatis figuris, ita conformat, vt picturam referat. Nec quicquam refert hæreticorum reſponſio, dum aiunt, hiſtorias depictas inſtruere, ſecus tamen imagines ſolitarias: nam imprimis imagines ſolitariæ, vt à Chriſtianis ſolitæ ſunt depingi, ſemper continent, quaſi per compendium, aliquam hiſtoriam: nam cum pingitur Chriſtus, ſemper pingitur, vel in forma pueri, in ſinu matris, vel in forma viri alligati ad columnam, vel in Cruce pendentis, vel reſurgentis è tumulo, vel aſcendentis in Cælum, &c. ſic etiam Sancti ſemper cum inſigni virtutis, vel paſſionis, vel poteſtatis pinguntur, Petrus cum clauibus, Laurentius cum craticula, Andreas cum Cruce, &c. Martyres omnes cum palma, Sancti omnes cum diademate. Ex quibus ſignis, ſeu inſtrumentis docemur quaſi per compendium, quid illi, quos veneramur, egerint, quidue paſſi ſint. Deinde etiam ſi ſolitariæ omnino depingantur huiuſmodi imagines, valde vtiles ſunt ad confeſſionem Catholicæ fidei: dum enim honoramus imagines Sanctorum, teſtamur nobis placere eorum fidem, & doctrinam, & ſanctos mores, & ſimul nos deteſtari omnem impietatem, & idololatriam, contra quam ipſi vſque ad mortem pugnauerunt, & nunc præcipuè teſtamur, nobis non placere nouitates Lutheranorum, & Caluiniſtarum, dum id religiosè veneramur, quod illi ſacrilegi deſtruunt. Tertia vtilitas eſt, quod imagines conſeruant in nobis memoriam Chriſti Domini, Beatæ Virginis, & Sanctorum, quorum recordatio non poteſt non vtilis eſſe, vel ad fouendam deuotionem, vel ad illam acquirendam: vnde in ſecundo Concilio Nicæno actione quarta hæc verba legimus: *Sicut olim fimbriæ aſſuebantur veſtibus ad memoriam mandatorum Dei, ita & multo magis ex ſcripturis egreßum gloriosè Caſtrophes videre licet.* Etenim ſicut Numerorum decimoquinto recipiebantur fimbriæ adhiberi veſtibus, quas (vt ſacer Textus ait:) *cum viderint, recordentur mandatorum Dei*, ita ſanè tam ſcripturæ, quàm imagines in memoriam reuocant exemplaria, quæ referunt præclara geſta: quòd ſi contingat exemplaria non eſſe de nobis nota, ad ſciſcitandum de illis prouocant: vt enim dixit Diuus Germanus Epiſcopus, vt refertur in Synodo ſeptima

Greg. Nyſſ.

D. Greg.

Idem D. Gregor.

Damaſ.

Beda.

Plutarchus.

2. Conc. Nicæn. act. 4.

Num. 15.

D. Ger. Epiſ.

ima-

imagines saltem sunt causa inquirendi, & vestigandi ab alijs.

Quarta vtilitas imaginum est, quòd ad amorem erga Christum Dominum, Beatam Virginem, & reliquos Sanctos animum accendunt: qui enim diligit, libenter inspicit imaginem absentis amici, & inspiciendo, magis inardescit. Hinc seuerus Sulpitius, quia vehementissimè Sanctum Paulinum diligebat, nec tamen poterat apud eum semper esse, rogauit eum per litteras, vt imaginem suam ad viuum expressam ad se mitteret, cui modestissimè se excusans, *Paulin. epist. 8. ad Seuer.* respondit Paulinus epist. 8. ad Seuerum, se nondum habere perfectam imaginem secundi Adami, sed gerere adhuc primi Adami effigiem, & ideò nolle mittere. *D. Greg.* Et Diuus Gregorius lib. 7. epist. 53. mittens Secundino imaginem Saluatoris, ait, se scire eum imaginem cupere, vt in amore ipsius Domini recalescceret: etenim Christus Dominus mirè vtitur artificio, vt amoris flammas in nos excitet: nam, vt rectè dixit Diuus Dionysius *D. Dionys. Areop.* Areopagita de diuinis nominib. Christus amatoriè nos prosequitur: hoc autem callidum est amantis artificium, vt varias induat formas, figurasque multiplices, vt facilius amatum ad sui amorem alliciat: acutus enim amor formas multiplices effingit, & ostendit:

Varias nam fingere pergit
Mille mihi formas ingeniosus amor.

Ita Christus, vt sponsam Ecclesiam ad se immensa vi sui amoris alliciat, multiplices sui illi exhibet formas; in Deitate magnificam, in Humanitate pauperrimam, in Natiuitate lugentē, in Transfiguratione fulgentem, in Passione lugubrem, in Resurrectione iucundam: quòd idem præstat ad amorem nostrum erga matrem suam in nobis conciliandum, nunc per imagines illam constituentes ante oculos nostros assensum præbentem Angelo, nunc Christum pannis inuoluentem, nunc lac ad vbera propinantem, nunc ad AEgyptum illum baiulantem, nunc Cruci summo dolore adstantem, vel certè in Cœlum assumptam, pro nobis intercedentem.

Quinta vtilitas, eaq; magni momenti imaginum est, quòd ad imitationem animos prouocant: vt enim dixit Diuus *D. Basil.* Basilius homil. in Barlaam, res in bello fortiter gestas, tum eloquentes homines sæpenumero, tum pictores exprimunt: illi sermone orantes, hi in tabulis delineantes, & pulchrè multos ad fortitudinem excitant. Huius vtilitatis meminit Septima Synod. quod citatur in eadem *7. Syn. act. 4.* Synodo act. 4. Refert impudicam fœminam, cùm ad quendam euocata veniret, in ipso limine conspexisse imaginem Polemonis pudicissimi hominis, & inde confusam erubuisse, & pœnitentia ductam, redijsse domum suam: econtra verò (quod etiam in idem argumentum facit) Terentius in Eunucho tradit, *Terent. in Eunucho.* quòd iuuenis quidam conspecta tabella, in qua pictus erat Iuppiter, stuprum inferens Dianæ, ad simile perpetrandum flagitium prouocatus fuit. Sicut enim prauæ & inhonestæ imagines ad malum excitant, ita piæ, & honestæ ad bonum inuitant, vt & his verbis eleganter prosequitur D. Gregor. Nyssen. orat. *D. Greg. Nyssen.* ad Theodorum: *Pictor flores artis induxit, in imagine depictos, fortia facta Martyris, repugnantias, cruciatus, efferatas, & immanes tyrannorum formas, impetus violentes, flammeam illam fornacem, beatissimam consummationem Athletæ, certaminum, præsidis, Christi, humanæ formæ effigiem, omnia verbis tanquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiosè depingens, certamina, atque labores Martyris nobis expressit, ac tanquam pratum amœnum, & floridum, templum ornauit: solet enim etiam pictura tacens in pietate loqui, maximeq; prodesse.* Iuxta illud Taciti, pictura poema, &c. *Corn. Tacit.*

Vltima vtilitas est, quòd per imagines Christo Domino, Beatæ Virgini, & Sanctis debitum honorem, & cultum exhibemus: est enim indubitatum, mo-

ris fuisse apud omnes nationes ad honorem magnorum virorum, & insigniũ fœminarum statuas eis erigere, & consecrare, vt tradit Plinius libr. 35. histor. capit. 2. & habetur in codice Iustiniani, vbi titulus extat de statuis, & imaginibus insignium personarum. Vnde Nicolaus Lyra in cap. 5. lib. 2. Reg explicans verba illa: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos*, refert ex Rabbi Salomone, hos cæcos, & claudos esse duas imagines, quarum vna repræsentabat Isaac, qui paulò ante mortuus fuit cæcus, vt habetur Genes. 27. & alia Iacob, qui claudicabat ex lucta cum Angelo, vt legitur Genes 32. & addit, quòd Iebusæi, qui erant Ierusalem descenderant de Abimelech, cum quo iniit fœdus, & iuramentum Abraham, vt habetur Genes. 11. & ideò videntes posteri eius filios Abrahę crescentes, timuerunt, ne aliquando vellent eos inuadere,, & ideò opposuerant prædictas duas imagines in parte superiori sui fortalitij, & in ore cuiuslibet imaginis erat scriptum iuramentum Abrahæ, quasi dicerent: posteri Abrahæ non possunt hunc locũ inuadere: & secundùm hoc dicuntur cęci, & claudi, odientes animam Dauid, in quantum reputabant eum transgressorem iuramenti Abrahæ, & per consequens odibilem Isaac, & Iacob, quorum erant imagines. Ecce homines etiam ethnici tantum honorem tribuebãt sanctorum imaginibus, vt ciuitatem suam sufficienter munitam putarent duplici illa Patriarcharum effigie Isaac, & Iacob, deinde Talisij imaginem à Prothogene in Rhodiorum manibus depictam extitisse legimus, ob cuius honorem Demetrius Rex ab illius vrbis incendio se continuit, quemadmodum Plutarchus in Demetr. refert in hæc verba: *Demetrium obsidens Rhodum, precibus Rhodiorum pepercit, imagine Talisij à Prothogene mira arte depicta* Et Plinius libr. 11. capit 38. eiusdem historiæ; *Non immemor* (inquit) *Rhodum non incendit Rex Demetrius expugnator cognominatus, ne tabulam Prothogenis cremaret, à parte ea muri locatam.* Ac tandem semiramis Helenæ, & aliarum inclytarum fœminarum statuas ad earum honorem erexit. Vnde Eusebius libr. 6. de histor. cap. 14. hanc præcipuam fuisse causam indicat, ob quam Christiani cœperunt Sanctorum imagines desiderare, vt debiti honoris tributum penderet illis. Et licet ibidem dicat hunc vsum ex gentilium consuetudine natum, qui in testimonium excellentiæ, & virtis aliquorum prestantium virorum statuas, vel imagines eis erigebant; minimè loquitur de aliqua gentilium superstitione, vt scitè adnotauit Illustrissimus Cardinalis Bellarminus libr. 2. de imaginibus, capit. 10. sed de naturali, ac proinde bona consuetudine, qua soliti erant, quos honore dignos iudicabãt, statuarum erectione celebrare: quamuis in eo postea grauiter errauerint, sceleratis etiam hominibus, & falsis dijs eas erigendo, in quo adeò decepti fuerunt, vt D. Augustin. libr 6. de ciuit. cap. 9. dicat singulis hominum actionibus singulos deos falsos præfecerunt, & nomina cuique propria tribuerunt, & Eusebius de præparatione Euangelica narrat, tempore Hesiodi deorum multitudinem adeò creuisse, vt triginta millia connumerarentur: cuius tamen erroris in Ecclesia Christi nullum est periculum, cùm & vnicum Deum profiteatur, & nullius imaginem adorandam proponat, nisi Apostolica Romani Pontificis trutina, tali veneratione digna habeatur. Atque omnes imaginum vtilitates à me commemoratas, compendio perstrinxit sacrum Concil. Tridentin. sessione 25 in decreto de inuocatione, veneratione, & reliquijs Sanctorum, & sacris imaginibus, cuius verba hæc sunt: *Illud diligenter doceant Episcopi per historias mysteriorum, nostræ redemptionis picturis, vel alijs similitudinibus expressas, erudiri, & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & assiduè recolendis; tum verò ex omni;*

Plinius. *Codic. Iustiniani.* *Nic. de Lyr.* *Genes. 27.* *Genes. 32.* *Genes. 11.* *Plutar in vita Demet.* *Plinius.* *Euseb.* *Card. Bellar.* *D. Augustin.* *Euseb.* *Conc Trid. sess 25.*

omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solùm, quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, quæ à Christo sibi collata sunt, sed etiam, quia Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla, oculis fideliũ subijciuntur: vt pro ijs Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem, vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam: si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit, anathema sit. Ex quibus omnibus satis mihi insanire videtur quisquis sacrarum imaginum vsum relegandum putat: etenim sicut omninò demens esset, qui mentis imagines tolleret, sine quibus nec ipsa mens diuina quidquam cogitat, aut facit, cùm illæ virtutem habeant præsentandi, mouendi, & cur trepidem assentiens, & iuuandi, præstandi? nam & mens mentiũ suprema, absque mentis simulachro nec quidquam comprehendit; mouendi pariter, & agendi. Nam & Deus cùm ex vtero imaginem increatam efformasset, tunc primum inclinauit ab archetypo orbem, & orbis Principem collineare, iuuandi quoq; potestatem ostendit. Nã ille, qui figura est Dei Patris, cum ipso erat cuncta componens. Non dissimiliter effrons quoque omnis esto, qui oculis obiectas imagines tollit, sine quibus nec ipse oculus Sanctorum, quamdiu corpori concretus. Sunt illæ rerum vicariæ exhibentes, mouentes, agentes, & iuuantes: præsertim verò si baiulæ virtutis diuinæ. Ab his absentes, & nunquam visos cognoscimus. Ex eis ad amorem, cultum, æmulationem accendimur, ab iisdem ad res præclarè, vel secus gerendas excitamur. Hæ naturali colorum temperie oculum recreantes, vi exerta, imaginatiuam, quàm vocant, facultatem, concitant, qua mota, coloreque interius præsepulto, sed à visis redaccenso, qui inerant nocentes, digerunt humores, virtute quadam modica præstantes. Quid quod animantia bruta ad aspectum imaginum commouentur? Quid Bothri, Zeuxis, ad quos aues quid equa, ad quam coniugus? quid Sindon Parrhasij, quæ ipsi imposuit Apelli? Porrò si ad diuiniora assurgimus simulachra, in sacro tabernaculo, Cherubicæ imagines ad cultum Maiestatis exterrebant. In stipite serpens dependulus percussos ab ignitis persanabat. In templo Salomonis palmæ cælatæ ad virtutem attollebant. In lembis prætextarum Hæbraicarum vittæ circumcinctæ, ad obseruationem decalogi præmonebant. In thyara Tetragrammaton præfulgens, ad reuerentiam numinis præluccbat.

§. 9.

Ex neruosis rationibus.

POtuissem, hoc argumentum altius repetẽs, ad sanctissimę triadis solium meditatione conscendere, in qua fides docet, patrem ita persimilem sibi genuisse filium, vt Diuus Paulus ad Colossenses 1. & ad Hebræos 1. imaginem, & figuram Patris vocitaret: *imago Dei inuisibilis, & figura substantiæ eius*: figura autem non mortua, vt pictoribus fieri consueuit, sed viua: *In ipso vita erat*, vt ait Ioannes cap. 1. Hanc autem sui imaginem proposuit Deus Angelis adorandam, cùm primum illos condidit, & cùm postea carne illam induit, vt Apostolus testatur ad Hebræos 1. *Et cùm iterum introduxit primogenitum in Orbẽ terrarum, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius.* Non solùm autem Deus viuam, atque consubstantialem sui imaginem intra seipsum ab æterno genuit, sed & in tempore, ipsius triadis similitudinem in homine impressit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, Genes. 1. Vnde cùm Deus perfectissimus sit omnium pictorum, & sculptorum, non potest non ars ad pingendum, & exsculpendum bona esse, quod & illud satis confirmat Exod. 31. & 35. quòd

Ad Coloss. 1.
Ad Hebr. 1.
Ioan. 1.
Ad Heb. 1.
Genes. 1.
Exo. 31. & 35.

Deus

Deus dediſſe legitur duobus viris Beſeleel, & Ooliab ſpiritum ſuum, ſapientiam, & ſcientiam ad exſculpendum, & cogitandum multa pro fabrica tabernaculi. Tamen quia hæretici dicere potuiſſent, primam illam Verbi diuini imaginem veneratione dignam, quia increatam, ſecundùm verò naturalem imaginem, homini impreſſam, non mereri cultum religioſum, ſed ciuilem tãtum, & politicum. Tertiam tandem imaginum diuerſitatem, quàm Beſeleel, & Ooliab formauit ex exſculpendi arte, diuinitus eis infuſa, non fuiſſe ordinatam ad hoc, vt imagines adorandas fabrefacerent, ſed vt templum exornarent, ad efficaciores alias rationes me conuerto.

D. Auguſt. D. Cyrill. Catechef. Primam deſumo ex doctrina D. Auguſtini epiſtol. 203. & Diui Cyrilli Catechef. 12. dum aiunt, hominem dignum eſſe veneratione, quia imago Dei eſt, ex hoc enim apertè efficitur, imagines Chriſti, Beatæ Virginis, & ſanctorum dignas eſſe veneratione propter participatam excellentiam Dei: nec infirmat hanc rationem, quòd hæretici Magdeburgenſes ex libro Carolino reſpondent, hominem non adorari, etiam ſi ſit imago Dei, religioſè, ſed tantùm ciuiliter, hoc enim nihil refert. nam cũ ratio, & cauſa, propter quam aliquid colitur, eſt res ſacra, tum religioſè honoratur, & non ciuiliter tantum: ergo cũ imagines Sanctorum honorantur propter excellentiam ſanctitatis illorum, verè etiam coluntur religioſè: confirmat hanc rationem inſignis fraus Iuliani apoſtatæ, quam deſcribunt Gregor. Nazianzenus orat. 1. in Iulianum, Paulus Diaconus in vita Iuliani, & alij. Erat in more poſitum, vt imagines Imperatorum ab omnibus adorarẽtur, id quod etiam Chriſtiani faciebant, quippe qui ſciebant, ſolùm ciuilem adorationem illam fuiſſe, qualem etiam ipſi Imperatori, licet ethnico, deferebant. Iulianus igitur vt cogeret Chriſtianos ſaltem per errorem adorare idola, iubebat ſuam imaginem ita depingi, vt ſimul pingeretur Iupiter de Cœlo, coronam, & purpuram Imperatori deferens; pingerẽtur etiam Mercurius, & Mars in Imperatorem reſpicientes, vt eo modo indicaret, ſe ſapientem, & fortem eſſe. Itaque ſe ipſe inter deos depictum proponebat, vt Chriſtiani de more venerantes imaginem Imperatoris, ſimul venerarentur imagines falſorum deorum. Monet autem Nazianzenus, fuiſſe venia dignos Chriſtianos ſimpliciores, qui non aduertebant dolum, nec putabant ſe adorare aliud, quàm Regis imaginem.

Greg. Nazia.

Secunda ratio, nam Salomon ex diuino præcepto in templo fecit Cherubin, & palmas, & malogranata, & in mari æneo poſuit duodecim boues, & in baſibus laterum leones cum bobus, & tamen non ob id reprehenſus dicitur: ſi ergo tunc licuit duodecim boues ſculpere, cùm magis eſſet de idololatria timendum, cur non licebit nunc duodecim Apoſtolos pingere, quorum illæ figuram gerebant? Si licuit ſerpentem exaltari coram populo ad idololatriam prono, cur non licebit nunc Chriſtum in Cruce exaltatum depingere, & inſculpere, vt ex illius imaginis aſpectu reducamus ad memoriam immenſa beneficia, quæ generi humano, in Cruce moriens nobis exhibuit? Si vmbras licuit pingere, cur non licebit pingere corpus? Eſt igitur licitus imaginum vſus.

Tertia ratio à contrario deſumpta, lumine rationis eſt nota: nam quidquid iniuriæ capax eſt, etiam & honoris; imago autem capax eſt iniuriæ, etenim Euſebius libr. 9 hiſt. cap. 10. ſcribit, in dedecus Maximini imagines eius fuiſſe vel deiectas, vel atris coloribus fœdatas. Idem de imaginibus Domitiani ſcribit Suetonius, Theodoſius quoque optimus alioqui, & pientiſsimus Princeps cùm Antiocheni imaginem vxoris eius deieciſſent, ita iratus eſt, vt parum abſue-

Euſeb.

abfuerit, quin totam Antiochiam euerterit. extant de hac re duæ orationes Chryſoſtomi, id eſt, ſecunda, & tertia ad populum Antiochenum, quibus deplorat ſcelus illud in Theodoſium commiſſum. Vide etiam Theodoretum li. 5. cap. 19 hiſtoriæ. Denique Iulianus apoſtata Chriſti ſtatuam non deiecisſet, niſi eo modo Chriſto iniuriam fieri credidiſſet, neque Deus Iuliani ſtatuam fulmine percuſſiſſet, niſi ab ea iniuriam accepiſſet, & niſi ad Iuliani contumeliam id pertinere viſum eſſet. Addo, quòd ſi idola gentium merito execramur, & cõfringimus, vnde laudatus eſt valdè Theodoſius, quòd teſte Theodoreto lib. 5. capit. 2. hiſtoriæ iuſſerit idola vbique deſtrui; at certè id non fit, niſi ratione ſignificationis, quia ſunt imagines falſorum deorum: igitur è contrario cùm imagines ſunt veri Dei Chriſti Domini, & Sanctorum, quæ atque adeò res verè bonas, & ſanctas ſignificant, honorabiles ſunt.

Chryſoſt. *Theod.* *Theodor.*

Quartam rationem deſumo ex præmijs, quibus Deus cultores imaginum, & ſupplicijs, quibus earum impugnatores afficit, præmia commemorant Euſebius lib. 7. cap. 14. Zonaras in vita Michaelis, inclytus Martyr Thomas Morus li. 2 dialogorum, Arnoldus Habentius in ſua hiſtoria, Ioannes Maſeus in ſuo prato Carolus Sigonius lib. 1 de Regno Italiæ, Sophronius lib. 17. capit. 5. Tilmannus Breden. lib. 3. ſacrarum collationum capit. 19. Diuus Damaſcenus orationibus de imaginibus, Nicolaus Monachus Sueſſionenſis in vita Sancti Gothfredi, Caniſius libr. 5. de B. Virgine, Nicetas Choniate in annalibus, Platina de vitis Pontificum in vita Benedicti Primi; ac tandem Synodus 2. Nicæna. Supplicia autem imaginum oppugnatoribus diuinitus illata, referunt Palmerius in chron. ann. Caniſius libr. 5. cap. 22. Sozomenus libr. 5 cap. 20. Euthropius lib. 21. rerum Romanarum, Lycoſth. lib. 14. theatri, Surius in vita ſancti Alberti 7. die Auguſti cap. 24. Theodorus Greſemundus Iuriſconſultus in hiſt. violatæ Crucis, Serarius Moguntiacarum rerum libr. 1. capit. 31. Bozius de notis Eccleſiæ lib. 15. ca. 12. Lyndanus li. 2. de fuga idolorum ca. 1. Cardinalis Bellarminus libr. 2. de imaginibus, tandem Damaſcenus orat. 3. de veneratione ſanctarum imaginum, & Cõcil. 2. Nicæn. act. 4. per plura etiam in vtroq; genere, tam præmij, quàm ſupplicij copioſè congeſſit eruditus auctor Tympius in ſuo theatro hiſtorico titulo pœnæ Iconomachorum, & titulo præmia liciti cultus imaginum. Cùm igitur Deus non puniat, niſi turpe, nec remuneret, niſi quod honeſtum eſt, euidentiſſimè cõ equitur, quòd puniat oppugnatores imaginũ, & præmiet cultores earum: imaginum venerationẽ honeſtam eſſe, deteſtationem verò earum turpem.

Euſeb. *Zonar.* *Thom. Morus.* *Arnold.* *Maſeus.* *Carolus.* *Sophron.* *Tilman.* *D. Damaſc.* *Nicol. Monachus.* *Caniſius.* *Niceras.* *Platina.* *Synod. 2. Nicæn.* *Palmer.* *Caniſ.* *Lycoſth.* *Surius.* *Theodor.* *Serar.* *Bozius.* *Lyndanus.* *Card. Bellar.* *Damaſc.* *Conc. Nic.* *Tymp.*

Quintam iam adnecto rationẽ; quia dæmon truculẽtus humani generis hoſtis, inteſtino odio proſequutus eſt imagines ſanctorum, & præcipuè B. Virginis; quod euidentiſſimum argumentum eſt, gratum eſſe Deo illarum cultum: trifariam autem illas perſecutus eſt: primo peruertendo illarum vſum, in idololatriam illum conuertens, vt Sapiens adnotauit lib. ſapientiæ cap. 4. *Hæc fuit* (inquit vitæ humanæ) *deceptio, quoniam aut affectui, aut regibus deſeruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus, & ligno impoſuerunt.* Quæ deceptio adeò increbuit, vt ea etiam dementatus fuerit ſapientiſſimus omnium Salomon, idolis cultum Dei reddens, vt adnotauit D. Auguſt. libr. 6. de Ciuitate Dei capit. 9. Secundò, perſequitur fidelium animos ab earum cultu auocando, vt patet ex Concil. 2. Nicæno act 5. & ex D. Damaſceno orat. 1. & 2. de imaginibus, vbi refertur hiſtoria illa ſupra tacta de dæmone, qui promiſit cuidam monacho non amplius illum tentaturum, ſi imaginem Deiparæ, quam in cella habebat, à ſe abijceret. Vincentius Beluacenſis

Sap. 4. *D. Auguſt.* *Conc Nic.* *Damaſc.* *Beluac.*

lib. 1. capit. 24. commemorat, historiam illam, quæ in ore omnium versatur, de pictore, cui moris erat B. Virginem pulcherrimam, dæmonem verò turpissimè depingere: quod ille grauiter ferens, ex loco eminenti, in quo depingebat, fecit illum cader, sed Beata Virgo manum suam porrigens, illum sustinuit, & illæsum conseruauit; idem etiam Auctor lib. 2. ca. 16. narrat de quodam monacho nomine Hieronymo, cui singularis erat cura depingendi B. Virginem maiori, qua poterat, pulchritudine: hunc dæmon, adeò persecutus est, vt speciem pulchræ fœminæ assumens, ad libidinem eum prouocans, à conuentu fugere persuaderet pretiosiori Ecclesiæ suppellectili arrepta. Postea verò ligauit eum ad columnam eiusdem conuentus, at Deipara Virgo illum saluauit, & loco eius dæmonem substituit, in eadem forma, qua monachum deceperat: ad quod spectaculum assurgentes fratres à somno cùm viderent, acerrimè ab eis vapulauit. Tertiò, tandem diabolus imagines persequitur pictores instigãs profanè, & lasciuè illas depingere, vt sic non ad deuotionem, sed ad libidinem potius prouocent: itaque dæmon verum, & proprium imaginum vsum in obliquas vias trahit, & quasi cum pictore agit, vt dũ Christum pingit, Apollinem pingat, & dum B. Virginem, aut Magdalenam efformat, Venerem ante oculos ponat, eos lasciuiores fucos adhibens, quos turpioris fœminæ vultus, aut histrionis os vix ferret; & quod valdè execrandum est, simulatione alicuius sanctæ virginis concubinæ imaginem proponat. Quem execrandum abusum præcauere cupiens sacrum Concilium Trident. sess. 25. dixit: *Omnis porrò superstitio in Sanctorum inuocatione, reliquiarum veneratione, & imaginum sacro vsu tollatur, omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lasciuia vitetur, ita vt procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur.* & subiungit: *Nihil profanum, nihil inhonestum appareat.* Nec mirum sacrum Concilium diuino spiritu afflatum, id monuisse, cùm & Aristoteles solo rationis lumine illustratus 7. Polit. cap. 17. dixerit: *Magistratus publica cauere debet, nec id imaginum fit in ciuitate, quod admoneat turpitudinis.*

Ad extremum sextam, eamque efficacissimam rationem iudico ad imaginum cultum fouendum, quæ ab improbitate illas oppugnantium, & pietate cultum earum tuentium desumitur; nã oppugnatores fuerunt omnes aut Iudęi, aut Samaritani, aut Mahumetani, aut Necromantici, aut manifestè hæretici, vt constat ex relatis supra §. 1. & tradit Cardinalis Bellarminus li. 2. de imaginibus, hos autem impios esse, nemo Catholicus inficiari potest: defensores autem imaginum fuerunt Sancti, ac perdocti viri, vt summi Pontifices Gregor. & Adrianus, Germanus, & Tharasius Episcopi Constantinopolitani, Damascenus, Methodius, Leontius, Paulus Diaconus, & Patres omnes 2. Concilij Nicæni, & reliquorum omnium, quos in discursu huius homilię non semel retulimus. Quis autem non videat incredibile penitus esse, voluisse Deum optimum maximum per hostes suos potius, quàm per amicos Ecclesiam suam circa imaginum vsum, vel abusum docere, & instruere? Ad extremum, quæ hucusque adduximus de religioso vsu imaginum Christi Domini, Deiparæ, & sanctorũ, locum etiam habere putamus de imaginibus Dei. Scio perplures hæreticos, præcipuè tamen Caluinum lib. 5. institutionum cap. 11. nefas esse arbitrari, imaginem Dei fabricare, tum quia id expressè ipse prohibet Isai. 40 dicens: *Cui similem fecistis Deum, aut qualem imaginem ponetis ei?* tum quia in 7. Synodo act. 3. dicitur: *Inuisibilis esse, nec depingi, nec figurari se permittit.* tum ex D. Damasceno li. 3. ca. 17. asserente: *Extremè dementiæ est velle depingere Deum*, cui consonant verba D. Augustini lib. 4. de ciuit. cap. 21. ex sententiam

Belnac. — Bonc. Trid. — Sup. §. 1. — Card. Bellar. li. 2. de imaginibus. — Greg. Pont. & Adrian. German. & Tharas. Episcopi Constantinop. Damasc. Method. Et Patres 2. Conc. Nic. — Caluin. li. 1. instit. ca. 11. — Isai. c. 40. — 7. Syn. act. 3. — Damasc. li. 3. cap. 17. — Aug. li. 4. de Ciuit. c. 21. — Aristot.

sententia Varronis dicentis, *Naturali lumine cognosci Deum sine simulachro esse colendum.* tum tandem ratione, quia Deus in se vnus spiritus est, omni figura, & corpore carens: ergo omninò impossibile est per corpoream imaginem figurari. *Burand.* Qua ratione ducti Durandus in 3. distin. *Abulens.* 9. quæst. 2. ad 4. Abulensis in cap. 4. *Deuter.* Deuteronom. quæst. 5. fatuum esse affirmant, imagines Trinitatis facere, aut venerari: sed hæc omnia facilè euanescunt, si attendamus, bifariam posse imaginem Dei depingi; primo modo ad repræsentandum illum, prout in se est, vel propriam, ac formalem similitudinem, & hoc nec possibile est depingi, vt vnanimi consensu testantur Sancti Patres, D. Damascenus libr. 3. capit. 17. & *Damasc.* orat. 1. de imaginibus referēs ad id Dio- *Dionys.* nysium, Gregorium Nazianzenum, D. *Greg. Nazia.* Clement. Alexandrinus libr. 1. stromatum circa principium, & lib. 6. circa fi- *Clem. Alex.* nem, Gregorius Papa epistola ad Ger- *Greg. Papa epist. ad Germanum.* manum, D. Aug. lib. 4. de ciuit. cap. 1. *Aug. lib 4. de ciu. ca. 1.* Theron. epist. 1. ad Ioannem, Theodo- *Theron ep. 1. ad Ioan.* rus Patriarcha Hierosolymitanus in ep. Synodali, quæ habetur 7. Synodo act. 3. Idque solùm conuincunt, quod nuper adduximus pro sententia Caluini. Secundo modo potest imago Dei depingi ad repræsentandum illum secundum quandam metaphoram, aut proportionem, seu sub aliqua specie, aut figura, in qua interdum in Scriptura sacra apparuisse dicitur: & hac ratione licitum, & honestum esse vsum imaginum Dei, sicut & Angelorum, satis probat consuetudo Ecclesiæ Romanę, quæ illas admittit, imò in 7 Synodo act. 5. circa mediū, Spiritus sanctus imago sub specie columbæ approbatur, vnde moris fuit olim, vt constat ex 5. Synodo act. 1. aureas, & argenteas columbas ad repræsentandum Spiritum sanctum, qui sub hac forma apparere dignatus fuerat, super diuina lauacra, & altaria appendi. Refert autem Amphiliochus, Basilium Magnū solitum fuisse Eucharistiam in eiusmodi columbis asseruare. 6. etiam Synodo Canon. 82. Ratio tandem id ipsum manifestè confirmat, quia sacra Scriptura sæpè loquitur de Deo per metaphoram, nominibus rerum sensibilium, quia nos solùm per analogiam ad res sensibiles illum concipimus: & ideò etiam Deus sæpè apparuit sub forma sensibili, apparuit tanquam homo deambulans in Paradiso ad auram post meridiem, Gene. 3. *Genes. ca. 3.* Iacob vidit Deum innixum summitati scalæ, & proinde forma corporea, Ge- *Genes. c. 28.* nes. 28. Moyses vidit posteriora Dei: id *Exod. c. 32.* est, terga, & humeros, Exod. 33. Isaias *Isai. ca. 6.* cap. 6. & Micheas 3. Reg. vlt. Viderunt *3. Reg. c. vlt. & Micheas.* Dominum sedentem in solio ad formam hominis Regis, & Amos capit. 9. *Amos c. 9.* Vidit Dominum stantem super altare. Quid plura? Verbum caro factum est, Et Spiritus sanctus apparuit sub specie columbæ, Ioann. 1. & Pater sub specie Se- *Ioan c. 1.* nis, Danielis 7. vt explicat Augustinus *Daniel. c. 7.* lib. 2. de Trinit. cap. vlt. & ibi caput, & *Aug. li. 2. de* capillos eius canos, & vestimenta eius *Trinit. c. vl.* alba describit, & Genes. 18. Trinitas re- *Genes. c. 18.* præsentata fuit, quando Abraham *Tres* *Genes. c. 18.* *vidit, & vnum adorauit.* Vt eodem libro 2. Augustinus exponit cap. 11. Ergo ea- *Aug. lib. 2.* dem ratione potest Deus metaphoricè *de Trin. c. 11.* depingi: sicut depinguntur etiam quatuor Euangelistæ sub speciebus quatuor animalium, sub quibus in Scriptura sacra repræsentantur, vel sicut virtutes etiam solent metaphoricè depingi. Illud tamen circa omnes imagines adorandi Catholicis etiam rudibus, & ignorantibus tradamus, & hæreticorum dementiam, qui arbitrantur, in imaginum adoratione idololatriam latere, euidenter conuincamus: illud autem est, imagines adorandas esse, non vt in illis sistat adoratio, sed quod transeat ad Prototypū; ita vt affectus non terminetur in ipsam figuram præcisè, sed in eam, vt includentem exemplar, ad quod refertur. Itaque proponendum est populo Christiano imaginem, nō vt diuisam ab exemplari,

sed vt coniunctam adorari debere: ita expressè docent Concilia, Patres, & ratio ipsa, ex singulis his aliquid attingam; copiosiorem huius tractationem scholasticis nostris disputationibus relinquens. In primis Concilium Tridentinum planè hanc doctrinam docet sess. 25. decreto de sacris imaginibus: vbi postquam docuerat imaginibus honorem esse exhibendum, non quia in eis aliqua inesset virtus, subdit rationem: *Quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt.* Quod idem expressè docet 7. Synodus act 7. in definitione fidei, nec non Concilium Senonense cap. 14. huic doctrinæ subscribens: Diuus Basilius lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 18. ait: *Quia Rex dicitur Regis imago, & non duo Reges, nec enim Imperium scinditur, nec gloria discinditur: quemadmodum principatus, & potestas vna est, quæ nobis dominatur, sic etiam & glorificatio à nobis vna est, & non multæ, propterea quòd imaginis honor ad exemplar transit.* Quæ verba ferè refert Diuus Damascenus 3. de fide. Ecce hi Patres ex diuisione adorationis, diuisiones inferunt Imperij, & excellentiæ; è contra verò ex indiuidua excellentia, & Imperio, indiuiduam adorationem colligunt, idque optima quidem ratione, quia excellentia est in eo, cui adoratio refertur; diuisa autem ratio excellentiæ ab exemplari cùm non maneat aliqua excellentia in eo, cùm totam mutuet adæquatè ab exemplari, adorari nō poterit, absque vitio idololatriæ. Addo tandem fundamentalem rationem ex natura ipsiusmet adorationis petitam: nulla res inanimata diuisa, & separata à rationali capax est ex se adorationis: nam cùm per adorationem submittat se adorans alicui excellenti, & sibi superiori; inanimatæ verò rei nemo sanæ mēris se submittit, aut seruitutem defert: at si imago diuidatur ab exemplari, ita vt non apprehendatur cum illo, est res quædam inanimata irrationalis, ergo manifestè efficitur: necessarium esse ad hoc, vt illi adoratio deferatur, apprehēdi simul cum exemplari: imò cùm imago non alia ratione colatur, nisi propter habitudinem ad exemplar, qua sublata, necesse est rationem imaginis penitus auferri; implicatio contradictionis est, nisi quis idololatriæ seruiat adorare imaginem diuisam ab exemplari, & hoc sanè est, quod Aristoteles libro de memoria, & reminiscentia cap. 2. docuit cùm dixit: *Idem est motus in imaginem, & in rem, cuius est imago.* Ex quo euidenter sequitur, vt colligit Diuus Thomas 3. part. quæst. 25. artic. 3 4. & 5. eundem esse adorationis motum in imaginem, Virginis depictam, & exemplar eius, Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Conc. Trid.

7 Synod. act 7. Conc. Senonens. ca 14. Basil. li de Spiritu sancto ad Amphil c 18.

Damasc. 3. de fide.

Arist. lib. de mem. & remis c. 20.

D Thom. 3. par. q 25 ar. 3. 4 & 5.

HOMILIA VI.

Potissimum medium ad obtinendam deuotionem Virginis, & conciliandum nobis eius amorem, virtutum illius imitationem esse ex doctrina Sanctorum Patrum palam fit.

NEminem ignorare arbitror magni momenti igniculū esse ad amorem virtutis in nobis excitandum, sanctorum hominum exempla. Etenim licet Deus Opt. Max. posset nos per seipsum erudire, tamen nostræ imbecillitati se sapienter accommodans, non tantum verbis, & inspirationibus internis, sed etiam Sanctorum exemplis cupit nos ad perfectiorē impellere. quare, qui illa, vt sequatur, despicit, quasi aures mentis diuinis sermonibus claudit: etenim sanctorū vita sermo Dei est, viuus, & efficax sermo penetrabilior omni

omni gladio ancipiti, sermo satis patēs, apertus, quo veram virtutem pandunt, & perfectionis semitas ante oculos ponunt, vt non obscurè mihi significari
Apoc. 20. videtur per illud Apocalyp. 20. vbi libri vocantur vitæ iustorum, *& libri aperti sunt*, quoniam in illis legimus non tantum, quod sciamus, sed quod opere cōplere, & imitari debeamus; vnde & vbera sponsæ, quæ populos designant Cant.
Cantic. 4. 4. comparātur duobus hinnulis capreæ gemellis, qui pascuntur in lilijs: idest, in viris sanctis, qui hoc in sæculo fuerunt, velut lilia inter spinas: quòd si sanctorum exempla imitari par est, quanto maiori studio imitanda nobis erit Deipara Virgo? etenim alij sancti singuli in singulis virturibus floruere iuxta illud,
De offic Romano Confessorum. quod canit Ecclesia: *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi.* Beata autem Virgo in omnibus virtutibus mirificè emicuit, in quibus heroica illarum exempla nobis reliquit, vt obseruauit Angelicus doctor S. Thom. opusc.
S. Thom. 8. dicens: *Alij sancti specialia quædam opera virtutum exercuerunt, quia alius fuit humilis, alius castus, & ideo ipsi dantur in exemplum specialium virtutum; sed B. Virgo in exem-*
Sophronius. *plum omnium.* Vnde Sophronius ser. de assumpt. inquit: *B. Dei Genitricem si diligentius inspicias, nihil est virtutis, nihil speciositatis, nihil candoris, gloriæq; quod ex ea non resplendeat, & ideo bene circundant eam flores rosarum, & lilia conuallium, vt virtutes virtutibus fulciantur, & formositas decore castitatis augeatur.* Sed multo antea vberrimam virtutum copiam, quibus B. Virgo præfulsit antiquissimus Ignatius in
Ignatius. epist. ad S. Ioannem Apostolum piè, & sapienter per hæc verba descripsit: *Et quidem notificauere, eandem Matrem Dei omnium gratiarum esse abundantem, & omnium virtutum more Virginis fœcundam, quæ (vt dicunt) in persequutionibus, & afflictionibus est hilaris, in penurijs, & indigentijs non querula, iniurijs grata, & modesta in re læta miseris, & afflictis condolet conflicta, & subuenire non pigrescit: contra vitiorum autem pestiferos conflictus in pugna fidei disceptans enitescit: nostræ nouæ religionis, & pœnitentiæ est magistra, & apud fideles omnis operum pietatis ministra: humilibus quidem est deuota, & deuotis deuotior humiliatur, & mirum ab omnibus magnificatur.* & infra: *Sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria Matre Iesu humanæ naturæ, natura sanctitatis Angelicæ sociatur.* Hæc Ignatius. Deinde in eo manifestè innotescit, quanto vtiliùs nobis sit, B. Virginem, quàm reliquos omnes diuos in viuum exemplar ad imitandum nobis ante oculos proponere, quòd alij sancti, quantumuis insignes sanctitatis magistri nō potuerunt in hac vita omnem peccati contagionem, & labem euadere. quare si vestigia omnia vitæ illorum sequi volumus, nonnullis sordidari necesse erit, cum à sordibus ipsi non fuerint alieni; vnde Diuus Paulus modestissimè de se loquens, non dixit absolutè 1. Corinth. 11 *Imitatores mei estote*; sed continuo subiungit: *Sicut & ego Christi*; ac si diceret, quia ego homo sum, & licet alioquin Apostolus, & primitias spiritus habens, nonnullis imperfectionibus, & peccatis venialibus inficior: vt enim ipse dixit, quod odi malum, hoc facio; solum à vobis imitandus sum, quatenus ego Christum imitor: nam si quid est, in quo à Christo, vel minimum deuiem, in hoc nullatenus postulo ab hominibus imitari. Secus autem contigit in B. Virgine; nam cum ab instanti suę Conceptionis, & per totum vitæ suæ curriculum immaculata semper extiterit, & ab omni prorsus peccati, etiam venialis labe, imo & ab omni cuiuslibet minimę imperfectionis puluisculo omnino immunis: nulla certe in cuiuscunque Marianę actionis imitationem peccati labes irrepere poterit. quòd si re ipsa irrepserit illa, non ab ipso exemplari manabit, sed à nostra imbecillitate, aut malitia procedet. 1.Cor.11.

Porro multifariam, multisque modis in sacris eloquijs, & sanctis Patribus re-

perio B. Virginē nobis propoſitam exemplar, ad cuius imitationem incōpoſitos noſtros mores componamus. Etenim Eſther c. 15 Virginem in Cælum aſcendētem, in Regina Eſther egregiè adumbratam video, cui duæ famulæ obſequebantur, ſuper quarū vnam innitebatur, altera vero ſequebatur, defluentia in humum veſtimenta colligens: illa ſignificat Angelicam naturam, ſuper Angelos enim innititur in Cælo, familiariſſimè cum illis agendo; natura verò humana eſt famula, quæ Dominam ſuā Mariam ſequitur in mundo, eius veſtimenta colligens, hoc eſt, virtutes, & exempla, quibus velut pretioſiſſimis veſtibus induebatur: in figura etiam intueor Deiparam Virginem, nobis in exemplū propoſitam ab Iſaia 51 cum nobis dixit: *Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos*, hoc eſt, defigite oculos in veterum Patrum veſtrorum fidem, obedientiam, cæteraſque eximias eorum virtutes, atque etiam in remunerationē, quam à Deo receperunt, idq; eo fine, vt & vos eorum inſiſtatis veſtigiis, & ſimilem cum ijs remunerationem obtineatis: quod tunc actem in figura dictum eſt, idem nobis Spiritus ſanctus nunc clarè, & apertè prædicat: attendite ad Chriſtum Patrem veſtrum, qui mortem occumbens, in Cruce per gratiam vos in filios ſuos genuit: cōſiderate diligenter eius exemplum, vt imitari poſſitis quemadmodum monet Apoſt. Petrus: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Attendite ad immaculatam Virginem Mariam, mundi Dominam in Sara Matre veſtra præſignificatam: Conſiderate ſedulò eius exemplum, vt eam imitemini: *Mementote* (ait B. Paulus) *præpoſitorum veſtrorum, qui vobis loquuti ſunt Verbum Dei quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.* Præpoſiti illi, quos imitandos proponit B. Paulus, fuere Apoſtoli, viriq; Apoſtolici, ad quorum imitationē ſi nos excitat, multo æquius nos inuitat ad imitandam prudentiſſimam Virginem, ipſorum nimirum Apoſtolorum magiſtram, & perfectiſſimum apoſtolicæ vitæ exemplar. Ad quod reſpiciens S. Methodius in hipopantem B. Virginem vocauit, *fidelium facem*: nam ſicut fax accenſa, non tantū ardet in ſe, ſed alijs lucem præbet: ita Deipara Virgo non tantum charitatis igne in ſe flagrabat, ſed & exempli fulgore ſemper alijs præluxit: vnde D. Bonauent. in ſpecul. B. Virginis c. 3 dixit: *Maria eſt illuminatrix plurimorum per exempla lucidiſſimæ vitæ ſuæ: ipſa eſt, cuius vita gloriоſa lucem dedit ſæculo: ipſa eſt, cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias: ipſa enim eſt lucerna Eccleſiæ, ad hoc illuminata à Deo, vt per ipſam contra tenebras mundi illuminaretur Eccleſia. Oret ergo Eccleſia, oret fidelis anima, & dicat: quoniam tu illuminas lucernam meam Domine Deus meus, illumina tenebras meas: hanc verè lucernam Dominus illuminauit pleniſſimè, & per hanc illuminationem tenebras animarum noſtrarum fugat, & fugauit: hoc bene ſentiens Bernardus, ait: O Maria, tu virtutum tibi inditarum magnificis exemplis, ad imitationē tui nos prouocas, ſicq; noctem noſtram illuminas: qui enim vias tuas conſectatus fuerit, non ambulat in tenebris, ſed habet lucem vitæ.* Hactenus ille. Ac tandē verba illa Ezech. 14. myſticè intellecta, non obſcurè mihi ob oculos ponunt, B. Virginem, tanquam exemplar, inſpiciēdam eſſe, tum, vt confundamur, tum, vt omnem iniquitatem longe à nobis abijciamus: *Fili hominis* (ait Dominus ad Ezechiel) *oſtende domui Iſrael templum, vt confundantur ab iniquitatibus ſuis, & metiantur fabricam, & erubeſcant ex omnibus, quæ fecerunt.* Equidem B. Virginem per templum aptè adeo ſignificari cenſuit D. Antoninus, vt poſtquam 3. par. tit. 31. cap. 4. §. 2. copioſè id oſtendiſſet, pulchrè ea, quæ in templo erant, eius virtutibus in hæc verba accommodat: *Abundantia gratiæ, & virtutum Deiparæ, in templo ipſo figurata fuit: nam in medio eius, in loco, qui dicitur, ſancta, erat ex vno latere menſa aurea*

Eſther. 15. — Iſai. 51. — 1. Pet. 2. — Hebr. 13. — Methodius. — D. Bonau. — Pſal. 17. — D. Bernard. — D. Antonin. — 3. Reg. 6.

rea cum duodecim panibus propositionis, ex alio latere altare aureum thimiamatis, & thuribulum aureum, ac etiam candelabrum aureũ cum septem lucernis, velum quoque quod diuidebat Sancta Sanctorum quadricolare: sic in templo mentis virginalis fuit mensa fidei perfectissimæ duodecim articulorum designatorum per panes; fuit, & altare aureum summæ dilectionis cum thuribulo speciali, vnde fumus aromatum, id est, deuotissimarum orationum, & contemplationum ascendebat ad Cælum: candelabrum quoque gratiæ septem donorum Spiritus sancti: virtutes quoque Cardinales designatæ per velum quatuor colorum, secundum Magistrum in 3. sentent. vtique fuerunt prudentia, fortitudo, iustitia, & temperantia. Hęc S. Antoninus. Cum ergo B. Virgo sit templum animatum, in quo Deus non solum spiritualiter per gratię, & virtutum charismata, sed corporaliter homo factus delituit; certè cum Ezechiele præcipimur respicere ad templũ, vt confundamur, & erubescamus: congruè satis intelligimus, & moneri ad Mariam respicere, cuius heroica virtutum exempla intuentes, necesse erit verecundiæ rubore suffundi, & ad eam imitandam vehementer excitari. Cæterum vt ad Patres me conuertam, idipsum disertis verbis tradidisse comperio Diuum Hieronymum epist. 22. ad Eustochium dicentem: *Nos meliorum exempla sectemur: propone tibi Beatam Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, vt Mater Domini esse mereretur.* Diuus Bonauentura in stimulo diuini amoris capite septimo ita loquitur: *Ipsam Matrem Dei, & peccatorum, tanquam bonus, & deuotus filius, in omnibus pro posse studeas imitari: tunc enim proculdubio te sibi tanquam Matri veraciter exhibes, & ipsa te tanquam suum filium veraciter adiuuabit, & quæ dignè ab ea petieris, tibi dabit, & in omnibus tibi necessariis ad salutem suppliciter ministrabit, & tandem in cælesti gloria te apud se fœliciter collocabit.* Hactenus D. Bonauentura. D. Ambrosius li. 2. de virginibus, hæc præclara in idem argumentum scripsit: *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitaque Beatæ Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis, licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid tenere debeatis ostendit.* Ecce Diuus Ambrosius vocat B. Virginem speculum, ad quod aspicientes spirituales animæ maculas abstergere debemus: vt enim dixit D Iacobus in sua canonica c. 1. *Qui auditor est Verbi, & non factor, hic comparabitur viro considerauti vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est, qualis fuerit.* Sanè quemadmodum si quis in speculo suam faciem intueatur, & nec sordida abluat, nec turpia corrigat, nec incomposita diligenter componat, is abutitur speculo, nullam ex sui aspectu vtilitatem decerpens: sic Marianum speculum contemplans, si mores suos non componit, & maculas abluit, nihil ei proderit talis aspectus, nec verè Virginis deuotus nuncupari poterit. Cum verò erga Deiparam deuotio, imitatio sit, idem sancti Patres frequentissimè docent: etenim S. Idelphonsus sermone primo de Assumpt. *Imitamini* (inquit) *Matrem Virginem, & sanctos omnes, quos laudatis, quoniam illis prodest nostra laudatio, quantum nobis eorum imitatio; vnde sponso magis placet imitator deustus, quàm laudator otiosus; tamen vera laudatio cordis, imitatio est operis.* Diuus Bonauentura in epist. viginti quinque memorialium, planè docet, deuotionem erga Virginem non esse ei acceptam, deficiente eius imitatione: verba eius sunt hæc: *Vt tua deuotio sit ei accepta, & reuerentia grata, ipsius puritatem, & munditiam omni virtute, mente, & corpore illibatè in te ipso seruando, toto conatu nitaris humilitate, & mansuetudine eius vestigia imitari.* Vnde quemadmodũ D Aug. ser. 30. de martyribus loquens, dixit: *Si ad consortium sanctorum Martyrum peruenire volumus, de imitatione Martyrum cogitemus: debent enim in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscere, vt pro nobis dignen-*

D. Bonau.

D. Ambros.

D. Iacobus.

S. Idelphon.

D. Bonauen.

D. Aug.

tur Domino supplicare. Non dissimiliter, vt deuotio nostra erga Virginem sit ei accepta, oportet, vt aliquid de suis virtutibus in nobis recognoscat. Quod probè agnoscens D. Bernar. serm. super Salue Regina hæc scripsit: *Agnoscit Virgo, & diligit diligentes se, & propè est in veritate inuocantibus se, præsertim ijs, quos videt conformes sibi factos in castitate, & humilitate, & totam spem suam post filium suum in ea posuerint; & toto corde quæsierint.* Hæc D Bern. Quorum omnium Patrum doctrinam confirmant solemnes antiquæ, & probatæ, quæ adhuc durant in Ecclesia, Deum orandi formulæ, ita precari docentes: *Vt quorum natalitia colimus, per eorum ad te exempla gradiamur: vt quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis: præsta nobis ex eorum imitatione proficere, & oratione fulciri.* Quibus apertè docemur, summam religionem esse, imitari, quod colimus. Quid, quod ad impetrandum à Virgine cælestia charismata, & vt nostris postulationibus annuat, nullum medium efficacius assumi potest, quam virtutum eius imitatio: vt non obscurè indicant verba eiusdem Virginis: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* id est, à virtutum mearum exemplis, quæ sunt spirituales mei partus, & generationes. Vnde D. Bern. hom. 2. super Missus est, dixit: *Vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum. Accedit, quòd, cum imitari Beatã Virginem, sit imitari Christum (quid enim aliud est Virginis vita, nisi expressum quoddam vitæ Christi exemplar:) imitatio per mediam Virginem facta peculiarem quandam cõciliat suauitatem, quam non conciliat eadem imitatio Christi, facta per alios Sanctos, qua via, & modo facilior quoque efficitur vitæ Christi imitatio: dum enim seruus Dei totus incumbit contemplationi virtutum, morumque purissimorum sanctiss. Virginis, suamque vitam eius vitæ conformare nititur, memor pietatis, benignitatis, charitatis, cæterarumque virtutum, molleſcit, & quasi liqueſcit eius animus, ac in amorem exardeſcit Dei, qui talem nobis matrem impertijt.*

D. Bernar.

Rursum illud singulari obseruatione dignum est in B. Virgine, quòd, vt experientia docuit maiorem vim præ cæteris omnibus sanctis habet, ad extorquendum à nobis (si ita fas est loqui) eius imitationem; etenim instar magnetis, quem constat non verbis, sed abscõdita naturæ vi ferrum ad se trahere, & mirabili nexu sibi copulare; ita B. Virgo diuinitus insita sibi virtute ferrea etiam peccatorum pectora ad se trahit: suauitas autem huius tractionis tanta est, vt ad eam explicandam B. Virgo balsami suauitati illam comparauerit, dicens Eccles. 24. *Quasi balsamum aromatizans odorem dedi.* Cuius loci, vt abdita arcana referemus, in memoriam oportebit reuocare, quæ Plinius lib. 12. naturalis historiæ cap. 25. de balsamo commemorat in hæc verba: *Omnibus odoribus præfertur balsamum, vni terrarum Iudeæ concessum, quondam in duobus tantum hortis, vtroque Regio: sæuiere in eandem arbusculam Iudæi, sicut in vitam quoque suam; contra defendere Romani, & dimicatum pro frutice est, seritq; nunc eam fiscus, nec vnquam fuit numerosior, aut procerior. Inciditur vitro, lapide, osseisue cultellis, ferro lædi vitalia odit, emoritur protinus, succus è plaga manat, quem opobalsamum vocant, suauitatis eximiæ, sed tenui gutta in musto candida rubescit; deindè simulque durescit è translucido. Vitiatur oleo rosæ; Cypri lentisci, & aliorum quorundam fruticum, & melle mutatum, statim contrahit muscas: summa probatio finceri est, vt lac coagulet, in veste maculas non faciat.* Hæc Plinius. Latent in his verbis multa, quæ Virginis præstantiam, ac virtutum eius excellentiam exprimunt: in primis illius arbor non cultro ferreo, sed osseo, ac lapideo, & vitro inciditur, & vt quidam dicunt, ea parte, quæ respicit solem: inde vero fluit balsamum candidum, quod deinde rubescit. Hoc planè Deiparæ satis cõgruit, quæ, Christum solem iustitiæ aspiciens, eumque penitus in se excipiens, non ferri materialis sectione, sed filij compassione,

Eccl. 24.

Plinius.

Matth. 1.

Sap. 7.

sione, qui lapis est angularis, & speculum sine macula vitreum, veriſque ossibus cōstabat, transfigebatur, emittebatque non sanguinem, sed lachrymas, & affectus candētes puritate, rubentes vero charitate, quorum meritum lucidissimum nullo vnquam tempore mollitie euaneſcet, sed durum, ac firmum stabit. Deinde Pausanias in Bæothicis lib. 9. scribit, in Arabia plurimas viperas sub balsami arboribus latitare, easque sub illis commorantes, balsami pastu venenum amittere, ipsarum item morsus ob id esse innoxios. At verò præsidio Deiparæ, quæ est mysticè balsami arbor, dæmonibus per serpentes significatis, venenum adimitur, ne eorum morsus, & nefariæ, quas immittunt, suggestiones, Deiparæ deuotis noceant. Sicut balsamum præterea in maiori pretio habetur, quod nullius alterius liquoris mixtione vitiatum est; ita Deipara Virgo illud peculiare habet præ cęteris alijs sanctis, quòd illi peccatis admixti fuere iuxta illud Dauidis: *In peccatis concepit me mater mea*; & illud Iacobi: *In multis offendimus omnes.* At balsamum sanctitatis Virginis nulla vnquam admixtione peccati originalis, aut actualis vitiatum fuit; vnde ipsa Ecclesiast. 24. dixit: *Et quasi balsamum mixtum odor meus.* Hoc autem Bonauentura in speculo Beatæ Virginis capite 5. eleganter explicat: *Balsamum* (inquit) *misceri solet, & vitiari melle, vel oleo, sed certè balsamū Spiritus sancti in Maria non fuit mixtum, quia nec melle carnalitatis, nec mundanæ consolationis, nec oleo vanæ laudis, & adulationis fuit vitiatum, sed vera, & pura Mariæ gratia fuit.* Hæc Bonauentura. Rursus balsamum olim vni Iudææ, nulli præterea regioni erat concessum, quod non tantum Plinius, sed etiam Iustinus lib. 36. Strabo lib. 16. Solinus cap. 36. affirmant: nam ex Iosepho lib. 8. antiquit. cap. 6. fertur Regina Saba balsami radicem Salomoni dono dedisse, & ideo in sola Iudæa reperiri, vt propterea ex Plinio loco citato Pōpeius deuicta Iudæa balsami arbusculam in triumpho duxerit, & Vespasiani Imperatores iterum ipsam Romam Iudæa vastata attulerunt, quo tempore Iudęi, ne in potestatem Romanorum venirent, eam prorsus excindere sunt conati, vt diximus ex Plinio, nisi Romani armis eam seruassent; quare Virgilius in 2. Georg. referens suas cuique regioni datas arbores, sic de balsamo cecinit:

Diuisæ arboribus patriæ: sola Indiani- Virgilius.
gum
Fert ebanum: Solis est thurea virga Sabæis
Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsamaque, & baccas semper frondentis acanthi?

Circa Christi tamen aduentum videtur balsami frutex multis in locis propagatus Dioscorides, qui circa Christi tempora claruit, & Auicenna in Aegypto eam nasci testantur, quibus conientit Burchardus in descriptione terrę sanctę par. 2 ca. 4. vbi inter Heliopolim, & Babyloniam medio ferè loco à se visum refert hortum balsami, qui nisi irrigetur aqua ex fonte, in quo Deipara, dum in Aegypto maneret, filium lauit, fructum minimè edit. Solinus verò ait: *Balsami lucos, deuicta Iudæa, ita propagatos, vt iam latissimè, inquit, colles sudent balsama.* Strabo in maritimis Sabę rum syluestre balsamum oriri tradit; & Pausanias in Bæothicis lib. 9. in Arabia balsami arbores ponit: ex India vero Occidentali nostro sæculo magnam balsami copiam aduehi nemo ignorat. Hoc autem in Deiparam optimè quadrat, quæ prius vni nota Iudææ, coruscante per vniuersum Orbem Euangelio, magno fidelium prouentu in vniuersum Orbem prædicata, cunctas pariter illustrat Ecclesias, suoque ardore omnes reficit.

Dioscorid. Auicenna. Burchard. Solinus. Strabo. Pausanias.

Sed nostro præcipuè argumento inseruiens, quis non videat, balsami odorem suauissimum, virtutum Deiparæ

Pausanias. Dauid. Iacob. Eccl. 24. Bonauent. Plinius. Iustinus. Strabo. Solinus. Iosephus de antiquit.

fragrantiam indicare. qua omnes recreans, pariter ſuo exemplo ad currendum poſt Chriſtum excitat, vt liceat nobis
Cant. 1. dicere illud Cant. 1. *In odorem vnguentorum tuorum curremus.* Illud tamen peculiari balſami oleo odorato ineſt, quòd virtutem quandam maſculam, & fortem, cuiuſmodi erant Deiparæ virtutes, non autem mollem, & effeminatam, ſignificet: nam balſamum veluti nobile, ac generoſum reliquis vnguentis præſtans, viris adhiberi ſolebat, fœminis vero magis congruebat Amomum Aſſyrium, aliaque id genus delicata vnguenta, quibus Reges Aſſyriorum, quorum notiſſimus eſt luxus, vtebantur,
Martialis. idque ſatis exprimit Martialis libro 14. epigr. 54.

Balſama me capiunt hæc ſunt vnguenta virorum,
Delicias Nini vos redolete nurus.

Diſcurre per totum vitæ curriculum Deiparæ Virginis, & nullam inuenies exercuiſſe actionem, quæ non maſculæ, ac fortis virtutis exemplar ſit: in die ſuæ Præſentationis triēnis, cum eſſent gradus quindecim ſcalæ templi, vt ſe Deo ſacraret, abſque alicuius adminiculo, quaſi grandioris ætatis eſſet, facilè aſcēdit, interno deuotionis impetu illam foras impellente: cum ab Angelo audiuit filium concepturam, continuo virginitatis amantiſſima in illa verba prorupit:
Luc. 1. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Deinde agnita Dei voluntate, vt Mater Dei fieret, ita ſe humilem exhibuit, vt ancillam ſe vocaret: *Ecce ancilla*
Luc. 1. *Domini, fiat mihi ſecundum verbū tuum.* Beneficentiæ ita fuit ſollicita, vt, cum primum filium Dei concepit, ad inuiſendum Eliſabeth properaret:
Luc. 1. *Abijt in montana cum feſtinatione.* Et cum in Cana Galileę nuptijs vinum defecit, à Chriſto petijt defectum ſuppleri: *fili, vinum non habent* Has quis non videat maſculas, & fortes virtutes eſſe?

Ad extremum ſi quis piam noſſe cupit, ſint illa, in quibus Deiparam Virginem ſollicitè æmulari debet: compendiosè illa tradidit Diuus Damaſcenus oratione ſecunda de dormit. vbi ea, quæ Virgo amat, quęque auerſatur, recenſet: ex quibus, quæ in ea ſint imitanda, facile deprehendemus, verba eius ſunt hæc:
D. Damaſ. *Curemus, vt montem, memoriamque noſtram Genitricis Dei promptuarium efficiamus; quo autem modo id aſſequamur? Et Virgo ipſa eſt, & virginum amans. Pura eſt, & purorum amans. Quocirca ſi & corporis, & animi caſtitatem colamus, ipſius gratiam adipiſcemur: ſiquidem lutum omne fugit, ac cœnoſas affectiones auerſatur. Ingluiem execratur, fœdiſſimæ fornicationis vitijs infeſta eſt: huius impuras, & ſceleſtes cogitationes non ſecus ac viperarum fœtus fugit: ſermones fœdos ac ſcurriles propellit: cantuſque ac meretricia vnguenta ſubmouet: iræ tumorem odio habet: inhumanitatem, & inuidiam, ac ſimultates non admittit: inanem gloriam, vanis laboribus ſe frangentem, reijcit: ſuperbiæ faſtui animo hoſtili reſiſtit: iniuriarum memoriam, tamquam ſalutis hoſtem, odio inſectatur: vitium denique omne, tamquam lethale venenum execrationi habet. horum autem contrarijs delectatur: contraria enim contrariorum medicamenta ſunt. ieiunio, & parſimonia, pſalmorumque cantibus gaudet: cum puritate, & virginitate, ac pudicitia pulchrè illi conuenit, ſempiternamque cum illis pacem colit, eaſque humanè, & comiter exoſculatur; pacem, animique lenitatem complectitur, charitatem, & miſericordiam, atque humilitatem, tamquam alumnas ſuas vlnis fouet. Atque, vt rem breuiter perſtringam, quolibet vitio offenditur, ac diſcruciatur; qualibet autem virtute, vt peculiari ſua nota, lætatur, & exultat. Quamobrem ſi vitia prompto, atque alacri animo vitemus, virtutes autem omni ſtudio, atque amore complectamur, eaſque ſocias adhibeamus, frequens ipſa ad famulos ſuos veniet, ac ſecum bonorum omnium agmen trahet, Chriſtumque filium ſuum, omnium Regem, ac Dominum in cordibus noſtris habitantem aſſumet* Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

HO-

HOMILIA VII.

Commemorantur templa ab Ecclesia ædificata ad cultum Deiparæ, non solum dum vitam ageret, sed antequam conciperetur.

VNigenitus æterni Patris futurus in tempore filius Virginis matris, sollicitã curam gessit, ne solum fideles post Genitricis suæ in cælum Assumptionem, sacrorum tẽplorum in eius honorem, erectione, sed & multo retro tempore, ante eius Conceptionem, nec nõ & illa superstite, hoc religiosi cultus genere venerarentur. Quam rem grauissimorũ auctorum testimonio palam faciã: Et quidem in primis, vt à Druidis Gallorũ sacerdotibus sermonem auspicemur, qui inter illos sapientissimi sunt habiti; &(vt verbis vtar Cæsaris lib. 2. de bello Gallico) non tantum magno erant apud reliquos in honore, sed etiam certo anni tẽpore in finibus Carnutũ, quæ regio totius Galliæ habetur media, considebant in loco consecrato, ibique de aliorum controuersijs constituebant. Hi, quemadmodum olim Athenienses, aram ignoto Deo dicarant; sic & ipsi multis, antequam Deipara nasceretur, annis, Carnuti Vrbe, Galliæ Lugdunensis florentissima, in eodem agro, qui ipsorum comitijs erat destinatus, arã sub terram profundè excauatam, Deiparę dicarũt, cum hac inscriptione, *Virgini paritvræ*: quem locum postea sub terra, & super terram egregiè ampliatum, atque exornatum, Christiani in celeberrimam Ecclesiam Cathedralem erexerunt, quemadmodum Carnutenses, ac eiusdem loci incolæ constantes affirmant: idque referunt Cassaneus in Catalogo Gloriæ mundi p. 12. consider. 20. & Nauarr. de orat. & horis Canonicis lib. 21. num. 28. Hanc postea Ecclesiam Carnutensem, Caroli Calui Regis liberalitate extructam, affirmat Belforestus in annalibus Franciæ ad Carolum Caluum. Postmodum à Fulberto Carnutensi Episcopo, Deiparæ impense addicto, pietate, doctrinaque clarissimo, (cui ægrotanti è sacro vbere lac Deipara prębere dignata est) renouatum, largitionibus Canuti Anglorum Regis, tradit Vuilelmus Mulmesburiensis li. 2. gestis Anglorum cap. 11.

Nec illud silentio prętereundum, horum Druidum consilio, præter aram, statuam quoque Deiparæ cum puero esse positam, quemadmodum Nicolaus Naucelius professione Medicus in Parcebasi de mirabili Natiuitate Christi cap. 11. testatur his verbis: *Annalium Carnutensium hist. de Druidibus (ij ferè olim Gallorum Magi, seu Sapientes eo potissimum tractu inter lucos versari soliti) certo memorat, & constanter affirmat, homines religionis, atq; omnium scientiarum peritos, Christi aduentũ præsensisse, & præuidisse; quorum imbutus doctrina Comes Carnutẽsis, nomine Priscus, statuam erexit Virginis matris, puerum in sinu gestantis, eidemq; Virgini paritvræ templum consecrauit, à Godefrido Montis Lorici Comite communibus impensis adiutus, Christi aduentum longe ante, humano generi salutarem præstolatus, meritoque veneraturus* Hactenus ille.

Argonautæ, qui ex Genebrardo, tempore Ahialonis Iudicis ante Christi aduentum annis mille ducẽtis circiter vixerunt (quemadmodũ etiam colligitur ex Augustino lib. 18. de ciuit. c. 20.) Cyzici in Hellesponto templum extruxerũt præclarissimum, quod à Plinio lib. 36. cap. 15 veluti maximè admirandum celebratur; consultoque ab eis, Pythio oraculo, responsum retulerunt, Mariæ Verbi æterni Genitrici dicandum esse; & quamuis ipsi veritatis ignari, dæmonis instinctu, Rheæ, quam Deorum matrem stulta gentilitas fabulabatur, similitudine quadã prorsus dissimili, decepti, illud consecrarint: Zenone verò

Cæs. de bello Gallico.

Cassaneus. Nauarr.

Belforest.

Vuilelmus Mulmesbur.

Nicol. Naucelius.

Genebr.

D. August.

Plinius.

Zeno. Imper. Cedr. in cõpendio. Imperatore ad veræ Dei Matris cultum est traductum: rem gestam Cedrenus in compendio narrat his verbis:

Quo tempore Iudices Israelitico populo præfuerunt, Argonautæ cum Iasone Thessalo, Polluce, Hyla, Telamone, ac reliquis, in Colchidem nauigauerunt, qui cum per fauces in Ponticum mare transire vellent, Cyzicum Hellesponti Dominum, nauali prælio ipsos prohibere conantem, interfecerunt, ac Cyzicum vrbem Hellesponti primariam ceperunt. Mox cognito Cyzicum sibi genere propinquum fuisse, venia postulata, templum condidere admodum mirabile, atque ad oraculum, quod est ante Pythias Thermas profecti Phœbum Apollinem rogauerunt, vt sibi ediceret, cui ædes consecranda esset: responsum ijs in hanc est sententiam:

Assidua virtute decus sublime parate,
Atque vnum (sic mando) Deum, qui cuncta gubernat,
Cæleſti residens solio, colite, atque timete.
Illius æternum natum ante sæcula Verbum
Nescia Virgo viri, quondam partu tenera edet.
Quod velut igniferis impulsa sagitta procellis,
Edomitum reddet Patri pro munere mundum,
Huius, quam Mariæ nomen, monet, alma Genitrix
Agnoscet templum proprium, sibi ritè dicatum.

Hoc oraculum æreis litteris in marmore impresſis conscriptum, illi in supero portæ limine posuerunt, atque ipsi quidem tunc ædem Rheæ Matris Deum dixerunt; sed ea postea Zenone imperante, templum sanctæ Dei Genitricis denominata fuit. Hactenus Cedrenus. At verò oraculum hoc, quod è Greco Latinus Cedr. interp. Cedreni interpres versibus paraphrasticòs vertit: nos, quo oraculi sententia planius percipiatur, sic ad verbum ex Cedreno vertimus: *Quæcunque quidem ad virtutem, & ornatum visa sunt, facite; ego vero iubeo colere vnum solum apud superos regnantem Deum, cuius Verbum nulli corruptioni obnoxium, in intactæ puellæ vtero conceptum erit. Hoc Verbum, tanquam sagitta igniſera, medium percurrẽs vniuersum mundum, cum eum ceperit, Patri adducet Dominum: illius puellæ erit domus hæc; Maria vero nomen eius.* Hucusque oraculum.

Huc etiam pertinet templum illud, à Iasone eorundem Argonautarum Principe in arce Athenienſi positum, quod Deiparæ consecrandum esse Apollo Delphicus diuina virtute coactus, vaticinio prædixit, cuius vaticinij verba à S. Procopio martyre ex antiquis Græcorum annalibus allata habentur in eius vita apud Metaphrastem, quam Surius ponit die 8. Iulij. Eius porro vitæ tanta est auctoritas, vt inde pro cultu sanctarum imaginum in 2. Nicæna Synodo actione quarta testimonium sit allatum, ex eaque nos, quæ huc spectant afferemus. Sanctus igitur Procopius martyr, cui nomen antea Neanias, Christo Domino eum peculiariter vocante, ad fidem conuersus, in persecutione Diocletiani Imperatoris dira supplicia est perpessus, primum sub Iusto Præside Palæstinæ: mox eo extincto, sub illius successore Flauiano: demum inclyto martyrio est coronatus. Is vt Flauiano rationem Christianæ fidei magna animi constantia redderet, Deique vnitatem ex Mercurio Trismegisto, Socrate, & Heraclyto confirmasset, Christi etiam Incarnationem, & Crucem ex Sybilla ostendisset, tandem, & Ethnicorum historijs eadem verba, quæ ex Cedreno nuper retulimus, quæ subijcit, cum dæmones omnino obliterare non possent, suis saltem mendacijs adulterare sunt conati: nam Verbum Dei, quod est Patris sapientia, ad capiendum mundi Imperium, iustar igniferæ sagittæ, vel ipsius oraculi prædictione missum, eiusque Genitricem Virginem simul imperitè miscentes, & mendacijs confundentes, vnius fabulosæ Mineruæ commento, in quo hæc omnia congesserant; obscurare se posse

Procopius martyr. Metaphr. Surium die 8. Iulij. Synod. 2. Nicena act. 4.

sperarunt: ideoque eorundem dæmonum instinctu, poetæ Mineruam ex Iouis capite progenitam, eamque sapientiæ deam, ac virginem, militaribusque armis instructam, & Athenarum Præsidem; in quarum arce templum à Iasone excitatum erat, confingentes, huic vaticinio tenebras offudere. Hinc etiam factum fortasse est, vt à stulta gentilitate, Mineruæ in arcibus templa fieri consueuerint, quemadmodum docent Farnutus, & Vitruius libr. 1. ad quod respexisse videtur Virgilius eglog. 2. cùm sic cecinit:

Farnutus & Vitruius, lib. 1. Virg. eglog. lib. 2.

Pallas, quas condidit arces,
Ipsa colat.

At dicet aliquis, idem videri templum illud Argonautarum apud Cedrenum, & hoc Iasonis à S. Procopio citatum: nã eadem prorsus sunt oraculi verba in vtraque historia, & Iason ipse Argonautarum Dux, & Princeps fuit. Cæterum diuersa esse hæc suadere videntur: nam illud Cyzici, istud Athenis, illud ab Argonautis vniuersis, hoc à solo Iasone: de illo consultus est Apollo ad Thermas Pythias, de hoc verò apud Delphos; illud postea Rheæ, hoc Mineruæ ab ethnicis est dicatum. Et fieri facile potuit, vt Dei nutu, ad huius vaticinij veritatem magis confirmandam, idem respõsum, quod Argonautæ cum Iasone apud Pythios Thermas acceperant ijsdem verbis referret Iason solus à Delphico Apolline. Quòd si malimus idem esse templum, quod ab vtroque auctore describitur, sed propter rei gestæ vetustatem aliquantulum historicos inter se discrepare, illud certè probatum manet, templum Deiparæ multis, antequam nasceretur, sæculis, à Iasone, & Argonautis erectum, ac dæmonum malis artibus, quasi furto sublatum, & Rheæ, vel Mineruę iniquis possessoribus addictis, postmodum Christi fide in vniuersum terrarum orbem illata, Cedreno auctore, vt diximus, Cyzici, Zenonis Imperatoris tempore, ab iniqua possessione vindicatum, veræque Dominæ restitutũ, ad Dei Genitricis honorem certius, planiusque reuocatum est. AEgyptij quoque ante Christi aduentum Virginem in lecto, & infantem in præsepio passim collocare, & adorare consueuerunt, teste Canisio libro 2. cap. 7. Cuius rei causam rogati, dicebant, quoniam ipsorum maiores hoc à S. Propheta acceperant. Et certè S. Epiphanius in vitis Prophetarum refert, Ieremiam AEgyptijs prædixisse idolorum suorum ruinam: *vbi AEgyptum*, inquit, *ascendet cum suo infante Virgo enixa, Deo similis*, sic Epiphanius. Quod factum est, Christo infante cum sua Genitrice in AEgyptum Herodianam rabiem fugiente; de quo latè supra differui. Sed iam veniamus ad templa Virgini, illa superstite, dicata. Celebre quidem est illud Cæsar-augustæ in Hispania, quod Diuus Iacobus erexit Deiparę, dum illa in terris viueret. Cuius rei historiam narrat Petrus Antonius Beuterus in Chron. Hisp. capit. 23. his verbis: *Benedictissima Virgo, gloriosa, & sancta Maria Domina nostra, & Regina Angelorum, in ripa fluminis Eberi, propè Cæsar-augustam, Aragonum vrbem, in columna marmorea, glorioso Iacobo Apostolo apparuit: qui eodem deinceps in loco, sacellum Angelicum iussu exstruxit, & honori eius, ac nomini consecrauit, quod Diuæ Mariæ Virginis à Columna Cæsar-augustana cognominatur, ob pilam, siue columnam, in qua videndam ipsa se præbuit: quod quidem miraculum contigisse perhibetur circa annum Imperij Tiberij xx.* Hæc ille. qui addit ex testimonio Callisti Papæ, & aliorum, hoc ipsum templum multis ab hinc sæculis eximijs, ac infinitis ferè miraculis nobilitari. Hanc etiam historiam habet Vasæus in annalibus rerum Hispaniæ, & Ioannes de Pineda in Monarchia Ecclesiastica lib 10. cap. 2. §. 4. Idem testatur Callistus 3. in quodam diplomate, quod in Ecclesia Cæsar-augustana asseruatur, dato, anno Domini 1456. vbi: *Quamplurima* (inquit) *& infinita miracula diuina prouisione dictim*

D. Epiph. *Petr. Ant. Beuterus.* *Vasæus.* *Io. de Pined.* *Callist. 3.*

fiunt: & *addit*, *Cappellam illam eius Ecclesiæ de mandato Dei Genitricis de Pilari* Hæc ex diplomate Callisti. S. Petrus Apostolorum Princeps, cui eximia Dei Genitricis dignitas, atque præstantia probè perspecta, cùm adhuc in Syria moraretur, eidem Deiparæ sacellum erexit, ea adhuc in terris agente: nam post eius Assumptionem in Occidentali duntaxat regione, & nominatim Romæ degebat. *Iacobus de Vitriaco.* Eius sacelli Iacobus de Vitriaco Cardinalis, qui obijt in Syria an. 1244. meminit his verbis in sua historia Orientali cap. 44. *Anteradensis ciuitas, sic dicta quasi ante Aradum sita, vulgari autem appellatione hodie dicitur Tortosa, in qua B. Petrus Phœnicem circumiens, cùm à partibus Hierosolymitanis transiret in Antiochiam, in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ, modicam fundauit Ecclesiam, in qua etiam diuina celebrauit mysteria, quæ vsq; hodie in magno habetur honore, & multorum populorum accessu frequentatur, eo quòd Beatissima Virgo in illa sibi ab infantia primitiuæ Ecclesiæ consecrata, multa operatur miracula, & infirmis illuc venientibus grata confert subsidia sanitatum. Dicitur autem à multis, quod inter omnes Beatissimæ Mariæ Ecclesias, ista fuerit prima: non solùm autem à Christianis, sed etiam à Sarracenis in magna habetur reuerentia.* Hæc Iacobus de Vitriaco. Eiusdem sacelli à D. Petro in honorem Dei Genitricis positi, *Raph. Volaterran.* Raphael Volaterranus lib. 11. Geograph. in Syria, cùm agit de Tripolitana regione in Phœnicia meminit: *Ancaradum* (inquit) *ciuitas ante Aradum sita, hodie Tortosa dicitur, in qua sacellum Dei Genitricis primus omnium extruit Princeps Apostolorum, ex ære Christianorum collato, in quo primum sacrificasse dicitur.* Hæc ille. Ioannes Baptista Mantuanus, inter Christianos Poeta insignis, libr. 3 Parthen. memoriæ prodidit, in monte Carmelo, audita Virginis Beatissimę in cœlos Assumptione, statim excitatum fuisse in eiusdem honorem sacellum: quod eleganter sic cecinit: *Io Baptista Mantuan.*

Propterea montana viri Phelæa colentes,
Audito illius fato, sublime sacellum
Apricis posuere iugis primi, atq; quotannis
Sacra instaurantes, hymnos, & thura ferebant.

Sancta Martha, Christi hospitio clara, cùm apud Massiliam degeret, maximam (teste Vincentio Beluacensi lib. 9. *Vinc. Beluacensis.* sui Specul. hist. cap. 100. & 101.) condidit Basilicam in honorem Domini nostri Iesu Christi, & Beatissimæ Mariæ semper Virginis, quem Sancti Maximinus vnus ex septuaginta duobus Discipulis Christi, Aquensis Episcopus, & Trephinnes Arelatensis, & Eutropius Aurasicensis 16. Kal. Ianuarij consecrarunt. In Aethiopia à Francisco Aluarez, qui hæc litteris mandauit, quemq; *Francisc. Aluarez.* Thomas Bozius lib. 9. de signis Ecclesię *Tho. Bozius.* cap. 9. vocat scriptorem integerrimæ fidei, visum est templum à Candace AEthiopum Regina in Auxumo magnificentissimè constructum, Deiparę consecratum, & miraculis olim nobilitatum; & tametsi omnes AEthiopum Reginæ, teste Strabone, Candaces nominarentur: *Strabo.* asserunt tamen AEthiopes, eam, quæ templum istud posuit, illam fuisse, cuius eunuchus baptismo illustratus est à Philippo Diacono Act. 8. ex quo templum illud longè antiquissimum esse facilè colligitur. S. Matemus Episc. B. Petri Apostoli discipulus, cuius memoria in Martyrologio die 14. Sept. adnotatur: *Act. 8.* *Martyrologium Rom.* *Post quam à morte mirabiliter ad vitam esset excitatus, in Germaniam missus, Tungrenses, Colonienses, Treuirenses, aliosq; finitimos populos ad Christi fidem perduxit.* Is Tungris ædem Virginis Deiparæ consecrauit, quemadmodum veteres Colonienses, & Treuirenses Ecclesiæ docent Annales, apud Canisium libr. 5 de Beata Virgine *Canisius.* cap. 23.

Ad hæc quid dicam de templis in India Orientali Deiparæ, inter mortales versanti, erectis? Inter illa primum refero Cranganore ab vno ex tribus Magis, qui, stella duce, ad Christum infantem adorandum venerunt, cuius instar alte-

rum

rum Calecutij in honorem Deiparæ, nō longè post est excitatum: quod certissimis testimonijs est compertum: narrat enim Hieronymus Osorius Algabriensis Episc. nobilis historic. lib. 1. de rebus gestis Emmanuelis Regis Lusitaniæ, Vascum Gammam, Lusitanicæ classis præfectum, anno 1498. mense Maio appulisse Calecutium, celebrem Indiæ Vrbem: cumque ad Regem visendum in terram descendisset, à quodam viro primario, qui ius genti illi dicebat, Catuelem appellant, nomine Regis exceptū, & primum in templum apud illos sanctissimum, & munificentissimum esse deductum: *In medio autem templi erat* (inquit Osorius) *sacellum editum, formarotundum, ad quod per multos gradus ascendebatur: ostium erat ex ære factum, & valdè angustum; intra sacellū erat signum in aduerso pariete locatum, cuius formam nostri propter loci obscuritatem aspicere nequiuerunt: aditus in illud solis ædituis, atque sacerdotibus patebat, quatuor editui propius accedentes, digito in imaginem intento, bis Mariam inclamant. Catuelis cum reliquis, qui eum sequebantur se repentè in terram proni manibus extensis abijciunt, deinde surgunt, & more suo precationem peragunt. Nostri suspicati, opem Sanctissimæ Virginis implorari, genibus flexis pacem à Deo exposcunt, Virginemq; Dei matrem more nostro vsitato venerantur.* Hæc Osorius. Qui deinde huius religionis, qua homines Pagani Mariæ nomen venerantur, rationem persequitur, quam nos ex eodem breuius huc inserendam duximus, quòd res cognita non iniucunda ad Virginis sanctissimę laudes spectare videatur: *Cranger* (inquit) *in India vrbs est perantiqua, quæ Calecutio distat Austrum versus circiter quinque & quadraginta passuum millibus, & à multis Christianis, à S. Thoma conuersis, incolitur, cuius Rex olim Brachmanorum litteris in primis eruditus, cùm sorori germanæ vitium intulisset, illius flagitij conscientia grauiter afflictus, pœnas de se multorū dierum inedia, aliisq; laboribus, seuerè repetebat: nec tamen animi sollicitudine leuabatur: quare religionis causa iter suscepit in Persidē, & Caramaniam, in qua antiquissima Magoni disciplina florebat, ex quibus duo, opibus, & sapiētia Principes, Regi Cranganoris per litteras noti, à stella, præter naturæ ordinem orta, edocti, Regem Cæli, in Iudæa natum, ad eum adorandum se compararunt, quibus idem Rex Cranganoris sub nigro colore, qualem pictores in hoc mysterio exprimendo effingere solent, se tertium comitem adiunxit. Quare in posterū, reliquis nominibus abiectis, nomen Cheriperimale (id eorum lingua sonat, vnum ex tribus) ex hac tam illustri societate, qua maximè gloriabatur, assumpsit. Christum itaque adorant, eique munera offerunt. Rex lætissimus, tertio demum anno in patriam reuersus, ædem extruxit, quam Mariæ nomine consecrauit, in qua Sanctissimæ Virginis imago cum filio in vinis collocata fuit, sanxitque vt quoties in templo æditui hoc nomen inclamarent, totiens se omnes, qui adessent, in terram prosternerent. Postremo cum, vt se totum diuinis rebus daret, & negocia reliquit, & regni opes distribuit ijs, quos sapientia, & religione præstare cognouerat. Ex his vnus fuit, qui Calecutij vrbis fundamenta iecit, & templum illud, quo fuit Gamma deductus, extruxit, & in medio sacellum Sanctissimæ Virgini dedicauit, & exemplum patroni secutus, statuit, vt ad Mariæ nomen omnes sese in terram proijcerent, & licet incolæ sint Pagani.* Hanc tamen memoriam ab antiquis traditam, religione summa conseruant. Hæc sunt, quæ in antiquissimis Christianorum Indorum monumentis contineri, ab hominibus Indiæ peritissimis accepisse se scribit Osorius.

Hier. Osor.

Nec silentio prætermittendum est sacellum in monte Carmelo ad honorem Virginis extructum: meminit illius B. Ioannes Quadragesimus quartus Patriarcha Hierosolymitanus lib. de institutione primorum Monachorum capite 26. vbi hæc verba habet: *In memoriam visionis de ortu huius Virginis, præostense Sancto Prophetæ Eliæ sub specie nubeculæ, ascendentis de mari in Carmelum, Monachi prædicti anno incarnationis Filij Dei octogesimo tertio,*

In Patriar. Hierosol.

certio, diruentes eorum seunion antiquum, ædificauerunt huic primæ Virgini Deo dicatæ Cappellam quandam in monte Carmeli, iuxta fontem Eliæ, in situ illo, in quo Elias orans, viderat nubeculam illam, quasi vestigium hominis de mari ascendere in Carmelum.

Ad extremum inter ea templa Virgini dicata, dum in terris ageret, non immeritò connumerare possumus sacrum sacellum Lauretanum, quod Apostoli Christi magno semper honore coluerunt, rem diuinam certatim inibi factitantes, quemadmodum ex eiusdem Virginis reuelatione latè refert Horatius Tursellinus libro primo hi- *Hor. Tursel.* storiæ Lauretanæ capit. 3. Et quidem cùm templum nihil aliud sit, quam domus Diuino cultui destinata, in qua Deus adoratur, & sacrificium ei offertur; meritò illa domus templum censeri debet, cùm in ea toties Ecclesiæ principes orauerint, & sacrificauerint. Celebris Theologus, & insignis Poeta *Bapt. Mant.* Baptista Mantuanus in historia ædis Lauretanæ, tot præconijs sacrum hoc templum effert, vt non modo terrestri Paradiso, vbi Eua ex Adæ latere est formata; monti Sinai, vbi est data lex; templo Salomonis, præcipua Dei præsentia, inclyto; speluncæ Bethleemiticæ, vbi Christus natus; monti Thabor, vbi transfiguratus; monti Oliuarum, vnde triumphans in Cœlum ascendit; verum etiam augustissimo eiusdem Christi sepulchro, quo nihil sanctius habetur in terra, reliquisque omnibus, quæ sub Cœlo sunt locis, æquare non dubitarit. Ego autem ausim & præferre, tum quia si sepulchrum Hierosolymitanum continuit corpus Christi per tres dies, eadem domus continuit per triginta annos, tum quia ibi iacuit corpus Christi emortuum, in hac viuum, ibi exanime, hic animatum; tum quia si in sepulchro facta est vnio animæ cum corpore in eius resurrectione; in hac sacra æde facta est sublimior vnio, per quam in ea *Verbum caro factum est*: Liceat ergo mihi cum Patriarcha Iacob exclamare: *Terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.* Vnde sapienter Tursellinus in præfatione historiæ Lauretanę, non minus verè, quàm eleganter dixit: *Tursellinus.* *Tantam Deus mortalium animis inspirauit huius ædis Lauretanæ religionem, vt quicunque ad Lauretanam ædem accedunt, non tam ad ædem Virginis, quàm ad ipsam Virginem sibi adire videantur: & sanè huic Deus, Deique mater, miro quodam modo præsentiam suam declarant. Hinc diuinus ille omnium pectoribus incutitur honor ad sacrosanctæ domus ingressum, hinc illud abeuntibus injicitur eius reuisendæ desiderium; hinc nobilis illa perditarum, profligatarumque mentium in diuersa mutatio, quæ quidem perpetua ædis Lauretanæ miracula ita euidentia sunt, vt etiam si deessent alia, quibus abundat, cunctis facerent diuinæ præsentiæ fidem: est autem hoc præcipuum, ac proprium templi Lauretani, vt eius religio, ac sanctitas quotidie magis efflorescat, cùm aliquarum etiam celeberrimarum ædium Beatissimæ Virginis, aliorumque Sanctorum celebritas, cum aliquamdiu viguerit, interdum deflorescere videatur.* Ac tandem, qui plura alia huius sacræ domus desiderauerit, videat, quæ scripsimus libro quinto de Sacris Arcanis Angelicæ Annunciationis Virginis, homilia 3. *Genes. 28.*

* * *

HOMI-

HOMILIA VIII.

Diuino consilio factum esse ad maiorem Virginis cultum, & gloriam, ac de antiquo serpente illustriorem victoriam, vt in templis, & locis, quibus Dæmonum simulachra Gentiles olim venerabantur, in eisdem Deiparæ Virginis imago posita ab Ecclesia coleretur.

CVM omnia Deiparæ Virginis templa, quæ post gloriosam eius in cœlum Assumptionem per totum orbem terrarum, singulari pietate, & magnificentia in singulis Regnis, & prouincijs, imò & in singulis vrbibus, oppidis, ac pagis, in eius cultum, & honorem condita sunt, commemorare immensus labor esset, & parum proficuus, cum satis notum, & perspicuum omnibus sit, nullum esse ita humilem, & despectum Christianorum pagum, in quo Virginis sanctissimæ vel proprium templum, vel proprium certè sacellum, vel ara non fuerit ei sacrata; vnde de solo Iacobo Aragonio Rege Hier. Blanca Hieronymus Blanca in commentario rerum Aragonensium ad annum 1235. refert, bis mille in Deiparæ Virginis honore constructa fuisse templa in agro suo; illud solum hoc loco præstabo, vt ea tantum templa referam, quę Romæ, vbi hęc scribo, erecta sunt in ijsdem locis, quibus, vel idolorum simulachra olim decepta Gentilitate colebantur, vel in profanos vsus destinata erant. Romana enim ciuitas (vt verbis vtar Leonis ser. 1. de Apostolis Petro, & Paulo) priusquã Christi fidem reciperet, cùm pænè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus, & frequentissima habebat idolorum delubra; in quorum postea ruinis pleraq; Deiparæ ædificata sunt templa. In ijs igitur percensendis, quænam huiusmodi idolorũ fana fuerint, vbi Deiparæ templa sunt posita, indicabimus, vt planum omnibus fiat, Deiparam non modo, vt canit Ecclesia: *Cunctas hæreses in vniuerso mundo solam interemisse*; verum etiam de ethnicismo, & de vniuersa gentium superstitione triumphum egisse, atq; in eorum fanis, veluti in infestissimorum hostium expugnatis arcibus sui filij, suaque trophæa erexisse. Quare in his videtur impletum illud Isaiæ vaticinium ca. 35. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami, & iunci, & erit ibi semita, & via, & via sancta vocabitur. Quod nemini mirum videri debet, cùm hæc sit mulier illa, quæ draconis venenati caput contritura prædicitur, quam Cyrillus hom. 6. in Nestoriũ merito sic alloquitur: *Per te omnis creatura, idolorum errore detenta, conuersa est ad cognitionem veritatis, & fideles homines ad sanctum baptisma peruenerunt, atq; in toto orbe terrarum constructæ sunt Ecclesiæ* Sic ille. Et Euthymius oratione de Zona Deiparæ. *Sanctissima* (inquit) *Virgo aras contriuit idolorum, & delubra gentilium perdidit, & comminuit, & cessare fecit immoderatam sanguinis effusionem* Quàm autem hæc vera sint, luculenter satis indicabunt, quæ nunc commemorabo.

Off. Eccl. *Isai. 35.* *Genes. 3.* *Cyrillus.* *Euthymius.*

Extat insigne templum S. Mariæ ad Martyres, quod vulgo à structura figuræ, *Rotundum*, dicitur: olim fuit ethnicorum celebre delubrum, à M. Agrippa, Augusti genero, anno ab Vrbe condita 727. excitatum, ac biennio post, auctore Dione, absolutum, idemque teste Plinio lib. 36. cap. 15. propter extinctum ciuile bellum, M. Antonio, & Cleopatra ad Asiaticum promontorium ab Augusto superatis, Ioui vltori dicatum, dictum est autem Pantheon: *Quòd in simulachris Martis, & Veneris* (inquit Dio lib. 53. hist. Romanæ) *multas Deorum imagines acciperet: vt verò mihi videtur, quòd forma conuexa fastigiatam cœli similitudinem ostenderet.* sic ille. Cùm verò Titi tempore con-

Plinius. *Dio hist.*

flagrasset, à Domitiano, vt auctor est Cassiodorus, restitutum est. Nec multò post sub Traiano fulmine ictum, ab Adriano, teste Spartiano, restauratur: postmodum à Septimio Seuero, & Marco Aurelio Antonino, vt videre est in eiusdem templi inscriptione, cum omni cultu est restitutum. Anno verò salutis 607 Bonifacius Papa 4. ab idololatriæ sordibus expurgatum, delatis in illud ex variis Vrbis cœmeteriis octo, & viginti curribus onustis ossibus Martyrũ, ijsq; prope summum altare ad eius dexteram decenter collocatis, Dei Genetrici, & omnib. Martyrib. die 13 Maij consecrauit solemni, ac peculiari instituta festiuitate, eius meminit Martyrologium, & ad huc Romæ ea die recolitur in hoc templo, quod propterea S. Maria ad Martyres est appellatum, vt videre est in stationibus Missalis feria 6. post Pascha. Eam festiuitatem postmodum Gregor. IV. qui anno 827. Pont. ficatum iniit, in honorem non tantùm Martyrum, sed omnium etiam Sanctorum die 1. Nouemb. in vniuersa Ecclesia celebrem esse decreuit; quemadmodum supra in hoc eodem capite diximus: ad idem templum solemnis statio habetur feria 6 infra octauam Paschæ.

Cassiodor. *Spartian.*

Extat S. Maria Ara cœli in Capitolio, vbi olim Iouis Feretrij fanum. Eiusmodi Deiparæ templum, cui Fratrum Minorum de Obseruantia nobile cœnobium nunc est adiunctum, in ea Capitolij parte situm est, vbi Octauianus Aug. prouectiore iam ætate accepto à Pythio Apolline responso de puero Hebræo, eodemq; Deo, ac omnium Domino, ipsum in tartara detrudente, Romam ex Oriente reuersus, aram maximam (auctore Nicephoro lib. 1. cap 17) exstruxit, cùm eiusmodi Latina inscriptione: *Ara Primogeniti Dei.* In hoc templo Imago Deiparæ à S. Luca depicta in summo altari magna pietate colitur, ibidem etiã lapis visitur insignis, pedum vestigijs ab Angelo impressis, qui Romæ humana specie aliquando apparuit. Cùm autem in Vrbe, ex Onuphrio de 7. Eccles. in S. Ioanne, 20. ex Baronio verò in notis ad Martyrol. die 1. Decembr. 22. essent cœnobia, seu Abbatiæ, quarum Abbates in præcipuis quibusdã celebritatibus, summo Pontif. celebranti aderant, hæc Ecclesia Ara cæli, auctore eodẽ Onuphrio, vna erat ex illis Abbatijs, quam postea Leo X. anno 1516. Cardin. titulum instituit.

Nicephor. *Onuphrius.* *Baronius.*

Extat S. Maria Schola Græca in delubro, vbi ethnicorum tempore erat ara, quę vocabatur Maxima. Ad hanc fontes ad veritatem iureiurando testãdam, adducebãtur; cùm verò eiusmodi ara propè os cuiusdam cloacæ sita esset, factum est, vt lapis ille perforatus, atq; ori cloacæ superpositus, nostra ætate vulgo os veritatis appellaretur: nomen verò schola Græcæ huic templo inditum videtur à proximo litterarum Græcarum gymnasio. S. Dionysius Papa circa ann. Domini 260 domum suam, quæ in eo loco erat, in Ecclesiæ formam redegit, quæ à Deipara nomen accepit. Eam verò vetustate collapsam, Stephanus 3 restit. ẽdam curauit; cùm in Gallijs desperata iam valetudine, à S. Dionysio Areopagita incolumitatem an 714 esset consecutus, vt videre licet apud Surium to. 5. ad calcem vitæ eiusdem S. Dionysij Tãdem eam post Stephani obitum Paulus 1. Pont. eiusdem Stephani frater, compluribus Sanctorum corporibus ibi reconditis, in honorem SS. Dionysij Areopagitæ, & sociorum perfecit, & consecrauit. Mox Adrianus I. ann. 772. illam mirificè exornauit, ita vt ab ædis ornatu dicta sit S. Maria in Cosmedin. In eiusdem templi sacellũ iussu Pij V. translata est Deiparæ imago, quæ in quodam pariete depicta, multis clarebat miraculis; denique inter antiquas Cardinalium Diaconias recensetur.

Surium to. 5.

Extat S. Maria à Palmis via Appia extra portam Capenam. nunc S. Sebast. sic dicta à palmarum multitudine, quæ ibi

ibi olim erant cum templo Martis, ad quod duo Papæ, & Martyres Stephanus I. & Sixtus II. vt illi simulachro sacrificarent, sunt pertracti, quemadmodum in eorundem actis legimus apud Surium to. 4. & Stephani quidem precibus, Martis statua terræmotu concidit, templumque contremuit. Sixto verò inde redeũti occurrit S. Laurentius, qui ab eo de thesauris Ecclesiæ in pauperes distribuẽdis, mandatum acceperat. Hoc in loco, quemadmodum peruetus pictura supra templi fores indicat, Christus S. Petro, Neronis rabiem fugienti, occurrit, eidemque roganti, Domine quo vadis? respondit, Romam iterum crucifigi, atque in lapide pedum suorũ vestigia impressit. Vnde factum est, vt Ecclesia hæc Sancta Maria à Plantis dicta etiam sit. Sanctus verò Petrus intellexit, Christum iterum crucifigendum esse in seruulo: quare ad martyrium fortiter subeundum redijt: lapis autem Christi Domini vestigijs nobilitatus, in proximo Sancti Stephani templo piè asseruatur. Hanc historiam Ambrosius in Auxentium de Basil. non tradendis, Gregorius in Psalmum quartum pœnitentialem, & alij tradunt. Vide Baronium tomo primo Annalium, ad annũ sexagesimum nonum. Cùm autem hoc templum præ vetustate ruinam minari videretur, Reginaldus Polus Cardinalis Anglus, ne tam insignis Christi apparitionis memoria, cum templo pariter interiret, sacellum aliud, forma rotundum, paulò superius, eadem via Appia, exædificauit, cui nomen inditũ, *Domine quò vadis*. Cardin. verò Toletus, hoc ipsum Deiparæ templum, pro sua in Virginis templa pietate, reficere cœperat, verùm perficere, & splendori restituere per mortem non licuit.

Surius to. 4.

Ambros. Gregorius. Baronius.

Extat Sancta Maria de Populo sub colle hortulorum religiosissimi Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, pijssima eiusdem Deiparæ imagine à Sancto Luca depicta, nobilitata; hoc in loco, subter nucis arbore, cineres impijssimi Neronis, qui primus in Christianos persecutionem mouit, condebantur. Indeque dæmones, tanquam ex proprio deposito, ijs, qui illac præteribant, mirum in modum erant infesti. Quare Paschalis II. anno millesimo nonagesimo nono, vbi hæc diuinitus cognouisset, indicta supplicatione, ad locum accessit, nucem præcidi, ac impios cineres in Tiberim proijci iussit, aramque exstruxit, quam, multis in ea reconditis reliquijs, consecrauit. Gregorius Nonus circa annum Domini millesimum ducentesimum vigesimum septimum. Imaginem Deiparæ à Sancto Luca depictam, ex loco, qui dicitur Sancta Sanctorum, perlatam, cum omni Clero, ac populo, in hoc templo reposuit. Sixtus Quintus eidem templo titulum Cardinalitium dedit, septem altaria, instar templorum Sanctorum Petri, & Pauli, designauit, easdemque indulgentias, quas habet Sancti Sebastiani templum, est elargitus, vtque eorum commoditati, qui septem Vrbis Ecclesias obeunt, consuleret, eis potestatem fecit, vt loco Sancti Sebastiani hanc Ecclesiam visitarent.

Plinius.

Extat S. Maria supra Mineruam, sic dicta à proximo Mineruæ Chalcidicæ delubro, quod Pompeius Magnus, auctore Plinio libro septimo capite vigesimosexto, Mithridatico bello confecto, multisque Regnis ac Gentibus in Romani Imperij ditionem redactis, ex hostium manubijs dicauit, eius delubri vestigia in hortis cœnobij sacri Ordinis Prædicatorum, quibus hoc Deiparæ templum est demandatum, adhuc cernuntur. Paulus Quartus hoc templum Cardinalium titulo insigniuit. In eodem Deiparæ templo ad læuam summi altaris sacellum, pulchrè exstructum, cum religiosissima Deiparæ Imagine extat: in quo florentissima, & nunquam satis laudata

Rosarij sodalitas in Vrbe est erecta, in eiusdemq; sacelli ara corpus reconditur S Catharinæ Senensis, virginis præclarissimæ, ex tertio ordine Prædicatorum, cuius opera in Gregorio XI. reuocando ex Gallijs, in Vrbem, magno Reipublicæ Christianæ bono, singulariter eluxit. Ibidem aliud quoq; sacellum à Ioanne Turrecremata Cardinali Ordinis Prædicatorum, viro doctissimo, B Virgini annunciatæ dicatum est, vbi ab eodem sodalitas est instituta, quæ complúribus puellis nobilibus dotem assignat, quã summus Pontifex solemni pompa in illud templum veniens, die ipso Annunciationis B. Virginis suis manibus eisdem distribuit.

Extat S Maria Noua in foro Romano, vbi olim Solis, & Lunæ fanum propè ruinas templi pacis, à Vespasiano magnificentissimè exstructũ. Ea Deiparæ Ecclesia adiunctum habet cœnobiũ religiosissimorum Patrum montis Olíueti, in cuius hortis, auctore Andrea Fuluio, extant vestigia ædicularum Isidis, & Serapidis: cumq; ante diceretur S Maria vetus, postmodum à Ioanne 7. Pont. anno Domini circiter 705. restituta, & exornata, exinde noua appellata est. In eius summo altari Imago Deiparæ, à S. Luca coloribus expressa, è Troade huc delata, piè colitur, quę cum templum hoc Honorio 3. Pont. conflagrasset, nihil ex incendio post passa. Greg. 5. Pontif. anno circiter 995. corpora SS. Martyrum Nemesij Diaconi, Lucillæ virg. filiæ, Symphronij, Olimpij tribuni, Exuperiæ eius vxoris, & Theodoli fili; de quib⁹ in Martyrol. die 31 Octob. recondidit. Ante idem verò altare, sub ferrea crate, corpus S. Franciscæ Romanæ viduæ, pietate, & miraculis clarissimæ, asseruatur; quam religiosissimarũ sororum, à Turri Speculorum vulgo dictarum, Fundatricem, Paulus V. Pontif. Max. anno 1608. in Sanctorum Catalogum retulit. In eodem quoq; templo, quod est vna ex antiquis Cardinalium Diaconijs, lapis visitur, in quo S. Petrus suæ genuflexionis vestigia reliquit Cùm (vt verbis vtar S. Maximi ho. 5. de Sanctis Petro, & Paulo) fixis genibus Dominum est precatus, & Simonem Magum magicis artibus volantem, veluti vinctum, de sublimi aere deposuit, & quodam præcipitio in saxo elidens, eius crura confregit. E regione S Mariæ Nouę in monte ipso Palatino, olim erat Ecclesia Deiparæ, dicta in Pallara, nunc omninò diruta, & vitibus obsita, quæ, teste Onuphrio de septem Ecclesijs, vna erat ex viginti illis Vrbis Abbatijs, vbi (inquit Onuphrius) fuit sagittatus S. Sebastianus. Dicebatur in Pallara à Palladio, quod Diomedes ex arce Troiana sublatum, superstitione postea adactus, AEneæ restituit, & in proximo Vestæ delubro, Andrea Fuluio auctore, à virginibus Vestalibus custodiebatur.

And. Fulu.

Martyrologium Rom.

S. Maximus.

Onuphr.

Andr. Fulu.

Extat S. Maria, cognomento, libera nos à pœnis inferni, in foro Romano, vbi olim erat fanum Iouis Statoris. In hoc loco aliquando cum vasto, ac repẽtino hiatu terra subsidisset, Marcus Curtius Eques Romanus, adductus superstitione cuiusdam responsi, quo viuens aliquis ad eam complendam deposcebatur, equum, militaribus insignibus ornatus, conscendit, eumque vehementer admotis calcaribus, præcipitem in illud profundum egit, vt auctor est Tit. Liu. lib. 7. Valerius Max. lib. 5. cap. 6. Orosius lib 3. hist. ca. 5. Ibidem etiam ex aquis proximi Tiberis stagnantibus, lacus erat, cui nomen erat Curtius, de quo Ouid. lib. 6. de Fast.

T. Liuius.

Val. Max.

Orosius.

Curtius ille lacus, siccas, qui sustinet aras, *Ouidius.*
Nunc solida est tellus, sed fuit ante lacus.

Eiusmodi Deiparæ templum in hoc loco excitatum, tametsi non adeò magnũ, nobilitatum tamen est propter draconem, suo afflatu Vrbi pestilentissimum, ibi S. Siluestri Papæ precibus mirabiliter extinctum: quod tanquam satis exploratum, multorumque testimonio comprobatum recipit Baronius tom. 3. Annal.

Baronius.

Annal. ad annum D. 324. cuius rei occasione S. Siluester hanc ædem multis in eius altari reliquijs repositis, Deiparæ dicauit, quæ ab eius conditore aliquando appellatur templum Sancti Siluestri in lacu, quòd Iulius III. an. 1550. Matribus venerabilibus Cõgreg. Turris Speculorum attribuit, cum antea fuisset cænobium Monialium S. Benedicti, ab ijsdem propter cæli insalubritatem desertum.

Extat S. Maria à Crypta picta in campo Floræ ad Theatrum Pompeij, propè hoc templum an. 1525. repertum est marmor cum hac inscriptione: Veneris Victricis, quòd ibi eidem fanum aliquod, vel ara forte esset dicata. Cæterum templum hoc ante 300. propemodum annos Deiparæ Conceptioni est consecratum, auctore Octauio Pancirola: cum enim altare cum templo peruetusto diruendum, ac restituendum esset, in charta pergamena ibidem reperta, verba hæc legebantur: *Anno Domini 1340. indict. 2. die vero Martis 8. Decemb. tempore D. Bonifacij IX. anno suo 6. consecratum hoc altare cum Ecclesia in honorem Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.*

Octauius Pancirola.

Extat S. Maria in Auentino, vbi olim templum Bonæ Deæ. Hæc Deiparæ Ecclesia, auctore Onuphrio, quondam recensebatur inter 20. Vrbis Abbatias: *In qua* (inquit idem Onuphr.) *est de corpore S. Sabini Episc.* nunc prioratus est militũ Hierosolymitanorum.

Onuphrius de 7. Eccles.

Extat S. Maria ad Campum Martium, qui à Marte, cui olim dicatus erat, nomẽ duxit. Huic templo cœnobium est adiunctum monialium Ord. S. Benedicti, quæ ante 600. annos ex Græcia cũ multis Sanctorum reliquijs venientes, quòd earum cameli reliquias deferentes ad hoc Deiparæ templum constitissent, nec progredi possent, hoc in loco sedem posuerunt. Inter alia verò, quæ secum attulerant, erat imago Deiparæ à S. Luca depicta, quæ aliquanto post trabis proximæ incendium, inuenta est ad quendam puteum, ab igne intacta, & in aere suspensa. Detulerunt etiam corpus S. Quirini Mart. Corpus item S. Greg. Nazianz. Doctoris præclarissimi quod in hoc templo, vt est in Martyrolog. die 11. Iun. diu asseruatum, Gregorius XIII. Pont. in capellam à se in Basilica S. Petri magnificentissimè exornatam, summa celebritate transtulit, ac postridie sub altari, digno honore condidit, brachio eiusdem Sanctimonialibus relicto.

Extat S. Maria Gratiarum, vbi olim Vestæ erat fanum: hæc tamen Deiparæ Ecclesia proximo eiusdem Deiparæ à Consolatione templo est vnita.

Extat S. Maria in Aquiro propè circũ Flaminium, vbi olim erat Isidis fanũ, vel vt alij malunt in Equirio, sic dicta à ludis equirijs, qui equorum, & curruum cursu in campo Martio in honorẽ Martis à Romulo instituti die 13. Martij exercebantur, & illuc transibant, de quibus Ouid. lib. 3. Fastorum.

Ouidius.

Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curuis in latus vrget aquis.

Hoc templum in Equirio ab Anastasio Papa, teste Lucio Fanno lib. 4. ca. 21. fundatum, inter antiquas Cardinalium Diaconias connumeratur: eidemq; templo attributum est Collegium Orphanorum, quorum domus consilio, & industria B. Ignatij Societatis Iesu fundatoris in Vrbe erecta est, teste Petro Ribadeneyra lib. 3. vitæ B. Ignatij ca. 9. ne videlicet parentum præsidio, omnique humana ope destituti, atq; errabundi pueruli, in aliquod animæ, corporisue discrimen adducantur.

Lucius Fannius.

Ribadeneyra.

De alijs verò templis, per totum orbem terrarum in Deiparæ cultum erectis, præsertim in Hispania, in Germania, & alijs partibus Septentrionalibus, in Gallia, & Belgio, Constantinopoli, & alijs Orientis, & Africæ regionibus, necnon apud Barbaras nationes, sic latè scripsit Anto. Spinellus de laudibus B. Virg. tract. de festibus, & templis, huic labori supersedẽdum censuerimus, cum

Ant. Spinel.

Rosarij sodalitas in Vrbe est erecta, in eiusdemq; sacelli ara corpus reconditur S. Catharinæ Senensis, virginis præclarissimæ, ex tertio ordine Prædicatorum, cuius opera in Gregorio XI. reuocando ex Gallijs in Vrbem, magno Reipublicæ Christianæ bono, singulariter eluxit. Ibidem aliud quoq; sacellum à Ioanne Turrecremata Cardinali Ordinis Prædicatorum, viro doctissimo, B. Virgini annunciatæ dicatum est, vbi ab eodem sodalitas est instituta, quæ complúribus puellis nobilibus dotem assignat, quã summus Pontifex solemni pompa in illud templum veniens, die ipso Annunciationis B. Virginis suis manibus eisdem distribuit.

Extat S. Maria Noua in foro Romano, vbi olim Solis, & Lunæ fanum propè ruinas templi pacis, à Vespasiano magnificentissimè exstructũ. Ea Deiparæ Ecclesia adiunctum habet cœnobiũ religiosissimorum Patrum montis Oliueti, in cuius hortis, auctore Andrea Fuluio, extant vestigia ædicularum Isidis, & Serapidis: cumq; ante diceretur S. Maria vetus, postmodum à Ioanne 7. Pont. anno Domini circiter 705. restituta, & exornata, exinde noua appellata est. In eius summo altari Imago Deiparæ, à S. Luca coloribus expressa, è Troade huc delata, piè colitur, quę cum templum hoc Honorio 3. Pont. conflagrasset, nihil ex incendio post passa. Greg. 5. Pontif. anno circiter 995. corpora SS. Martyrum Nemesij Diaconi, Lucillæ virg. filiæ, Symphronij, Olimpij tribuni, Exuperiæ eius vxoris, & Theodoli fili; de quib⁹ in Martyrol. die 31. Octob. recondidit. Ante idem verò altare, sub ferrea crate, corpus S. Franciscæ Romanæ viduæ, pietate, & miraculis clarissimæ, asseruatur; quam religiosissimarũ sororum, à Turri Speculorum vulgo dictarum, Fundatricem, Paulus V. Pontif. Max. anno 1608. in Sanctorum Catalogum retulit. In eodem quoq; templo, quod est vna ex antiquis Cardinalium Diaconijs, lapis visitur, in quo S. Petrus suæ genuflexionis vestigia reliquit. Cùm (vt verbis vtar S. Maximi ho. 5. de Sanctis Petro, & Paulo) fixis genibus Dominum est precatus, & Simonem Magum magicis artibus volantem, veluti vinctum, de sublimi aere deposuit, & quodam præcipitio in saxo elidens, eius crura confregit. E regione S. Mariæ Nouę in monte ipso Palatino, olim erat Ecclesia Deiparæ, dicta in Pallara, nunc omninò diruta, & vitibus obsita, quæ, teste Onuphrio de septem Ecclesijs, vna erat ex viginti illis Vrbis Abbatijs, vbi (inquit Onuphrius) fuit sagittatus S. Sebastianus. Dicebatur in Pallara à Palladio, quod Diomedes ex arce Troiana sublatum, superstitione postea adactus, Æneæ restituit, & in proximo Vestæ delubro, Andrea Fuluio auctore, à virginibus Vestalibus custodiebatur.

And. Fulu.

Martyrologium Rom.

S. Maximus.

Onuphr.

Andr. Fulu.

Extat S. Maria, cognomento, libera nos à pœnis inferni, in foro Romano, vbi olim erat fanum Iouis Statoris. In hoc loco aliquando cum vasto, ac repẽtino hiatu terra subsidisset, Marcus Curtius Eques Romanus, adductus superstitione cuiusdam responsi, quo viuens aliquis ad eam complendam deposcebatur, equum, militaribus insignibus ornatus, conscendit, eumque vehementer admotis calcaribus, præcipitem in illud profundum egit, vt auctor est Tit. Liu. lib. 7. Valerius Max. lib. 5. cap. 6. Orosius lib. 3. hist. ca. 5. Ibidem etiam ex aquis proximi Tiberis stagnantibus, lacus erat, cui nomen erat Curtius, de quo Ouid. lib. 6. de Fast.

T. Liuius.

Val. Max.

Orosius.

Curtius ille lacus, siccas, qui sustinet aras, *Ouidius.*
Nunc solida est tellus, sed fuit ante lacus.

Eiusmodi Deiparæ templum in hoc loco excitatum, tametsi non adeò magnũ, nobilitatum tamen est propter draconem, suo afflatu Vrbi pestilentissimum, ibi S. Siluestri Papæ precibus mirabiliter extinctum: quod tanquam satis exploratum, multorumque testimonio comprobatum recipit Baronius tom. 3. Annal.

Baronius.

Annal. ad annum D. 324. cuius rei occasione S. Siluester hanc ædem multis in eius altari reliquijs repositis, Deiparæ dicauit, quæ ab eius conditore aliquando appellatur templum Sancti Siluestri in lacu, quòd Iulius III. an. 1550. Matribus venerabilibus Cõgreg. Turris Speculorum attribuit, cum antea fuisset cœnobium Monialium S. Benedicti, ab ijsdem propter cæli insalubritatem desertum.

Extat S. Maria à Crypta picta in campo Floræ ad Theatrum Pompeij, propè hoc templum an. 1525. repertum est marmor cum hac inscriptione: Veneris Victricis, quòd ibi eidem fanum aliquod, vel ara forte esset dicata. Cæterum templum hoc ante 300. propemodum annos Deiparæ Conceptioni est consecratum, auctore Octauio Pancirola: cum enim altare cum templo peruetusto diruendum, ac restituendum esset, in charta pergamena ibidem reperta, verba hæc legebantur: *Anno Domini 1340. indict. 2. die vero Martis 8. Decemb. tempore D. Bonifacij IX. anno suo 6. consecratum hoc altare cum Ecclesia in honorem Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis.*

Octauius Pancirola.

Extat S. Maria in Auentino, vbi olim templum Bonæ Deæ. Hæc Deiparæ Ecclesia, auctore Onuphrio, quondam reputabatur inter 20. Vrbis Abbatias: *In qua* (inquit idem Onuphr.) *est de corpore S. Sabini Episc.* nunc prioratus est militũ Hierosolymitanorum.

Onuphrius de 7. Eccles.

Extat S. Maria ad Campum Martium, qui à Marte, cui olim dicatus erat, nomẽ duxit. Huic templo cœnobium est adiunctum monialium Ord. S. Benedicti, quæ ante 600. annos ex Græcia cũ multis Sanctorum reliquijs venientes, quòd earum cameli reliquias deferentes ad hoc Deiparæ templum constitissent, nec progredi possent, hoc in loco sedem posuerunt. Inter alia verò, quæ secum attulerant, erat imago Deiparæ à S. Luca depicta, quæ aliquanto post trabis proximæ incendium, inuenta est ad quendam puteum, ab igne intacta, & in aere suspensa. Detulerunt etiam corpus S. Quirini Mart. Corpus item S. Greg. Nazianz. Doctoris præclarissimi quod in hoc templo, vt est in Martyrolog. die 11. Iun. diu asseruatum, Gregorius XIII. Pont. in capellam à se in Basilica S. Petri magnificentissimè exornatam, summa celebritate transtulit, ac postridie sub altari, digno honore condidit, brachio eiusdem Sanctimonialibus relicto.

Extat S. Maria Gratiarum, vbi olim Vestæ erat fanum: hæc tamen Deiparæ Ecclesia proximo eiusdem Deiparæ à Consolatione templo est vnita.

Extat S. Maria in Aquiro propè circũ Flaminium, vbi olim erat Isidis fanũ, vel vt alij malunt in Equirio, sic dicta à ludis equirijs, qui equorum, & curruum cursu in campo Martio in honorẽ Martis à Romulo instituti die 13. Martij exercebantur, & illuc transibant, de quibus Ouid. lib. 3. Fastorum.

Ouidius.

Altera gramineo spectabis Equiria campo,
Quem Tiberis curuis in latus vrget aquis.

Hoc templum in Equirio ab Anastasio Papa, teste Lucio Fanno lib. 4. ca. 21. fundatum, inter antiquas Cardinalium Diaconias connumeratur: eidemq; templo attributum est Collegium Orphanorum, quorum domus consilio, & industria B. Ignatij Societatis Iesu fundatoris in Vrbe erecta est, teste Petro Ribadeneyra lib. 3. vitæ B. Ignatij ca. 9. ne videlicet parentum præsidio, omnique humana ope destituti, atq; errabundi pueruli, in aliquod animæ, corporisue discrimen adducantur.

Lucius Fannius.

Ribadeneyra.

De alijs verò templis, per totum orbem terrarum in Deiparæ cultum erectis, præsertim in Hispania, in Germania, & alijs partibus Septentrionalibus, in Gallia, & Belgio, Constantinopoli, & alijs Orientis, & Africæ regionibus, necnon apud Barbaras nationes, sic latè scripsit Anto. Spinellus de laudibus B. Virg. tract. de festibus, & templis, huic labori supersedẽdum censuerimus, cum

Ant. Spinel.

Historico magis, quam Concionatorio muneri, ista deseruiant.

HOMILIA IX.

Ecclesia Catholica permulta festa instituens in Deiparæ Virginis cultum, eximiam suam pietatem, ac deuotionem erga illam protestatur.

INter alia pleraque obsequia, quibus Ecclesia Dei per totum orbē terrarum longè lateque diffusa, ad honorem, & cultum Deiparæ exhibet, non minorem locum tenent festa, in eius honorem religiosè instituta, quæ adeo multiplicata sunt, vt meritò S. Idelphonsi serm. 1. de Assumptione dixerit *Hæc est, quæ vt Cedrus Libani, quotidie in terris multiplicabitur, dilatabiturque ramis, & in cælo radicibus, vt crescat amplius, solidatur.* Olim Num. 28. ex Dei præcepto Hebræi, nouilunijs recurrentibus, Kalendarum, seu Neomeniæ solemnitatem, auctis sacrificiorum numero, celebrabant, vt cecinit Regius Vates Psalm. 80. *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.* Vt autem tradit D. August. libr. 19 contra Faustū c. 10. hæc nouæ lunæ celebratio, nouam creaturam, quòd per Christum facta est, pronunciabat. Vnde arbitror, festa illa adumbrasse festa, quæ tempore legis gratiæ celebranda erant in honorem Deiparæ, quam pulchram vt lunam, diuinus Sponsus cōpellat, Cant. 6 Et quidem si ethnici, vano idolorum errore decepti, matris Deorum, quæ tamē portenta multa genuisse ab eisdem credebatur, Aequinoctium verni diem sacrabant, vt auctor est Ropiseus in Aureliano, idque indicare videtur Dionysius Areopagita, epist. 8. quanto æquius est, Beatiss. Virg. festa celebrare, quæ vera Dei parens est, nobisque auctorem vitæ peperit, ac fontem perennem gratiæ, & omnium, quæ suscipimus, beneficiorum? Verum ad festa ipsa accedens, celebrat in primis Ecclesia Rom. festum immaculatæ Conceptionis, quod apud Græcos ante mille annos, teste Galatino lib. 7. de Arcanis Cathol. veritatis ca. 5. celebrari cōsueuit die 9. mensis Decemb. vt videre est in Menologio eorum, & in constitutione Emmanuelis Imp. apud Theodorum Balsamonem in Nomocan. Photij tit. 7. c. 1. & apud Baronium in notis ad Martyrologium die 8. Decembr. qui testatur extare in Bibliotheca Sforziana de Conceptione B. Virginis sermonem Leonis Imperatoris, qui dictus est Philosophus, ex eodem Baronio tomo 10. Annal. anno 886. Imperiumq; suscepit eodem anno 886. Canisius quoque lib. 1. de B. Virgine affirmat, Damascenum, qui claruit circa annum 720. in suo Martyrologio, diem Conceptionis Mariæ notasse, hoc expresse addito, quod illa ante Conceptionem purificatur, quod & Galatinus loco citato animaduertit. Apud Latinos verò die 8. Decembris ex nonnullis reuelationibus, quas infra ponemus, celebrari consueuit. Verum à quo tempore id fieri cœperit, nō satis est exploratum: nec enim desunt, qui ad tempora Caroli Regis Franciæ vnam ex his reuelationibus, circa annum Domini 880. cuidam Regis Hungariæ germano factam, asserant; quam infra referemus, eiusq; meminit Franciscus Vanarez in compendio virorum illustrium Ordinis Sancti Benedicti, & Bernardinus de Busto in suo Mariali. Alij verò ad tempora Guilielmi Horthmannorum Ducis, qui ea tempestate in Anglia imperabat: hoc referunt occasione cuiusdam Abbatis, à naufragij discrimine diuinitus seruati, simulq; de hac solemnitate celebranda admoniti, quod refert Petrus Natalibus in catalogo Sanctorum cap. 42. & Iacobus de Voragine in festo Conceptionis in vitis Sanctorum, & Arnoldus Vuyon lib. 5. vitæ c. 111. apud Cornelium Schultirgium

S. Idelfons. Num. 28. Psalm. 80. D. August. Cant. 6. Ropiseus. Dio. Areop. Galatinus. Theod. Bals. Baronius. Canisius. Galatinus. Franc. Vanarez. Bernard. de Busto. Pet. Natal. in catal. Sanctor. lib. 1. cap. 42. Iacob. de Vorag. Arnold. Vuyon.

tirgium in Bibliotheca Ecclesiastica to. 2. in festo Concept. Hi tamen Abbatem hunc fuisse D. Anselmum affirmant:

Baron loco supra citato.

Baronius verò loco citato Helsenio Abbati, Anglo, paulo ante tempora Anselmi circa annum Domini 1070. totum hoc tribuit, idque ex historia ipsa confirmat Idem sentit Bozius li. 9. de sign Ecclesiæ ca. 8. quam tamen solemnitatē fouit postea S. Anselm. Cantuarien. Episcop. qui obijt anno salutis 1109. eamque amplexa est Ecclesia Lugdunēsis propter scriptum supernæ cuiusdam reuelationis, vt testatur Bernardus epistol. 174. Denique ab vniuersali Ecclesia in morem inducta, longè ante tempora Sixti Quarti, qui tamen in extrauaganti. Cum præexcelsa, de reliquijs, & veneratione Sanctorum, ijs, qui Conceptionis missam, & officium, quæ sua auctoritate emanarunt, celebrant in die festiuitatis Conceptionis, & per eius octauas, aut illis horis interfuerint, amplissimas est elargitus indulgētias: & sacrum

Bozius.

Conc. Trid. sess. 5.

Concilium Trid. sess 5 constitutiones à Sixto Quarto de Conceptione B. Virginis inuocat sub pœnis in eis contentis. Sed quid mirum conceptionis Deiparæ festū à fidelibus solemne haberi in terris, quod Cælis, teste S. Vincentio ex sacra Prędicatorum familia ser 2 de Natiuit. B Virginis, ab Angelis iam inde cū primum Virgo sanctissima materno in vtero est concepta, celebrari cęptum est? Natiuitas Deiparæ post Ephesini concilij tempora anno nostræ salutis 436. celebrati, in quo execranda Nestorij hæresis, qui beatiss. Virginem impiè negabat Deiparam appellādam, Patrum sententijs damnata est, à Latinis, & Græcis die 8. Septembris coli cœpta est, quod erudite probat Baron. in notis Martyrol. ad eam diem: nam ait Baron

Baro. in suis Martyr. not.

Apud Græcos Procli, Germani, Andreæ Cretensis, & Damasceni sermones de hac solemnitate extant, & apud Latinos non solum Bernardus, & Fulberius, qui circa annum Domini 1010. claruit, & Petrus Damianus, atq; alij de hoc festo sermones habuerunt: verumetiam Beda in Martyrologio, & S. Idelphonsus ante 900. annos in lib. de virginitate, & parturitione Deiparæ. Cuius verba c. 7 retulit ex Vincentio Beluacensi li. 7. specu. histor. c. 12. Huius festi meminit & Sergius Papa, qui anno 687. Pont. Rom. est renunciatus: litanias ea die fieri præcepit, quemadmodum ordo Romanus, seu liber de diuinis officijs testatur, & in sacramentario S. Gregorij antiquissimo manuscripto in bibliotheca Vaticana, de eadē celebritate peculiaris præfatio habetur ex Baronio loco citato. Cæterum teste Duran. lib. 7. ca 283. Virgo nata est non tantum 8 Septembris, sed etiam aurora illucescente, iuxta reuelationem cuidam viro religioso factā: & sanè decuit Virginem, quę tamquam mystica aurora iustitiæ, solem anteibat, in mundo nasci appetente aurora. Innocentius verò IV. huic festo octauam adiecit, teste Platina in eius vita, & Durando lib. 7. cap. 28 & Ioanne Beleth, atq; fratre Alphonso Ciaccono in vita Innocentij Q. arti, cuius institutionis causam refert Arnoldus Vuyonius lib. 5. de ligno vitæ c. 22 Cum enim Cælestino IV. Pōtifice vita functo, Cardinales ob multiplices Friderici II. Imperatoris insidias, ad eligendum Pontificem viginti, & vno mensibus minimè processissent: votū De paræ nuncuparunt, se eiusdē Natiuitatis octauam instituturos, si in re tanti momēti eius precibus ipsi, omnibus sublatis impedimētis, Pontificē elegissent: quod cū ex animi sententia euenisset, Innocētius IV. si minus Pontifex electus, primo sui Pōtificatus anno eandem octauā seruari iussit. Illud tamē silentio minimè prætereundū, quomodo diuinitus cognitū fuerit, diem Natiuitatis Deiparæ in 8 Septembris diem incidisse: quod refert Vincentius Beluacensis in specul. histor. lib. 6 c. 65 & lib. 7. c. 119. *Solitarium* (inquit) *quidam sanctæ vitæ fuis-*

Duran. li. 7. c. 283.

Serg. Papa.

Innoc. IV.

Platina in vita Innoc. IV Durand. vbi supra. Ioan Bileth. Alfōs. Ciaccono in vita Innoc. IV.

Vincen. Beluacen. in specu. hist. l. 6 c. 65. & l. 7. c. 119.

fuit, qui singulis annis harmoniam in Cælo nocte Natiuit. Deiparæ audiuit: hic cum miraretur, quòd hoc alio tempore non audiret, rogauit Deum, vt sibi ostenderet, quid hoc significaret, cui Angelus Domini apparens, talia retulit: Virgo perpetua, quæ Deum genuit, hac nocte nata fuit: quod licet ab hominibus ignoretur, ab Angelis celebre habetur, qua reuelatione diuulgata, eius Natiuitas celebrari ab Ecclesia instituta est. Hæc Beluacen. qui historiam suam vsque ad annum 1244. pertexuit, teste eodem in fin. spec. hist. Hanc eandem reuelationem ex Ioannæ Bleth refert Petrus de Natalibus lib. 8. Catalogi sanct. cap. 51. Carthusianus serm. 1. de Natiuit. B. Virginis, & alij. Hoc ob similem reuelationem, post multos tamē annos, ad ostendendum Lauretanæ ædis in Natali Deiparæ esse celebrādum, narrant Turselinus ex Baptista Mantuano, & Hieronymo Angelica in lib. 1 historiæ Lauretanæ cap. 7. quæ facta est cuidā solitario, nomine Paulo, cui cognomentum erat à silua, quam, vt Deo soli vacaret, inhabitabat: quæ visio contigit post aduectam ex Galilæa primum, deinde ex Dalmatia in Italiam Angelorum manibus sacram ædem Lauretanam: quod in annum reparatæ salutis 1294. incidit, vt intelligas diuersam esse ab ea, quam narrat Vincentius Beluacensis, qui diu ante illam aliam, litteris mandauerat. Paulus igitur è suo tugurio, vnde sacram ædem Lauretanam cōspiciebat, cælestium rerum meditationi de more insistens, notauit integro decennio cælestem longè, lateque diffusam, instar ingentis cometæ, flammam, quæ B. Virginis cellæ incumberet, comperitque sexto Idus Septembris, hoc est ipso Natiuitatis Beatæ Virginis die, quotannis quarta fermè vigilia plurimum de Cælo labi ignem, & æquabili tectum ædis splendore operire: nec ita multo post sublimem, vnde venerat, recipere sese existimabat ille B. Virginem, & in suam domum, delabi Cælo: quare impigre accurrit, cælestem Reginam, vt credebat, conspecturus, & impense salutaturus. Cęterum appropinquanti flamma primum extenuari videbatur, ad vltimum ex oculis euanescebat: apud cælestes, quid flamma portenderet, precibus à Deo cognoscere insistit: ad vltimum per quietem discit, Natali Deiparæ dicte domum eius Natalem anniuersaria insigniri flamma: propterea quòd ei cordi esset: eum inibi diem insigniri solemnitate coli. Paulus, cui eximia sanctitas fidem conciliabat, Recinetensi Episcopo, primarijsque ciuitatis rem omnem enunciat; decretumq; est eo die festum Lauretanæ domus celebrari. Hæc ijsdem ferè verbis ex Tursilliano, qui etiam addit, idoneis testibus cognitum nocturnos ignes de Cælo super Lauretanum tectum labi visos ab alijs Recinetensibus, hocque anniuersarium spectaculum ad Pauli Tertij Pont Max durasse tempora.

Petr. de Natalibus li. 8. Catal. sanct. c. 51. Carth. serm. 1. de Natiu. B. Virg. Horat. Turs. lib. 1. histor. Lauret. c. 7.

De Deiparæ, cum trium esset annorum, Præsentatione, qua, oblata est in templum die 21. Nouembris, copiosè disseruimus c. 8 Hoc autem festum Græci ante multa annorum sæcula celebrarunt, vt videre est in orationibus, quas de eo antiquissimi Patres Græci, Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, qui floruit circa annū 715. & Gregorius Episcopus Nicomediensis habuerunt, quæ extant apud Surium tom. 6. & qui dem hoc festum die 21. Nouembris an notatur in Menologio Græcorum, & in constitutione Emmanuelis apud Theodorum Balsam. in nomocan. Photij tit. 7. cap. 1 In Gallijs celebrabatur tempore Caroli Quinti Francorum Regis anno 1375 quo tempore Philippus de Massenijs Regni Cypri Cancellarius in huius festi honorem Metense cœnobium construxit, illudque monachis Cęlestini ordinis tribuit. Deinde Paulus Secundus Pontifex Maximus cum mala innumera in orbe creuissent anno 1464 festum hoc approbauit, & solemniter celebrari imperauit, indulgentijs etiam; quod &

Festum Præsent.

German. Patriar Constantinop. Greg. Episc. Nicomed.

Philipp de Massenij.

Pius

Pius Secundus eius prædeceſſor recens fecerat, id piè colentibus conceſſis, quod Molanus in Martyrologio Vſuardi à ſe auctо, teſtatur his verbis: *Hieroſolymis Præſentatio Beatæ Dei Genitricis Mariæ, quã Pius, & Paulus Pontifices Romani cum indulgentijs inſtituerunt.* Sicille Patres verò Cæleſtini in conuentu generali Pariſienſi anno 1567. Præſentationis Deiparæ ſolemnitatem per cuncta ſui ordinis monaſteria Gallicana perpetuò celebrandam ſanxerat, ſed cum Pius Quintus in recognitione Breuiarij Sanctorum feſta contraxiſſet, & feſtum Præſentationis Calendario non aſcripſiſſet, in Eccleſijs tamen Hiſpaniarum ex conceſſione Gregorij XIII. celebrabatur: denique Sixtus Quintus Pont. Max. in breui dato 1. Septembris anni 1585. teſtatus, hanc celebritatem ab antiquiſſimis vſque temporibus, ſumma vbique gentium cum veneratione obſeruatam, voluit eam ſicubi intermiſſa eſſet, reſtitui, præcepitque per omnes totius Orbis Eccleſias die 21. Nouembris feſtum eiuſdem duplici officio peragi. Arnoldus Vion libro quinto ligni vitæ cap. vlt. refert, Abbatem quendam in Hortmannia ordinis Sancti Benedicti, cuius nomen ignoratur, tẽpore Caroli Quinti Francorum Regis, anno Domini 1375. inſtituiſſe feſtum Præſentationis B. Mariæ eadem de cauſa, & eodem miraculorum genere, quo Conceptionis eiuſdem feſtum ab Anſelmo Priore eſt inſtitutum. Hæc ex Arnoldo.

Molan in Mart. Vſuar. *Pius V.* *Greg. XIII.* *Sixtus V.* *Arnold Vyõ li. 5. ligni vitæ cap. vlt.*

Feſtum Annunciat.

Annunciationis Deiparæ feſtum Orbi Chriſtiano celeberrimum 8. Kalendas Aprilis ſolemni pietate, ac religione in Dei Eccleſia recolitur, cum Angelo nunciante ex ſanctiſſima Virgine propter hominum ſalutem, Deus factus eſt homo, ipſaque Virgo vera Dei Genitrix, ſimul etiam Angelorum, atque hominum Regina eſt effecta, vt propterea, qui ſe Deiparæ ſtudioſos profitentur, de hoc myſterio ei potiſſimum gratulentur; plerique etiam eum hebdomadæ diem, in quem ſingulis annis incidit Annunciatio, omnibus eius annis hebdomadis à carnibus, & lacticinio abſtinent, quorum pietatem Beata Virgo peculiaribus in eos cumulatis beneficijs, ſibi gratam eſſe declarat, quemadmodum cap. 38. diximus, & quamuis ea die Verbi Incarnatio, vt diximus, peracta ſit, feſtum tamen illud propter ea, quæ cap. 28. diſſeruimus, ab Annunciatione Virginis nomen accepit. Hac vero 25. die menſis Martij, ab Archangelo Gabriele optatiſſimum illud nuncium Dei nomine Virgini allatum eſſe docet Auguſtinus li. 4. de Trinit. capite quinto de Chriſto loquens: *Sicut à maioribus, inquit, traditum, ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit auctoritas, octauo Kalendas Aprilis conceptus creditur, quo & paſſus.* De quo nos capite vndecimo ex quo feſtum hoc in Dei Eccleſia eſſe longè antiquiſſimum, vtpote traditione ſuſceptum, ſatis apparet: nam præter Ambroſium, Auguſtinũ, Chryſologum, alioſque Patres peruetuſtos, S. Gregorius Thaumaturgus, qui anno Domini circiter 230. florebat, orationem de eo habuit luculentiſſimam, à Vuillelmo Lindano Ruremundenſi Epiſcopo Latine redditam, quemadmodum teſtatur Baronius in notis ad Martyrologiũ ad hanc diem. Octauam porrò feſti Annunciationis Ordo Carmelitarum pro ſua in Deiparam pietate religioſe celebrat, & quamuis olim in multis Eccleſijs hęc Annunciationis ſolemnitas ad 15. Calendarũ Ianuariarũ trãſlata fuerit, quòd Quadrageſimę tempus Paſſionis Chriſti commemorandæ tributum eſſet, ac mœrori potius, luctuiq; deberetur, vt videre eſt in Cõcilio Laodicenſi cap. 51. & in Toletano decimo cap. 1. quod celebratum eſt ſub Eugenio S. Idelfonſi Aunnculo, Toletano Archiepiſcopo, anno Domini 656. teſte Mariana lib. 6. de rebus Hiſpan. cap. 9. Romana tamen Eccleſia diem ipſum 25. Martij, in quo *Verbum caro factum eſt*, retinendum cenſuit: quod ipſum ſeruant

D. Aug. lib. 4. de Trinit. cap 5. *Ambroſius.* *Auguſtinus.* *Chryſolog.* *Greg. Thaumaturg.* *Vuillelmus. Lindanus.* *Baro. in notis ad Martyrolog.* *Conc Laod. cap 51.* *Conc. Tolet. 10 c. 1.* *Eugen Archiepiſcop Toletanus.* *Mariana l. 6 de rebus Hiſpan. c. 9.*

Græci ex ipsorum Menologio. Sanctus verò Ildefonsus Toletanus Archiepiscopus, Eugenij successor, eam Annunciationis solemnitatem, quæ vt dixi, ex Concilio Toletano 18 Decembris agebatur in Hispania, in expectationem partus Beatæ Virginis commutauit; de qua plura infra. Ecclesia verò Ambrosiana, teste Galesino in notis ad Martyrologium, Annunciationem Domini in die Dominica, quæ Natalem Domini proximè antecedit, celebrare consueuit, quoniam sæpe in hebdomadam sanctam incidit, in qua ob passionem Domini solemni ritu celebrari non potest. Cæterum de præstantia, ac dignitate sacratissimi mysterij, in hac die Annũciationis peracti, plura egimus ca 8 Hic solum adijciam id, quod de hac solemnitate habetur in exordio orationis Athanasij de Annũciatione: *Primum* (inquit) *hoc memoriæ subijciendum, festum hoc vnum esse ex Dominicis festis, atq; adeo primarium, & prorsus venerandum, vtpotè, quod pro ordine, & digestione rerum, quæ in Euangelijs de Christo prædicantur, sacrosanctum habetur: quippe in quo de filij Dei è Cælis descensu agatur.* Hæc ibi.

S. Ildephon. Archiep. Toletan.

Conc. Tolet.

Galesin. in notis ad Martyrolog.

Visitationis B. Dei Genitricis festum, cum ad S. Elisabeth præcursoris Matrem inuisendam se contulit, institutum est ex sancto Antonino 4. par. tit. 15. cap. 24. § 3. anno circiter 1385. ab Vrbano Sexto, & à Bonifacio Nono confirmatum, vel potius promulgatum anno Domini 1389. ad Dei Genitricis opem, ea instituta celebritate, impensius implorandam, propter grauissimum illud schisma, quod Ecclesiam Dei ab obitu Gregorij Vndecimi, vsq; ad Martinum Quintum, miserè lacerabat, è medio tollendum. Cardinalis Baronius in notationibus in Martyrologium ad diem 2. Iulij legisse se affirmat tractatum quendam manu scriptum Ioannis Pragensis contra quendam Albertum, eius solemnitatis impugnatorem, in quo cum plura eruditè disserat, nonnulla miracula, & certas reuelationes affert, quibus Deus hanc solemnitatem manifestissimè comprobauit. Sane Bonifacius Nonus in suo de hoc festo diplomate, fructum, quem ex hoc celebritate colligere debemus, grauissimis verbis in hunc modum indicat: *Hanc igitur Visitationem fœlicis recordationis Vrbanus Papa Sextus prædecessor noster de fratrum suorum S. R. E. Cardinalium consilio, annis singulis, vt Virginis Matris Dei humile obsequium, cognatæ exhibitum, ixgiter cordibus fidelium sit infixum in Ecclesia Catholica sexto nonas Iulij in perpetuum celebrari instituit.* Et mox indulgentias, quas idem Vrbanus III concesserat, qui officio, vel Missæ eiusdem festi interessent, subijcit. Huius festi octauam ab Vrbano Sexo instar solemnitatis corporis Christi institutã complures religiosorum familiæ piè seruant, eiusmodi sunt Cluniacenses, Præmonstratenses, Cistercienses, Dominicani, Augustiniani, Carmelitæ, & Cælestini.

Barõ in notis ad Martyrolog.

S. Antoninus 4 par. ti. 15. cap. 24.

Vrbanus VI. Pont.

Bonifac. IX

Bonifac. IX

Purificatio Dei Genitricis à Latinis, & Græcis 2. Februarij, quadragesimo à Natiuitate Domini die ritè celebratur hoc festum à Græcis, *Hypapante Domini*; hoc est, *occursus, seu obuiatio*, appellatur: quãdo videlicet Simeon occurrit Christo, qui in templo præsentabatur, cuius exemplo Ecclesia, in eius diei officio omnes, vt Christo occurramus, inuitat illis verbis: *Ecce venit ad templum sanctum suum dominator Deus, gaude, & lætare Syon, occurrens Deo tuo.* Et in Ecclesia quidem Orientali sub Iustiniano Imperatore celebrari cœpram, occasione eiusdem magnæ mortalitatis, Deiparæ ope depulsæ, quemadmodum cap. 20. diximus, complures docent. Nicephorus lib. 17. capite 28. *Iustinianus* (inquit) *per acta sancta Synodo vniuersali, seruatoris exceptionem toto Orbe terrarum, festo die honorari instituit.* Paulus Diaconus in Miscell. histor. anno 15. Iustiniani, cui consentit Sanctus Antoninus 2. part histor. titu. 12. §. 5. Sigiber. in Chronic. anno Chri-

Festum Purificat.

Niceph lib. 17. cap. 28.

Paul. Diac. in Miscel.

S. Anton 2. part histor. tit 12.

Sigiber. in Chronica.

Christi 542 *Constantinopoli* (inquit) *mortalitate magna insurgente, statuta est solemnitas Beatæ Mariæ, quæ Græcè ὑπαπάντη*, id est, *obuiatio dicitur.* Idem habet Guilielmus Durand. lib. 7. in rationali diuinorum officiorum cap. 7 quamuis Cedrenus in compendio ann. 9 Iustin. senioris institutam velit: apud Latinos verò Gelasius Pontifex, qui triginta circiter annos ante Iustiniani tempora Ecclesiæ præfuit an. 494. vrã huic celebritati aperuisse videtur, abrogatis lupercalibus, mense Februario agi solitis, de quo Baronius in notis Martyrologij ad diē 2. Februarij, & tom. 7. annal. ad annum Domini 445 Sergius vero Papa, qui Pontificatum init anno salutis 688. huic solemnitati adiecit, quemadmodum habet Ordo Romanus, litanias, In quibus clerus cum populo ab Ecclesia sancti Adriani procedebat cum cereis in talem vsum benedictis, ad sanctam Mariam Maiorem, quod & in alijs Deiparæ festis fieri decet. Beda in lib. de temporibus, de quo nos infra. Quòd si roges, quare in hac solemnitate cereos gestemus accensos, respondet Innocentius serm. de Purificat. Beatæ Mariæ: *Primum, vt mos, inquit, ethnicus cum Christiano ritu commutetur, & quod à salutis idolorum cultoribus ad honorem Cereris, ac Proserpinæ agebatur, id prudenter apijs ad honorem, laudemque Mariæ Virginis conuertatur: deinde, vt qui per Christi gratiam sunt purificati, hac cæremonia monearntur, prudentes illas virgines imitari, quæ, vt Euangelica docet parabola, non sine lampadibus accensis, ad Christi sponsi nuptias ingrediuntur.* Hæc ille. E. S. Antoninus 4. par. tit. 55. ca. 24. *In festo* (inquit) *Purificationis candelas accensas gestamus in manibus, lumen ardentissimæ charitatis Virginis designantes, & eam viuam nostris operibus habere protestantes.* Et hæc de cereis satis sint. Qui plura de Virginis Purificatione, & de cereis hac die gestari solitis, requirit, adeat Canisium lib. 4. cap. 11. & 12. & libro quinto cap. 24. Nonnulla miracula, quæ hac die propter responsorium postea in festo Purificationis in officio institutum est dici, habes c. 24. Illud tamen exemplum minimè prætereundum videtur, quòd ad processionis commendationem, quæ in hoc festo Purificationis fieri solet, maximopere facere videtur, quòd nos ex Cæsario libro 7 miracul. cap. 20. suis planè verbis describemus *In Regno Franciæ, in villa, quæ dicitur Quido: Virgo quædam nobilis, & religiosa, sed paralytica fuit, quæ orationibus, ieiunijs, & diuinæ contemplationi adeo operam dabat, vt corporalis cibus ei in nauseam verteretur: nec aliquid ex eo sumere poterat, nisi modicum succum vuarum: hospitalis erat valde, ac propterea etiam spiritum meruit prophetiæ, cui eius Pater sacerdotem, qui ei diuina celebraret, cum ministris instituit, hæc cum in die Purificationis Dominæ nostræ sanctæ Mariæ Virginis, alijs clericis, alijsque ministris diuino nutu absentibus, sola iaceret, intra se tristis dicebat. Modo hic sola iacts, nec aliquid obsequij more Ecclesiæ vniuersalis hodie B. Deī Genitrici Mariæ impendis. Dum talia in mente volueret, spiritus eius mirabili Dei virtute de corpore eductus, ab Angelo in cælestem Ierusalem est deductus, in qua maximam videret processionem, ex diuersis eiusdem Beatæ ciuitatis ordinibus, Patriarchis videlicet, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus, cæterisque fidelibus, ex quibus bini simul incedebat, & candelas ardentes in manibus gestabant, antiphonas, siue responsoria, ad diem pertinentia, more Ecclesiæ militantis, omnes decantabant, & stationes debitas obseruabant. Angelus vero Virginis ductor, alteri cuidam Virgini, quam nouerat esse consimilis meriti, illam sociauit, candelam porrigens ardentem: tantus erat decor omnium Sanctorum, splendor gloriæ, & solis iustitiæ, indutus Pontificalibus, mitram gestans in capite suo, cum baculo, chirothecis, & annulo, & reliquis Episcopalibus ornamentis, nouissimum locum cum sanctissima Matre sua Maria tenebat. Cuius pulchritudinem omnis ille cælestis exercitus mirabatur. Quæ cum post tertiam stationem inchoasset antiphonam, Ho-*

Guiliel. Durand. lib. 7 in rationali c. 7.
Cedren. in comp anno 9 Iustini senioris.
Gelas. Pont.
Barō. in notis Martyro.
Idem to. 7. annal.
Serg. Papa.
Ordo Rom.
Bedæ in lib. de temporibus.
Innoc. serm. de Purificat. B. Mariæ.
Matth. 25.
S. Anton. 4. par. tit. 55. cap. 4.
Canis. lib. 4. c. 11. & 12. & lib 5. cap. 24.
Cæsar. lib. 7. miracul. c. 20.

die B. Maria puerum ſuum Ieſum præſentauit, &c. ingreſſi ſunt templum ex auro gemmiſque conſtructum, deinde inceptus eſt miſſæ introitus, videlicet: Suſcepimus Deus miſericordiam tuam, & ab omnibus ſimul decantatus. Interim Chriſto introeunte ad altare, poſtquam expletum eſt Kyrie eleiſon à choris alternatim, poſt Gloria in excelſis Deo, &c. quod ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus inchoauit, Beatus protomartyr Stephanus epiſtolam legit de lib. Malachiæ Prophetæ, videlicet, ecce ego mitto Angelum meum. Sanctus verò Ioannes Euangeliſta, dalmatica indutus, legit Euangelium ſecundum Lucam, ſcilicet: poſtquam impleti ſunt dies Purificationis Mariæ, &c quo perlecto, Dominus ſecundum morem ordinis noſtri, ad gradum rediit, & offerentibus candelas, ſuſcepit. Prædicta autem Virgo per ſpiritum ſentiens, ſe ad corpus reuerſuram candelam ſuam offerre noluit, etiam Angelo ſuo præcipiente, volens illam ſecum ad terras portare: quod Angelus conſiderans, candelam in manu eius fregit, ſuperiorem partem auferens, & inferiorem illi relinquens, ſicque ad corpus reuerſa, partim eadem manu concluſam ſe retinuiſſe inuenit, de qua plurimæ fiebant, & fortè vſque hodie fiunt virtutes. Nam aquam ſuperfuſam infirmi bibunt, & cõualeſcunt. Tum manifeſta, & ſublimis erat viſio, vt modum eius minimè intelligeret, dicens illud Apoſtoli, cum de ea interrogaretur: ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit. Sic ibi.

Malach. 3.

Luc. 2.

2. Cor. 12.

Feſtum Aſſumpt.

Aſſumptio Dei Genitricis inter eius feſta longè eſt auguſtiſſimum, quippe quòd ei fœlicitatem attulit inenarrabilem, vt propterea Nauarrus in Miſcellaneo 13. de pſalterio Beatæ Virginis nu. 1. dixerit, Aſſumptionem feſtum B. Virginis eſſe ſimpliciter maximum, iuxta gloſſam memorabilem, & receptam c. alma Mater, verbo Aſſumptionis, de ſententia excommunicationis in 6. & Suarez. lib. 2. de diebus feſtis cap. 8. *Feſtum* (inquit) *Aſſumptionis eſt maximè proprium ipſius Virginis, & inter feſtiuitates eius habet quamdam excellentiam, quia gloriam præmium, & triumphum ſanctiſſimæ Virginis nobis repræſentat.* Sic ille. Eiuſmodi ſane feſtum ingenti Chriſtianorum lætitia, Deiparæ in tanta fœlicitate gratulantium, celebratur 18. Kalendas Septembris, cum ſol ex aſtrologorum ſententia, in cæleſti Virginis ſigno commoratur, eademque die à Græcis, vt videre eſt in eorum menologio, & in nouella conſtitutione Emmanuelis Imperatoris, recolitur: hanc verò ſolemnitatem in Eccleſia antiquiſſimam eſſe ſatis apparet: nam, vt omittam antiquiſſimos Patres, Andream Cretenſem, Damaſcenum, Metaphraſtem, Petrum Damianum, Anſelmum, Bernardum, alioſque plurimos, qui de hac ſolemnitate ſermones habuerunt, certè ante Iuuenalis Epiſcopi Ieroſolymitani ætatem, qui anno ſalutis 445. florebat, celebrem fuiſſe conſtat ex verbis, quæ apud Nicephorum leguntur lib. 2. ca. 23. vbi eiuſdem Iuuenalis de Deiparæ ſepulchro, & aſſumptione ad Imperatorem reſponſum ſcribitur. Deinde Sophronius, Hieronymo æqualis, ſermonem, qui inter opera Hieronymi habetur, de hoc feſto cõſcripſit luculentiſſimum. Quod ſi quis pertinaciter contendat, ſermonem illum non eſſe Sophronij: qua de re nos initio huius operis plura; at ſaltem alicuius eſt viri grauiſſimi, qui eà ferè tempeſtate claruit. Nam ex eo ſermone Petrus Chryſologus, qui quem admodum ipſe ait ſerm. 145. anno ſalutis 500. viuebat, & Ildephonſus, qui natus eſt anno Domini 610. in ſuis ſermonibus integras ſententias ſunt mutuati: ſed quidni mortales eam celebritatem ſolemniter agant, quæ ipſi Curiæ cæleſti iucunditatem attulit maximam? nam Sophronius loco citato de ea agens: *Feſtiuitas* (inquit) *hæc, quæ nobis hodie co citato. reuoluitur Annua, Angelis omnibus facta eſt continua*: Et Ildephonſus eadem fere ſerm. 2. de Aſſumptione: *Hæc* (inquit) *feſtiuitas Aſſumptionis Virginis præcipua, & venerabilis nobis, ſed venerabilior in Cælo eſt Angelis, & ſanctis omnibus, quorum*

Nauarrus in Miſcell. 13.

Suarez de diebus feſtis lib. 2. cap. 8.

Andr. Cret. Damaſcen. Metaphraſt. Petr Dam. Anſelmus. Bernard.

Niceph. lib. 2. cap. 12.

Sophron.

Petr. Chryſolog. ſerm. 145.

Ildephonſus.

Sophron. loco citato.

Ildefon. ſer. de Aſſump.

Iætitia, & gaudium proculdubio ex huius adimpletur dici exultatione, quando B. Dei Genitrix clarior Sole refulsit in throno claritatis. Sic ille: quod verò Niceph. lib. 17. ca. 18. scribat, festum hoc edicto Mauritij Imperatoris institutum: *Sic accipias inquit Baron. in notis Martyrologij ad 15. Augusti, vt eam antea ab Ecclesia institutam, ipse in Oriēte sanctione edita promulgarit.* Cæterum festum hoc magna religione à fidelibus peragi solitum, illud argumentum est, quod eidem octaua ab vniuersali Ecclesia sit tributa ex institutione Leonis IV. Pontificis, teste Sigiberto in chron. an. 847. cuius occasio, ex Anastasio bibliothecario, qui ea tempestate vixit, & ex Platina in vita eiusdem Pontificis, ea fuit, quòd basiliscus, cuius halitu, & veneno multi perierant, huius Pont. precibus, quemadmodum vberius c. 20. diximus, è fornice S. Luciæ in Orphea fuerit expulsus in ipsa die Assumptionis iuxta Anastasium bibliothecarium, vel in octaua eiusdem festi, iuxta Platinam, qui addit, hunc diem octauæ postea, vt festum celebratum esse: ieiunium quoque vigiliæ eidem festo, ex Ecclesia præscripto, præmittitur, cuius meminit Nicolaus Pontifex, qui præfuit Ecclesiæ anno Domini 858. ad consulta Bulgarorum ca. 4. vbi inter vetera S. R. E. ieiunia seruari solita, recensēt & hoc. Illud verò minimè silentio prætereundum, quòd Petrus Abbas Cluniacensis dictus Venerabilis, qui S. Bernardi temporib. claruit, lib. 2. de miraculis ca. 30. tradit, cereos in æde S. Mariæ Maioris de Vrbe à primis vesperis festi Assumptionis incendi solitos vsq; ad secūdarum finem, totis 24. horis permanere continuè ardentes, nihilq; penitus imminutos: *Et hoc, inquit, tam nobile, & ante nusquam auditum miraculum, ad commendandam mortalibus gloriam Matris Domini, non in quolibet ignoto, vel in humili loco, non in qualibet vel quantalibet ciuitate, sed in ipsa Vrbe Orbis capite, non semel tantum, sed assiduè recursu suo diuina pietas, & potentia operatur.*

Niceph. lib. 13. ca. 18.

Baron. in notis ad Martyrolog.

Leo IV. Sigiber. in chronica. Anast. bibliothecar. Platina in vita Leonis IV.

Anast. bibliothecar. Platina.

Nicol. Pont.

Petr. Abbas Cluniac. l. 2. de mirac. cap. 30.

Celebre est festum Niuis, quæ Liberio summo Pontifice circa annum Domini 367 partem collis Exquilini 9 Augusti, quo tempore in Vrbe maximi calores esse solent, noctu contexit, cuius rei memoria eadem die anniuersaria celebritate ab vniuersali Ecclesia colitur: in loco autem niue consperso Ecclesia ædificata est, quæ nunc dicitur S. Mariæ Maioris, cui nos initia, progressum, atque præstantiam recēsebimus infra, vbi de templis Deiparæ dicemus. *S. Maria ad Niues.*

Festum desponsationis B. Virginis in Gallijs die 22. Ianuarij celebratur, Petri aurati, ex sacro Ordine Prædicatorum votis, qui anno 1546. composito eius solemnitatis officio à Paulo III. Pont. suppliciter contendit, eius vt auctoritate illud liceret in Ecclesia decantari, ac sacræ Desponsationis celebritatem fieri 22. Ianuarij, quo tempore eam factam existimabat. Anno verò 1556. Gallicanā Ecclesiam secuta est Diœcesis Attrabatensis, vbi 23. Ianuarij hoc festum recolitur. Dedicatio Ecclesiæ S. Mariæ ad Martyres Romæ 13 Maij, quam Ecclesiam, inquit Martyrologium Romanū, ad eam diem Beatus Bonifacius Papa Quartus, expurgato deorum omnium veteri fano, quod Pantheon vocabatur, in honorem Beatę semper Virginis Mariæ, & omnium Martyrum dedicauit, tempore Phocæ Imperatoris. Hæc ibi. Quod ex Sigiberto apud Genebrardum ad annum Domini 613. refertur. Gregorius verò Quartus, qui sedit anno 828. eandem festiuitatem sub honore Dei Genitricis, & omnium Sanctorum in vniuersali Ecclesia die 1. Nouembris (vt supra diximus) celebrandam decreuit. Romæ tamen die etiam 13. Maij in eodem templo, olim Pantheon dicto, eius dedicatio fidelium concursu celebris habetur. *Festum desponsationis B. Mariæ.* *Martyrol. Roman.* *Bonifac. IV. Pontif.* *Genebr. Sigiber.* *Greg. IV.*

Expectatio partus Deiparæ die 28. Decembris solemnitas est celeberrima in Hispania. etenim (vt supra diceba mus) ex Mariana anno salutis 656. à *Festum. Expectat. B. M. Virg.*

Concil. Toletanum 10. cap. 1. *Eugen. Archiep. Tolet.*

Concilio Toletano 10. cap. 1. sub Eugenio Archiepiscopo Tolerano institutum est festum 15. Kalendarum Ianuariarum, hoc est 18 Decemb. sub nomine Annunciationis Deiparæ, quam Patres illius concilij, quod condignè in quadragesima, vel Paschate celebrari non posse videretur, in illum diem transferendum duxerant, his verbis: *Vt antè octauum diem, quo natus est Dominus, Genitrici quoque eius dies habeatur celeberrimus, atque præclarus, ex pari enim honore constat, vt sicut Natiuitatem filij sequentium dierum insequitur dignitas, ita festiuitatem Matris tot dierum sequatur sacra solemnitas. Nam quid festum Matris, nisi Incarnatio Verbi: cuius festum ita debet esse solemne, sicut est, & eiusdem Natiuitatis Verbi.* Hæc ibi. Verum postea S. Ildefonsus Eugenij nepos, & in Toletano Episcopatu successor, eundem diem Deiparæ sacrum sub nomine expectationis partus eiusdem esse decreuit, eamque magna pietate in hoc vsq; tempus celebrant Hispani, quam etiam à Gregorio XIII. confirmandam curarunt, cùm Annunciatio Virginis ibi 25. die Martij cum vniuersali Ecclesia recolatur. Hæc porrò solemnitas vulgo sancta Maria de O, vocatur, quod in primis huius solemnitatis vesperis in Ecclesiastico officio ponantur celebres illę antiphonæ ante Natiuitatem Domini ab O, initium ducentes, quibus antiquorum Patrum ardens desiderium, Christi Domini aduentum cupiè expectantium exprimitur. Vide Ribadeneiram in vitis Sanctorum ad diem 18. Decembris, Arnoldum Vuyonium in Martyrologio Benedictino eadem die, Marianum libr. 6. de rebus Hispan. capit. 9. Azor. tom. 2. libr. 1. capit. 28 & Vincentium in speculo historiali lib. 7. cap. 120. Festum Beatæ Virginis Odigitriæ, quod in Sicilia mutilo, ac decurtato nomine *de Itria*, alij vulgo appellant à Constantinopoli feria 3. Pentecostes, vbi aliquod ei templum, vel sacellum erectum est, ac dicatum, magno populorum concursu celebrari consueuit, quemadmodum Romæ, Neapoli, & alibi, præsertim in Sicilia fieri videmus: eiusmodi verò festum duxisse videtur originem à Deiparæ imagine, S. Lucæ Penicillo expressa, & à Pulcheria Augusta Theodosij Iunioris sorore, Constantinopoli in templo à se à fundamentis excitato, cui nomen τῆς ὁδηγῶν, seu ὁδηγῶν, hoc est *viæ ducum*, est inditum, collocata, vna cum quibusdam Christi Domini fasciis, ac fuso eiusdem Virginis: de qua imagine Nicephorus lib. 25 cap. 14 *Pulcheria* (inquit) *Augusta templum in vrbe Constantinopolitana erexit* ὁδηγῶν, *viæ ducum appellatum, vbi Antiochia missam Verbi Matris imaginem dedicauit, quam Diuus Apostolus Lucas suis ipse manibus depinxit, illa adhuc viuente, & tabulam ipsam videnti, grauamque sedulò illi formæ suæ immittenti. Hæc imago in loco quod tribunal dicitur, fuit, vbi ea, quæ nunc quoque fiunt miracula, peracta sunt. Porro in templo illo, vt tertio quoque septimanæ die pervigilium, item & supplicatio peragerentur, curauit, quod ad hunc vsque diem seruatur.* Hęc Nicephorus. Ex quo factum est, vt Constantinopolitani cum vel hostiũ obsidione, vel alijs augustijs premerentur, ad Deiparam confugerint, atq; admirabilem eius opem (quemadmodum in tractatu de miraculis, allatis historijs ostendimus) experti sæpissimè fuerint. Verùm reliquis omissis, id tantùm afferam in præsentia, quod de eiusmodi imagine scribit Vincentius Beluacensis, qui ante 400 circiter annos floruit, in speculo historiali lib. 23. capit. 147. vbi, cùm ageret de Sarracenis tempore Leonis Secundi Imperatoris, magna cum eorum cæde profligatis: *apud Constantinopolim* (inquit) *in monasterio S. Dei Genitricis, iuxta palatium in mare propè S. Sophiã, erat imago Beatæ Mariæ, quæ tenebat infantem in brachio, quam depinxit in tabula S. Lucas cùm adhuc viueret. S. Maria vocatur Hodigitria, id est, deductrix, quia duobus cæcis apparuit Sancta Maria, & deduxit eos ad suam Ecclesiam, & illuminauit eos. Cum ista imagi-*

S. Idelphon. Archiepis. Toletanus.

Ribaden. in vitis Sanctorum. *Arnold. Vuyon in Martyrolog.* *Marian. li. 6 de reb. Hisp.* *Azor. to. 2. li. 1. c. 28.* *Vincent in spec. hist. l. 7 ca. 120.* *Festum B. V. Odigitriæ.*

Pulcheria Augusta.

Niceph. l. 25. ca. 14.

Vinc. Belua. in spec. hist. lib. 23 c. 147.

imagine faciunt processionem omni die Martis per totam ciuitatem. Hæc ille, additque cùm eiusmodi imago per Vrbem circũferretur, Saracenos malè perisse. eandem historiam ex Vincentio refert sanctus Antoninus to. 2 histor. tit. 14. c. 2. §. 3. Huius imaginis exemplum vna cum peculiari in eam pietate in Occidentis partes est propagatum: quare & templa, & sacella ei dicata, passim conspiciuntur, nec Deiparæ benignitas mortalibus defuit: plurima enim beneficia ad se cõfugientibus præstat, quod tabellę in huiusmodi templis, vel sacellis appensæ satis testantur: quo etiam factum est, vt complures feria tertia cuiuscunq; hebdomadæ propter institutionem Pulcheriæ, teste Nicephoro loco citato, & propter ea, quæ attulimus ex Vincentio Beluacensi, in honorem Deiparę Constantinopoli peracta, eius templum religionis ergo adeant, & ijs tantum cibis vescantur, quibus in quadragesima vti licet.

S. Anton. to. 2 tit. 14 c. 2.

Festum depositionis vestimentorum B. Mariæ. Pulcher. Augusta.

Constantinopoli die 2. Iulij in Blachernis, quod est templum Deiparæ à Pulcheria Augusta admirabili pulchritudine in suburbijs Constantinopolis exstructum, festum est depositionis vestimentorum Deiparæ in eodem templo, quæ erant fasciæ sepulchrales à Iuuenali Hierosolymitano Patriarcha ad eandem Pulcheriam missæ: de hoc festo Molanus ad Vsuardi Martyrologium in hunc modum: *Die 2. Iulij depositio stolæ sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ in Blachernis*. In eadem Vrbe Constantinopolitana in Chalcoprateio etiam, quod latinè *fabrorum emporium* sonat, erat alterum Deiparæ templum ab eadem Pulcheria à fundamentis excitatum: de hoc festo Molanus ad Martyrologiũ Vsuardi sic habet: *Die 31. Augusti depositio venerandæ Zonæ sanctissimæ Deiparæ in anniuersario die dedicationis templi in Chaleoprat ijs*. De Zonæ Deiparæ depositione extant encomia Germani Episcopi Constantinopolitani, & Euthemij monachi apud Surium. In Seraphico nostro Minorum ordine Sanctæ Mariæ Angelorum, seu de Portiuncula die secunda Augusti festum solemne celebratur; propter amplissimam indulgentiam, quam sanctus Franciscus, à Christo Domino Deipara deprecante cunctis peccata sua ritè confessis, templumque Sanctæ Mariæ Angelorum Assisij ea die inuisentibus, impetrauit: quod in libro conformitatum S. Francisci conform. 2. & in chronicis Minorum part. 1. lib. 2. cap. 1. fusius describitur.

Molan. ad Vsuar. Martyrolog.

Molan. vbi supra.

German. Episc. Constantinop.

Liber conformitatum S. Franc. conformit. 2. Chron. Minorum.

Celebris est solemnitas B. Virginis à Carmelo, quæ die 16. Iulij ingenti fidelium pietate celebratur, in eiusque honorem feriam quartam cuiuscunq; hebdomadæ peculiariter dicatam, colunt complures, eaque die à carnibus sponte abstinent.

Festum B. Virginis à Carmelo.

S. Mariæ de Victoria commemorationem Pius V. Pont. Max. ob insignem de Turcis anno 1571. Deiparæ auxilio ad Echinadas parram victoriam quotannis fieri instituit die 7. Octobris, vt videre est in Martyrologio Romanor. ad eundem diem: verum quia eo anno septima dies Octobris in primam eiusdem mensis Dominicam incidit, quo tempore solemnis sodalitatis Rosarij supplicatio fiebat, Gregorius XIII. Pontif. Max. Pij V. successor, hanc sodalitatem sub nuncupatione Rosarij Dominica prima Octobris in Ecclesijs, vbi altare, vel cappella Rosarij fuerit, tanquam festum solemne sub duplici maiori officio de eadem Virgine Deipara celebrari permisit, quemadmodum capit. 20. diximus.

Festum S. Mariæ de Victoria.

Greg. XIII.

Festum dolorum Deiparæ, quos cùm puerum Iesum sisteret in templo, Simeon ei vaticinatus est, à Cistercien-sibus, quemadmodum ex eorum breuiario colligitur, die 16. Aprilis, ab alijs verò in locis præsertim in Atrebatensi dioecesi, feria sexta ante Dominicam Palmarum solemni ritu celebratur. In eiusmodi Virginis dolorum memoriam apud

Festum dolorum B. Virg.

Traie-

Traiectensem diœcesim in D. AEgidij, vbi canonicorum collegium erat, societas quædam erecta est: quo in loco complura signa, ægrotis reddita valetudine, mortuis ad vitam reuocatis, diuinitus sunt exhibita, quemadmodum libellus quidam de ea societate Latinè editus testatur.

Festum gaudiorum Beatæ Virg.

Festum gaudiorum eiusdem Deiparæ in Eccl. quidem Audomarensi sabbato, quod Ascensionem Domini proximè sequitur, celebratur: in Ecclesia verò Houiomensi recolitur Dominica, quæ incidit post diem 4. Iulij, translationi fuerint, ex pijssimis Rhythmis apud Canisium lib. 4. cap. 13. quibus præclarissimus Christi Martyr S. Thomas Cantuariensis etiam delectatus scribitur, & ex lib. 1. reuelationum S. Mechtildis ca. 66. cognoscere licet.

Recollectio festorum B. Mariæ. Molanus ad Vsuar. Martyrolog.

Tandem extat solemnitas recollectionis festorum Deiparæ Louanij Dominica 1. Septemb. cuius meminit Molanus ad Vsuardi Martyrologium die 1. Septembris his verbis: *Dominica die mensis Septembris Louanij in Basilica S. Petri solemnitas recollectionis festorum B. Virginis Dei Genitricis Mariæ, quæ cum totius vrbis lætitia festiuè celebratur.* Hæc ibi. Huius festi institutionem vide apud Louanium Lipsij lib. 1. cap. 5. Idem festum alibi etiam in Belgio est solemne. Duaci enim Dominica vlt. Augusti Antuerpiæ Dominica 2 de Assumptione Deiparæ, Cameraci Dominica 4. Augusti recolitur. In Calendario Breuiarij Cameracensis diœcesis, excusi Parisijs anno 1507. cum officio recollectionis festorum Deiparæ mense Augusto die 21. versiculus hic legitur: *Lucæ die 4, Mariæ collige festa,* Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum Amen.

* * *

HOMILIA X.

Perenni sabbati cultu, singulis recurrentibus hebdomadis, Ecclesia Catholica Deiparentem honorat, specialia obsequia in ea die ei deferens, officij, Missæ, ieiunij, aut similium.

ANtequam propositum argumentum exordiar, præmittendum duxi ex Angelico Doctore, quare sabbatum in Dominicam translatum sit: ad quod in hæc verba respondet 2. 2. q 122 artic. 4 *Hoc præceptum literaliter intellectum partim est morale, & partim ceremoniale: morale quidem ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum diuinis, &c. Sed quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi, sic est præceptum ceremoniale. Similiter & ceremoniale est prout fuit signum quietis Christi in sepulchro, quæ fuit 7. die, & similiter prout significat cessationem ab omni actu peccati, & quietem mentis in Deo; similiter prout figurat quietem fruitionis Dei, quæ erit in patria. Vnde præceptum de sanctificatione sabbati ponitur inter præcepta decalogi, in quantum est præceptum morale, nõ in quantum est ceremoniale, &c Voluit Deus, vt custodiretur vnus dies in memoriam, quòd Deus omnia creauerat in sex diebus, & in septimo quieuit à nouis creaturis condendis; sed quia Christus veniens fecit nouam creationẽ, qua scilicet homo cœlestis effectus est, sicut per primam terrenus, iuxta illud Apostoli, in Christo Iesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura: & hæc noua creatura est per gratiam, quæ incepit in Resurrectione iuxta illud Roman cap 6 Quo modo Christus surrexit à mortuis, &c. ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, & quia Resurrectio facta est in Dominica, ideò celebramus illum diem, sicut Iudæi sabbatum Obseruantia diei Dominicæ in noua lege succedit obseruantiæ sabbati, non ex vi præcepti legis, sed* D. Thom. Ad Rom. 4. Ad Rom. 6.

sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani. Hæc Diuus Thomas. Propter motiua autem multa diuersa lego, antiquos fideles sabbathi diem religiosè coluisse in partibus Orientalibus, & Occidentalibus. Nam Diuus Augustinus epistol. 86. affirmat, Orientales dies sabbati honoris gratia, & in signũ lætitiæ, quod tum caro Christi requiescebat in sepulchro, à doloribus immunis, ieiunium soluebant: verba eius sunt hæc: *Populi Orientis propter requiem significandam, quæ caro Christi in monumento requieuit, malunt in sabbato ieiunium relaxare.* Hæc ille. E contra verò Occidentales consueuere die sabbati ieiunare in memoriam passionis Christi, vt idem sanctus Augustinus testatur, dicens: *Alij malunt propter humilitatem mortis Domini ieiunare, sicut Romani, & nonnulli Occidentis Ecclesiæ.* Vnde breuiarium Romanum in vita Innocentij Primi ait: *Probauit etiam, vt sabbatho ob memoriam Christi Domini sepulturæ ieiunium seruaretur.* Verùm huius discriminis inter Orientales, & Occidentales alij aliam longè diuersam rationem reddunt: nam cùm quidam hæretici, vt Menander, Cerdon, Marcion, Cherinthus, & Saturninus, quorum meminerunt Diuus Irenæus lib. 2. cap. 30. Epiphanius hæresi 42. impiè affirmassent, malum esse Deum Hebræorum, & ad illum expugnandum venisse Christum, & quia Hebræi diem sabbati obseruabant in honorem sui Dei, idcircò illi in eius contumeliam in sabbato ieiunabant; ad hanc tamen hæresim extinguendam, quæ in Oriente præcipuè grassabatur, Catholici fideles à ieiunio sabbati omninò se abstinebant, adeò vt Sanctus Ignatius epistol. Philipp. *Si quis Dominicum diem, aut sabbatum, vno excepto, ieiunarit, hic Christi interfector est.* Quod idem prohibitum lego in canon. 55. Apostolorum, vt latius prosequitur Cardinalis Baronius tomo annalium anno Christi 57. Apud Occidentales verò, & potissimum Romæ sabbati, ieiunium viguit, vt Diuus Augustinus testatur epistol. 66. quòd olim sabbato ante Dominicam, in qua Diuus Petrus expugnauit Simonem Magnum, fideles præmiserunt ieiunium: verba Diui Augustini sunt ista: *Quoniam hæc est opinio plurimorum, quamuis perhiberent esse falsam plerique Romani, quòd Apostolus Petrus cum Simone mago die Dominico certaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum eiusdem vrbis Ecclesia, ieiunarit, & consequuto tam prospero gloriosóque successu, eundem morem tenuerit, eumque imitatæ sint nonnullæ Occidentales Ecclesiæ.* Scio Innocentium Primum epist. ad Decentium, & habetur de consecrat. dist. 3. ca 3 sabb. affirmare, fideles ieiunare solitos in die sabbati in memoriam mœroris, quo Apostoli propter necem Christi non solùm sexta feria, sed & sabbato confecti fuere.

D. Augustin. *Innoc. I.*

Porrò quàm vetus sit sabbatinus dies in Deiparæ cultum, non est vna omniũ sententia: nam Diuus Antoninus 2. pa. historial. titul. 16. Genebrard. l. 4. chronolog. in Vrbano 2. & antiquior illis Vincentius Beluacensis li. 25. sui specul. historial. capit. 112. & alij non pauci affirmant, cœpisse in Concil. Claramont. sub Vrbano 2. anno 194. quoniam in eo & officium paruum B. Virg. & vt in sabbato, officium maius de Deipara, & missa de eadem celebratur at longè prius sabbatum Deiparæ consecratum reperimus: nam Sanctus Genebrardus Episcopus, & Christi martyr, de quo Surius tomo 5. die 24. Septembris, & singulis sabbatis ante aram Virginis recitabat officium Assumptionis: in ordine etiam Cluniacensi, qui cœpit anno salutis nostræ 812. præcipitur, vt in eius breuiario legitur officium B. Virginis celebrari singulis sabbatis extra quadragesimam, & nisi occurrat aliqua festiuitas: quæ duo non obscurè indicant Concil. Claramont. id, quod de sabbato ad Deiparæ honorem in consuetudinem fuerat inductum, sua auctoritate sanxisse, vt ob-

D. Antonin. Genebrard. *Vincent. Beluac.* *Surius.* *Concil. Claramont.*

D. Aug. *Breuiar. Roman. in vita Innoc. I.* *D Irenæus. Epiphan.* *S Ignat. ep. Philipp.* *Baronius.*

Arnoldus. Canisius. Pelbartus.

seruarunt Arnoldus libr. 5. ligni vitæ, Canisius li. 5 de B Virgine, quin etiam noster Pelbartus grauis Theologus li. 1. stellarij B Virginis part. 4. artic. 3 c. 2. *Sabbatinum Deiparæ officium à sancto Ildefonso, qui circa annum Domini 660. floruit, vsurpatum affirmat: scribit enim haberi præcipuè in libro, qui inscribitur scala Cœli, cuius auctor fuit Ioannes Aegidius, seu Ioannes Minor Ordinis Prædicatorum. haberi præterea in miraculis B. Virginis S. Ildefonsum Toletanum Archiepiscopum post editum de perpetua Deiparæ virginitate librum, nouem lectiones in officio ad Deiparæ honorem quolibet sabbato dicendas confeciſſe: cumque die quodam sabbati admirabilis in Ecclesia harmonia resonaret, arbitratus canonicos eo absente matutinum officium persoluere, ocyus cum suis ad Ecclesiã perueniens, admirabilem vidit claritatem, & Angelorum choros officium illud à se editum, decantantes, ac B Virginem, quam Angeli laudabant, in Episcopali cathedra residentem, absolutisque matutinis, S Ildefonso ad se vocato, casulam ad celebrandum cœlitus allatã, quemadmodum alibi diximus, esse largitam.* Hæc ex Pelbarto. Hoc ipsũ de sabbatho ante multa annorum sæcula in Hispania in honorem Deiparæ dicato, colligi potest ex historia celebertimi Deiparæ templi, in Monte Serrato, ea occasione exstructi, quod annum Domini circiter 890. pastores, qui cum suarum ouium gregem in illius montis iugo degebant, obseruarint, singulis diebus sabbati inclinante iam die, ingentia lumina in proximum antrum delabi, conuentusque Angelicos ibidẽ exaudiri, quo prodigio ad Barcinonensem Archiepiscopum delato, & suis oculis perspecto, inuenit is in eo antro Deiparæ simulacrum pijssimum, cui postea insigne illud templum est excitatum, de quo nos plenius in tractatu de festis, ac templis Deiparæ, vbi & memorabile illud exemplum de Comitis Barcinonensis filia à Ioanne Garino eremita iugulata, & post aliquot annos Deiparæ ope viua inuenta, referemus, quod per idem fere tempus contigit, & ad struendi ibi monasterij causam præbuit. Huc etiam spectat illud, quod de precatione, cuius initium est, Salue Regina, Nauarrus pietate, & doctrina clarissimus Prior Abbas monasterij Roncæ Vallis, pugna Caroli Magni cum Mauris celebrata, in finibus Nauarræ, refert in Manuali de oratione cap. 19. num 183. *Fama est, inquit, sapidam illam orandi formam, Salue Regina, olim in nostra Ronca valle sabbatis solitam ab Angelis cantari apud quendam fontem, quem ab eo tempore in hoc præsens Angelorum fontem appellant: quam (vt alij aiunt) S. Bernardus audiuit ab ijsdem alibi cantari.* Hæc ille. Quod necui mirum videatur adijciam id, quod hac de re scriptum reliquit Gulielmus Durandus in rationali diuinorum officiorum libro 4. capite 1. Is enim agens de missis, quæ peculiariter olim ex institutione Alcuini magistri Caroli Magni, rogatu tamen Bonifacij Archiepiscopi Moguntini, singulis quæque diebus hebdomadæ assignatæ erant, affirmat 5. feria dici missam de Angelis, 6. feria de Cruce, sabbato verò de B. Virgine. Claruit verò Alcuinus anno Domini circiter 770. Silentio prætereo, quod iam alibi illud dixerit Durandum in suo rationali referre, initium habuisse sabbati cultum in honorem Virginis ab eo miraculo veli, imaginem Virginis Constantinopoli velantis, quod à vesperis feriæ sextæ recedebat, & post vesperam sabbati redibat: quæ omnia planè indicant multò ante tempora Concilij Claremont. prædictũ cultum sabbati in honorem viguisse, solumq; Claremontanum Concilium sua auctoritate ad illum religiosum morem magis stabiliendum, idipsum sanxisse, & approbasse, quod antea in more positum erat.

Nauarr. in Manual.

Guliel. Dur.

Quare autem dies sabbati magis, quã alia Virgini sacrata fuerit, non est vna omnium sententia in reddenda huius rei ratione: litterales ego primum apponam, deinde mysticas: prima litteralis est:

est: hanc diem specialiter electam esse, quòd experientia ipsa compertum sit, B. Virginem beneficia multa contulisse, mirandaque multa patrasse, huiusmodi est illud nuper à me relatum de velo, quod sponte sua nemine mouente recedebat, & redibat ad imaginem Deiparæ velandam: hanc autem Marianam liberalitatem in die præcipuè sabbati solitam exerceri, à Beata Virgine delineatam intueor in historia, quam tradit Iosephus libr. 7. de bello Iudaico cap. 24. qui sic loquitur: *Conspicit Vespasianus in itinere fluuium, qui fluit medius inter Arcas, & Raphaneas Agrippæ Regni ciuitates. Habet autem quoddam peculiare miraculum: nam cum sit, quando fluit, plurimus, neque meatu segnis, tamen interpositis sex diebus, à fontibus deficiens, siccum exhibet locum: deinde quasi nulla mutatione facta, septimo die similis exoritur: atque hunc ordinem, eum semper seruare pro certo compertum est. Vnde etiam Sabbaticus appellatus est à sacro septimo Iudæorum die sic appellatus.* Hæc Iosephus. Ac si eiusmodi miraculo, vt aliqui animaduertunt, demonstraretur, beneficia à Christo per Deiparam, cui sabbatum est dicatum, peculiari quadam ratione expectanda esse, cum Deipara in fonte illo Paradisi, qui vniuersam terrā irrigat, præfigurata intelligatur, & à Damasceno orat. 2. de dorm. fons perennis curationum vocetur. Cæterum hic obiter Iosephus redarguendus est, qui huius fluuij Sabbatici miraculum in Iudaici sabbati honorem deriuat, cùm ex ipsius narratione contrariū potius colligi videatur. Existimo enim, Deum optimum huiuscemodi miraculo nō tantum ostendisse, vt diximus, ex Deipara, cui sabbatum ab Ecclesia erat consecrādum, gratiarum, ac miraculorum aquas perpetuò manare: verùm etiam eodem fluuij miraculo in Iudaicæ perfidiæ detestationem innuere voluisse, ceremoniam, qua Iudæi ab omni opere, quin etiam à longiori itinere feriabantur, iam tum æuo illo Vespasiani cessasse, quando Christi Seruatoris nostri Euangelio longè, lateque per Orbem coruscante, sabbati festiuitas in Dominicum diem transierat: manare quippè fluuio idem est, quod operari, & quodammodo iter agere: siccari verò nihil aliud dixeris, quàm à proprio opere quiescere: quare sicuti ante Christi Euangelium, dum lex Moysis vigebat, crediderim in veteris sabbati commendationem fluuium hūc sabbatis siccari, reliquis verò diebus fluere solitum, quod Plinius libr. 31. histor. natur. capit. 2. testatur illis verbis: *In Iudæa riuus sabbatis omnibus siccatur.* Ita extincta iam, & sepulta post Christi mortem Synagoga, è cōtrario sabbatis non solùm fluxisse, verùm etiam reliquis diebus à fluxu cessasse, vt hac memorabili commutatione, antiquatam fuisse sabbati religionem nemo, nisi obstinatus, non aduerteret, & hac ratione Plinius, & Iosephus, qui nonnullis contraria dicere visi sunt, conciliari possunt; sicca, quæ de hoc fluuio litteris cōsignarunt, ad diuersa tempora referantur: id quod rationi valdè est consentaneum: nam etsi vtérq; iisdem Imperatoribus claruerit; Plinius tamen, qui opus suum Vespasiano dicauit, cùm ante Iosephum scripserit ea, quæ antiquiori sæculo ex aliorum relatione, vel etiam libris acceperat, posteritati tradidit, eiusdemq; fluuij nouissimam mutationem ipse absens ignorasse videtur. Iosephus verò ea, quæ præsens ipse spectauit, memoriæ prodidit: quod non sine diuinæ prouidentiæ consilio factum videtur; ne quid enim Scriptoris gratiæ, vel odio in tāti prodigij descriptione tribui posset, voluit Deus, vt quæ in antiqui sabbati commendationem faciebant, à Plinio gentili, quæ verò ad eiusdem postea abolitionem spectabant, à Iosepho Iudæo litteris mandarentur. Sed iam subijcio D. Bernardi rationem. Hic libro de passione Domini capit. 2 aliam longè diuersam assignat, affirmans propterea sabbatum dicatum fuisse Virgini, quia

Ioseph. *Damasc.* *Plinius.*

illa sola in sabbato proximo Christi passione fidem eius seruauerit: verba eius
D. Bernard. sunt hæc: *Passionis tempore omnes relicto eo, fugerunt, sola illa, quæ benedicta est in mulieribus, per illud triste sabbatum stetit in fide, & saluata fuit Ecclesia in ipsa sola, propter quod gratissima sancta Ecclesia ad laudē, & gloriam eiusdem Virginis diem sabbati per totius anni circulum celebrare consuevit.* Quibus verbis fauent alia Diui Bonauenturæ in 3 distinct. articul. quæst. 3. ad se-
D. Bonau. cundam, vbi ait: *Quoniam discipulis dubitantibus in Virgine remansit fides Ecclesiæ solida,*
D. Antonin. *& inconcussa.* Vnde Diuus Antoninus 4 part titul. 15. cap. 41. §. 1. docuit hoc significare per lucernam, quæ in matutino tridui, & hebdomadæ sanctæ accensa reseruatur, cùm tamen reliqua omnia extincta sint: verùm quia existimo, quòd cùm Ecclesia sit quædam congregatio fidelium, nulla ratione possit persistere in vna sola persona, vt rectè
Bellarm. adnotauit Dominus Cardinalis Bellarminus controuersia de cōciljs, & Ecclesia li. 3. ca 17. & deinde ex Euangelio habemus, quòd quamuis Petrus defecerit in confessione fidei ter Christum abnegans, interna tamen fides in eo perseuerauit iuxta Christi Domini promissionem, ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: idcircò, vt allata ratio, quòd die sabbati in sola Virgine remanserit fides, vera sit, oportet, vt intelligatur de fide explicita Resurrectionis Christi in particulari: hæc enim in sola Virgine tunc fuit, non verò in Apostolis: nam licet Christus eis prædixisset explicitè suam mortem, & Resurrectionem, Diuus tamen Lucas ait:
Ioan. ca. 20. *Non intelligebant, quæ dicebantur*, Et Ioannes capite vigesimo: *Nondum sciebant scripturas, quia oportebat eum à mortuis resurgere.* Scio prælitata verba Diui Bernardi, sed non possum veritati refragari. Tertiam, eamque præclaram, ac litteralem rationem assigno, quòd quemadmodum dies ille, quo sancti Martyres pro Christo necem sustinuerunt, singulis annis in eorum honorem religiosè colitur, ita etiam, quia Beata Virgo die sabbati, quo Christi corpus in sepulchro iacebat exanime, tam acerbi doloris gladio eius anima trāsfixa fuit, vt plus, quàm Martyr à sanctis Patribus vocitetur, idcircò in honorem huius Mariani martyrij Ecclesia Catholica sabbatum ei sacrauit. Ad quæ hæ sunt litterales rationes: nunc mysticas subnectamus, inter quas principem locum tenet illa, quòd quemadmodum D Genesis cap. 2. sex diebus mundum creauit, compleuitque die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat, benedixitque diei septimo: ita etiam Deus perfectissimam, & omnibus numeris absolutam condidit Virginem, ac proinde si puras creaturas spectemus, cùm nihil sit ea præstantius, dici potest in ea compleuisse, seu perfeciſſe opus suum, in eaque item absque vlla contradictione perfectissimè requieuisse, tum in vtero, ex quo carnem suscepit, in eoque nouem resedit menses, tum etiam in anima, in qua per gratiam copiosissimam perpetuò mansionem fecit. Cui etiam instar sabbati multis modis benedixit; quod toto hoc opere manifestè ostenditur. In opere verò Redemptionis Christus, vt verbis vtar Bernardi sermone 1. D. Bern.
Paschæ: in patibulo sexta feria redemit hominem, ipsa die, qua fecerat hominem in initio: sequenti die sabbatizauit in monumento, consummato opere, quod perfecerat. Tertia verò die, quæ prima dierum est, primitiæ dormientium, apparuit mortis victor, nouus homo. Sic Bernardus. At Christus longè præstantius in nostræ redemptionis opere in virginis vtero, tanquam in sepulchro, animato sabbatizauit, & quieuit, vt & ipsa Virgo testatur dicens: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Eccl. 24.
Eccles. 24. Virginis autem vterum cum sepulchro Christi non paruam similitudinem habere contestantur D. Ambros. S. Ambros.
serm.

D. Auguſt. ſerm. 2. de Paraſceue, D Auguſt lib. 4. de
D. Hieron. Trinit. cap. 5. & Diuus Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, & meritò quidem. nam in primis ſepulchrum erat in horto: amœniſſimus hortus fuit B. Virgo, cæleſti ſponſo, ſanctarum cogitationum folia, odoriferos verborum flores, ac ſacrorum operum dulciſſimos fructus germinans, ad quos diuinum ſponſum inuitabat, dicens Cantic. 5 *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructus pomorum ſuorum.* Si ſepulchrum illud fuit ex petra exciſſum, vt ſacer Euangeliſta teſtatur; ſanè Iſaias cap. 16. Beatam Virginem Petram compellauit: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de Petra deſerti. Petra* quidem propter inuictam eius fortitudinem, *deſerti* propter virgineam vteri ſacratiſſimi ab omni viri conſortio ſolitudinem: ſi nouum illud ſepulchrum fuit, in quo nondum quiſpiam poſitus fuerat, audi D. Auguſtinũ, hanc nouitatem Virgini applicantem: *Octauo Kalendas Aprilis Dominus conceptus creditur, quo & paſſus, ita in monumento nouo, quo ſepultus eſt, vbi nullus mortuorum poſitus nec antea, nec poſtea, congruit vtero Virginis, quo conceptus eſt, vbi nullus ſeminatus eſt mortalium.* Hæc ille. Sed & aliam nouitatis rationem in Deipara inuenio, propter quam noua meritò dici poteſt, quòd ex veteri Adamo nihil vetuſtatis originalis maculæ, aut fomitis ex ea naſcentis contraxit. Si ſepulchrum illud ſigillo ſignatum fuit, quis ignorat B. Virginem à ſponſo fontem ſignatum appellari, quia ſigillo illibatæ virginitatis fuit obſignata? Si ſepulchrum illud fuit cuſtodibus munitũ, ſanè virgineus vterus præter quam quòd habuit Ioſephi ſui ſponſi aſſiſtentem cuſtodiam, etiam Angelorum excubiæ Domini ſui matrem, velut fortiſſimi milites tanquam veri Salomonis throno adibant. Si ſepulchrum erat propè locum Dominicæ crucifixionis, ita B. Virgo etiam vtero geſtans filium ſuum, futuræ mortis illius, quam ex vaticinijs prophetarum

Cant. 5.

Iſai. c. 16.

D. Auguſt.

præcognouerat, frequenter memoriam refricabat. Si ſepulchrum linteamina continebat in quibus paſſionis veſtigia impreſſa remanſerunt, ſanè in præcordijs Virginis omnes filij ſui cruciatus adeò impreſſi fuerunt, vt ſi cuipiam daretur illam intueri, facilè velut in imagine, ad vitum prototypum referente, eos omnes cernere poſſet. Si ſepulchrum propter odorem aromatum, mirrhæ, & aloes miram fragrãtiam exhalabat, hæc ſuaueolentia in Virgine non deſiderabantur,. Angelis ipſis acclamantibus Cant. 3 *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus mirrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* Ac tandẽ ſi Iſaias de ſepulchro Chriſti dixit: *Sepulchrum eius erit glorioſum*, certè de B. Virg. Salomon dixit Prouerb. 31 glorioſam eſſe decantandam: *Viderũt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt.* Quod, B. Virgo alioquin humiliſſima irrefragabili eo teſtimonio confirmauit, cum in [illegible]co ſuo cecinit Luc. c 2. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quid autem D. Ambroſio ſerm. 2. de Paraſceue viſum fuerit non nihil tribuendum eſſe maioris gloriæ ſepulchro illi Chriſti, quàm vtero Virgineo, ſic enim ait: *Sicut tunc de vtero ad prædicandũ natus eſt, ita & tunc ad euangelizandum renatus eſt de ſepulchro, niſi quòd glorioſior eſt iſta, quam illa natiuitas: illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale, poſt illam natiuitatem ad inferos deſcenditur, poſt hanc remeatur ad Cælos, nihilominus tamẽ multis alijs nominibus glorioſior ſepulchro mihi videtur virgineus Dei parentis vterus: Nam ſepulchrum illud lapideum erat, & inanime, vterus verò Mariæ animatum ſepulchrum, & rationis particeps. In ſepulchro corpus Chriſti verè vnitum ſanctiſſima eius anima carebat.* Vnde Diuus Thomas 3. part. quæſt. 50 articul. 4. meritò dixit, Chriſtum Dominum in triduo mortis non fuiſſe hominem, in vtero verò Virginis perfectiſſimæ Deus pariter, & homo fuit: ſepulchrum tres dies continuit Chriſtum;

Cant. 3.

Prouer. 31.

Luc. c. 2.

D. Ambroſ.

D. Thom.

stum; vterus Virginis nouem integros menses: Christus de materia sepulchri nihil sibi vniuit; at de materia vteri Virginei partem purissimi sanguinis per mysterium Incarnationis, Verbum diuinum sibi copulauit. De sepulchri substantia nihil Christus in suam substantiam conuertit: de substantia autem Virginis, hoc est, de virgineo eius lacte, alimentum suscipiens, magnam eius partem in substantiam alibi conuertebat. In sepulchro Christus iacens, iam amplius, nec sibi, nec nobis merebatur, cum Angelicus Doctor 3 par. quæst. 9. articul 3 ad primum doceat, meritum Christi solum vsque ad mortem perduraſſe, in vtero autem Virginis meritorio factus ea exercuit, quibus & sibi gloriam corporis, & nobis salutem animæ merebatur: ad quod respiciens serm 2. Pentec. dixit, iã tunc operabatur salutem nostram in medio terræ: in vtero videlicet Virginis Mariæ. Cum ergo præter gloriam Dei [illegible] Christus Dominus antiquius, & [illegible] habuerit, quam salutem nostr[illegible] sequens est, quòd illam operãdo in vtero Virginis, verè ibi sabbatizauit, aut proinde meritò dies sabbati sacer Deiparæ factus est. Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

D. Thom 3. p. q 19 art. 3. ad 1.

D. Tho. ser. 2. Pentecost.

HOMILIA XI.

Reliquiarum Deiparæ veneratione, quas ipsa Virgo nobis reliquit, ostendit Ecclesia Catholica deuotionem, quam erga illam profitetur.

SAcrarum reliquiarum religiosum cultum, quem Ecclesia Catholica Romana non solum sanctorum ossibus, sed & vestibus, calceis, & alijs eorum supellectilibus semper exhibere consuevit, hæretici caninis dentibus mordent: eorum, qui hoc venerationis genus impudenter reprehendere ausi sunt, primus fuit Eunomius, & post illum impius Vigilantius, vt auctor est Diuus Hieronymus lib. contra Vigilantium: deinde eundem errorem amplexi sunt Lutherani, Caluinistæ, & Centuriatores, qui centur. quinta capite sexto falsum testimonium Diuo Augustino imponere non erubuerunt, affirmantes illum lib. 12. de ciuit cap. 8. dixisse, superstitiosum esse magnum concursum ad reliquias S. Stephani in Africam visitandas. Quod eorum impudentem audaciam aperuisse comprobat, in toto illo capite non solum non inuenitur nomen superstitionis, sed nec verbum aliquod, quod eam redoleat. Sanè mulier Emorrhoissa solã fibriam Christi fideliter tetigit, & sanata est, Matth. cap. 9 Quod euidenter ostendit cultum, quem illa vesti Christi exhibuit, non fuisse superstitiosum cum per illum sanitatem à Christo Domino obtinuerit. deinde Actor. 5. minimè sunt reprehensi populi, qui certatim ad vmbram Petri eo modo, quo poterant, attingendam, occurrebant, sed potius fidei suæ præmium retulisse dicuntur: & tamen quæ reliquiæ viliores ipsa vmbra cogitari possunt? Neque habiti sunt. Actor. 19 superstitiosi, qui Pauli sudaria, & semicinctia deferebant ad ægrotos, vt etiam nos modo facimus, sed potius religionem illorum miraculis confirmabat Deus. Hinc Eusebius lib. 7. hist. cap. 15. de sede lignea S. Iacobi Apostoli dixit: *Seruatur cum ingenti studio, velut à maioribus tradita memoriæ sanctitatis, & cum magna veneratione habetur.* Hæc ille. Nos ergo rideant Lutherani, & alij hæretici, si quando audiunt, Romæ cathedram Sancti Petri ligneam honorari. Sanctus Athanasius in vita Beati Antonij scribit, sibi ab Antonio relictum pallium tritum, cuius simile præcessit in pallio Eliæ, quod ei in curru igneo ascendenti tradiderat, illudque Eliseus, tame-

Eunomius. *Vigilantius.* *D. Hieron.* *Matth. 9.* *S. Euseb li. 7* *S. Athanas.*

tametsi super illum requieuisset spiritus Eliæ religiosè seruauit, & eo Iordanis aquas sicco vestigio transiuit, & addit Legatarius Antonij benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio eius meruerat accipere: Antonium in Antonij muneribus amplectitur, & tamquam magna hereditate ditatus lętatur, per vestimentum recordatur imaginem sanctitatis. De eodem Magno Antonio Hieronymus refert in vita Pauli Primi Eremitæ; cum Pauli tunicam ex foliis palmarum contextam Antonius adeptus esset, ob ipsius Pauli reuerentiam illam induere solitum, in diebus tantum solemnibus Paschæ, & Pentecostes. S. Gregorius in epistola ad Regem Gotorum, quæ extat tom. 1. Conciliorum: In præmium exhibitæ diligentiæ, in conuersione multorum Arianorum, annulos quosdam catenæ, qua in carcere vinctus fuit Diuus Petrus, ad illum misit, & Ecclesia Catholica speciale festum instituit in eius honorē, quod Sancti Petri ad Vincula nomen habet: quòd si lignea sedes Diui Iacobi, Cathedra Diui Petri, cathenæ eius, sudaria Diui Pauli, pallium Antonij, & alia similia aliorum Sanctorum veneratione digna sunt, nemo sanæ mentis mihi inficiabitur, si Dei Genitricis suppellectilia, & res familiares maiori cultu, & veneratione digniora censeam: & quidem nemo dubitare potest, cultum reliquiarum Virginis valde eius deuotioni fauere, Diuo Augustino dicente libro primo de ciuitate Dei capite duodecimo quemadmodum his, qui amore aliquid prosequuntur, est à natura insitum, vt non ex solo eius aspectu capiant voluptatem, sed donum, vestes, & calceos contemplentur cum magna lætitia; ita dicendum est de Sanctorum templis, & reliquijs. Cæterum quænam sint reliquiæ Dei Genitricis, quibus particulares Ecclesiæ, veluti pretiosissimis pignoribus lucupletatæ sunt, iam subijciemus: vt tamen à vetustioribus exordiamur, ea quæ B. Virgo vel proprijs manibus contrectauit, vel industria sua elaborauit, apponemus: huiusmodi est sacratissimum Præsepe, in quo ipsa puerpera filium natum reclinauit, quod Romæ sub altari Præsepij in nobilissimo sacello à Sixto V. extructo, apud S. Mariam Maiorem, est reconditum, de qua Onuphrius li. de septem Ecclesijs. Huiusmodi est Cunabulum, & aliquid ex fascijs, ac pannis infantiæ Saluatoris, quæ omnia ritè conseruantur in eodem templo S. Mariæ Maioris, in ferculo marmoreo reliquiarum, auctore Onuphrio, loco citato. Fasciæ verò Saluatoris, ex Nicephoro locis citatis, ab Eudoxia Augusta ex Hierosolyma Cōstantinopolim transmissa ad Pulcheriā Augustam, ab ea in templo magnificentissimo cū Deiparæ zona collocatæ sūt. Tunica quoq; Christi inconsutilis, desuper cōtexta per totum, quæ Ecclesiam significat, quam Dominus à militibus diuidi neutiquam est passus, ex Gregorio Turonensi de gloria martyrum cap. 8. suis quidem temporibus in Galatia erat repositæ: nunc verò, quamuis Middendorpius asserat Treueri ex dono S. Helenæ, repositam: tamen ex Onuphrio lib. de septem Ecclesijs, Romæ in templo S. Ioannis Lateranensis continetur in ferculo marmoreo, super altare S. Mariæ Magdalenæ, quam Ioannes Diaconus antiquissimus in libro de Basilica Lateranensi, loco citato, cum reliquias huius Basilicæ commemorat, ponit his verbis: *Tunica inconsutilis, quam fecit Sancta Maria Virgo filio suo Iesu Christo.* Sanè hanc tunicam (inquit Baronius tom. 1. Annalium ad ann. Christi 34.) contextam fuisse à Beata Virgine par est credere; nam in Oriente hominum vestes à fœminis confici solitas, testatur Zorobabel 3. Esdræ 4. cum de mulierum fortitudine disserit: *Ipsæ* (inquit) *faciunt stolas omnium hominum.* Et Prouerb 31. de muliere illa forti dicitur: *Confidit in ea cor viri sui, & spolijs nō indigebit.* & mox: *Omnes domes-*

Hieron.

D. August.

Onuphrius de 7. Eccles.

Baronius.

3. Esdr. 4.

Prou. 31.

domestici eius vestiti sunt duplicibus. hæc ex Baronio. Romæ etiam in templo Lateranensi, auctore Onuphrio loco citato, inter alias reliquias, quę in ferculo marmoreo super altare S. Mariæ Magdalenę asseruantur, recensetur & Christi Domini indusium, his verbis: *Interula lineæ Domini nostri Iesu Christi, quam ei B. Virgo fecit in capsula argentea.* sic ille. qui alibi in eodem libro ait, vocari in quadam tabula reliquiarum, primam camisciam Saluatoris: ad hæc velum, quo prætextum fuit Christi Saluatoris corpus in cruce pendentis. Sancti meditantur fuisse Deiparæ, ab eaque Christo ante crucifixionem aptatum; nam S. Anselmus in dialogo de passione Domini inducit Deiparam sic loquentem: *Cum venissent ad locum Caluariæ, nudauerunt Iesum vnicum filium meum totaliter vestibus suis: ego tamen velamen capitis mei circumligaui lumbis eius.* Et S. Bonauentura in Meditationibus vitæ Christi cap. 78. *Mater* (inquit) *conspicit filium suum totaliter nudum, & tristatur: nam & ei nec fœmoralia dimiserunt. Accelerat ergo, & approximat filio, amplexatur, & cingit eum capitis sui velo.* Sic ille. Hoc porrò velum Romæ in S. Ioanne Lateranensi reuerenter asseruatur in ferculo marmoreo super altare S. Mariæ Magdalenæ, auctore Onuphrio loco citato: cum enim plures reliquias commemoret, ait, ibi velum esse, quo velatum est corpus Saluatoris in cruce pendentis; & alibi istud vocat velum fœmoralium Christi crucifixi. Neque prætereunda est silentio columna ex hyaspide, super quam D. Iacobo Apostolo adhuc superstite, Deipara Cæsaraugustę in Hispania se videndam præbuit, eumque est alloquuta. Sepulchrum Deiparæ si Nicephorum loco citato consulamus, Constantinopolim translatum, & in templo Deiparę Blachernis à Pulcheria Augusta repositum est. Quod tamen Baronius tom. 1. annal. ad annum Christi 48. meritò demiratur, cum Brochardus in descriptione terræ sanctæ part. 1. ca. 70. §. 47. in valle Iosaphat illud esse affirmet, & qui nostris temporibus Ierosolymam adierunt, in Petra excisum esse testętur, atq; instar sepulchri Domini natiuo lapidi cohærens, loco immobiliter inhærere. Accedit, & Beda, qui 200. propemodum annis post Pulcheriam floruit, & in libro de locis sanctis monet, sepulchrum Dei Genitricis suis temporibus in dicto loco vacuum cerni. Nisi fortè dicamus, partem aliquam lapidis eius tumuli Ierosolyma, Constantinopolim transmissam; nam Romæ etiam tum in templo sanctæ Crucis Hierusalem, tum etiam in templo S. Laurentij extra muros de lapide sepulchri Dei Genitricis inter reliquias asseruari testatur Onuphrius loco citato, ac Babyloniam in descriptione terræ sanctæ, part. 2. cap. 4. B. Virginem Iesum paruulum sæpe lauisse panniculosque eiusdem, atque linteola, tum deterisse, cum esset in Aegypto, & metu Herodis exultaret. Prope illum vero fontem lapis est, super quem Christi panniculos, & linteola, quæ lauerat B. Mater, exiccanda extendebat: ex eo finitimi ab ipsis Sarracenis irrigatur balsami hortus, ac maximè fœcundatur. Eius quidem meminit Iacobus de Vitriaco in historia Orientali cap. 86. Huc referre possumus sedem, ac lapidem illum, ex quo S. Ildefonsum Deipara post suam, disputatione, ac libro ab eo scripto, defensam virginitatem, Toleti est allocuta, simulque vestem ei ad sacrificandum dedit: eorum Mariana lib. 6. de rebus Hispaniæ cap. 10. meminit his verbis: *Cum Ildefonsus ad aram progressus, nixus de more genibus, preces funderet in cathedra, vnde is ad populum concionari erat solitus, astantem B. Virginem vidit, quæ eum allocuta; vestem ad celebrandum sua manibus capiti inseruit: lapis vbi Beata Virgo vestigio constitit, in ipso templi Toletani aditu monstratur clausus ferreis inclusus, tantæ rei monumentum. vestis de Cælo allata, in Maurorum incursione, Ouetis seruatur in obserata arca, ab oculis subducta mortalibus, eoque maiori religione*

Onuphr. S. Anſel. S. Bonauent. Niceph. Baron. Beda. Iacobum de Vitriaco. Marianalib. 6.

gione culta. Hæc ex Mariana. His attexenda est tum planeta, quam S. Bonito Aluernensi Episcopo, eadem Deipara ad celebrandum missæ sacrificium est elargita, vt narrat Vincentius Beluacensis libro septimo specul. histor. capite 97. tum etiam alia casula purpurea illa quidem, ac pulcherrima inclusa in parua, & eleganti pyxide, quam ad amoris significationem dedisse narratur Sãcto Thomæ Cantuariensi, cum adhuc adolescẽs corporis sui castitatem eidem Deiparæ vouisset: res gesta narratur in speculo exemplorum distinct. 9. num. 122. Huc reuocari potest oleum, quod teste Thoma Valsigha in historia Anglicana, & in Ypodigmate Neustriæ ad annum 1359 Sancto Thomæ Cantuariensi, dum esset in exilio, conseruandum Deipara dedit, eique prædixit, Reges Anglos, qui hoc vnguento vngeretur, pupiles Ecclesiæ futuros: quod vnguentum in Aquila aurea, & olla lapidea conseruatum, diu latuit, nimirum vsque ad annũ 21. Richardi secundi Regis prædecessoris Henrici Quarti, qui eo inunctus est ab Archiepiscopo Cantuariensi. His adde, quas scripsisse Deipara dicitur epistolas, vnam quidem scripsit ad S. Ignatium, quam licet Baronius tom. 1 ad annum Christi 48. minimè recipiat, eam tamen agnoscit Sanctus Bernardus serm. 7. in Psalm. 90. Carthusianus in commentarijs super Dionysium Areopagitam de diuinis nominibus, Sixtus Senensis in biblioth. Sanct. lib. 2. in Maria, qui citat Marcum Michaelem presbyterum Cortonensem lib. de viris illustr. & Canisius lib. 5. de Beata Virgine cap. 1. & alij apud Canisium, qui etiam testatur Florentinos, & Messanenses gloriari, se à Deipara epistolas accepisse. Sed iam venio ad reliquias alias Virginis, quæ maiorem cum illa coniunctionem habuerunt. Domus Virginis, eius ortu, & Christi Iesu conceptu, maximè nobilis è Nazareth Lauretum à Piceno ab Angelis translata, miraculorum gloria, & omnium gentium peregrinatione celebratur, de qua fusè supra in hoc capite. ex lecto Deiparæ extat aliquid Romæ in S Maria Maiore in marmoreo ferculo, quod reliquiarum dicitur, auctore Onuphrio de septem Ecclesijs. Pecten Virginis, vna cum eiusdem peplo, seu velo ex dono S. Helenæ Constantini matris, Treueri conseruatur, auctore Iacobo Middendorpio lib. 5 Academiarum, in Treueri fusus Deiparę à Pulcheria Augusta in secundo templo Constãtinopoli à se excitato repositus est, auctore Nicephoro lib. 11 cap. 14. verum tamen est, quòd eius interpres loco fusi, apposuit pensum, fortasse propter affinitatem, quòd pẽsum in fila deductum, fuso agglomeretur. Deinde annulus adest sponsalitij B Virginis, quo Semimurensis apud Mandubios in Burgundia prioratus nobilitatur, cuius meminit Genebrardus in Chronographia lib. 4. ad annum 868. Extat alius annulus Perusiæ, qui propter multa miracula edita, in magna veneratione habetur, vt refert Ferreolus lib. 5. de Maria Augusta cap. 31. Celeberrima est Deiparæ vestis, integra illa quidem, quam Leone Primo Imperatore, Constantinopolim delatam, & in nobilissimo templo in Blachernis collocatam, scribunt Metaphrastes in oratione de vita, & obitu Deiparæ apud Surium die 15. Augusti, & post Metaphrastem Nicephorus lib. 2. histor. cap. 21. & lib. 15. cap. 14. Nos hæc omnia ex antiquiore Metaphraste & qui plenius hæc narrat, referamus: *Deipara* (inquit Metaphrastes) *post acceptum nuncium à filio per Angelum, de sua ex hoc mundo migratione, ad Ioannem aspiciens Virginem, cum pauca cum eo esset locuta, deinde duas, inquit, tunicas, quas toto vitæ tempore habui, tegumentum mei corporis, eas dari iubeo hisce duabus mulieribus.* Sic ille. Vestis etiam eiusdem Virginis pars aliqua habetur Romæ, tum in Sancta Maria Maiore, tum in Sancto Ioanne Lateranensi, tum etiam in Sancto Laurentio extra muros,

Vincen. Beluacen. *Tho. Valsig.* *S. Bernar.* *Carthus.* *Sixtus Senensis.* *Canisius.* *Nicephor.* *Genebrar.* *Ferreolus.* *Methaphr.* *Niceph. lib. 2.*

teste Onuphrio loco citato. Foroliuij in Aemilia in collegio societatis, in simulacro Deiparæ ex Germania allato bona pars vestis Deiparæ asseruatur. In Hispania quoque Ouetum ex Marineo, in Gallia templum Luthetiæ cathedrale ex Bonfinio earundem vestium thesauro ditantur, atque illustrantur. Zonam sanctissimæ Virginis pluribus in locis in pretio haberi, multorum testimonio constat. Romæ in Sancta Maria Maiore in marmoreo ferculo, vbi reliquiæ asseruantur, indeq; populo certis diebus solemniter commonstrantur, ex ea haberi

Onuphrius. testatur Onuphrius loco citato Brugenses eius partem ex vrbe Constantinopoli anno 1230. dono sibi datam, solemni ea de re diplomate asseuerant, Aquisgranum, & Atrebutum ex eadem zona habere se gloriantur, ac prædicant. Cæterum Constantinopoli, Arcadio Imperante, sacram zonam integram repositam, cui templum Pulcheria Augusti Arcadij filia magnificum extruxit, te-

Nicephor. statur Nicephorus lib. 14. cap. 2. & lib. 15. cap. 14. his verbis: *Pulcheria tria quoque Dei matri ex ipsis fundamentis templa erexit. Quorum vnum est in Chalcoprateio, seu fabrorum foro, sacri tumuli nomen habens: in hoc veluti thesaurum, Dei Genitricis deposuit zonam. Hoc in templo, vt quarto quoque hebdomadæ die priuilegium, & supplicatio ad lucernas, & lampadas fieret, constituit, quam ea ipsa pedes frequentare solita erat.* Ita Nicephorus. Hinc Patres etiam miris laudibus eiuscemodi Deiparæ zonam celebrarunt:

German. Patriar. Constantinop. nominatim verò Germanus Patriarcha Constantinopolitanus de sacrosancta Deiparæ zona, quæ Constantinopoli in basilica à Pulcheria in Chalcoprateio extructa, asseruabatur, insignem orationem habuit, quam ex Metaphraste

Surius to. 4. refert Surius tom. 4. ad diem 31. Augusti: eius præclara verba ingenio, ac pietate tanti viri digna hæc sunt: *Zona hæc corpus illud constringebat, in cuius vtero Deus celabatur, zona, quæ Dei Arcam, ideſt Deiparam pulchrè, & honestè exornabat, quæ sæpè ex Virginei lactis guttis humectabatur, quæ cum diu Deiparæ corpus, veluti vnguentum diuinum, inuoluerit, edorem ex eo curationum in æternum seruat.* Et mox: *O zona, quæ ijs, qui ad te confugiunt, das lumborum mortificationem ad vitia, animi autem fortitudinem ad virtutum operationem: ô zona, quæ nostræ naturæ imbecillitatem astringis, & roborat, & inimicos nostros visibiles, & inuisibiles impedis: ô zona veneranda, quæ tuam ciuitatem circumdas, & contines, & conseruas à Barbarica illæsam excursione: ô zona pretiosa, quæ Deum Verbum, dum esset in vtero, inuoluisti, & curationum benedictionem affatim illinc hausisti: ô zona, quæ à corruptione alienæ Dei matris corpori appropinquasti, & illinc induisti incorruptionem. O veneranda zona accinge lumbos nostros virtute iustitiæ, & mansuetudine fac nos hæredes æternæ, ac beatæ vitæ, & hanc nostram vitam interitui obnoxiam, conserua, ne eam lædant inimici. Habeamus te vires, & auxilium, murum, & propugnaculum, portum, & salutare refugium. Quamobrem ô Deipara, ad templum tuum studiosè accurrimus, in quo cum stamus in cælo ipso stare nos credimus, in quo te celebrantes, in Angelorum choro versari nos existimamus. Ecquis ex fidelibus venerandam tuam zonam intuens, non statim animi iucunditate repletur?* Hactenus Germanus. Ad hæc interulæ Dei Genitricis, siue subuculæ, duæ extant, altera Aquisgrani, à Carolo Magno ibi reposita, anno D. circiter 810. Auctore Philippo Bergomate libro 10. supplementi

Phil. Berg. Chron. his verbis: *Carolus Constantinopoli in Galliam rediens, coronæ Domini nostri Iesu Christi partem, partemque Dominicæ Crucis, & clauū vnum, sudariumque necnon, & Beatissimæ Virginis Mariæ camisiam secum detulit, & ad Basilicam Aquisgrani transmisit.* Hæc ille. Qui porro Aquisgrani degunt, ij ex traditione acceperunt, eam ipsam esse, qua Virgo mater pariens erat amicta: coloris est candidi, longitudine vlnis duabus cū quadrante, latitudine vnius vlnæ cum quadrantibus duobus, & semis. Altera verò Carnuti in vrbe

Galliæ,

Galliæ, ex Caroli Calui munere conseruatur, quæ eam vrbem memorabili, ac testatissimo miraculo, cuius complures auctores meminerunt, à Barbarorum furore defendit, anno Dom. circiter 878. Rem gestam verbis Vincentij Beluacensis libr. 24. Speculi historialis cap 46. ad calcem referemus: *Porrò multos magnis rebus sollicitatos, secum adduxit, pyraticam aggressus, Carnuti adhæsit: cuius cineres, nec armis, nec muris confisi, Beatæ Mariæ supparam, idest, camisiam adorant, quam Carolus Caluus à Constantinopoli cum alijs reliquijs aduehi fecerat. Hanc camisiam in modum vexilli super propugnacula custodum, trita pectoribus, ventis exponunt. Hostes visam cœperunt ridere, & in eam sagittas dirigere, quorum oculis mox obtenebratis, nec antecedere, nec retrocedere valebant. Quod videntes oppidani, multa eorum se cæde satiarunt. Euasit tamen Bollo, quem suæ fidei Deus reseruauit.* Hæc Vincētius. Is à Malmesburiensi, qui circa annum Dom. 1110. floruit, lib. 2. de gestis Anglorum, ad verbū ea est mutuatus, & ex Vincentio S. Antoninus 2. par. tit. 16. cap. 2. §. 5. Quid plura? ex sacratissimis Deiparæ capillis, quos ex Epiphanio presbytero Constantinopolitano Nicephorus lib. 2. histor. ca. 23. flauos fuisse affirmat, pars aliqua multis reperitur in locis, Romæ præsertim, tum in S. Maria Maiore, tum in S. Ioanne Lateranensi, tum etiam in subterraneo Sanctæ Helenæ sacello, quod est in templo Sanctę Crucis in Hierusalem, auctore Onuphrio libro de septem Eccles. cum eorū templorum reliquias recēset. Ex ijsdem porro capillis aliquid habet Quetum Hispaniæ, auctore Marineo Siculo lib. 5. de rebus Hispan. aliquid Aquisgranum Germaniæ vrbs; aliquid tandem amplissimum quondam Beatæ Virginis in Croylanda insula monasterium, vt eius monasterij Abbas Ingulphus testatur in sua historia, in qua affirmat, Imperatorem Henricum contulisse ei monasterio de crinibus S. Dei Genitricis Mariæ, quos Hugo Rex Franciæ ei inclusos in aurea pixide dederat. Sed, quod mirabilius est, ex Virgineo Deiparæ lacte, quod Christus Dominus sugebat, aliquid asseruari in diuersis locis, vt Assisij in cœnobio S. Damiani, monialium S. Claræ, Toleti, & Oueti in Hispania, tradunt Marineus Siculus li. 5. de rebus Hispaniæ. Parisijs etiam in summo tēplo, & in sacello Regio, aliquid eiusdem Virginei lactis custodiri, auctor est Petrus Bonfinius lib. 2. Fastorum Parisiensium; ad extremum Surius tom. 1. in vita Sancti Mauri, à Fausto eius condiscipulo scripta, affirmat S. Benedictum Abbatē dilectissimo suo discipulo S. Mauro in Gallias discedenti, in pignus paterni sui amoris ei dedisse reliquias alias S. Dei Genitricis, intra capsulam eburnam inclusas; & Gregorius Turonensis de gloria Martyrum cap. 19. earumdem reliquiarum insigne miraculum his ferè verbis describit: *Quidam Ioannes natione Gallus, à lepra in Iordane mundatus, reliquias Beatissimæ Mariæ ab Hierosolymis accipiens, in patriam reuertebatur: cumque in Italia in latrones incidisset, capsa (inquit) in qua ille beata gestabat pignora, ab ijsdem latronibus effringitur, nihilque in ea pecuniæ reperitur: ideo latrones extracta pignora in ignem proijcinnt, cæsoque homine, discesserunt. Tunc ille seminium exurgens, vt vel cineres exustorum colligeret pignorum, inuenit super carbones accensos, illæsas iacere reliquias, ipsumque linteum, quo inuoluta erant, ita admiratur integrum, vt non putaretur prunis iniectum, sed aquis absconditum, collegitque cuncta cum gaudio, & viam, quam pergebat ingressus, ad Gallias pernenit incolumis.* sic ille. Idem Gregorius Turonensis libro citato cap. 10. aliud earumdem Deiparæ reliquiarum miraculum narrat, quod ipsemet expertus est: *Beatæ Virginis (inquit) reliquias cum Sanctorum Apostolorum, vel Beati Martini, quadam vice super me in cruce aurea positas, exhibebam, cumque per viam graderemur, conspicio haud procul a via hospitiolum cuiusdam pauperis incendio concremari: erat autem foliis, quæ ignibus maxima præstant fomenta,*

Fine. Beln. — Rem gestam verbis Vincentij Beluacensis libr. 24. Speculi historialis cap 46. ad calcem referemus

Malmesburiensis. — Vincētius. Is à Malmesburiensi, qui circa annum Dom. 1110. floruit, lib. 2. de gestis Anglorum

S. Antonin. — ex Vincentio S. Antoninus 2. par. tit. 16. cap. 2. §. 5.

Epiph. pres. Niceph. — ex Epiphanio presbytero Constantinopolitano Nicephorus lib. 2. histor. ca. 23.

Onuphrius. — Sanctę Crucis in Hierusalem, auctore Onuphrio libro de septem Eccles.

Marineus. — Hispaniæ, auctore Marineo Siculo lib. 5. de rebus Hispan.

Ingulphus Abbas. — monasterij Abbas Ingulphus testatur in sua historia

Marineus. — Hispaniæ. Parisijs etiam in summo tēplo

Pet. Bonfin. — Petrus Bonfinius lib. 2. Fastorum Parisiensium;

Surius. — ad extremum Surius tom. 1. in vita Sancti Mauri

Greg. Tur. — & Gregorius Turonensis de gloria Martyrum cap. 19.

contectam currebat miser cum liberis, & vxore, aquam deportans, sed flammæ non mitigabantur. Tunc extractam à pectore crucem, leuo contra ignem, mox in aspectu Sanctarum reliquiarum ita cunctus ignis, ac si non fuisset accensus, Dei omnipotentis virtute obstupuit. Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XII.

De multiplici alio religiosi cultus genere, præcipuè orationis, quo Ecclesia Catholica Deiparam Virginem singulariter veneratur.

IN hoc genere argumẽti, vt à notioribus exordiamur, Ecclesia Catholica triplici campanę pulsu, ter singulis diebus, vespere, mane, & meridie, fideles ad salutandam Deiparã Virginẽ excitat, quòd, vel in locis Ecclesiastico interdicto obnoxijs, fieri posse, docent S. Antoninus 3.p.tit.27 c.4 sub finem, & ex Summistis Angelus, Siluester, Tabiena, vers. Interdictum, & Nauarrus in manuali capite 27. num. 177. Cæterum hunc salutationis Angelicæ pulsum in Deiparæ venerationem fieri, animaduertit S. Antoninus 4.par.tit.15 c.24.§.5 *Statuit* (inquit) *Ecclesia singulis diebus pulsari ter campanas Ecclesiarum, de sero, & iterum de mane, ad quid? nisi vt honoretur B. Maria, & laudetur ex salutatione Angelica?* sic ille. Huiusmodi fortasse consuetudinem hausimus ex Psalmographo, qui sui exemplum posteritati tradidit, cum Psalm. 54. idem in Dei honorem se præstitisse, sic cecinit: *Vespere, mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam.* Verum de institutionis eius initio, non vna omnium est sententia: etenim Polydorus Virgilius de inuent. rerum lib.6.ca. 12. vespertinum quidem pulsum acceptum refert Ioanni 22. qui anno Domini circiter 1320. in memoriam Incarnationis, illum instituit; matutinum verò Theodoricus Archiepiscopus Coloniẽsis præcepisse dicitur. At Octauianus in vita S. Bonauenturæ apud Surium tom. 5. tum vespertinum, tum matutinum eidem S. Bonauenturæ adscribit: vespertinum quidem, quia sub vesperum intendentibus se tenebris, sanctissimam Virginem Angelus Gabriel salutasse: matutinum verò, quia sub idem tempus à Virgine recessisse existimatur: cur verò à Ioanne 22. pulsus salutationis Angelicæ serotinus fuerit institutus, vel saltẽ eius auctoritate propagatus, eius rationẽ reddit Auctor sermonum discipuli, in ser. de Visitatione Deiparæ, qui est 25. de Sanctis, cuius verba tam de pulsu matutino, quàm de vespertino, quòd rem totam egregiè ad vtilem praxim explicent, in præsentia referre non grauabor: *Quare* (inquit) *pulsatur Aue Maria de sero, & de mane, tribus ictibus? Respondetur, de mane in aurora diei ex laudabili consuetudine pulsatur, vt illa hora honoremus, & salutemus salutatione Angelica Beatam Mariam Virginem, qua hora Angelus Gabriel eam salutauit, quia, secundum B. Dionysium, Incarnatio Christi in ortu diei facta est; quia tunc ortus est sol iustitiæ super terram nostræ miseriæ: item vt recommendemus nos B. Mariæ Virgini, vt ipsa impetret nobis à filio suo, vt illo die custodiamur à peccatis, & confortemur à bonis operibus, & virtutibus. Sed de sero pulsatur, vt per intercessionem, & iuuamen sanctissimæ Virginis, dimittantur nobis peccata, quæ commisimus illo die, & sic peccator statim debet conteri de peccatis suis: item, vt meritis eius custodiamur illa nocte, & si qua bona fecimus illo die, per eius manus virgineas, filio suo Domino nostro Iesu Christo offeramus: etenim legitur, quòd in vigilia Annunciationis Virginis Mariæ in Auenione, duo propter iustitiã sæcularem sunt ad stipites manibus, & collis ligati, vt cremarentur. Accenso igitur igne, vnus illorum crebrò Beatam Mariam Virginem inuocans, vt se iuuaret intuendo, si aliquando ieiunijs, vel orationibus, vel alia obsequia ipsi Virgini præstitisset:*

Discipul.

S. Antonin.

Nauar.

S. Antonin

Psal. 54.

Polyd. Virg.

&c.

& ecce eidem vestibus, & corpore inustis penitus sola colli, & manuum vincula ignis consumpsit, & ab igne solutus exiliuit, socio suo totaliter consumpto: reiectus est autem solutus secundario in ignem & iterum permansit inustus, & ab igne exiliuit: sicque cum laude ad Ecclesiam maiorem Beatissimæ Virginis ductus est, & Papa Ioan. 22. statuit serò fieri pulsum campanæ, ad quem quicunque homo genu flectendo, tria Aue Maria dixerit, viginti dies Indulgentiarum habebit: & de illo miraculo, & de illis Indulgentijs, habetur publicum instrumentum & litteræ authenticæ. Hæc inserm. Discipuli. Duobus hisce campanæ pulsibus addidisse meridianum dicitur Ludouicus XI. Galliæ Rex à Gaguino lib. 10 hist Franc. & Genebrard. lib. 4. Chronol. ad annum 1227. Illum porrò Callistus III. (quemadmodum accepimus à Platina, & Fr. Alphonso Ciaccone in eius vita) confirmauit, vt populum inuitaret ad orandum contra Turcas pro Christianorum pace. Cæterum Arnoldus Vuion lib. 5. ligni vitæ ca 20. cum alijs, quos citat, auctoribus, docet Vrbanum IV. in Concilio Claramontano, bello ad recuperādam terram sanctam indicto mandasse, vt omnibus Ecclesijs, manè, ac vesperi, trino campanæ signo populus ad orationem, atque diuinam opem contra barbaros impetrandam excitaretur, quod annos omninò 134. vsque ad Gregorium IX. ritè seruatum est; Gregorium verò, adiecto meridiano pulsu eiusmodi consuetudinem in Deiparæ laudem commutasse, ob tria mysteriorum genera, quibus à suis studiosis, præsertim in Rosarij recitatione honorari, colique Deipara solet, ob mysteria, quæ vocant Gaudiosa, quæ à Christi Domini Incarnatione cęperunt, ac vespertino pulsu indicantur. Dolorosa, propter summos, maximeq; intensos dolores, qui fuerunt in Christi Domini crucifixione, & morte, quæ in horam diei nonam incidit, meridiano pulsu commemorantur. Gloriosa, quæ initium duxerunt ab ea, quæ super auroram facta est, Christi resurrectione; hæc ex Vuionio. Et sanè iure optimo hoc triplici tempore ad orationem faciendam, ac Deiparæ patrocinium implorandum excitamur, vt manè diei nascentis initio, nosque, futurasque nostras actiones ad Dei gloriam referamus: meritò adulto iam die breui precatione spiritum reficiamus: vesperè, cadente iam luce, factorum omnium rationem per conscientiæ examen à nobis exigamus. Deinde adhibet Ecclesia officium Beatæ Virginis, quod vocant paruum, ad discrimen officij Dominici, quod recitare tenentur ij, qui sacris Ordinibus initiati sunt, & vulgo dicitur magnum; propterea quòd pluribus Psalmis, ac precibus constat: huiusmodi verò Virginis officium studio Beati Petri Damiani doctissimi iuxta, ac sanctissimi viri (vt ex Hieronymo Rubeo in eius vita admonemur) mirifice propagatum est; postea anno nostræ salutis 1094. decreto Vrbani IV. in Concilio Claramontano (vt testatur Vincentius Beluacensis in Speculo histor. lib. 25 ca. 12. S. Antoninus 2. part. histor. tit. 16. cap. 1. § 23. & 4. part. summ. tit. 15. cap. 24. § 3. & Genebrardus li. 4. Chronol.) omnibus, qui diuinum officium recitare tenentur, clericis indictum est, sub præcepto, extra Chorum: piè tamē hortatur omnes ad aliud recitandum in Choro eius consuetudine dicendi, præscriptis in Breuiario diebus. Quin ex constitutione eiusdem, qui ex beneficio Ecclesiastico obtinent pensionem, tenentur ad recitandum saltem officium paruum Beatæ Virginis, quemadmodum obseruat idem Nauarrus de oratione cap. 21. num. 1. Cæterum hæc pia in laudem Virginis precandi forma, ita vsu recepta est, vt laici ferè omnes, qui aliquo pietatis gustu afficiūtur, singulis diebus eius officij recitādi consuetudinē teneant. Præterea in officio Dominico maiori singulis sabbatis ex decreto eiusdem Vrbani IV. officium, & Missæ

Caguinus. *Genebrar.* *Platina.* *Ciaccon.* *Arnoldus Vuion.* *Hier. Rub.* *Vinc. Bel.* *S. Antonin.* *Genebrard.* *Nauarr.*

sacrum, nisi quid obstet fiunt de B. Virgine: quòd etiam nunc diligenter seruatur, idque inter alia, quæ in Deiparæ honorem præstantur, recenset S. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 24. § 3. his verbis: *Præter officium parvum Beatæ Virginis, quod est in præcepto singulis diebus quoad obligatos, addit quoque Ecclesia omnibus sabbatis, cùm vacat, eam in Missis, vel officio toto honorari solemniter, & cum sequentijs: vt sicut honoratur Dominus filius in Dominicali officio ob suam resurrectionem, ita & ipsa honoretur Domina mater in Sabbatho, quia illa die scilicet Sabbati, mortuo filio, & fide vacillante, in multis Apostolis, & reliquis discipulis, in ea sola requieuit resurrectionis explicita fides.* Antoninus, exceptis vltimis verbis. Ad hæc in officio item maiori in laudibus, ac vesperis, cùm Sanctorum commemorationes præscribuntur, omnium prima post commemorationem de Cruce, est Beatæ Virginis commemoratio. Ad hæc ad singulas horas cum oratione Dominica præmittitur Angelica salutatio; ad officij denique finem Antiphonam ad Deiparam Salue Regina, vel alia tempori accommodata subnectitur. Concionatores, vt ex suis concionibus vberem animarum fructum referant, diuinam gratiam per Deiparam implorare student; ideoque vna cum populo, suas à salutatione Angelica conciones auspicantur: huius piè consuetudinis meminit Sanctus Antoninus quarta parte, titul. 15. capite 24. §. 3. *Omnes* (inquit) *sermocinantes, & prædicantes Christicolis, exordium pro gratia impetranda à salutatione Angelica faciunt.* sic ille. Huius ratio peti potest ex quadam reuelatione, facta Sancto Dominico. Is cùm in regione Tolosana, Galliæ Narbonensis concionaretur, nec quicquam fructus spiritualis colligeret, cum sacratissima Virgine ea de re expostulauit, quæ cum Sancto viro aliquando apparuisset, ei dixit: *Dominice fili, nihil mireris, quòd concionando minimè proficias: enimuero aras sudas, & pluuia non irrigatum, scitoque, cùm Deus rem nouare decreuit mundum Salutationis Angelicæ pluuiam præmisit, sicque orbis ipse in melius est reformatus. Hortare igitur homines in concionibus ad Rosarij mei recitationem, & magnus debinc animarum fructus consequetur: quod S. Dominicus strenuè executus vberes ex suis concionibus animarum fructus retulit.* Hæc ex miraculis Rosarij, quæ in libro Rosarij Italicè habentur: ita proportione quadam in sermonib' ad populum præmittitur Salutatio Angelica, vt hac cœlesti pluuia, terra cordis nostri arida irrigetur, & fructum diuino beneficio per Virginem impetratum, vberiorem ferat.

S. Antonin.

S. Antonin.

Porrò quis ignorat varias Antiphonas, quibus Ecclesia Catholica Deiparam Virginem colit? inter illas apud me principem locum tenet illa celebratissima Salue Regina: huius Antiphonæ auctor, quamuis à Durando libr. 4. rationali Diuinorum officiorum capit. 22. & à Claudio Rota in legendario Sanctorum cap. 177. dicatur Petrus Episcopus Compostellanus; communiter tamen existimatur Hermannus Contractus, Deiparæ (à qua scientiam consecutus est) studiosissimus: id enim testatur Abbas Trithemius libr. 2. de viris illustribus Ordinis Sancti Benedicti, capit. 84. Genebrardus libr. 4 Chronic. Canisius libr. 3. capite 13. Cardinalis Bellarminus libr. 1. de bonis operibus, de particulari capit. 15. cumque solemnis esset in Germania, teste Cæsario libr. 7 exemplorum capit. 20. & in Gallijs Gregorius Nonus, auctore Abbate Vrspergensi, in fine Horarum, eam per omnes Ecclesias decantari iussit. Inter opera quoque Sancti Bernardi leguntur sermones de ea; & Sanctus Bonauentura tomo 2. opusculorum, rhythmis eam celebrauit: Eandem Antiphonam Nauarrus in Manuali de oratione cap 19 num. 184. testatur, vt supra dixi, ab Angelis in Ronca valle cantari solitam Sabbatis apud quendam fontem, qui iam inde vsq; in

Durandus.

Claud Rot.

Trithem.

Genebrard.

Canisius.

Bellarmin.

Cæsarius.

Abb Vrsper.

S. Bernard.

S. Bonauent.

Nauarrus.

in præsentem diem fons Angelorum appellatur: addit præterea Nauarrus, à quibusdam eam appellari Nauticam, propterea quòd nautæ præsertim, imminens naufragium metuentes, magna cum intentione animi eam religiosè vsurpant: & Thomas Bozius libr. 9. de Signis Ecclesiæ, capit. 8. *In moret* (inquit) *inductum est, vt omnis Christianus singulis eam diebus Deiparæ dicat.* Bozius. Porrò complura miracula in eorum beneficium, qui Salue Regina piè recitare solebant, narrat Cæsarius libr. 7. exemplorum capite 30. Thomas Cantipratensis in libr. 2. apum, capit. 29. part. 22. Sanctus Antoninus 3. part. histor. titul. 23. capit. 3. §. 2. & speculum exemplorum distin. 7. num. 42. 43. & 44. Vtitur etiam Ecclesia illis Antiphonis, *Alma Redemptoris Mater, quæ perualá cœli, &c. Aue Regina cœlorum, &c. Regina cœli lætare alleluia, quia quem meruisti, &c.* Quam Antiphonam ab Angelis decantatam, & à Sancto Gregorio Papa, vltimo versiculo adiecto, completam, constans est omnium Historicorum sententia: nec silentio prætermittam antiphonam illam: *Obsecro te Domina Sancta Maria;* cùm & illa alia: *O intemerata, & in æternum benedicta.* quæ in Deiparæ, & S. Ioan. Euangelistæ honorem dirigitur, eam S. Edmundus adolescens, postea Archiepiscopus Cantuariensis, recitare solitus, cum die quadam illam ex obliuione omisisset, insequenti nocte à S. Ioan. Euangelista, qui eidem per quietem apparuit, & grauem ferulæ ictum comminatus est, ne eam in posterum omitteret, familiariter est persuasus: ita in eius vita apud Surium tomo 5. & Vincentius Beluacensis lib. 31. spec. histor. cap. 73. Alius quoque hac eadem oratione dæmonis insidias euasit ex Vincentio libr. 7. cap. 101. Addo Antiphonas illas: *O Domina mea Sancta Maria, me in tuam; &c. O Maria Dei Genitrix, Virgo Gratiosa: &c. Sub tuum præsidium, &c. Sancta Maria succurre miseris, &c.* desumpta ex Augustino sermone 18. de Sanctis. Cæsarius. Tho. Cantip. S. Antonin. Surius. Vinc. Belua.

Gaude Maria Virgo cunctas hæreses, &c. Atque hæc cùm piè decantaretur, aliquot contigere miracula, quæ nos libro vltimo retulimus. *Felix namque es sacrâ Virgo Maria, &c.* quam laudem iuxta Suessionem vrbem in Gallia concinentes Angelos exauditos in Vigilia Assumptionis testatur Thomas Cantipratens. libr. 2. cap. 40. part. 7. Hymnis etiam varijs Ecclesia Catholica Deiparam veneratur: *Quem terra, pontus, æthera,* & illud: *O Gloriosa Domina,* quo hymno sanctus Antonius Patauinus, dæmonem eum præfocare conatum, effugauit, vt in vita eius legitur. Insignis est etiam hymnus, *Memento salutis auctor,* in cuius fine dicitur: Tho. Cantip.

Maria mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.

Quos tum valentes, tum moribundi magna pietate iterant, quò Virgini in eo articulo se se commendent: quin etiam, quemadmodum narrat Pelbartus libro decimo Stellarij, parte vltima, capite octauo ex Ioanne AEgidio, seu Iuniore, Ordinis Prædicatorum, in libro, qui inscribitur Scala cœli: *Quidam paternis bonis dilapidatis, spe pecuniæ adipiscendæ, in nemus à præstigiatore quodam perductus, cœpit à dæmone ad Deiparam abnegandam vrgeri, sed iuuenis terrore perculsus, hos versiculos, Maria Mater gratiæ, &c. quos quotidie recitare consueuerat, contenta voce pronunciat: hicque dæmon iratus, præstigiatore præfocato, statim euanuit.* Pelbartus.

Ad eundem Virginis cultum spectat frequens in Ecclesia in omnibus vespertinis horis Canticum illud sanctissimum ab ipsa Deipara editum, nec non adoratio Angelica nouies in officio Diuino maiori repetita, quibus & accedunt Litaniæ Deiparæ, ex varijs eius honorificis titulis concinnatæ, quæ in varijs Virginis templis, præsertim Lauretano, decantari consueuerunt. In eundem etiam præ-

catio-

cationem numerum reuoco precationem illam, quæ inscribitur Planctus B. Mariæ, quæ incipit, *Stabat mater dolorosa*, cuius auctorem esse sanctum Gregorũ, docuit S. Antoninus 3. historial. tit. 22. cap. 3. §. 32. quem sequutus est Philippus Bergomate in supplemento ad annum 1299.

S. Antonin.
Phil. Berg.

Ad hæc in consecrationibus, ac benedictionibus ab Ecclesia in Pontificali Romano institutis, Deiparæ nomen sæpè reuerenter inuocatur, siue cùm in eius honorem ea, quæ Pontifex consecrat, dicantur; siue cùm eius auxilium imploratur. id quod aduertere licet in solemni templi consecratione, in qua cùm ad Altaris consecrationem venitur, Ecclesia secundùm Deum in Deiparæ honorem nominatim, & ante reliquos Sanctos, & ipsum etiam patronũ, cui templum peculiariter dicatur, id à se sic his conceptis verbis fieri profitetur: *Sanctificetur hoc altare in honorem Dei omnipotentis, & gloriosæ Virginis Mariæ, atq; omnium Sanctorum, & ad nomen, & memoriam Sancti N. Pax tibi.* Quæ verba in consecratione Altaris Pontifex quinquies iterat, cùm signum Crucis cum aqua benedicta diuersis in locis imprimit, & quoniam oleo Catechumenorum bis quinas Cruces, oleo verò sacri Chrismatis semel totidem Cruces in ijsdem locis signat, ad earum singulas eandem ferè formulam repetit. Quid plura? idem Pontifex in templi consecratione sacro Chrismate in templi parietibus duodecim cruces inungit, ad singulas eandem verborum formulam, cum Deiparæ inuocatione, repetit in hunc modum: *Sanctificetur, & consecretur hoc templum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, in honorem Dei, & gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen & memoriam Sancti N. Pax tibi.* Quod si altare absque templo consecretur, Pontifex eiusdem Deiparæ nomen, eandemque dicendi formulam totidem vicibus piè vsurpat, cùm ex aqua benedicta, ex oleo Catechumenorum, & ex sacro Chrismate, totidem numero Cruces in eo signat, quot diximus fieri, cùm Altare, vna cum templo consecratur. In alijs præterea precationibus, quæ, siue in primarij lapidis benedictione pro Ecclesia ædificanda, siue in ipsa templi, & Altaris consecratione à Pontifice funduntur, Deiparæ semper auxilium enixè inuocatur, vt videre est in Pontificali Romano.

Pontificale Romanum.

Pontificale Romanum.

His accedit tabellarum vsus, argentoque insculptæ imagines, quæ ante Altaria Deiparæ Virginis, varijs miraculis coruscantis, quas fideles appendere consueuerant, in cuius rei gratiam ab Henrico Sedulio eleganter descripta carmina effero.

Insignes pietate viros, virtutibus, arte, *Sedulius.*
Ingenio, meritis, doctrina, viribus, armis.
Moris erat quondam statuis ornare dicatis,
Viuat vt æternum per postem sæcula nomen.
Olim sic fertur magnum decorasse Platonem
Rex Ponti: meritis sic Scæuola, Cloelia clari
In patriam dicto pariter celebrantur honore,
Effigiemque sui Demosthenis Attica tellus
Exhibet ingenti fabricatum in mole colossum.
En tibi, Virgo parens, vasti per climata mundi,
Christicolæ statuas gratanti pectore passim
Constituunt titulos, altaria, templa, domosque.
Quod genus humanum tantis sit honoribus auctum,
Expertumque malis, per te veneranda supremis,
Sponsa Dei, Regina poli, Genitrixque tonantis.

Hic igitur vsus appendendi pictas tabellas, aut imagines sculptas, aut conflatas argento, vel ære, ad memoriam receptorum beneficiorum, viguit quoque apud Gentiles, vt videre est apud Horatium li. 1. carminum ad Pyrrham, vbi sic canit:

Me tabula sacer *Horatius.*
Votiua paries indicat vuida

Suspen-

Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Idem videre est apud Ciceronem de Natura Deorum li. 3. & in Verrem act. 4. & apud Lucianum in Alexandr. & Cæsarem de bello Ciuili li. 3. Inter Christianos Paulinus deinde in natum S. Felidis, ait:

S. Paulinus.

Sanctaq; præfixis obducant limina lamnis.

Vbi ipsas laminas ante limina affigi solitas ipsas tabellas pictas, vel imagines argento incisas, ad memoranda beneficia accepta à S. Martyribus, appellat. Huius rei non pauca exempla, & testimonia Laureti vigent, vbi etiam extat tabella oblata, & missa à Mahometo pro beneficio recepto à B. Virgine Lauretana: vt sic omnis generatio, etiam Turcarum, & infidelium commendet, & B. prædicet Deiparam, iuxta eius vaticinium Luc. 1. *Beatam me dicent omnes generationes*: extant etiam eiusdem rei exempla pænè infinita, præsertim Romæ, & per totam Italiam.

Luc. 1.

Faciunt deinde ad eundem Virginis cultū peregrinationes, quæ si ad aliquē locum omnium gentium, & nationum concursu, frequentiaque celebres sunt, fiunt certè Lauretum, Monserratum, Cæsaraugustam, Guadalupen, Sanctam Mariam maiorem in Vrbe, & Sanctam Mariam de Populo ibidem, & alias similes pænè infinitas: ac tandem silentio prætereo processiones, in quibus Deipara humeris gestatur, varia festa, insignia templa, magnifica altaria, celebres imagines, ac sumptuosas earundem imaginum vestes, variaque donaria, ad maiorem Virginis cultum oblata, quia de his omnibus longiorem supra habuimus sermonem.

HOMILIA XIII.

Referuntur Alphabetico ordine celebriora epitheta, quæ tam Sacræ litteræ, quàm omnes Sancti Patres ad maiorem Deiparæ cultum, & deuotionem in nobis excitandam, tradidere.

ECclesia Catholica Mariani cultus vigilantissima, inter pleraque alia, quibus B. Virginem Dei Genitricem veneratur, frequens est vsus Litaniarum, quas ex varijs epithetis contextas fidelibus tradit: vt tamen breuitas illas commendaret, & facilem earum redderet vsum, pauciss ima epitheta concinnauit; & ideò operæ pretium me facturum duxi, si laborem hunc susciperem, vt ferè omnia honorifica nomina, & celebriora epitheta, quibus tam diuina eloquia, quàm Sancti Ecclesiæ Magistri, Deiparentem cohonestarunt, hac vna homilia perstringerem: id, Deo fauente, nunc præstabo, fonte, vnde illa hauserim, ferè semper adnotato.

A.

AVla cœlestis. D. Ambrosius ad Sirenum, li. 10. ca. 81. *D. Ambros.*

Altare thymiamatis. D. Ambr. li. 2. de Virginibus.

Altare Dei. Psal. 42. *Psalm 42.*

Altare animatum, panis vitæ. Method. in orat. ad hypopant. *Method.*

Agna immaculata. Georg. Nicomed. epis. orat. de oblat. De paræ. *Georg Nic.*

Aula Regis æterni. D. Aug. initio ser. 1. de Assumpt. *August in.*

Arca noui testamenti. Ildephons. ser. 1. de Assumpt. *Ildephons.*

Arca Noe. Esichius sermon 2. de Sancta Deipara. *Esichius.*

Hymn. Eccl. Alma mater. Ex hymno. Auc maris stella.

Andr. Hier. Area vitæ. Andreas Hierosolymitanus in salut. Angel.

Nicephor. Auxilium Christianorum. Nicep. Call. li. 18 Eccl. h storiæ ca. 33.

Prou. 8. Ab æterno ordinata. Prou. 8

Canisius. Aurora consurgens. Eccleſiast. 5. Canis. li. 1. ca. 12.

Lucæ 1. Ab Angelo humiliter salutata. Luc. 1.

Exod. 15. Arca testimonij. Exod. 15.

August. Auctrix meriti. D. Aug. ser. de Assumptione.

Luc. 2. Matth. 2. A pastoribus & Magis cum filio inuenta. Lucæ 2 & Matth. 2.

Greg. Naz. Aduocata nostra. D Greg. Nazia. in tragœdia Christi patient.

Orat. Obse. Aquæductus cœlestium gratiarum. Oratio. Obsecro te Domina.

Cantic. 4. Arca Noe Salutaris. Cant. 4.

Ildephons. Aula Spiritus sancti. Ildephons. serm. 2. de Natiu. B Mariæ.

Chrysipp. Armarium vitæ. Chrysip. Hierosol. ser. de S Deipara.

Ildephons. A Philosophis sanctis præfata Ildepho. ser. de Assumpt.

Bernard. Auxiliatrix præsens. D. Bernar. serm. 2. de Aduentu.

Augustin. Auctrix meriti benedicta. D. Aug. ser. 6. in natiu. Domini.

Ephræm. AEgrotantium exultatio. Ephræm in orat. de laudibus B Mariæ.

Epiphan. Affectatrix Iesu perpetua. D. Epiphan. hæres. 78. contra Antidicomarianitas.

Giselbert. Angelorum gloria Giselbert. in alterca. Synag & Eccles. ca. 7 & 19.

Damasc. Abyssus gratiæ. D. Damasc. de dormit. Deiparæ.

Methodius. Animatum altare. S. Method. mart.

Ignatius. Animatum Dei templum. S. Ignatius martyr.

Ancora, portusque tutissimus. Idem.

Bernard. Apotheca. D. Bernard.

Chrysipp. Armarium vitæ. Chrysipp.

Esichius. Arca latior, longior, & illustrior arca Noe. Esichius.

Ildephons. AEterna virginitas. Ildephons.

Aduocata omniũ iniquorum, ad ipsam confugientium. Dionys. Dichel. Dio. Dichel.

B.

BAlsamum aromatizans. Eccl. 24. Botrus Cypri. Cant. 1. Benedicta inter mulieres. Lucæ 1. Eccl. 24. Cantic. 1.

D. Bernardus serm. 4. in natali Domini. Bernard.

Bethlehemitica cisterna, Dauidem refocillans. Methodius martyr. Methodius.

Benedicti seminis augusta parens. Diuus Bernardus. Bernard.

C.

CAptiuorum redemptrix, & omnium salus. S. Ephræm Diaconus serm. de laudibus Virg. Mariæ. Ephræm.

Complementum Trinitatis. Eucharius oratione de Beata Virgine, quę refertur to. 5. Bibliothecæ Sanctorum Patrum. Eucharius.

Cinnamomum. 2. Par. 4. 2. Par. 4.

Cunctis desiderabilis. Ignatius epist. ad Ioan Euang. Ignatius.

Christianorum perfugium. Damascen. serm. de dormit. Damasc.

Castimoniæ præsidium. Petrus Canisius li. 2. ca. 13. Canisius.

Captiuorum redemptrix, & omnium salus. S Ephræm. Ephræm.

Castrorũ acies ordinata. Andreas Cretensis non vulgaris auctor. And. Cret.

Confortatrix Martyrum. D. Bonau. Bonauent.

Creatoris mater. S. Method. mart. Method.

Cœlestis thesaurus Deitatis, vel (vt alij) legunt) veritatis. Origenes. Origen.

Cœli, & tetræ summa Domina, & vnica Dominatrix, super chorus Angelorum exaltata. D. Anselmus. Anselm.

Clibanus intellectualis, qui ignem, & panem vitæ calidum mundo in esum attulit. D Epiph. Epiphan.

Complementum Trinitatis. Esichius. Esichius.

Castellum, in quod intrauit Iesus. Diuus

Bernard. Ephræm. uus Bernardus ſerm. 2. de Aſſumptione B. Mariæ. & Ephræm orat Beatæ Marię ſermone de Aſſumptione Deiparæ.

Luc. 1. & 2. Cauſa noſtræ lætitiæ. Lucæ 1 & 2.

Eſichius. Cathedra Cherubina. Eſichius ſer. 2. de S. Deipara.

Georg Nic. Candelabrum aureum. Georg. Nicom. orat. de obitu B. Virg.

Bernard. Luc. 2. Caſtellum Ieſu. D. Bernard. ſerm. 2. de Aſſumpt. & Luc. 2.

Bernard. Conſolatrix peccatorum. D. Bern. ho. 2. ſuper Miſſus eſt ſub finem.

Eccl. 24. Ildephonſ. Cedrus exaltata in Libano. Eccl. 24. & Ildephon ſer. 1. de Aſſumpt.

Eccl. 24. Cypreſſus in monte Sion. Eccleſiaſt. capite 24.

2. Reg. 26. Method. Ciſterna Bethlehemitica. 2. Reg. 26. & Methodius oratione de hypopante Domini.

Pſalm 86. Auguſtin. Ciuitas Dei. Pſalm 86. D. Aug. de ciuit. Dei li 17. ca. 16. & Brun. ſer. de laud. B. Mariæ.

Cant. 2. Bernard. Epiphan. Columba formoſa. Cant. 2. D. Bernard. ſer. 2 de Aſſumpt. Columba pura, & omni Angelico exercitu formoſior. D. Epiph. ſer. de laudibus beatæ Mariæ.

Luc. 2. Off. Eccl. Cum filio dulciter conuerſata. Luc. 2. Cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur. Ex Off. Eccl.

Pſalm. 44. Cuius vultum deprecantur omnes diuites plebis. Pſal. 44.

Luc. 1. Cantic. 6. Eccl. 24. Geneſ. 6. Cant. 6. Chryſoſt. Cunctis generationibus beatiſſima prędicata. Luc. 1. & Cant. 6. Cuius ſpiritus ſuper mel dulcis. Eccl. 24. Ciuitas refugij. Geneſ. 6. Cunctas hæreſes ſola interimēs. Can. 6. Columba in medio accipitrum, D. Chr. ho. 2. de patientia Iob.

Eſichius. Cathedra non inferior. Eſichius ſer. 2. de Deipara.

Methodius. Comprehenſio omnia comprehendentis. S. Method. martyr. in orat. habita ob hypopant. Dom.

Andr. Hier. Cœlum, in quo Sol ſplendet. Andreas Hieroſol. in explicatione ſalutationis Angel.

Chriſtianorum propugnatrix. Andreas Cretenſis in encomio de dormitione beatæ Virg. *Andr. Cret.*

Cartha diuiniſſima. S. Ephræm Diaconus Eccleſię Ediſſen. oratione de laudibus Mariæ. *Ephræm.*

Cœlum, & ſedes Dei. Sanctus Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Pſal. 44. *Germanus.*

Corruptionis interitus. S. Sergius de Mariæ natiuitate. *Sergius.*

Cauſa ſalutis humani generis. Irenæus li. 3. ca. 33. contra hæreſes. *Irenæus.*

Conſolatio infirmorum. Giſelber. in alterc. ca. 7. 14. & 19. *Giſelbert.*

Contritio prauitatis hæreticæ. Sophrō. vel (vt alij volunt) Hier. in ſerm. de Aſſumpt. Virg. *Sophron. Hieron.*

Clauſtrum pudoris integrum. Ildefonſus in fine ſer. de parturitione beatæ Mariæ. *Ildefonſ.*

Circumſcriptio incircumſcripti Dei. Method. orat. de hypopan. Dom. *Methodius.*

Cœlum, in quo Dei gloria ſplendet. Andreas Hieroſol. in ſalut. Angel. *Andr. Hier.*

Cubiculum ortus Chriſti purum. Chry. in orat. de Annunc. Virg. *Chryſ.*

D.

DOminatrix vnica ſuper choros exaltata. D. Anſel. lib. 1. excellent. beatæ Mariæ, cap. vlt. *Anſelmus.*

Domus ſapientiæ. D. Hieron. libr. 30. in Iſaiam ca. 7. *Hieron.*

Domina Regum. Ildephonſus ſer. 4. de Aſſumpt. *Ildefonſ.*

Domus glorioſa. Georg. Nicom. orat. de oblat. Deiparæ, *Georg. Nico.*

Domina rerum omnium. D. Ioan. Damaſcenus libro 4. cap. 15. de fide orthodoxa. *Damaſcen.*

Deſiderata gentibus. Bernard. Epiſt. 174. ad canon. Lugdun. *Bernard.*

Dulcedo animarum credentium. Bern. in explic. hymni Salue Regina. *Idem.*

Decus omnium honorificentiſſimum. Damaſcenus de dormit. B. V. *Damaſc.*

Ambros. Disciplina omnium. D. Ambr. lib. 2. de Virginibus.

Rupert. Cant. 4. Dei sponsa. Rupert. lib. 7. de gloria Trinitatis, & processione spiritus S. c. 13. & Cant. 4.

Andr. Hier. Decus Patriarcharum. Andreas Hierosol. in salut. Angel.

Bernard. Cantic. 8. Delicijs spiritualibus affluens. D. Bernard. serm. 4. de Assumpt. & Natiuit. Mariæ. & Cant. 8.

Idista. Doctrix doctorum. Idista in li. contemplat. de Virg. ca. 30.

Cantic. 6. Brun. Carth. Decora sicut Hierusalem. Cantic. 6. & Brun. Carthus.

Damasc. Domicilium Verbi Deum decens. Damasc. li. 4 de fide ca. 15.

Gene. 43. Desiderium collium æternorum. Ge. 43.

Ioan. 2. Deficiente in nuptijs vino fidelium deprecata. Ioan 2.

Luc 2. Doloris gladio transfixa. Luc 2.

Apoc. 12. Duodecim stellis coronata Apocal. 12.

B Damian. Greg. Naz. Dea subintelligitur per participationem. B. Damianus sermon. 2. de natiuit B. Virg. & Greg. Naz. orat. de Christo patiente.

Epiphan. Dei & hominum mediatrix. Epiph. ser. de Deipara.

Off. Eccl. Domina Angelorum. ex Ecclesiæ off.

Andr. Cret. Declaratio occultorum, & profundorũ. Andr. Cretens. de laud. Virg.

Damascen. Deipara benedicta. Damasc. in hymno de Assumpt. B. Mariæ.

B Damian. Domina benignissima. Petr. Damian. ser. 1. de natiuit. B. Mariæ.

Anselm. Domina pijssima. D. Anselmus libr. de excell. B. Virg. ca. 12.

Chrysost. Domina immaculata. Chrysostomus in lythurgia.

Galatin. Domina, & magistra Prophetarum. Galatin. li. 7. de arcanis Cathol. veritatis, ca. 4. & 12.

Domus aurea.

Methodius. Dei indumentum. S. Method. martyr.

Dilectionis thesaurus. Idem.

Diuinæ charitatis promptuariũ. Idem.

Bernard. Domina mundi. D Bernardus.

Damasc. Dulcissimum Annæ pignus. D. Ioannes Damasc.

Domicilium cœlo præstantius. B. Andreas Hierosol. *Andr. Hier.*

Diuinorum oraculorum diuini archetypi imago. Idem.

Dulcedo nostra.

Diuinæ incomprehensibilitatis summa. B. Andreas Hierosol.

Delinquentium spes. B. Laurentius Iustinianus. *Laur. Iust.*

Decus, & ornamentum. Proclus Episc. Cyzicenus. *Proclus Epi.*

Domina super omnes benedicta.

E.

EXimium vniuersi terrarum orbis decus, & ornamentum. D. Cyrill. Alex. homil. 6. in Nestor. *Cyrill. Alex.*

Ex AEgypto in Nazareth reuersa. Matthæi ca. 2. *Matth. 2.*

Electa vt sol. Cant. 6. *Cantic. 6.*

Euæ aduocata. D. Epiph. *Epiphan.*

Eua. Gen. 2. *Genes. 2.*

Esther. 3. Reg. 19. *3. Reg. 19.*

Expectatio præmiorum nostrorum. D. Aug. ser. 2. de Annunc. *August.*

Exemplum perfectionis. D. Hieron. sub init. ser. de Assumpt. *Hieron.*

Electa ex omnibus. D. Bernard. epistol. ad Canonicos Lugdunenses. *Bernard.*

Exaltata super choros Angelorum. Idẽ ser. 4. de Assumpt.

Exemplum virginitatis, & humilitatis. Lucæ 1. & D. Bernard. serm. 4. super Missus est. *Lucæ 1. Bernard.*

Exemplar Confessorum. D. Bonau. *Bonauent.*

Ecclesię fundatrix. Diuus Cyrillus Alexandrinus. *Cyrill. Alex.*

F.

FAx fidelium. Method. orat. de hypopant. Domini. *Methodius.*

Fœderis arca. Diuus Ambrosius ser. 81. & Laurentius Iustinianus Patriarcha Venetus serm. de Natiuit. B. Mariæ. & Damascen. serm. dormit. Deiparæ. *Ambros. Laur Iustin. Damasc.*

Fons

Method. Fons humanitatis filij Dei. Method. in Threnis, & orat. in hypopant. Dom.

Ruper. Fauus distillans. Ruperr. comment. in Matth.

Methodius. Fons vberrimus totius sanctitatis. Methodius oration. in hypopant.

Esichius. Fons signatus. Esichius, vbi sup.

Ildefonsus. Ildefonsus sermone 4 de Assumptione, &

Hieronym. sermone 1. de Natiu. B. Mariæ. D. Hieron. aduersus Iouinianum ex apologia ad Pammachium.

Augustinus. Forma Dei Diuus Augustinus serm. 2.

Ildefonsus. de Assump. Ildephons. serm. 2. de natiuit. Beatę Mariæ.

Meth. mar. Forceps carbonis ardẽtis seraphica. Methodius mart. orat. de hypopante Domini, &

Andr. Hier. Andreas Hierosolymitanus orat. in salutationem Angelicam.

Augustinus. Flos campi. D. Augustin. ser. 18. de sanct.

Cant. 2. in initio, & Cant. 2.

Fons lucis, omnem hominem illuminantis. Ioan. 1. D. August.

Ioan. 1.

Augustinus. Fide perspicua. Lucæ 1.

Luc. 1. Fons lucis. Esther 10.

Esther 10. Fons perẽnis curationum. Ecclesiast. 24.

Eccles. 24. Fons, vniuersam terram irrigans. Da-

Damascen. masc orat. 2. dormit. Deiparæ.

Festiuitatis nostræ principium, mediũ,

Methodius. & finis. Method. orat. ad hypopan. Domini habita.

Damascen. Fons perenniter fluens. Damasc. orat. de dormit. Virginis.

Fulgentius. Fenestra Cæli D. Fulgentius ser. de laudib. Mariæ.

Laurentius. Fidei magisterium. B. Laurent. Iustinia-

Iustinianus. nus ser. de Natiuit. Mariæ.

Bernardus. Fortitudo Martyrum. Diuus Bernardus serm. vlt. de Assumpt. B. Mariæ sub finem.

Bruno. Filia superni Regis nobilissima. Brun. ser. de Natiuit. Mariæ.

Nazianzen. Filia cęlestis, & intus glorioſa. Nazianz. in Christo patiente.

Fœmina supra omnes admirabilis. Di-

Bernard. uus Bernardus hom. 2. super Missus de laud. Mariæ.

Augustinus. Fœmina super omnes benedicta. Diuus August. ser. 18. de Sanctis.

Fœminarum omnium sanctissima, & beatissima. Ildephon. sermone 1. & 4. de Assumptione. *Ildefonsus.*

Forma disciplinę Christi D. Hieronym. non longè à princip. ser. 1. de Assump. tom. 4. *Hieronym.*

Filij resurrectione exhilarata. Nyssen. *Nyssenus.*

Festiuitas, & honor Virginum.

Fidelium fax Method. mart. *Methodius.*

Filia Dei Patris.

Fidelium turris. Diuus Ioannes Damas- *Damascen.*
cenus.

Flos de spinis sine spina.

Fœminarum restauratio. Diuus Fulgen- *Fulgentius.*
tius.

G.

GLoriosa Dei Genitrix. Ildefons. ser. 2. de Assumpt. *Ildefonsus.*

Gratia plena. Lucæ 1. *Luc. 1.*

Gaudium omnium Beatorum. Diuus Bernardus serm. 1. de Assumpt. Beatę Mariæ in princ. *Bernar.*

Gloria Hierusalem. Iudith. 13. *Iudith. 13.*

Gloria Prophetarum. S. Ephrẽm diaconus Ecclesiæ Edessenæ, oratione de laudib. Mariæ. *Ephræm.*

Genitrix Christi pijssima. Ildefons. serm. 7. de Assumpt. *Ildefonsus.*

Genitrix factoris mundi. Ildefons. initio capitis primi de virginitate Beatę Mariæ.

Genitrix genitoris sui. Chrysolaus ser. 143. in euang. de Annunciatione. *Chrysolaus.*

Gaudium nostrum ineffabile. Metho- *Methodius.*
dius orat. in hypopante Domini.

Genitrix Dei.

Gestatrix, verbo suo omnia portantis. Methodius mart.

Gloria regni cælestis.

Glorificata, Deoque digna sedes. Diuus Methodius mart.

Germen iustitiæ in opido iniquitatis Diuus Ioannes Chrysostomus. *Io. Chrysost.*

H.

HOnor Martyrum. Ephrẽm in orat. de laud. Beatæ Mariæ.

Habitaculum illius, qui nusquã

Andr Hier. capitur, amplissimum. Andr. Hierosol. in salut. Angel.

Habitaculum incomprehensibilis naturæ. Chrys. orat. de Annunc. Virg. *Chrysost.*

Esichius. Hortus conclusus. Esichius presbyter Hierosolym homilia 2 de laud. Virg. Chrysipp. presb. Hierosol. sermone de sancta Deipara. Greg. Nicomed. Episcopus orat. de oblat. Deiparæ. Hierō. in apol. ad Pammachium. *Greg. Nic. Episc.*

Iudith c. 13. Honorificentia populi nostri. Iudith. 13.

Augustinus. Humani generis reparatrix. D. Augustinus de fide ad Petrum.

Bernard. Hortus deliciarum. D Bernard. serm. de nat. B. Mariæ, Cant. 7.

Bernard. Hæreticorum interemptrix. D Bernard. serm. de beata Maria ex Apocal. qui habetur post reliquos in festo Assumpt. eiusdem Deiparæ.

Methodius. Humanitatis filij Dei fons S. Methodius mart.

Humanæ festiuitatis principium, medium, & finis. Idem author.

I.

Serg Hier. IMmortalis fons. Sergius Hierosol. de natiuit. Virg. Mariæ.

Ildefonsus. Ianua Cæli. Ildefons. serm. 1. & 4. de Assumpt. Psalm. 74. Ruper. in Matth. lib. 1. de gloria, & honore filij Dei.

Ianua clausa. Ioan. 20. Ildefonsus sermone de partur. Beatæ Mariæ. Hieronymus contra Iouinianum in apolog. ad Pammachium.

Cant. 5. Inter omnes præelecta Cant. 5.

Nysseuus. In templo præsentata. Nyssenus de hum. Christi generat.

Matth. 1. Iusto Ioseph desponsata. Matth. 1.

Luc. 1. Inter mulieres benedicta. Lucæ 1.

Matth. 2. In Aegyptū cum filio ingressa Matth. 2.

Actor. 2. In die Pentecostes sancto Spiritu repleta. Actor 2.

Psal. 44. In vestitu deaurato circumdata varietate. Psalm. 44.

Bernardus. Inuentrix gratiæ. Diuus Bernardus ser. 2. de aduent. & epist. 174. & sermo de Assumpt.

Immortalis fons. Sanctus Sergius de Mariæ natiuit. *Sergius.*

Impollutus, & purus illibatæ virginitatis thesaurus. Proclus Episcopus Cizicenus 1. tom. Conc. Ephes. *Procl. Episc.*

Iudith. Iudith 8. *Iudith. 8.*

Ianua filij Dei. Diuus Augustinus serm. 14 de natal. Deiparæ, qui est 18. de temp. *Augustinus.*

Introitus vitæ. Ildefons. serm. 4. de Assump. *Ildefonsus.*

Incircumscripti circumscriptio. Metho. mart. *Methodius.*

In bello versantibus munitissimū propugnaculum. S. Ignat. mart. *Ignatius.*

Imperatrix Angelorum.

L.

LIbanus non incisus. Eccles 24. *Eccles 24.*

Lignum vitæ. D. Bern. sub finem, serm. de aduentu. *Bernard.*

Lilium inter spinas. Ildefons. serm. 1. de Assumptione, & Cant. 2. *Ildefonsus.* *Cant 2.*

Lapis abscissus sine manibus. Irenæus li. 1. aduersus hæreses cap. 28 Damascenus sub finem carm. de Annunciat. Ildefonsus capite 6. de virginit. Beata Mariæ. *Irenæus.* *Damascen.* *Ildefonsus.*

Lectulus Salomonis. Georgius Nicomed. in orat. de oblat. Deiparæ. *Georg. Nic.*

Lilium conuallium, Cant. 2. *Cant. 2.*

Liber obsignatus. Apoc. 5. Georgius Nicomed. vbi supra. *Cant. 2.* *Georg N.*

Lampas inextinguibilis. D. Bernard. in fine ser. 2. de Assump. B Mariæ, & Damasc. orat. de dormit. Deiparæ. *Bernar.* *Damascen.*

Lucerna inextincti luminis. D. Cyrill. homil. 6. in Nestor. *Cyrillus.*

Lucerna inextincta. Prouerb. 31. *Prouerb. 31.*

Lignum vitæ. Genes. 2. *Genes. 2.*

Legi Purificationis sponte subiecta. Lucæ cap. 2. *Lucæ 2.*

Lætitia Israel. Iudith 13. *Iudith 13.*

Lumen Virginum. Nazianzenus carm. de Virginitate. *Nazianzen.*

Lætitiæ instrumentum. Andreas Hierosolymitanus. *Andr. Hier.*

Liber

Epiphan. Ioan. Pico. Liber incomprehensus, qui verbum Patris mundo legendũ exhibuit. Epiphanius serm. de laudib. Virg. Ioanne Pico interprete.

Ephræm. Lumen studiosorum. Sanctus Ephræm diacon. Eccl. Edessenæ orat. de laud. Mariæ.

Hieronym. Lucida nubes. D. Hieron.

Cant. 1. Lectulum floridum. Cant. 1.

Lampas ardentissima. D. Bernar. in fine sermon. 2 de Assumpt.

Ephræm. Lætitia sanctorum. Ephræm orat. de laud. Mariæ.

Gregor. Nazianz. Lumen Virginum. D. Greg. Nazianzen. in Christo patiente.

Bonauent. Lucerna Ecclesiæ. D. Bonau. in speculo Beatæ Mariæ.

Ephræm. Lucerna micantissima. Ephræm in orat. de laudib. Mariæ.

Chrysipp. Lilium in medio spinarum. D. Chrysipp. homil. 2. de patient. Iob.

Andr. Hier. Lætitiæ instrumentum. Andr. Hierosol.

Hieron. Lucida nubes. D. Hieronym.

M.

Magistra Euangelistarum, & doctrix Apostolorum.

Epiphan. Mater viuentium. D. Epiphan. contra hæreses lib 3. cap 2.

Ruper. Mater Christi vera. Rupert. 1. de operib. S. Spiritus c. 10. hæres. 78.

Chrysol. Chrysolog. serm. 140.

Augustinus. D. Augustinus ser. 2. de natiuitate.

Damascen. Mater Verbi Dei. Diuus Damasc. orat. de dormit. B. Mariæ, seu de Assumpt. B. Mariæ, Ildefons. serm. 2. de natiu. Beatę Mariæ.

Augustinus. Mater summi, atque incommutabilis vnigeniti Dei. Diuus Augustinus de fide Patrum.

Ildefons. Mater pulchræ dilectionis. Ildefons. serm. 1. de Assumpt.

Guaricius. Mater altissimi. Guaricius sermone 1. de Assumptione.

Ildefons. Mater Creatoris nostri. Ildefons. serm. 3. & 4. de Assumpt.

Gregor. Mons Ephraym. Greg. Papa in lib. 1. Regum cap. 1.

Mater luminis. D. Io. Damasc. in hymnis de Assumpt. Io. Damasc.

Mulier fortis. D. Bernard. homil. 2. super Missus est, Innoc. III. Bernard. Innoc. III.

Mater salutis. Diuus Bernardus serm. de Aduentu, ser. 2. de Assumpt. B. Marię, Prouerb. 31. Dion. Carthus. li. 3. de laudib. Virg. artic. 1. & in 3. cap. Genes. & Diuus Bernardus serm. de aquæductu in Natiuit. beatæ Mariæ. Bernard. Prouer. 31. Carthus. Bernard.

Mater gratiæ. Diuus Anselmus lib. de excell. Virg. cap. 12. Anselmus.

Mater sempiterni gaudij. Andreas Hierosolymitanus in salutatione Angelica. Andr. Hier.

Mater, & genitrix vitæ. D. Athanas. in Euang. de Deipara serm. contra hæreses. Athanas.

Mulier amicta Sole. Diuus Augustinus lib. de Symb. ad Catech. cap. 1. Apocalypsis 12. Augustinus.

Mater omnibus modis irreprehensa. D. Bernardus in eadem verba. Bernard.

Mater glorioſior, quàm Seraphim. Iacob, & Chrysost. in Liturgijs. Chrysost.

Mulier circumdans virum. Hierem. cap. 31. Ildefonsus li. de perpet. virgin. & part. hom. 2. de Beata Virgine, & in verba Apoc. 12. Diuus Augustinus ser. 18. de sanct. Hierem. Ildefons. Augustinus.

Mater castissima. Ildefonsus sermone 6. de Assumpt. Ildephonsus.

Mater celeberrima. Ephræm, orat. de laud. B. Mariæ. Ephræm.

Mulier duodecim stellis coronata, Apoc. 12. Luc. 1. Bernardus in eundem locum Apocal. Apoc. 12. Luc. 1. Bernard.

Mater sacrosanctissima. D. Bernard. ser. 2. dom. 2. post oct. Epiphanius serm. 1. de Assumptione. Bernard. Epiphan.

Mater Domini præ omnibus gloriosa. Ildefonsus lib. de perpet. virginitate, & parturit. B. Mariæ. Leo Magnus homil. 1. in Euang. Euthymius in 12. caput. Matthæi. Ildefonsus. Leo Magnus Euthym.

Mulierum decus. Ildefonsus ser. 1. & 4. de Assumptione. Ildefons.

Magistra gentium. Diuus Aũgust. sub finem Augst.

finem serm. 6. de natal. B. Mariæ.

Epiphan. Mediatrix nostra. D. Epiphan. homil. de laudib. Virg.

Magistra, & Illuminatrix Apostolorũ.

Idista. Idista nomine, re doctissimus li. contemp. de Beata Maria capite 2. Diuus

Antonin. Antoninus 4. part. summæ titu. 15. & Beata Brigitta de Virginis excellentia orat. 4.

Bernard. Mediatrix salutis Diuus Bernardus epistol. 174.

Method. Margarita cælestis Method. orat. de hypopant. Domini.

Bernard. Mediatrix mundi. Diuus Bernardus epistola 174. & sermone secundo de aduentu.

Margarita Orbis terrarum pretiosa. Di-

Cyrillus. uus Cyrillus homilia sexta in Nestorium.

Mediatrix pacifica inter summa, & infi-

Giselber. ma. Giselbert. in altercat. synag & Ecclesiæ cap. 6 & 14.

Andr. Cret. Miraculorum effectrix. Andr. Cretens. in 2. encomio de dormit. Virginis.

Mensa, in qua panis vitæ est propositus.

Georg. Nic. Georgius Nicomed. orat. de oblat. Deiparæ in templo.

Chrysipp. Magnum mundi miraculum. Chrysip. in hypopant. Domini.

Psalm. 67. Mons pinguis. Psalm. 67

Ildefons. Ildefonsus lib. perpet. virginit. Beatæ Mariæ.

Andr. Hier. Andreas Hierosolymitanus, in salutatione Angelica.

Ildefons. Mansio Imperatoris cælestium. Ildefonsus capite secundo de virginitate Mariæ.

Genes. 8. Mysticis præfigurata miraculis, Gen. 8.

Mons Domino in vertice montium præparatus. Isai. 2.

Mater, & Virgo singularis insignita ti-

Cyprian. tulis. Diuus Cyprianus sermone de Natiuitate Christi tomo secundo.

Exod. 25. Mensa panis propositionis. Exod. 25.

Bernard. Medium terræ. Diuus Bernardus sermone secundo in die Pentecostes.

Eccles. 15. Mater honorificata Ecclesiast. 15.

Ioan. 6. Mensa panis propositionis. Ioan. 6.

Genes. 3. Mater misericordiæ. Genes. 3. Diuus Bernardus ser. 2. Dominicæ primæ post Epiphaniam. *Bernard.*

Mater sanctæ spei Ecclesiast. 24. *Eccles. 24.*

Mater pulchræ dilectionis. Ibidem.

Margaricum aurum, ex quo cælestis agricola suam sine semine spicam eduxit. Andr. Hierosolymit. in explicat. salut. Angel. *Andr. Hier.*

Mensa Virginea, optimis quibusque cibis abundans. Diuus Epiphanius ser. de laudib. Virg. Ioanne Pico interprete. *Epiphan.*

Mundi saluatrix. Dionys. Richel. lib. 2. de laudib. B. Virg. art. 9. *Dionys.*

Mater matrum. Giselbertus apud Trithemium. *Giselber.*

Maria soror Moysis. Exod. 6.

Mater, & Virgo incorrupta. D. Bonau. in speculo Mariæ. *Exod 6. Bonauent.*

Mater Dei beata. D. Epiphanius lib. 3. hæres. 78. *Epiphan.*

Mater Dei sancta. Diuus Cyrillus hom. 6. in Nestor. *Cyrillus.*

Mater Dei penitus incontaminata. Diuus Iacobus & Chrysostomus in Liturgijs. *Iacobus, & Chrysost.*

Mater Dei intemerata Ioan. Constant epist. ad Ioan. Episc. actione quarta Synodi 4. *Ioan. Const.*

Mater Dei præstantissima. D. Dionys. Carthus. lib. de laud. Virg. art. 3. & lib. 2. articulo 23. *Carthus.*

Magistra Euangelistarum, & doctrix Apostolorum.

Mater Christi, Mater Dei, Mater diuinæ maiestatis.

Medicina peccatorum.

Mortis destructrix.

Mater diuinæ gratiæ. Diuus Anselmus. *Anselm.*

Mater timoris, & agnitionis. Idem author.

Magistra magistrorum. Rupert. Abbas. *Rupert.*

Maria Regis cælestis domus immaculata.

Origenes, Ecclesiasticæ scholæ apud Alexandriam facilè Princeps. *Origen.*

Magnificum diuinæ gloriæ templum. Diuus Bernardus. *Bernard.*

Mar-

Margarita. Diuus Bernardus.

S. Ephræm. Martyrum honor. S. Ephræm diaconus Eccles. Edessenæ.

Greg. Mons in vertice montium. Diuus Gregorius Magnus.

Dion. Dich. Maria Christifera. Dionys. Dichelius.

Mulier, fata tria fermento commiscens. *Matth. 13.* Matth. 13.

N.

NArdus, quę dedit odorem suum. *Cant. 1. D. Bernar.* Cant. 1. D. Bernar. sub finem, ser. 4. de Assumpt. B. Mariæ.

Nauis institoris de longè portans, panem, *Prouerb. 31.* Prouerb. 31.

Isai. 19. Nubes Domini leuis. Isai. 19.

Nutrix nutritoris omnium viuentium. *Chrysolaus.* Chrysolaus ser. 143. in Euang. de Annunciatione.

Cyrillus. Norma rectæ fidei. D. Cyrillus Alexandrin. hom. 6. cont. Nestorium.

Method. Nutrix omnia nutrientis. Sanctus Method. mart.

Bernard. Nauis in medio maris. D. Bernard.

O.

OFficina medicinæ ægrotantibus. *Damasc.* Diuus Ioannes Damascen. de dormit. Deiparæ.

Ambros. Obsequium deuotionis. D. Ambros. lib. 2. de virginibus.

Ildefons. Oliua in domo Dei fructifera. Ildefonsus serm. 4. de Assumpt. *Georg Nic.* Georgius Nicomed. loco proximè notato.

Isai. 7. Oraculis pronũtiata Propheticis. Isai. 7.

Cyrill. Orbis terrarum margarita preciosa. Diuus Cyrillus hom. cont. Nestor.

Damasc. Ordinata ab æterno. Diuus Ioannes Damascenus lib. 4. cap. 8.

Ambros. Oleum effusum. D. Ambros. cap. 13. instit. virgin.

Ildefons. Oliua speciosa in campis. Ildefon. ser. 1. de Assumpt.

Ambros. Olla regalis spei nostræ. D. Ambros. in instit. Virg.

Ortus solis, nullum ferens occasum. Chrysipp. presb. serm. de sancta Deipara. *Chrysipp.*

Obses fidei nostræ apud Deum D. Augustinus serm. 6. de Natiu. Virg. *Augustin.*

Omnium cordis dolorum medicamentum. Diuus Ioannes Damascenus de dormit. Deiparæ. *Damascen.*

Ouis in medio luporum. Diuus Ioannes Chrysostomus. *Io. Chrysost.*

Omnibus firmamentis firmius firmamentum. D. Bernard. *Bernard.*

Ornatissimum diuinę glorię templum. B. Andr. Hierosol. *Andr. Hier.*

Omnis sãctitatis thesaurus. Andr. Cret. *Andr. Cret.*

Omnibus omnia facta.

Orphanorũ susceptio. S. Ephræm. diac. Eccles. Edessenæ. *S. Ephræm.*

Omnis puritatis receptaculum. S. Germanus Patriarch. Constantinop. *German.*

Oliua fructifera. Ecclesiast. 24. *Eccles. 24.*

P.

PRatum totius flagrantiæ Spiritus sancti. Chrysipp. ser. 2. de sancta Deip. *Chrysipp.*

Paradisus voluptatis. Ephræm Basilij Magni diaconus orat. de laud. Beatę Mariæ. *Ephræm.*

Promptuarium diuinæ charitatis. Methodius oratione de hypopante Domini. *Methodius.*

Paradisus rationalis. Diuus Chrysostomus orat. de Annunc. Virg. *Chrysost.*

Porta Cæli. Method. orat. habita ad hypopant. Domini. *Methodius.*

Propugnaculum fidei Christianorum. Andr. Cretens. in encomio de dormitione B. Virg. *And. Cret.*

Paradisus spiritualis. Iacob in liturgiam. *Iacob.*

Puteus aquarum viuentium Ildefons. ser 4. de Assumpt. & serm. 1. de Natiuit. B. Virg. & Cant. 4. Chrysipp. ser. de sancta Deipara. *Ildephons. Cantic. 4. Chrysipp.*

Patribus cælitus promissa. Genes. 3. *Genes.*

Planta cælestis. Diuus Bernardus sub finem ser. 2 de Aduentu. *Bernard.*

Ezech. 44. Porta Orientalis clausa. Ezech. 44.
Cant. 6. Pulchra vt Luna. Cant. 6.
Eccles. 24. Palma in Cades. Ecclesiast. 24.
Plantatio rosæ in Iericho. Ibidem.
Platanus iuxta aquas. Ibidem.
Bernard. Propitiatorium vniuersæ terræ. D. Bernard. serm. 1. de Assumpt.
Per quam post Deum totus viuit Orbis terrarum. Exod. 25.
Exod. 25.
Cyrillus. Præconium Apostolorum. D. Cyrillus homil. cont. Nestor.
Damascen. Pelagus gaudij inexhaustum. Diuus Ioannes Damascen. orat. de dormit. B. Virg.
Purpura regia, quæ Cœli, & terræ Regem induit. D. Epiphā. ser. de laudib. Virg.
Epiphan.
Damasc. Pelagus curationum. D. Io. Damasc. orat. de dormit. B. Virg.
Andr. Hier. Palatium Regis sacrosanctum. Andr. Hierosol. in salut. Angel.
Porta clausa. Ezech. 44. D. Hieronym. in Ezech. lib. 13 cap. 44.
Ezech 44.
Hieron.
And. Cret. Propitiatorium vniuersi mundi. Andr. Creten. de dorm. B. Mariæ.
Ildefons. Pudicitiæ decus. Ildefons. loco notato, D. Ambros. 2. de Virg.
Basilius. Puella gratiosa. D. Basilius hom. 25. de humana Christi generat.
August. Puerpera sublimis. D. August. serm. 2. de Assumpt.
Bernard. Purificatrix posterorum. D. Bernard. homil 2. de laud. Mariæ super Missus est.
Ildefons. Præmium gloriæ nostræ magnum Ildefons. cap. 12. de virginit. S. Mariæ.
Palatium Regis Angelorum animatū.
Io. Chrysost. D. Ioan. Chrysost. in orat. de Annunciat. Virginis.
Portus nauigantium.
Promotrix iustorum.
Prophetissa.
Methodius. Purificantis carbonis forceps. S. Methodius marr.
Preciosa cælestis Regni margarita. Idem author.
Panis vitæ. Idem author.
Ignat. Placida, & officiosa magistra pœnitentiæ. S. Ignat. Mart.
Parētum reparatrix. Diuus Ioannes Damascenus. *Damasc.*
Paradisi deliciæ. Idem.
Petra.
Patrum spes. Sanctus Ephrem diac. Eccl. Edess. *Ephræm.*
Præstantissimum Orbis terræ miraculum. S. Ephræm diac. *Ephræm.*
Pons, per quem Deus ad homines descendit. Proclus Episcop. *Procl. Epis.*

Q.

QVæ Elisabeth cognatam visitasti. Luc. 2. *Luc. 2.*
Quæ filium triduum quæsisti. Ibidem.
Quæ stabas iuxta crucem filij. Ioan. 19. *Ioan. 19.*
Quam laudant astra matutina. ex officio Ecclesiæ. *Offic. Eccl.*

R.

REmedium aduersus dæmones. Diuus Ioannes Damascenus ser. de dormit. Deiparæ. *Damascen.*
Rubus ardens incombustus. Exod. cap. 3. Chrysipp. serm. de sancta Deipara, Ildefons. ser. 1. de Assumpt. *Exod 3.*
Redemptio captiuorum. Ephræm loco iam notato in orat. de laudib. Mariæ. *Ephræm.*
Regina varietate circumdata. Psal. 4. Ildefonsus ser. 1. & 2. de Assumptione, Athanas. homil. in Euang. de sancta Maria. *Psal. 4.* *Ildefons.* *Athanas.* *Psalm. 4.*
Restauratio fœminarum. Diuus Fulgentius serm. de laudib. Mariæ. *Fulgentius.*
Regina stans à dextris. Psalm. 4. Georgius Nicomed. Episcop. orat. de oblat. beatæ Virg. in templo, D. Athanas. vbi supra. *Psalm. 4.* *Georg. Nicq.* *Athanas.*
Radix floris speciosi. S. Method. mart. in orat. de hypopant. Domini. *Methodius.*
Regali progenie exorta. Matth. 1. *Matth. 1.*
Regina Cælorum. D Augustin. serm. 2. de Assumpt. & 35. de sanctis. *August.*
Radix Iesse. D. Hieron. in c. 11. Isaiæ. *Hieron.*
Regina à dextris filij astans. Psal. 44.

Regina

Nazianzen. Regina sanctorum omnium. Nazianz. carm. de virginit.

Chrysipp. Radix bonorum omnium. Chrysipp. ser. de sancta Deipara.

Bernard. Reparatrix vitæ. Diuus Bernardus homil. 2. super Missus est.

Sergius. Receptaculum diuinitatis. S. Sergius de Mariæ natiuit.

Rebeccha Genes. 22.

Athanas. Regina mundi D. Athanas. in Euangel. de sanctissima Deipara.

Serg. Hier. Reuocatrix Eue. Serg. Hierosol. de Natiuit B Virg.

Ildefons. Regina gentium. Ildefonsus sermone 1. de Assumptione.

Bustens. Redemptrix vniuersi. Bernard. Bustens. in fine sui Marialis.

Andr. Cret. Regina omnis humanæ naturæ. Andr. Cretens. in encom. de dormit. B. Mariæ.

Bustens. Recuperatrix perditi Orbis. Bernar. Bustens. in fine sui Marial.

Bernard. Regina clemens. D. Bernar. ser. 4. de Assumpt. B. Virg.

Renouatrix humanæ naturæ. Bernard.

Bustens. Bustens. in fine sui Marial.

Ildefons. Reparatio vitæ. Ildefons. serm. 1. de Assumpt.

Bernard. Reparatrix parentum. Diuus Bernardus homil. 2. de laud. Mariæ super Missus est.

Serg Hier. Reparatrix Adæ Serg. Hierosol. de natiuitate B. Virg.

Bernard. Restauratrix sæculorum. D. Bern. epist. 147. ad Canon. Lugdunen.

Refugium peccatorum.

Regis æterni palatium. D. Bernard.

Rosa. Diuus Bernardus.

Cyrill. Alex. Rectę fidei sceptrum, & norma. D. Cyrill. Alexandrinus.

Rosa mystica.

Chrysipp. Radix omnium bonorum. Chrysippus Hierosol.

Athanas. Regeneratrix, & hera. D. Athanas.

Eccl. 24. Rosa Ierecunthina. Ecclesiast. 24.

S.

Ildefonsus. SAncta Dei Genitrix. Ildefonsus in fine serm. 2. de Assumptione eadem vocat idem serm. 2. de Natiuitate, & ser. 7. de Assumptione.

Sedes glorificata, Deoq; digna. Method. in Threnis. Method.

Sedes eius, qui nullo capitur loco. Damasc. orat. de dormit. B. Mariæ. Damascen.

Sancta Virgo virginū. D. Thom. opusc. 8. circa salut. Angel. Gisilber. in altercatione Synagogæ, & Ecclesiæ cap. 7. Ildefons. ser. de Assumpt. Thom. Gisilbert. Ildefonsus.

Spes Christianorū sanctissima. Ephræm de laud. Virg. Ephræm.

Sacrarium totius diuinitatis. Petr. Damianus ser. 3 de Natiuit. B. Virg. Petr. Dam.

Scala cælestis. Fulgentius sermone de laudib. Virg. Fulgentius.

Scala ad cęlos, & pons ad vitam. D. Aug. serm. 2. in Natiuitate Deiparæ, & 2. de Assumpt. & D Ioannes Damascenus in hymnis, quibus festum Assumptionis celebrat. Augustinus. Damascen.

Speculum sine macula, vel species totius castitatis. Sapient. 7. & Ildefonsus ser. 3. de Assumpt. Sap. 7.

Stella fulgentissima. S. Ephræm in orat. de laudib. B. Virg. Ephræm.

Stella stellarum. Beda hom. in festo Annunciationis. Beda.

Stella vitæ. Hesychius serm. 2. de sancta Deipara. Hesychius.

Soror, & sponsa Dei. Cant. 4 D. August. ser. 6. in natali B. Mariæ, qui est decimus de tempore. Cant. 4. Augustinus.

Sponsa indiuiduæ Trinitatis. Epiphan. ser. de laud. B. Mariæ. Epiphanius.

Sacra, & animata Dei viuentis Arca. D. Ioannes Damascenus hom. de dormit. Deiparæ. Damascen.

Specimen gemmæ, omne pretium excedentis. Chrysippus presbyter Hierosol. ser. de sancta Deipara. Chrysipp.

Sine peccato concepta. Cant. 4. Cantic. 4.

Serpentis caput conterens. Genes. 3. Genes. 3.

Stella Iacob Numer. 24 & D. Bernar. in fine hom. 2. de laudib Mariæ. Bernard.

Scala Cæli. Genes. 27. D. Fulgentius ser. de laudib. beatæ Mariæ. Fulgentius.

Speculum iustitiæ Prouerb. 8. Prouerb. 8.

Isai 7. Singulare virginitatis exemplar. Isai. 7.
Cant. Sponsa Dei. Cant. 4.
Luc. Sancto Spiritu obumbrata. Lucæ 1.
Ierem. 14. Ildefons. Solium gloriæ Dei. Ierem. 14. & Ildefons. ser. 7. de Assumpt.
Cyprian. Sacrarium Spiritus sancti. D. Cyprianus ser. de Natiuit. Christi tom. 2.
Exod. 28. Sanctissimum Dei. Exod. 28.
Cant. 8. Spiritualibus delicijs affluens. Cant. 8.
Super dilectum tuum innixa. Ibidem.
Super choros Angelorum exaltata. Ex officio Ecclesiæ.
Off. Eccl.
Apoc 12. Sub cuius pedibus luna. Apoc. 12.
Offic. Eccl. Super omnes speciosa. Ex officio Ecclesiæ.
Timoth. Signum, cui cõtradicetur. Timoth. presbyt. Hierosol. oratione de Propheta Simeone.
Offic. Eccl. Bernard. Stella maris Offic. Eccles & D. Bernard. serm. de Natiuitate Mariæ, & homil. 2. super Missus est.
Ruper. Sanctæ religionis magistra. Rupert. Abbas lib de operib. Spiritus sancti.
Ignat. Sacratissimum monstrum, & cęleste prodigium. S. Ignat. in epistola ad Ioann. Euang.
Chrysipp. Solis ortus, qui nullum ferre potest occasum. Chrysipp. Hierosol.
Ildefons. Signaculum fidei. Ildefonsus serm. 4. de Assumptione.
Andr. Hier. Sancta tellus, ex qua nouus Adam formatus est Andreas Hierosolymitanus
Hieron. sacrarium Spiritus sancti. D. Hieron. contra Heluidium.
Sacrum Dei fermentum, ex quo Christi corpus tamquam panis conficitur. Idem author.
Bernard. Scala Iacob. Ex ser. D. Bernardi in Natiuitate Beatæ Mariæ.
Epiphan. Splendida lucerna relucens. D. Epiphan. serm. de laud. Virg.
Ireneus. Salutis causa. Irenęus lib. 1. contra hæres.
Genes. 11. Sara. Genes. 11.
3. Reg. 1. Sunamitis. 3. Reg. 1.
Daniel. 13. Susanna. Daniel 13.
Sepulchrum nouum, & signatum Christi. D. Hier. lib. 1. cont. Iouinianum.
Hieron.
Bernard. Stella Iacob. D. Bernard. homil. 2. super Missus est.
Syon sancta. Georg. Nicomed. orat. de oblat. Deiparæ. *Georg. Nicom.*
Stella maris. D. Bernard. ead. hom. 2. post prædicta verba de stella ex Iacob. *Bernard.*
Salus vniuersorum. Giselbert. in alter cat. *Giselbert.*
Synagoga. Eccles. cap 7. & 14. *Eccles. 7. &*
Spes miserorum. Matt. Philadelph orat. 14. ad Virginem.
Spes veniæ delictorum. D. Aug. ser. 2. de Annunciat. qui est 18. de sanct. tom. 15. *Augustinus.*
Spes desperantium. Ephræm in orat. ad B. Virg. *Ephræm.*
Scala peccatorum. D. Bern. ser. de Natiuit. B. Mariæ, & epist. 174. *Bonauent.*
Sceptrum orthodoxæ fidei. D. Cyrillus hom. 6 cont. Nestor. *Cyrillus.*
Secretum verecundiæ. D. Ambros. lib. 2. de Virginib. *Ambrosius.*
Sedes sapientiæ.
Stella matutina.
Speciosissimi floris radix. S. Methodius mart. *Methodius.*
Spiritus sancti vmbraculum. Sanctus Methodius.
Spiritus sancti vmbrosus mons. Idem auth.
Stella in medio nubium. Diuus Ioannes Chrysostomus. *Chrysost.*
Saluatrix mundi. D. Bernard. *Bernard.*
Salus infirmorum.
Scala cælestis D. Fulgentius. *Fulgentius.*
Scala Cæli. D. Fulgentius.
Sanctitatis speculum. D. Laurentius Iustinianus. *Laur. Iustin.*
Sanctuarium Dei.
Sanctorum lætitiæ. S. Ephræm diac. *Ephræm.*
Solatium mundi. Idem author.
Solatium miserorum.
Solatium gloriæ Dei.
Signum contradictionis. Timoth. presb. Hierosol. *Timoth.*
Speculum sine macula.
Secundi Adami Paradisus. Proclus Episcopus. *Procl. Epis.*
Speculum Angelorum.
Singulare perditorum refugium. Dion. Rachael. *Dionys.*

Specu-

Speculum humilitatis.
Spes nostra.
Spiritu sancto plenissima.
Sponsa Dei Patris.
Spes vnica peccatorum.

T.

Cantic.4. TErribilis, vt castrorum acies ordinata. Cant 4.

Ephræm. Thuribulum aureum. Ephræm in orat. de laudib. Mariæ.

Bonauent. Tutissimum singulareque perditorum refugium. D. Bonau. lib. 26. memorabilium.

Cant. 4 Turris eburnea. Cant. 4. Petr. Damian.
Petr Dam. ser. 1. de Natiu. B. Virg.

3. Reg. 10. Thronus Salomonis. 3. Reg. 10. Petr. Da-
Petr. Dam, mian. serm. 1. de Natiuit. beatæ Mariæ, Richard. serm. de Annunc. Domini.

Anselmus. Templum pietatis, & misericordiæ. D. Anselm. de excell. Virg. cap. vlt.

Cant. 4. Turris Dauidica. Cant. 4.

Ildefonsus. Templum cœleste. Ildefons. serm 7. de Assumpt.

Tabernaculum glorię Dei. Ildefons. ser. 7 de Assumpt.

Andr Hier. Templum diuinę glorię ornatissimum. Andr. Hierosol. in salut. Angel.

Ildefons. Templum diuinitatis. Ildefons. ser. 3. de Assumpt.

Arnobius. Terra Domini benedicta. Arnobius in Psalmum 84.

Ildephons. Templum factoris sui. Ildefons. cap. 10. de Virg. S. Mariæ.

Augustin. Templum misericordiæ Dei. D. Augu. ser. 2. de Assumpt.

Cyprian. Thalamus sanctimoniæ. D. Cypr. serm. de Natiu. Christi.

Beda. Terra fonte irrigata. Beda in ca. 2. Gen. tom. 1.

Andr. Cret. Thesaurus sanctissimę sanctitatis. And. Cret. in encomio de dormit. beatæ Virg.

Georg. Nic. Thesaurus noui Testamenti, & arca sanctificationis. Georg. Nicomed.

Bernardin. Terror dæmonum. D. Bernard. homil 2. super Missus est, orat. de obiat. Deiparæ.

Thesaurus diuinus. Damasc. in hymnis de Assumpt. *Damascen.*

Terra sacerdotalis immanis. Genes. 47. *Genes. 47.*

Thesaurus dilectionis. Metho. in Thre. *Methodius.*

Templum Domini. 3. Reg 8. & Ildefons. ser. 6. de Assumpt. *3. Reg 8.*

Thesaurus vitæ immortalis. D. Ioann. Damasc. de dormit. Deiparæ. *Damasc.*

Tabernaculum tui creatoris. Eccl 24. *Eccl 24.*

Titulus nostræ libertatis nobilissimus. Ildefons. cap. 11. de virginitate S. Ma. *Ildephons.*

Tabernaculum fœderis. Exod. 31. *Exod. 31.*

Triclinium totius Trinitatis nobile. Matth. Philad. in precatione ad Virg. *Matth. Philadelph.*

Terra germinens Saluatorem. Isa. 45. & D. Bernardus initio ser. 1. super Missus est. *Isa 45. Bernard.*

Terebynthus ramos honoris, & gratiæ extendens. Eccl. 24. *Eccl. 24.*

Turris Dauid cum propugnaculis. Numer. 35. *Num. 35.*

Typus Ecclesiæ sanctæ. D. Aug. sub fin. serm. 6. de Natal. B. V. qui est decimus de tempore. *August.*

Templum inuiolatum. D. Cyrill. Alexand. hom. 6. in Nestorium. *Cyrill. Alex.*

Totius fragrantiæ partus. Chrysip. Hie. ser. de S. Maria. *Chrysipp.*

Turtur pudicissima. Apon. li. 4. in Can. *Apon.*

Thronus Dei. D. Aug. in præfat. lib. 1. de Assumpt. to 9. *August.*

Tabernaculum Dei sanctissimum. Method. ho. in hypopant. Domini. *Methodius.*

Templū sanctificatum. Iacob in liturg. *Iacob.*

Templum Dei viui. Ildefons. serm. de Assumpt & ser. de Natiu. B. Mariæ. *Ildephons.*

Terra sitiens, & inuia. Origenes ho. 17. in Genes. *Origen.*

Terra promissionis. D. Aug. serm. post Dominicam primam quadragesimæ. *Augustinus.*

Terra de qua veritas orta est. D. Bernar. post med. ser. de aquæductu in Natiu. Mariæ, D. Aug. in Psal. 84. *Bernard. Augustinus.*

Terra, quæ dedit fructum suum. Ildefonsus locis iam citatis, & D. Bernar. ser. 4 de Assumpt. *Ildefonsus. Bernard.*

Bernardus. Thalamus sponsi. D Bernard. sermo de Aduentu.
Tabernaculum fœderis.
Thalamus pietatis, & gratiæ.
Thalamus immaculatus. D Bernard.
Tuba lacte, & melle manans. D. Ber-
Tuba deserta Idem author.
Esichius. Trinitatis complemẽtum. Esichius ser. de S. Deip.
Augustin. Totius Trinitatis viuum tabernaculũ. D. Aug.
Petr. Dam. Totius salutis exordium. B. Petr. Damian.
Psal. 45. Tabernaculum sanctificatum Altissimi. Psal 45.
Terra benedicta.

V.

Iudic. 6. VEllus Gedeonis. Iudic. 6. D. Ambros. ser. 13 de Natiu. Domini,
Methodius. Method orat. ad hypopant. Ildefons. ser. 3. de Assumpt. & ser. 2. de
Cassiodor. partur. beatæ Mariæ, Cassiodor. in
Bernard. psalmos, D. Bernard. in cap. 12. Apocalyps.
Augustinus. Virgo beatissima. D. Augustinus ser. 2.
Ildefonsus. de Annunciat. Ildefonsus ser 1. & 2. de Assumpt. & cap. 1 de virginitate B. Mariæ.
Bernard. Virgo sapiens. D. Bern. ho 3. super Mis-
Ildephons. sus est, & ser. de Natiu. B Mariæ, Ilde-
Rupert. fons. ser. 1. & 4. de Assumpt. Rupert li. 4 in caput 4. Matth.
Hieron. Virgo sancta corpore, & spiritu. D. Hier.
Bernard. post initium, Ter. 1. de Assumpt. to. 4.
Ildefons. D. Bern. ho. 2. de laud. Mariæ, Ildefon.
Bruno. ser. 6. de Assumpt. Bruno ser. 1. de laud. B. Virginis.
Ildephons. Virgo decora corpore, & animo fulgida. B. Ildefons. ser. 4 de Assumpt.
Hieron. Virga de radice Iesse. Isai. 11. D. Hier. li. 4. in Isai. 11. & epist. 22 ad Eustoch. de custod. virginitatis.
Prou. 31. Vniuersas filias supergressa. Prou. 31.
1. Reg 25. Virgo prudentissima. 1. Reg. 25.
Cant. 3. Virgula fumi ex vniuersis aromatibus. Cant. 3.

Vas aureum, cœleste manna continens. *Exod. 16.* Exod 16.
Virga florens. Num 7. *Num 7.*
Virgini Ioanni commendata. Ioan. 19. *Ioan. 19.*
Vaticinium Prophetarum. D. Hier. in ca. 6. Micheæ. *Hieron.*
Vitis vuas pulchras producens. Chrysipp. Hierosol. serm. de S. Maria. *Chrysipp.*
Vas electionis. D Cypr. serm. de Natiu. Christi. *Cyprian.*
Virga florens Aaronis. D. Chrysost. in Genes. *Chrysost.*
Virga Moysis. D Ambr. ad Siric. Papã lib. 10. epist 8. & D. Bernardus serm. 2. in Missus. *Ambros. Bernard.*
Vrna aurea habens manna. Andr. Hierosol. in salut. Angel. *Andr. Hier.*
Virgo casta vni Christo desponsata. D. Bern ser. 1. de Circumcis. Domini. *Bernard.*
Virgo electa. D. Bern. hom. 2. de laudib. Mariæ.
Virgo admiranda. D. Bern ho. 2. super Missus.
Virgo benigna. Ephræm orat ad B. Virginem. *Ephræm.*
Virgo candidata virtutibus Ildef. ser. 6. de Assumpt. *Ildephons.*
Virgo clemens. S. Ephræm vbi supra. *Ephræm.*
Virgo dealbata Spiritus S. muneribus. Ildef. ser 6. de Assumpt. *Ildefons.*
Virgo deuota. D Bern. hom. 1. & 3. super Missus. *Bernard.*
Virgo fide perspicua. Ildef. vbi supra. *Ildefonsus.*
Virgo fidelis. Rupert. li. 4 ca. 14 in 1. lib. Begum. *Rupert.*
Virgo fœcunda. Ildefonsus serm. 1. de Assumpt. *Ildephonsus.*
Virgo inuiolata. Origenes serm. 2. de Assumption. D. Damasc. in hymnum Assumptionis. *Origen. Damasc.*
Virgo incorrupta. Diuus Ambrosius in Psal. 118. *Ambros.*
Virgo immaculata Ildefons. de perpet. virginit. B. Mariæ. *Ildefonsus.*
Virgo impolluta. Ephræm oratione ad B. Virg. *Ephræm.*
Virgo inclyta. Ildefonsus sermone 1. de Assumpt. *Ildefonsus.*

Virgo

Petr. Dam. Virgo ineffabilis. Petr. Damian. ser. 2. de Natiu. B. Virg.

Ephræm. Virgo misericors. Ephræm oratione ad B. Virg.

Ildefonsus. Virgo mirabilis. Ildefonsus serm. 1 de Assumpt.

Irenæus. Virgo obaudiens. Irenæus li 3. ca. 33.

Ildefons. Virgo perpetua. Ildef. ser. 6. de Assump. & ser. de Purificat.

Virgo præclara. Ildefonsus sermone de Assumpt.

Andr. Hier. Virgo præclarissima. Andr. Hierosol. in salut. Angel.

Ildefons. Virgo pudica. Ildefo. li. de perpet. virginit. & partur. B. Virg.

Virgo pudicissima. Idem Ildef. ser. 1. de Assumpt.

Bernard. Virgo Regia. D. Bernard. serm. 2 de Aduent. epist. 174. ad Canoic. Lugdun. de Concept.

Leo Papa. Virgo sacra. Leo Papa serm. 3. de Natiu. Domini, Ildefonsus serm. 4. & 6. de Assumpt.

Cyrillus. Virgo sancta. D. Cyrill. de recta in Deũ fide ad Reginas, & lib 8. in Iulianum, epist ad Nestor.

Bernard. Virgo sobria. D. Bernard. loco iam notato.

Ephræm. Virgo sincera. Ephræm in oratione ad B. Virg.

Ildefons. Virgo venerabilis. Ildefo. ser. 23. & 4 de Assumpt.

Virgo augustissima. Ildef. ca. 1. de virginit. B. Mariæ.

Greg. Naz. Virgo castissima. D. Gregor. Nazian. in orat. de Christo patiente.

Bernard. Virgo omni honore dignissima. D. Bern. ho. 2. super Missus est.

Giselbert. Virgo florentissima. Giselbert. de altercat. ca. 7. & 14.

Methodius. Vberrimus totius sanctitatis fons. Sanctus Method. martyr.

Rupert. Abb. Virtutum operatrix. Rupert. Abbas.

Bernard. Vitæ genitrix. D. Bernard.

Virgo Aaronis.

Cyrill. Alex. Virginitatis corona. D. Cyrill. Alexandrinus.

Damascen. Verbi Mater. D. Ioan. Damasc.

Vitæ parens. D. Augustin. *Augustinus.*

Vitis veritatis fertilissima, & non vindemiata. D Epiph. *Epiphan.*

Virgo illustris. S. Germanus. *Germanus.*

Vnitarum inter se naturarum officina. Proclus Episc. *Procl. Episc.*

Virginis primiceria. D. Antonius. *Antonius.*

Virgo virginum Gisilbert. *Gisilbert.*

Virgo florentissima vita, & moribus præexcellentissima. Idem auctor.

Virgo dulcis, & serena. Innoc. Papa. *Innoc. Papa.*

Vita nostra. In Cant. Salue Regina. *Cant. Salue Regina.*

Vnicum molestiarum leuamen.

Vas insigne deuotionis. In Litania Deiparæ. *In Litan. Deiparæ.*

Veritas Prophetarum.

Z.

Zelatrix diuinæ legis.

HOMILIA XIV.

Prosequimur principale argumentum, singulare illud documentum tradentes, ad deuotionem Virginis acquirendam, vt qui illam adipisci cupit, castissimum eius sponsum D. Iosephũ speciali veratione colat.

INter obsequia Deiparæ Virgini præstanda, ad eius deuotionem obtinendam, illud magni momenti esse reor, vt sanctissimum Iosephum charissimũ eius sponsum, singulari cultu prosequamur: id enim Christo Domino, & eius Matri gratissimum fore ex multiplici capite haud temerè mihi persuadeo, tum quia id ipsi nos exemplo suo docuere, qui tanquam caput illius sacrę familiæ eum coluerunt. Erenim Christus (vt ait Diuus Lucas) subditus erat eis: beata autẽ Virgo, cùm coniux eius esset, diuino oraculo Iosephum monente, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: & vir (vt ait Diuus Paulus) caput sit mulieris; manifestum est se ei subiecisse, & illum tan- *D. Lucas.* *D. Paulus.*

tanquam caput ſuum coluiſſe. Quod ſi vulgò dici conſueuit:

Regis ad exemplum, totus componitur Orbis.

Certè cùm Chriſtus Rex, & Regina Maria varia obſeruantiæ, & comitatis obſequia D. Ioſepho exhibuerint, par eſt, vt & nos eorum exemplo permoti ſeruitutis noſtræ ſtipendia ei perſoluamus. Tum quia nemo ingenuus negat, quin obſequia filijs præſtita, parentibus exhibita, & quæ maritis præſtantur vxoribus eorum, etiam facta cenſeantur. Cũ ergo D. Ioſeph legalis, & putatiuus Chriſti Pater fuerit: *Putabatur filius Ioſeph*, nec non verus Virginis maritus extitit, *Ioſeph virum Mariæ*, ſanè obſequia, ei facta, tanquam ſibi exhibita ſuſcipient illi: vnde ad id reſpiciens eruditus, ac pius auctor Iſolanus 3 pa. ca. 4 dixit. *Gratiſſimum Deo non veremur dicere, ſi quiſpiam votis ſanctum implorauerit Ioſephum, & conſtanti teneamus fide; talia vota Deo immortali fore gratiſſima, nec non & Reginæ Angelorum.* Nec dubium quidem, rem acceptiſſimam nos facere Dei filio, quando Patrem eius putatiuum Ioſeph talibus veneramur obſequijs, qui enim honorat Patrem, honorat filium: qui ſponſum diligit, & ſponſam diligit, qui munera ſponſo donat, ſponſam quoq; gaudijs afficit; tum quia cùm ad D. Ioſephũ quis conuertitur, illum colendo, & auxilium ab eo implorando, perfectè implet cõſilium illud S. ſancti Iob 5. *Voca, ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* In quem locum ſanctus Thomas ait: *Ad aliquem ſanctum hominem deprecare.* Quis autem quæſo ſanctior homo Ioſeph euangelico teſtimonio iuſtus cognominato? qui propter excellẽtem eius caſtitatem dignus habitus eſt Chriſti Pater legalis, & Dei Genitricis ſponſus fieri. Quare ſicut olim illi Patriarchæ Ioſeph omnes AEgyptij, obſequium ſe Regi præſtare putantes, vt re vera præſtabant; genu flectebant, ac varijs modis ei famulabantur, ita vos ſecuri, ac certi; quidquid in cultum D. Ioſephi exhibueritis, tam Chriſto, quàm Virgini fore gratiſſimum, varia ei obſequia impendite. S. Iſolanus 4 p. c. 7. huius veritatis non ignarus, audet dicere: *Cùm Dei filius intuetur in lumine gloriæ, quẽpiam ſancto affici Ioſeph, illius ſtudere honori, eius implorare ſuffragia; gaudet profectò, vt filij ſui nutritorem honoret: annuit votis, exaudit clementius, & pro paterna gloria abundantius munera impetrantibus effundit cæleſtia: an fortè Reginam mundi totis non optare animi ſui votis gloriam, ſui veriſimi ſponſi, & honorem dubitamus?* Vnde idem auctor 3. p. c. 6. hoc ſalubre monitum nobis præbet in hæc verba: *Quando B. Virginis Roſarium perſolueris, non te pigeat in fine Roſarij, quæpiam in honorem ſponſi ſui Ioſeph peragere: talibus enim tua Deo gratiora reddentur, quibus pariter Cœlum lætificabis, & terram* Imò ex hiſtoria Orientali refert idem 3. part. ca. 9. Chriſtum Dominum dixiſſe ad Ioſephum: *Ero auxiliator omni homini in Eccleſia iuſtorum, qui in die memoriæ tuæ, ô Ioſeph, Deo ſacrificia obtulerit, & qui meditabitur in vita tua, & in laboribus tuis.*

Iſolanus.

Iob 5.

S. Iſolanus.

Tandem mihi ſanè videtur D. Ioſephus, tanquam ſtipendium, & tributum ſibi debitum, à nobis cultum, & ſingularem erga ipſum deuotionem expoſtulare poſſe, prout ſapienter noſter Bernardinus Senenſ. to. 3. ſer. de S. Ioſeph art. 2. ca. 2. vbi ait: *Si compares Ioſephum ad totam ſuam Eccleſiam, nonne iſte homo electus, & ſpecialis, per quem, & ſub quo Chriſtus eſt ordinatè, & honeſtè introductus in mundum? ſi ergo Virgini Matri tota Eccleſia ſancta debitrix eſt, quia per eam Chriſtum ſuſcipere digna facta eſt; ſic profectò poſt eam huic Ioſepho debet gratiam, & reuerentiam ſingularem: ipſe enim eſt clauis veteris Teſtamenti, in qua Patriarchalis, & Prophetalis dignitas promiſſum conſequitur fructum. Certè olim in Eccleſia velo tegebatur, quantæ dignitatis, & ſanctitatis eſſet Ioſeph ſponſus Virginis, & Pater Chriſti putatiuus, ſed ſciſſum eſt velum templi à ſummo vſque deorſum, & per fidem Chriſti ſacroſancta myſteria Orbi vniuerſo peruenerunt, & in hoc Cœlorum Regno, id eſt, Eccleſia,*

S. Bernardi-nus Senenſ.

eleſia, apertum eſt Dei templum, & facta ſunt fulgura, & voces Concionatorum; ſequutæ ſunt voces Doctorum, quæ de tanto, & ſanctiſſimo Ioſepho nouerunt, concionibus, & ſcriptis celebrarunt. Ad quod reſpiciens Iſolanus 3. part. cap. 6. dixit: [Spiritus ſanctus non deficiet à mouendis cordibus fidelium, donec omne imperium militantis Eccleſiæ exultans, diuinum Ioſephum noua proſequatur veneratione, condat cœnobia, Eccleſias, ac altaria in eius erigat honorem. Feſta celebrabuntur, & ei vota vouent, & ſoluent cuncti populi: aperiet Dominus aures præcordiorum intellectus, & viri magni ſcrutabuntur interiora Dei dona, abſcondita in Sancto Ioſepho, & inuenient theſaurum optimum, qualem apud ſanctos Patres veteris Teſtamenti non inuenerũt: pinguedo enim, & abundantia donorum ſpiritualium in S. Ioſeph ſpiritualiter micuerunt, ita vt ſimilis ei non inueniatur. Sancti enim noui Teſtamenti à Chriſto dicti ſunt amici, Ioſeph verò pater ab eo vocatus eſt: illi mundi Reginam coluerunt, vt Dominam, Ioſeph autem vt ſponſam. Benedicite igitur ô populi S. Ioſeph, vt benedictionibus repleamini: qui enim benedixerit tibi, erit & ipſe benedictus: qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur: vnde Hiſpalen. Eccleſia huius benedictionis participem fieri cupiens, ſolita erat in feſto S. Ioſephi, hunc pium in eius laudem canere hymnum:

Hunc diem totum celebrem per orbem,
Virginis ſponſi veneremur omnes,
Turba Cœlorum ſimul & beata,
Concinat hymnos.

Conditor mundi pius, & Redemptor
Coniugem Matri ſtatuit pudicam,
Eius vt cuſtos foret, atque teſtis
Virginitatis.

Tempus vt plenum fuerat ſalutis,
In virum Ioſeph datus eſt Mariæ,
Ex tribu Iudæ, veniens ab alto
Sanguine Regum.

Vnde doctiſſimus Gerſon ſermone de Natiuit. Virginis in Conc. Lugdunenſ. habito, ſic locutus eſt: *Congruit huic ſanctæ Synodo laudis aliquid, vel honoris inſtituere pro virginali ſponſo Mariæ Ioſeph, cuius honor redundat in ipſam, & in eum, qui de ea natus eſt, Ieſum Chriſtum, vt ita Mariæ meritis, & interceſſione tanti, tamque potentis, & imperioſi quodammodo patroni, apud ſponſam ſuam reddatur Eccleſia vnico viro, vero & certo ſummo Pontifici ſponſo ſuo, vice Chriſti: & nos denique ſinguli Deo renaſcamur, hic per gratiam, & in futuro per gloriam.*

Porrò, quia inter pleraque alia, quæ à nobis cultum, & venerationem Sanctorum veluti extorquere ſolent, motiuum noſtræ vtilitatis ad id potiſsimum eſſe ſolet; operæ pretium duxi de efficacitate interceſsionis D. Ioſephi ſuper reliquos ſanctos non nihil differere. Sanè omnes iſti ſerui Chriſti ſunt; & ad neminem, niſi ad Ioſeph pertinent verba illa Virginis: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Si autem Deus voluntatem ſeruorum timentium ſe facit, vt cecinit Dauid, quantò magis Ioſephi voluntati annuet, quem in ſponſum ſuæ Matris, & in Patrem ſuum legalem, & nutritium elegit, & ſub cuius tutela, & hoſpitio permultos annos, infantiæ, & pueritiæ ſuæ vitam tranſegit? quanta quæſo cum fiducia, quod olim Cicero ad Cæſarem pro Deiotaro ipſius Cæſaris hoſpite, orans dixit: per dexteram obteſtor, quam hoſpes hoſpiti porrexerat, viro parceret, & obtinuit; dicere Chriſto potero: per dexteram, te Chriſte, obteſtor illam, quam hoſpes quondam porrexiſti Ioſepho, mea mihi condones peccata, gratiæ tuæ recipias ſub alas, meq; hoſpitis tui chari indignum licet ſeruulum protectionis tuæ digneris beneficio fouere? Hanc Ioſephinæ interceſſionis miram efficacitatem conſiderans acerrimus fidei defenſor Ioan. Echius homil. 2. de S. Ioſeph. hæc ſcribit: *Vſque adeo mutua illa Ioſephi cum Domino Ieſu, & Virgine Maria conuerſatio, immenſam*

meritum eius arguit sanctimoniam & dignitatem. Vnde perare liqueat, quòd quidquid filium suum Christum rogauerit Ioseph, vel etiam coniugem dilectissimam Mariam, eius rei repulsam passurus sit nunquam. Vos itaq; charissimi, nolite tam sancti viri obliuisci, quin eum sedulo inuocate pio affectu, neq; ille in necessitate vos deseret. Et doctissimus Archiepiscopus Chrysostomus à capite fontio lib. de perpetua virginitate Mariæ, & Ioseph explicatius, [adhuc, inquit, vide filij Regum quanta pro suis nutritijs faciant, & pro suis nutricib⁹. & quanta apud eos pro suis amicis possint impetrare] Non credo Christum vnquam obliuioni daturum, quantum Ioseph pro eo laboris sustinuerit, quantum illi debeat: atque ideò multa pro eo, & fecit semper olim, & in illius gratiam deuotis eius facere paratus erit in æternum. Leoni comparatur Christus propter animi generositatem, & nobilitatem. Leone autem nihil est magis gratum, & memor, nihil, quod acceptum beneficium maiori cum diligentia, & animi gratitudine rependat. De leone de tribu Iuda non est, quòd dubites, quin maiori sit generositate, quã ferox istud animal, quod illius est figura præditum. Quamobrem perpetua apud eum susceptorum à Ioseph obsequiorum memoria perseuerat, & cum perenni memoria constans quoq; atque perpetua, non dicam patia, sed infinita, vti & liberalitas, atq; generositas eius infinita sunt, referendi. Et statim exclamat dicens: *O beatum ergo virum hunc, cui contigit talis filij esse nutritium Patrem dici: ô beatos eos, quos iste dilexerit, quos sub sua susceperit Sanctus iste protectione.* Nihil arbitror potentius ad diuina charismata à Deo impetranda, quàm scalam hanc ascendere, à Iosepho ad Virginem, à Virgine ad Christum, à Christo ad Patrem. Christus ostendit Patri plagas, & vulnera. Mater filio pectus, & vbera, Ioseph vtriq; callos, & dura, quæ pro eorum subueniendis necessitatibus, fabrili arte laborando, pertulerat: nec enim ipse superne in eos dominabatur, sed pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuũ suarum deduxit eos. Accedit quòd alijs sanctis precandi data est facultas: auctoritas autem impetrandi Ioseph, tanquã Patri vberius collata, quàm antiquo Patriarchæ Ioseph Pharao contulerat: vnde Gerson in sua Iosephina cecinit:

Quanta ô fiducia, quanta est — Gerson.
Vis impetrandi, quia dum vir, dum Pater erat
Vxorem, & natum velut imperium reputatur.

Et quidem, quum gratia in via sit, non destruit naturam, sed perficit, vt docet S. Tho. 1. p. q. 1. art. 8. ad 2. Quantò melius, & perfectius gratia consummata in patria, quæ quidem eadem numero perseuerat iuxta illud 1 Cor 13. nu. 8. *Charitas nunquam excidit*? Vbi D. Thomas lect. 3. in principio sic explicat: Sensus Apostoli est: charitas nunquam excidit: quia scilicet, sicut est in statu viæ, ita permanebit in statu patriæ. Igitur sanctissimi illius respectus, & relationes, vt ita loquar, quæ dum superstites erant, fuerũt inter Iesum, Mariam, & Iosephum, filiationes, & subiectiones, perfectius in Cœlo suo modo permanebunt, vt optimè Gerson adnotauit serm. de Natiuit. Mariæ.

Chrysost. à sup. font. — S. Thom. — D. Thom. — Gerson.

Ad extremum illud etiam potentiam intercessionis Diui Iosephi non parum commendat, quòd reliqui sancti certis, & singularibus necessitatibus subueniunt, & pro diuersitate illarum, ad hũc, vel ad illum confugimus, vt pro guttu ris infirmitate ad Blasium, pro dentium dolore ad Barbaram, pro rebus perditis ad Antonium. Vnde D. Tho ad id respiciens 4. dist. 45. q. 3 art. 2. ad 2. ait: *Quibusdam sanctis datum est in aliquibus specialibus causis præcipuè patrocinari, sicut sancto Antonio ad ignem: at sanctissimo Ioseph in omni necessitate, & negotio concessum est opitulari, & omnes ad sepiè confugientes defendere, fouere, & paterno affectu prosequi.* Vnde libr. vitæ

D. Thom.

vitæ seraphicæ virg. S. Tharasiæ Heliani Ordinis montis Carmeli restauratricis, legimus, quòd pia hæc mater hoc vniuersale patrocinium frequenter experta, filias suas hortabatur, vt licet quàm plurimos alios sanctos, patronos, & aduocatos haberent, peculiari tamen deuotione protectioni sanctissimi Ioseph confidenter se committerẽt, quia magna à Deo beneficia in qualibet necessitate cum debitè inuocãtibus impetrabat.

Ad hæc, quò plures quis habet actiones ad aliquam rem petendam, eò efficacius ius habet ad illam obtinendam: potest enim illis diuisim, aut simul illis vti in iudicio iuxta l. non est nouum ff. de actionibus empti. Manifestum etiam est, duo vincula esse vno strictiora, & amplius operari, vt habetur in authen. de consanguineis in principio, & authẽ. itaque, C. communia de successionibus: in S. autem Ioseph tot, ac tam efficacia vincula, tot actiones, & iura concurrunt, vt nulla ratione intercessio eius repulsam pati queat: ille ab æterno in caput clarissimæ Dei familiæ electus: ille Dominus domus suæ, & princeps omnis possessionis suæ: ille verus Virginis sponsus, ille Christi putatiuus Pater, ille nomen Iesu publicè ei imponẽs, ille prudens, ac fidelissimus Virginis custos, ille carnis Christi nutritius, ille Matris Virginis solatium, ille infantis Christi tutor vigilantissimus, ille præfectus mensæ Iesu, & Matris eius, ille socius indiuiduus laborum vtriusque, ille Magister sacri Palatij, ille aulicus familiaris & Christi cubicularius, ille clauem auream ad eum liberè ingrediendi, & egrediendi semper deferens, ille legitimatus Christi defensor, ille Mariæ honoris, & famæ zelator, ille ferculum veri Salomonis, frequenter brachijs suis Christum infantem gestans, ille pro puero Iesu in templo præsentato siclos soluens, eius, quò ad fieri potuit, Redemptor factus: ille ab insidijs, & nece Herodis in AEgyptum Christũ ducens, Saluatoris fuit Saluator. Hæc tam inuiolabilia iura, quid quæso à Deo non obtinebunt? Et quidem si Rex Pharao beneficium commune à Patriarcha Ioseph acceptum, ita gratificauit, vt illimitatam pro suis fratribus locupletandis facultatem liberalissimè impenderet: (vt enim legimus Genes. 47. *Dixit Rex ad Ioseph, terra AEgypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac habitare fratres tuos.*) quid, obsecro, quid, rogo, pro nobis omnibus, S. Iosephi filijs, non gentilis Rex Pharao non Iosepho Patriarchæ Iacobi filio, sed Christus Rex Regum, & Dominus dominantium, cuius voluntas est sanctificatio nostra, non liberaliter concedet? sanè quidquid petieritis Iesum in nomine Ioseph, dabit vobis. Quid plura? Cum sanctissimus Ioseph ex Regia Dauidis stirpe sit, vt testatur Diuus Lucas, eò quod esset de domo Dauidis Patris suæ liberalitatis; hæres factus non solùm, quæ petimus, liberalissimè præstat, sed maiora multò iuxta veræ nobilitatis morem, quam summus Pontifex Gregorius in cap. 1. de donationibus ita describit: *Hanc sibi quodam modo nobilitas legem imponit, vt debere se, quod sponte tribuit, existimet, & nisi in beneficijs suis creuerit, nihil se præstit esse putet.* Probate ergo fratres obsecro, & experiamini patrocinium sanctissimi Iosephi: & annuet in vocem illam erumpens, in quam Regina Saba Regi Salomoni 3. Regum 10. *Verus est sermo, quem audiui in terra mea, & probaui, quòd media pars mihi nunciata non fuerit.* Non solùm autem sanctissimus Ioseph liberaliter cœlestia charismata suis precibus à Christo Domino efficaciter nobis impetrat, sed ad temporalia beneficia non dedignatur auxilium suum fidelibus imperuri: et enim in primis ipse custos est, & protector, & comes iter agentium, ac per loca periculosa peragrantiũ: nam ex his, quæ ipse passus est, tum vt Cæsaris Augusti edicto pareret, tum cum fugiẽs Herodis

Genes. 47.

Gregor.

3. Reg 10.

Iam finem dicēdi facio, affirmans, fęliciſſimos illos appellari, qui cęleſte hoc donum deuotionis erga Virginem, & Ioſephum ſuſceperint, & in ea ad mortē vſq; perſeuerauerint: de illis enim haud
Pſal. 126. inſipienter dixero: *Beatus vir, qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis, non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta.* Pſalm. 126. in quæ verba Euthymius ait, antiquum morem fuiſſe hoſtium legatis, vt ante portas ciuitatis loquerentur: Nic.
Lyran. de Lyra legit, *In porta*, ideſt, in iudicio, quia iudices antiquitus in portis ſedebant, & ibi coram eis aliquando factæ ſunt diſputationes fidelium cum infi-
Gloſſa. delibus. Gloſſ. verò moralis ait: *Non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta*, ſcilicet mortis, in qua non confundetur à ſpiritibus malignis, quia Virgo ſanctiſſima, felix cęli porta, ſuo patrocinio, & efficaci protectione ibi aderit. Vnde
Sap. 6. Sap. ca. ſexto dicitur: *Facilè videtur ab his, qui diligunt eam, & inuenitur ab his, qui quærunt illam: qui de mane vigilauerit ad illam, non laborabit: aſſidentem enim illam foribus ſuis inueniet.* Non confundetur in porta, quia ſanctiſſimus Ioſeph, vir, & ſponſus Virginis, tunc Sanctorum multitudine ſociatus, ſedebit in portis cum ſenatoribus terrę auxilium & tutiſſimam protectionem humili deuoto ſuo impertiendo, iuxta illud Prouer. vlt. *Nobilis in*
Prou. vlt. *portis vir eius, quando ſederit eum ſenatoribus terrę*. Et forſitan tunc tibi continget, quod his verbis refert S. Gregorius lib.
S. Gregor. 4 dial. c. 15. 16. & 47. *Nonnunquam omnipotens Deus trepidantium mentes, quibuſdam prius reuelationibus roborat, vt in morte minimè pertimeſcant. Nonnumquam etiam in conſolatione egredientis animæ, ipſe apparere ſolet auctor, & reſtitutor vitæ. Interdum etiam contingit iuſtis, vt in morte ſua Sanctorum præcedentium viſiones aſpiciant, ne ipſam mortis ſuæ ſententiam pœnalem pertimeſcant, ſed dum eorum menti ciuium ſupernorum ſocietas oſtenditur, à carnis ſuæ copula, ſine dolore, & formidinis fatigatione ſoluantur*: Hæc Diuus Gregorius. Si Beatę Virgini, & chariſſimo eius ſponſo Diuo Ioſepho deuotum, ac perſeuerantem præſiteris famulatum, non temerè ſperare poteris in hora mortis, hæc eadem beneficia te ſuſcepturum, & tunc ſingulorum vultus intuens dices, quod olim Iacob
Gen. 46. filio ſuo Ioſepho: *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam*, Geneſ. 46. Iam Chriſte Domine lætus moriar, quia vidi faciem tuam ſpecioſam præ filijs hominum. Iam, Beata Virgo mater miſericordiæ lætus moriar, quia vidi faciem tuam pulchram, vt lunam, electam, vt ſolem. Iam lætus moriar, dulciſſime Ioſeph, quia vidi faciem tuam ſimilem valdè pulchritudini Chriſti, & Mariæ. Tunc tandem dulci concentu modulaberis, vt contemplatur Euſebius Emiſſenus de
Euſeb. Emiſſ. gloria Paradiſi: *Quàm delectabilis repauſatio poſt depoſitum grauis oneris faſcem? Quàm dulce poſt longæ captiuitatis catenas ad charam patriam recuperata libertate remeaſſe? quàm pretioſum poſt multa nauigationis pericula ad optatam terram, ac portum deſiderabilem peruenisſe?* Iam iam paſſer ſolitarius à mundi, & proprij corporis rete, & periculoſo laqueo liberatus, inuenit ſibi domum. Iam iam turtur, cuius vox gemebunda, & deſolationis plena in hac mortalium, & miſerrima terra audiebatur, inuenit nidum, vbi ponat pullos ſuos. Iam iam quiterram arentem cum dolore colebat, æternæ beatitudinis patriam perennis conſolationis irriguam videre incipit: quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum? Concupiſcit, & deficit anima mea in atria domini. Iam iam lux ſplendens cæleſtis, templa, & altaria incipit oſtendere: Altaria tua Domine virtutū Rex meus, & Deus meus. Iam iam altaria ſacratiſſima, Beatiſſimam ſcilicet Virginem, & Sanctiſſimum Ioſephum, quorum brachijs vera hoſtia, verum ſacrificium, Verbum caro factum, Deus humanatus, & homo Deificatus geſtabatur, nutriebatur, & ſecurè, ac delitioſè quieſcebat, ad me venientes video: altaria tua

Domi-

Dominæ virtutum, Rex meus, & Deus meus. Iam iam choros vtriusque sexus, Virginum Beatam Virginem, & B. Ioſephum comitantes, & mihi magna cũ lætitia occurrentes videre incipio, eoſque à longe reſalutans clamito: Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini: cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum: Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA MAGNA, & vltima.

Proſequimur idem argumentum Ioſephi, Virginis ſponſi, varia præconia decantantes, ad maiorem in animis fidelium deuotionem erga illum excitandam.

QVamuis de hoc genere argumenti latiſſimè diſſeruerim, præcipuè lib. 4. & 9. Sanctiſſimi tamen Patris, ac Domini mei Ioſephi præconiorum vena diues adeo, & locuplex eſſe perhibetur, vt tametſi diſertiſſimi Doctores nouas laudes inceſſanter ex ea hauriant, cum tamen illam exhaurire nequeãt: (maior enim eſt omni laude, quem Chriſtus Dominus ineffabili matris ſuæ ſponſi honore, ac patris ſui legalis, ſingulari prærogatiua dignum iudicauit) neceſſe eſt, vt potius deficiant laudatores, quàm materia laudandi: quæ igitur alibi nos prætermiſimus, nunc ſupplere properamus.

§. 1.

De ſanctificatione D. Ioſephi in vtero materno.

GRauiſſimi Auctores conſtanter affirmant, Beatum Ioſephum fuiſſe ſanctificatũ in vtero materno: vnde ei dicere licuit: *In te confirmatus ſum ex vtero, de ventre matris meæ, tu es protector meus, in te cantatio mea ſemper.* Ita Doctiſſimus Gerſon Cancell. Pariſien. in ſerm. de Natiu. Virginis, in Concilio Conſtãtienſi habito, vbi aſſerit, hoc contineri in officio Hieroſolymitano de D. Ioſeph compoſito. Et Theophilus, & Chryſoſtomus, vt refert Iſidorus Iſolanus lib. de S. Ioſeph cap. 9. & 10. Margarita Confeſſorum in part. vlt. ex memoralibus, Iacobus Chriſtopolitanus ſuper Canticum beatæ Virginis, Archiepiſcopus de Capite fontium lib. de perpetua virginitate Mariæ, & Ioſephi, ac pœnè innumeri moderniores, quos perlongum eſſet recenſere: idque mihi perſuadeo veriſſimum, quia omnis ſanctificatio in vtero fuit, aut propter ſanctificati excellentem dignitatem futuram, aut quia ad Chriſtum Sanctum Sanctorum ſpeciali ratione ordinabatur: vtrumque autem in noſtro Ioſeph excelluit: ipſe enim iuſtus fuit, & primus, quem Spiritus ſanctus canonizauit in nouo teſtamento, vocans illum iuſtum: *Ioſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus*, & ſupra omnes viros ordinatus fuit, prius, & immediatius ad Chriſti infantis tutelam. Igitur rationabiliter credimus in vtero fuiſſe ſanctificatum. Vnde ſi Hieremias in vtero ſanctificatus legitur, Hierem. 1. *Factum eſt ad me verbum Domini dicens: priuſquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de vulua ſanctificaui te, & Prophetam in Gentibus dedi te* Id quod ita fieri decuit propter expreſſiorem prophetiam, quam de Chriſto venturo edituras erat: potio-

Pſal. 70. *Gerſon.* *Theophil.* *Chryſoſt.* *Iſidorus.* *Marg. Conf.* *Iac. Chriſt.* *Matth. 1.* *Hierem. 1.*

potiori iure D. Ioseph sanctificari decebat propter expressissimam Christi notitiam supra cunctos viros, ac familiarissimam quam cum illo subiturus erat consuetudinem: quod si Ioannes Baptista in vtero fuit sanctificatus, vt dicitur

Luc. 1. Luc. 1. *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*; quia Præcursor Christi, & clamosus eius præco futurus, ac digito illum demonstraturus erat: quanto potiori iure S. Ioseph in vtero sanctificari debebat, quia Christi Domini non præcursor, sed nutritius; non præco, sed pater legalis, & Dei Genitricis sponsus futurus erat?

Atque hinc etiam efficitur, vt Sanctissimus Ioseph fuerit confirmatus in gratia ad similitudinem Apostolorum: ita docent Gerson in serm. de Natiuit. Virginis, & in sua Iosephina, & Gratianus libr. 5. de Ioseph c. 5 tit. 1. Hinc consequenter dicendum, quòd toto suæ vitæ curriculo nullum peccatum mortale commiserit, vt docet Augustinus de natura, & gratia, quem sequuti sunt multi recentiores. Gerson in sua Iosephina, Margarita Confess. in quæst. vltima ex moralibus. Fonseca in vita Christi. Barrad. lib. 6. concord. cap. 8 propè fin Gratian. lib. 5 de Ioseph c. 5. tit. 1. id quod ex eo clarè patet, quia effectus doni confirmationis in gratia, est nō peccare mortaliter, vt docet Sanctus Thomas 3. p. q. 27. art. c. 6 Insuper arbitror B. Iosepho fuisse extinctum peccati fomitem, aut saltem ligatum; ita censet idem Gerson serm. de Natiuitate Mariæ; Ioannes Echius serm. de S. Ioseph, Iacobus Episcopus in cant. B. Virginis, Bustensis in Marial. 4. par. serm. 12. per totum, Andreas de Soto lib. de Ioseph cap. 10. Canisius lib. 2. de Virgine cap 13. post med. Salmeron tom. 3. tract. 29. Etenim cum B. Ioseph à Deo fuisset B. Virgini datus in adiutorium simile sibi, maximè quò ad dona, & virtutes, concernentes communem matrimonij cōuictum, cui maximè congruebat extinctio, vel ligatio fomitis in Ioseph, Deus, à quo cæleste hoc matrimonium fuit specialiter ordinatum: *Qui attingit à fine, vsque ad finem dis-* Sapient. 8. *ponens omnia suauiter*, sicut B. Virgini fomitem extinxit, vt docuit D. Thom. sic & B. Ioseph, vel si non extinxit, saltem ligauit: etenim B. Virgo vitam actura erat cum sanctissimo Ioseph, & non vtcunque, sed tam familiariter, vt à quotidiano viri conspectu, domesticoque conuictu se minimè abstineret: imo illum & comitem, & socium continuum haberet: is enim duxit illam in Aegyptum, & ab Aegypto reduxit, soluscum sola tam longinquam, & tam secretam viam confecit, vt nullum periculum in suo purissimo cælibatu vereretur. Nec dubium prorsus, quin castissimus, & sinceriss imus amor ex mutuis illis vitæ communis officijs, atque obsequijs magis, magisque fuerit in dies confirmatus, & ad commodiorem Christi pueri educationem magnum fructum attulerit. Quid autem illi metuerent? cuius incontinentiæ periculo subiacerēt, tam firmis, & solidis diuinæ gratiæ præsidijs communiti, vt lex carnis, & effrænis cōcupiscentia sanctum, & diuinum in illis amorem nulla ex parte imminueret, atque labefactaret? Vnde egregiè Canisius Canisius. lib. 2. de Deip. cap. 13. inquit: *De Ioseph scribit Gerson in hoc iusto, & æquè casto viro peccati originalis fomitem, vel extinctum, vel depressum fuisse, sed & prorsus decuisse, ne præstans Virginis forma, & cohabitatio familiaris ipsum ad libidinem sollicitaret, ac aliqua ex parte commoueret. Quamuis decor eximius, & admirabilis Mariæ nullum ad fœdam carnis cōcupiscentiam incitabat.* Deinde originalis peccati effectus, quamprimum apparuit in motibus concupiscentię inordinatis, vt Genes. 2. legimus: *Vbi cum primi parentes in statu originalis iustitiæ essent nudi, non erubescebant.* Igitur credendus est Ioseph ligatum habuisse fomitem peccati originalis, ne etiam naturaliter, & absque deliberatione in quempiam concupiscētiæ appetitum prorumperet eius sen- Gen. 2.

sus,

D. Thom. Gratianus.

Augustin. Gerson. Marg. Conf. Fonseca. Barradius. Gratianus.

Gerson. Ioan. Echius Iacob. Episc. Bustensis. Andr. de Soto. Canisius. Salmeron.

sus, dum in consortio Virginis versaretur. etenim appetitus operatur circa obiectum applicatum, nisi per actualem motionem à superiori potentia contineatur, quam naturalem inclinationem, & efficaciam non videntur soli habitus posse impedire: nam sicut vitia non sufficiunt ad tollendam inclinationem ad bonum, ita neque virtutes, licet alioquin perfectissimè possunt tollere naturalem inclinationem appetitus ad sensibilia, quæ interdum rationi repugnant, & ad illa nonnunquam mouentur, nisi aliundè diuinitus præueniatur. Igitur cum sanctissimũ Iosephum, nullus prorsus libidinis motus vnquam pulsauerit, manifestè efficitur, vt suauiter in eo omnis concupiscentia cessaret, fomitem in eo extinctum, aut ligatum fuisse non solum per habitus, & virtutes, sed & per diuinam gratiam excitantem, præuenientem, & illum adiuuantem.

Ad hæc Virgo sanctissima castellum diuinum est, in quod ingressus fuit Iesus, Luc. 10. Castellum enim à castitate dicitur, quasi castum lilium, vt docet Glossa ord. ibi. Vnde Diuus Bernardus sermon. 2. de Assumpt. in principio ait: *Quid introisse eum dicimus in castellum? etiam in angustissimum virginalis vteri diuersorium intrauit.* In custodem autem fidelissimum huius castelli cælestis datus fuit B. Ioseph, vt contra Heluidium testatur Diuus Hieronymus, cuiuscunque verò castelli custos, maximè à Rege Hispaniarum constitutus, debet esse nobilis, atq; adeò à tributis ignobilium prorsus exemptus, vt habetur in lib. 6. & 7. titu. 18. part. 2. Igitur cum sanctissimus Ioseph fuerit à Deo custos Mariani castelli constitutus, oportebat ne tributi illius solutionem subiret, de quo gemẽs Diuus Paulus dicebat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* 2. Corinth. 12. & ad Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.*

Luc. 2.
Gloss. ord.
D. Bernard.
D. Hieron. contra Heluidium.
2. Cor. 12. ad Rom. 7.

§. 2.

De nominis Ioseph excellentia.

NOmen Ioseph ei diuinitus, & peculiari Dei prouidentia contigit: ita Albertus Magnus super Missus est cap. 48. & Isolanus 1. par. cap. 1. & c. 2. per torum, & Cardinalis Toletanus super Lucam cap. 1. explicans illa verba: *Cui nomen erat Ioseph.* Idq; probant primo ex præcedenti typo, & figura. Nam Ioseph filius Iacob, de quo in Genes. capitibus multis diuersa referuntur, in fide, quam Domino suo seruauit, non ausus impudicè tangere Dominam suam, & castitate consequenter, & mysteriorum reuelatione, procurationis commissione, cibi conseruatione, & terræ prælatione, istius Ioseph typum gessit: ille autẽ diuino nutu nomen Iosephi accepit, quod augmentum interpretatur. Igitur & noster, vt figura respondeat figurato, maximè, quòd significatio illa augmenti egregiè in Iosephum conuenit, vt his verbis notauit Albertus Magnus super Missus est: *Proprietas, & significatio, quæ incrementum sonat, optimè congruit, quia per hanc dispositionem quantum ad proximum, & quantum ad Deũ, sublimius fuit: virtutum videlicet augmentatione, famæ celebritate, hominis reuerentia, & dilectione, Matris Dei familiaritate, & diuina, vt putabatur, paternitate.* Diuus Augustinus à significatione nominis laudes Sanctorum decerpit: etenim serm. 1. de S. Stephano sic ait: *Stephanus enim Græcè, Latine corona appellatur. Iam coronæ nomen habebat, & ideò palmam martyrij suo nomine præferebat.* Vnde Card. Tolet. super cap. 1. Lucæ in illa verba: *Cui nomen erat Ioseph*, postquam dixerat cum Diuo Hieronymo augmentum significare, sic ait: *Ad hanc significationem alludens Iacob Genes. 49. quando filio suo Ioseph benedixit, sic loquutus est: filius accrescens Ioseph; filium accrescens, quasi diceret; verè ô fili Ioseph auctus es, & accreuisti, sicut nomen tuum significat:*

Alber. Magnus.
Isolan.
Card. Tol.
Alber. Magnus.
D. August.
Card. Toletan.
Genes. 49.

nificat: nam excelluisti, & in dignitatem prouectus es tantam, vt omnium fratrum tuorum sis supremus, & qui natu penè vltimus eras, effectus sis primus honore. Hoc idem nomen sponsus Beatæ Virginis ex diuino consilio sortitus est, vt potiori iure de eo dicere possimus: vir accrescens Ioseph, vir accrescens: in tantam enim exaltatus est dignitatem, vt Matris DEI, cui inter puras creaturas, sanctitate, & dignitate nihil est æquale, meruerit esse verus sponsus, & vnigeniti Filij Dei Pater nuncupatus. Quibus duobus priuilegijs, & titulis auctus est super omnes Patriarchas, & Prophetas, qui ante eum fuerunt. Quibus si adiungas, quod quem Reges, & Prophetæ desiderauerunt videre, & non viderunt, audire, & non audierunt ipse non solum vidit, & audiuit, sed in vlnis sæpè portauit, frequenter amplexus, & osculatus est, per plures annos cibauit, vestiuit, & paternis officijs ipsi ministrauit; iure profectò nomen hoc adeptus videbitur. Et paulò inferius de augmento spirituali nostri Ioseph agens subdit: *Si vero virtutem animi spectes, non inferiorem, aut æqualem illi Patriarchæ filio Iacob, sed longè superiorem inuenies. In illo enim Ioseph castitas mirificè commendatur, qui vt refertur Genes. cap. 39. Dominæ sollicitanti ad peccandum, non solum non acquieuit, sed etiam elegit potius iram Domini sui pati, & peccatorem reputari quàm crimen contra Deum committere: verè magna castitas est hæc. At quis non admiretur nostrum Ioseph, qui per plures annos cum Virgine pulcherrima sponsa sua ita conuersatus est, vt tamen neque vllo verbo, nec cogitatione, neque motu interiori, qui minus cum summa puritate conueniret, quique solet in sanctissimis viris, vel ex aliqua leui causa subrepere, fuerit inquinatus.* Denique filium, si non parem, saltem non degenerem sponsum matris suæ eligere æquum erat. Nam quibus Deus munus iniungit, pro muneris qualitate solet communicare perfectionem. Id quod non obscurè adumbratum fuit in melioratione facta à Patriarcha Iacob dilecto filio suo Ioseph (figura nostri) qui morti proximus sic eum fuit alloquutus, Genes. cap. 48 *Do tibi partem vnam, extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Hanc autem partem fuisse Beatæ Virginis figuram omnes fatentur: tulit enim eam Deus de manu Amorrhæi in gladio, & arcu suo: non enim contentus fuit eam liberare in gladio, qui in propinquum suum effectum operatur, eam in toto vitæ curriculo seruans ab omni actuali peccato, etiam veniali; sed etiam arcu, qui in remotum vindictam operatur præliberans eam ab originali. Fuit præterea Beatus Ioseph auctus super omnes homines: nam cæteris Christus Dominus partem sui commisit; caput Præcursori Ioanni in baptismo præbuit, Ioanni Euangelistæ pectus in cœna, Thomæ Apostolo vulnera, Magdalenæ pedes, Principi Apostolorum Petro, & successoribus eius potestatem, & claues; sanctissimo autem Iosepho, vt cui conueniat illud Ecclesiastici capite quarto. *Vnus est, & secundum non habet*: certè Christus Dominus se totum integrum filiali affectu tradidit per multorum annorum curricula gubernandum, nutriendum, ac paternis officijs pertractandum. Fuit præterea sanctissimus noster Ioseph accrescens, & auctus in zelo diuinæ gloriæ, & cõuersionis animarum. Nam si de Patriarcha Iosepho, qui nostrum adumbrabat, dixit Diuus Cyrillus Episcopus Alexandrinus libro decimo in Genesim ad finem, tomo primo. *Ioseph enim additio Dei interpretatur: addita enim Ecclesia gentium gregibus Israel est, & in innumerabilem gentium se multitudinem propagauit. Vnde Saluator noster ait: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Ioannis capite decimo. quanto præstantius, & verius poterit hoc dici de sanctissimo sponso Virginis, de quo Diuus Bernardinus Senensis tomo 3. sermon. 1. de Sancto Ioseph articulo 2. capite primo, ait: *Credo, istum virum sanctum Ioseph fuisse*

Genes. 39.

Genes. 48.

Matth. 3. Io. 11. 13. 20. Matth. 16.

Eccl. 4.

Cyril. Alex.

Ioan. 10.

S. Bernardinus Senens.

fuisse sollicitissimum pro omnium salute ad similitudinem sponsæ suæ. Et Isolanus quarta parte capite quarto ait: *Plus est Christum prædicare facto, quàm verbo:* Ioseph autem Christum factis summopere prædicauit; quibus quidem occasionem vniuerso præstitit orbi, vt conuerteretur ad adorandum verum Deum, hominem factum. Itidem veri prædicatores de sursum illuminantur, suo tempore loquuntur, & ad verum Deum cognoscendum, quoscumque conuertere conantur: Ioseph quidem ab Angelis fuit illuminatus, quibuscum conuersabatur, suo tempore loquutus est de Deo. Verba enim prædicatoris fumus sunt diuini ignis in corde ardentis, atque in Christi cognitionem mortales ad vitam æternam deducere satagentis: Ioseph multos per annos habitantem in AEgypto meditemur. An non credimus, illum sæpissimè exhortatum fuisse eos, cum quibus conuersabatur AEgyptios, vt Deum verum colerent? maximè quando contingeret eos audire Messiam, promissum in lege Iudæorum aduenisse, & vt crederent, neruose suasisse? Nec tantum Beatus Ioseph prædicator extitit Apostolicus, sed etiam typus fuit, & exemplum Prædicatorum, vt Diuus Hilarius super caput secundum Matth. his verbis adnotauit: *Ioseph sponsus Virginis circumferens Christum, nunc in Aegyptum, nūc in Iudæam, designat Apostolos Christum prædicantem Iudæis, & Gentibus.*

Isolanus. D. Hilarius.

Fuit etiam Sanctissimus Ioseph auctus, quatenus nomen eius frequentissime in Euangelio repetitum inuenitur: etenim Matthæi capite primo. *Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* & infra: *Cum esset desponsata mater Iesu Maria Ioseph.* ac deinde: *Ioseph autem vir eius cum esset iustus* & postmodum: *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* & rursus: *Exurgens autem Ioseph a somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini.* & capite secundo: *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph.* & infra: *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto.* & Lucæ capite primo: *Missus est Angelus Gabriel ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph* & capite secundo: *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa.* & ibidem: *Inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem.* & capite tertio: *Putabatur filius Ioseph.* & capite quarto: *Nonne hic est filius Ioseph?* & alibi sub nomine parentis. Quod quidem mira Dei prouidentia gestum, non dubitamus, vt optimè aduertit Albertus Magnus super Missus, capite 47. in hæc verba: *Vt iustus apud Deum demonstretur Ioseph, cuius nomen, tanquam in libro vitæ scriptum, in Euangelio signanter exprimitur, vt notus hominibus intelligatur, qui testis virginitatis Beatæ Virginis adhibetur, vt nomen eius dignè in memoriam hominum vertatur, qui in patrem Dei assumitur putatiuum.* Et Diuus Bonauentura opus. de vita Christi cap. 6. *Verè de S. Ioseph dici potest*, ait, *quod laus eius in Euangelio.* Recte quidem in Ioseph conuenit, quod de S. Iosia dicitur: *Memoria Iosiæ in compositione odoris, opus pigmentarij, in omni ore, quasi mel in dulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini.* Est enim nomen Ioseph, vt ibidem cap. 50. de Simone Oniæ filio dicitur: *Quasi arcus fulgens inter nebulas gloriæ, & quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus redolens in diebus æstatis, quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne, quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Et tandem non solum in terris apud homines, sed etiam in cælis apud Deum, Angelos, & homines glorificatos, honorabile est hoc sacrum nomen, vt pulchrè satis his verbis Isolanus 4. parte ca. 7. *Quantis plausibus, qua lætitia, quibus honoribus, ac præconijs personare cælestem credimus Hierusalem, cum Ioseph nominatur? quem parentem Deus ipse vocare dignatus est, quem Regina Angelorum sponsum amantissimum adhuc clamitat?*

Matth. 1. Idem c. 2. Lucæ 1. Idem c. 2. Idem c. 3. Idem c. 4. Alb. Magn. D. Bonauen. Eccl. 49. Eccl. 50. Isolan.

His omnibus addo non sine maxi-

ma, & peculiari Dei prouidentia fuisse factum, nullum huius nominis Ioseph appellatione in Christi Domini Apostolatum fuisse admissum: vt enim constat Actorum ca. 1. Apostoli agentes de substitutione facienda in locum proditoris Iudæ: *Statuerunt duos, Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam;* & per diuinam sortem electus, & prælatus fuit Matthias: *Dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.* Ambo, Ioseph scilicet, & Matthias, erant Christi discipuli, ambo serui Dei: Ioseph tamen ab Apostolis primus nominatus: *Statuerunt duos, Ioseph, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam.* Primo autem loco nominatus, solet ceteris paribus præferri, vt habetur in l. quoties, ff de vsufructu. & ex plurimis iuribus, & doctoribus resoluit Tiraquellus libro de iure primogenitorum. Vnde D. Laurentius Iustinianus in concione Sancti Matthiæ Apostoli post medium dixit: *Quis non prætulisset ex his Ioseph Iustum cognomento, & vita? & tamen aliter iudicauit omnipotens, cuius iudicia longè ab humanis dissimilia sunt.* Quòd si dicas duorum propositorum adhuc liberam esse cuiusque electionem cæteris paribus; certè in vnius tantum electione idipsum contigisse video; nam vt dicitur Actorum capite quarto, Apostolus Barnabas, cum antea Ioseph nominaretur: *Ioseph autem, qui cognominatur Barnabas,* nomine Barnabæ seruato, Iosephi appellationem reliquit. Sanè, ni fallor, hæc ita contigisse arbitror, vt singularitas, & excellentia huius nominis Ioseph in Beato nostro Iosepho solum effulgeret. Vnde Isolanus parte 4. cap. 7. post medium ait: *Amicos Christus vocauit Apostolos, Iosephum patrem ipse Deus, & homo nominabat.* Et tertia parte cap. 18. sic ait: *Sunt autem quatuor proprietates Apostolicæ dignitatis: Annunciatio Euangelij: Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ. Illuminatio: Vos estis lux mundi. Reconciliatio: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Et per Spiritum Sanctum loquutio: Non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Hæ proprietates dignissimæ sunt, quia sunt immediatè à Christo, & sub Christo, & propter Christum. Proprietates verò Sancti Ioseph fuere, desponsatio Reginæ cælorum, nominatio Patris Regis Angelorum, defensio Messiæ promissi in lege Iudæorum, educatio Saluatoris omnium. Et hæ proprietates sunt immediatè super Christum, ad Christum, & propter Christum. *Quisquis ergo ingenio polles, rerum diuinarum præmissa veritate, discurre, argue, conclude ab Apostolicæ comparatione Maiestatis ad cælestem Ioseph dignitatem, quanta sit illi præstita dignitas, sanctitudo ac virtutum inexplicabilis perfectio. Accede ad cor altum, & non deprimetur, aut humilior erit apud te maiestas Apostolici culminis, sed exaltabitur Deus in latentibus donis patris sui putatiui Ioseph. Quamobrem mens contemplationi dedita, ingrediatur locum, quem calamus refugit; intelligat animus, quod verba exprimere declinant, admiretur ingenium, quod scripta non attingunt: veneretur denique totus homo, quod cælesti tectum gloria latet.* Hæc ille.

Ex quo facilè colligemus, valde rationi esse consonum, nostrum Beatum Ioseph præ omnibus alijs, quacunque ratione Christo Domino coniunctis, nomine augmenti pleno esse decorandum. Quòd si, vt iura disponunt, vt possit vir nobilis prohibere, ne quispiam alienæ familiæ arma sua deferat, aut maiorum suorum nomine appelletur, vt tradunt Bartolus in tract. de insignijs, & armis, & Cassaneus in Catalogo gloriæ mundi, 1. parte. & Tiraquellus de nobilitate cap. 6. certè B. Ioseph omnium nobilissimus, & ex Dauidica Regali progenie descendens, iure poterat impedire, ne quispiam suo nomine insigniretur. Quod si ille, qui Christi corpus sepelivit, Ioseph est appellatus, diuino consilio factum puta, quia sicut

Ioseph

Gen. 1.
l. quoties. Tiraquel.
Laur. Iustin.
Actor. 4.
Isolanus.
Matth. vlt. Matth. 5.
Marc. vlt. Ioann. 17.
Bartolus. Cassaneus. Tiraq.

Ioseph noster, corpus sæpè tangere, pannis inuoluere, & attrectare debebat, idē etiam illum præstare oportuit, vt Diuus
Matth. 27. Matth. narrat: *Venit quidam homo diues ab Arimathia, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat Iesu, & accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in syndone munda, & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra.* Cùm igitur hic fuerit in locum, & ministerium nostri beatus Ioseph quodam modo substitutus, mirum non est, si eodem nomine gaudeat, cùm subrogatus sapiat vicem eius, in cuius locum subrogatur, vt habetur in l decernimus, vbi
l decernim. Bartolus. Tiraquel. Bartolus C. de aquæductu libr. 11. & resoluit Tiraquel. de iure primog. q. 40.

§. 3.

De pulchritudine corporali, & spirituali D. Ioseph, vbi de quadruplici eius Iustitia.

D. Augus. CVM corporis pulchritudo naturale Dei donum sit, vt dixit D. Augustinus libr. 15. de Ciuitate, capit 22. ambigendum non est, Christum, Mariam, & Iosephum, inter quos mira fuit conformitas, naturali pulchritudinis dote minimè caruisse. De Christo Domino id cecinit Regius vates Psa.
Psal. 44. 44. *Speciosus forma præ filijs hominum*: de vtraque enim pulchritudine spirituali, & corporali loquutum fuisse ibi Dauiuidem, testatur Diuus Thomas in com-
D. Thom. mentario huius loci, vbi in eius confirmationem adducit verba Diui Augustini de Christo, dicens: *Nobis cernentibus vbique speciosus, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis pulcher in flagellis, pulcher deponens animam, pulcher in patibulo, pulcher in limbo, pulcher in cœlo* Beatam autem Virginem pulchram commendat
Cantic. 6. sponsus, vt lunam Cantic. 6. & ibidem:
Vgo de S. Victore. *Pulchra es, suauis, & decora*. Super quæ verba Vgo de Sancto Victore ait: *quam pulchra, & suauis, quam scrutator rerum probat, quam inspector cordium laudat, quam diligit auctor pulchritudinis, cui testimonium Magister veritatis præbet*. Diuum tandem Iosephum pulcherrimum fuisse, ita vt post Virginem matrem, nullus fuerit Christo similior, docuerunt Iustinus martyr in Dialogo contra Triphonem, & Lexicon Theologicum verbo *Ioseph*, & doctissimus Gerson Cancellarius Parisiensis, in sermone de Natiuitate beatæ Mariæ, habito in Concilio Constantiensi, & in sua Iosephina, auctor summæ Margaritæ Confessorum, qui in quæstione vltima ex moral. quas posuit in laudem sanctissimi Ioseph, compendiosè dixit: *Ioseph fuit Christo simillimus, & per consequens formosissimus*. Et Bernardinus Bustensis quarta parte, sermone 12. & Isolanus quarta parte, capite 9. & prima parte, capite 11. & 12. idq; iam, vt commune receptum est apud fideles, vt quàm plurimi nostri temporis scriptores ingenuè fatentur; & ratio opitulatur, tum quia (teste Aristotele lib. 2. de Aristot. Anima capit. 4. textu 34.) naturalissimum est omnibus viuentibus, natura non errante, generare sibi simile, non solùm secundùm essentiam, sed & secundùm accidentia corporalia, A Ethiops generat A Ethiopem, leprosus leprosum, pulcher pulchrum: sanctissimus autem Ioseph perpulchros habuit parentes, quos refert Diuus Matthæus Matth. 1. in eius Genealogia, Dauidem, Salomonem, Iacobum, Thamarem, & alios etiam proximiores, & in eo terminata fuit linea Regiæ illorum prosapiæ: quis autem credat in deformitatem fuisse terminatam? Tum id colligitur ex fine, ad quem fuit ordinatū matrimonium inter Virginem, & Iosephum, scilicet propter honorem Virgini debitum, conseruandum, & ipsi etiam Christo Domino, vt filius Ioseph putaretur, vt Patres omnes adnotant: at Christus Dominus speciosus fuit super filios hominum: ergo, vt facilius finis filiationis putatiuæ obtineretur, oportebat Iosephum esse similem Christo, atque adeò

Iust in mart. Lexic. Theologicum. Gerson. Marg. Conf. Bustensis. Isolanus.

pulcherrimum: quod egregiè sic cecinit Gerson in sua Iosephin. in fine:

Gerson.

Personas inter similes est nexus amoris,
De Ioseph at ratio suadet, sua quod facialis
Forma Iesu fermè similis reputanda fuisset,
Si non, quo pacto pater eius creditus esset?
Qualiter omnimodo matris seruasset honorem?
Disparitas vultus prolis cum putato?

Vnde in dubio illius, cuius filius esse putatur, cuius faciem, formamque refert, iudicatur, vt si dubitatur, vtrum filius sit prioris, an posterioris mariti, vt tradunt Dynus in lib. 3 l. si duobus ff. de adimendis legatis. Albericus in l. septimo mense, circa med. ff. de statu hominum, Iason. & Doctores in l. Gallus. in principio. ff. de liberis, & posthumis. Baldus consil. 390. Fulgosius cons. 212. Alciatus in l. quæret. ff. de verbor. significat. & alij, quos refert, & sequitur Tiraquellus in libr. 7. connub. Et quidem vt Philosophorum more loquar, indiuiduatio est de substantia indiuidui, anima autem indiuiduatur per ordinem ad corpus, atque adeò, quo melius fuerit corpus, meliorem sortietur animam, quæ occasione corporis, & dispotionũ ex nihilo creatur à Deo, vt tradit Diuus Thomas lib. 1. contra Gentes capit. 3. Vt autem loquitur Isolanus 1. parte cap. 11. in principio. Anima sanctissimi Ioseph fuit ab æterno à Deo electa, & in vtero matris sanctificata, & miris donis, & gratijs ornata, vt posset esse dignus Virginis sponsus: igitur tali animæ, corpus pulchrum, & rectè compositum, erat debitum, dicente diuo Ambrosio lib. 2. de Virginitate. *Species corporis simulachrum est mentis, figuraque probitatis.* Quæ sententia apud Theologos, & Iurisprudentes, nec non apud Philosophos, & humanarum litterarum professores celebris est. Nam & Socrates in Phædone Platonis sub nomine pulchri equi, & equitis, innuit bonam corporis effigiem bonæ mentis argumentum esse, aut certè adiumentum: & insignis Latinus nomine Pacatus, in Panegyrico ad Theodosium Imperatorem scripto, eleganter dixit? *Virtus tua meruit imperium, sed virtuti addidit forma suffragium, illa præstitit, vt oporteret te Principem fieri.* Quam autem eximia fuerit interna animi pulchritudo diui Ioseph ex interiori eius sanctitate, & puritate, in qua animi decor, & pulchritudo consistit, facilè erit colligere, tanta illa extitit, vt nulla vnquam fuerit proximior, & similior puritati, & munditiæ beatæ Virginis. Ita docuit Gers. ser. de Natiu. Mariæ, in exord. consid. 1. *Sicut decuit* (inquit) *vt Maria tanta puritate niteret, qua sub Deo maior nequit intelligi, vt ait Anselmus; ita decuit, vt S. Ioseph tanta prærogatiua polleret, quæ similitudinem, & conuenientiam exprimeret talis sponsi ad talem sponsam, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Idq; facilè mihi persuadeo, primò, quia puritas causatur per recessum à contrario, id est, ab omni cõtagione, & immunditia, sed sanctiss. Ioseph per sanctificationem in vtero, per extinctionem, siue fomitis repressionẽ, & per confirmationem in gratia, recessit ab omni peccato mortali, vt idoneus sponsus beatæ Virginis, & Christi pater putatiuus, secundùm æternam Dei electionem idoneus inueniretur: ergo eius puritas puritati beatæ Virginis quàm simillima fuit, ne impar impari, & dissimili coniungeretur.

Dynus. *Albericus.* *Iason.* *Baldus.* *Fulgosius.* *Alciatus.* *Tiraquell.* *D Thom.* *Isolanus.* *D. Ambr.* *Socrates.* *Pacatus.* *Genes 46.*

Secundò, quia vbi adest omnimoda causa conseruandi, & augendi puritatem, ibi puritas in perfectiori gradu viguisse, censenda est: B. autem Ioseph propter commune cum Christo, & Virgine contubernium, habuit opportunã satis occasionem, vt puritas eius adeo creseceret, vt proximior esset puritati B. Virginis: prudenter ergo philosophamur ita de facto contigisse: Et quidem si laudatur, & meritò, puritas Patriarchę Noe, quia semel cũ eo locutus est Deus, Genes. ca. 6. & laudatur puritas Abrahę, quia præcepit ei Deus exire de terra sua, Genes. 12. & laudatur puritas Iacob, quia semel

Genes 6. *Genes 12.*

semel vidit Deum innitentem scalæ, Genes. 28 & laudatur puritas Moysis, quia cum Deo amicè loquebatur, Exodi 33. & laudatur puritas Samuelis, quia Deus vocauit, & excitauit eum dormientem 1. Reg 3. 1. Regum cap. 3. & laudatur puritas Dauid, quia secundùm cor Dei erat. 1. Regum 6. & laudatur puritas Prophetarũ, quia sub diuersis figuris Deum viderũt; vnde Videntes fuerunt appellati: ac tandem laudatur puritas Marthæ, Magdalenæ, & Lazari, quia Christum hospitio receperunt; nec non & puritas Apostolorum, quia eum viderunt, audierunt, & doctrinam eius susceperunt; quantò maioribus encomijs exaltari debet puritas nostri Ioseph, qui per tot curricula annorum cum Christo Domino, & Deipara tam familiariter fuit cõuersatus? Nam si ex consortio sermonis Domini, facies Moysis splendore adeò coruscabat, vt non possent in eam intueri filij Israel, vt legimus Exodi 34. quantò magis puritatem S. Ioseph, ex tam antiqua, & frequenti communicatione, & familiari consortio cum Christo, & Virgine, irradiasse, & splenduisse credendum est, cùm id (teste diuo Clemente Alexand. libro 6. stromat.) quotidie experiamur in his, qui per frequẽtem, & flammigeram communicationem, ad Deum accedentes, in dies magis illuminantur? Grauissima S. Clementis Alexandrini verba sunt hæc: *Certè sicut Moysi ex iusta operatione, & ex ea, quæ continenter ei intercedebat cum Deo loquente consuetudine, vultui insidebat glorificata quædam colorũ species, ita etiam iustæ animæ diuina quædam vis bonitatis inhærens, per inspectionem, propheticam, & administrantem operationem, quasi intelligentiæ illuminationis, perindè, atque caloris solaris, imprimit quoddam apertum iustitiæ signaculum, lucem animæ vnitam per charitatem, quæ nullo spatio disiungitur, quæ Deo afflat, & Deo afflatur* Hæc ille.

Idem 28. Exodi 33. 1. Reg 3. 1. Reg. 6. Exodi 34. Clem. Alex.

Tertiò, quia diuus Thomas 3. parte, q. 27. art. 5. in corpore dixit: quantò aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principij, & sic quod magis appropinquat soli, maiorem claritatem, & illuminationem recipit, & quo magis aliquid appropinquat igni, fit magis calidum; & similiter aqua clarior, & purior profluit, quantò minus distat à fonte, & principio. Vnde sanctus Dionysius de cœlesti hierarchia cap. 4. asserit, quod Angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus diuinis, vt verbis eius loquar. Duo autem principia in ordine supernaturali subordinata cernimus. Primum est Christus, de quo Euangelista Ioannes ca. 1. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, quia lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Christum Iesum facta est.* Vnde diuus Thomas 3. parte, quæst. 27. artic 1. in corpore dicit: Christus autem est principium gratiæ, secundùm diuinitatem quidem authoritatiuè, secundùm humanitatem verò instrumentaliter. De cuius principij plenitudine nos omnes accepimus, scilicet omnes Apostoli, & Patriarchæ, & Prophetæ, & iusti, qui fuerunt, sunt, & erunt, & etiam omnes Angeli. Secundum principium illi primo subordinatum, beatissima Virgo est, quæ propterea gratia fuit plena, & super plena, vt in nos illam effunderet, prout diuus Bernardus his verbis eleganter edixit sermone de Assumptione: *Quis vacuam dixerit, quam salutat Angelus gratia plenam? Neque hoc solùm, sed adhuc quoque superuenturum in ea asserit Spiritum sanctum: ad quid putas, nisi vt etiam superimpleat eam? ad quid, nisi vt adueniente iam Spiritu plena sibi eodem superueniente, nobis quoque super plena, & superfluens fiat? O fœmina plena, & superplena gratiæ, de cuius plenitudinis exundantia resperfa, reuiuiscit omnis creatura.* Cùm igitur his duobus totius puritatis principijs Christo, & Maria, Diuus Ioseph fuerit præ omnibus alijs Sanctis coniunctior, & propin-

S. Dionys. Ioan. 1. D. Thomas. D. Bernard. D. Thomas.

propinquior, meritò censendus est amplius præ omnibus de vtriusque puritate participasse; & quidem si ea ratione beatæ Virgini concessa est perfectior puritas, quia immediatius ordinabatur ad Christi humanitatem, consequens est, quòd cùm post Virginem nemo intimius, quàm Ioseph ordinatus fuerit ad eandem Christi humanitatem nutriendam, alendam, & fouendam, ipse, excepta Virgine, purissimus omnium fuerit.

Porrò sub nomine iusti, quo sacra eloquia Diuum Iosephum cohonestant: *Ioseph autem vir eius cùm esset iustus*, miram eius animi pulchritudinem commendari arbitror. Vnde Rupertus libr. de gloria, & honore filij hominis, super cap. 1. Matth. ait: *Ioseph prius inaudita credidit, scilicet, quòd ipsa, quæ conceperat, Virgo esset, & statim obediuit Deo credulus, puellæ benevolus, eatenus vir iustus, & exindè iustissimus.* Et paulò inferius: *Hic perconctari libet, quare timorem eiusmodi Virginem occultè dimittendi, Deus illi euenire permisit? Quare non præuenit? quare hunc ipsum Angelum, quem tandem missurus erat, non misit antea, tunc scilicet, quando misit ad Virginem, quæ ei desponsata erat? videlicet, vt tentaretur, & manifestum fieret tam sanctis Angelis, quàm nobis hominibus de ipso, quòd esset iustus, & talis, qui dignè sic deberet appellari Ioseph fili Dauid.* Sic etenim idem pater eius Dauid maluit exulare, quàm vti permisso legis dicentis, vt falso Hebræi commentabantur, *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Tradiderat Dominus in manu eius Saulem illum odientem, & persequentem. *Et nunc* (ait Abisai) *perfodiam eum lancea in terra semel, & secundo opus non erit. At ille: Viuit Dominus, quia, nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut in prælium descendens, perierit, propitius sit mihi Dominus, non extendam manum meam in Christum Domini.* Fuit ergo Ioseph insigniter filius Dauid, iustus in verbo, iustus in facto, iustus adeò in legis consummatione, vt meritò de eo dici possit illud Machab. 2. *Ioseph in tempus angustiæ suæ custodiuit mandatum, & factus est Dominus Aegypti.* multò præstantiùs id conuenit nostro Iosepho, quem iustitiæ decor, in quo sita est puritas animæ, multifariam, multisque modis eum exornauit: nam quod attinet ad iustitiam vniuersalem, quæ cunctas virtutes complectitur, vt docet Albertus Magnus super Missus est cap. 46. in D. Iosepho mirificè emicuit: nam S. Clemens Alexandrinus libro 6. stromatum post medium, hæc præclara de proprietatibus, & conditionibus hominis iusti dixit: *Est ergo iustitia quadrata, omni ex parte æqualis, & similis in verbo, in facto, in abstinentia à malis, in beneficentia, in perfectione cognitionis, nusquam vllo modo claudicans.* Appellat sanctus Clemens iustitiam, omni ex parte quadratam, propter stabilitatem quatuor virtutum Cardinalium: etenim, vt notauit Abulensis in Exodum ca. 15 quæst. 15 inter cæteras figuras nulla stabilior, atque firmior est, quàm quadrata: nam quacunque ratione ponatur, semper stans, ac firma persistit, non mouetur, nec in diuersa girat. In cuius signum ait Beda lib. 8. de templo Salomonis capit. 4. Templum Salomonis ex lapidibus quadris ædificatum fuisse, sicque intelligendum esse quod dicitur: *Domus autem cùm ædificaretur de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata est* Rex etiam Medorum, vt dicitur Iudith cap. 1, *Ædificauit ciuitatem potentissimam ex lapidibus quadratis, & sectis.* Vnde apud antiquos sapientes quadrata figura hominem iustum, & virtute præditum portendebat, vt docet S. Thomas libr 9 Metaphysic. lect. 8 & libr. 2, de anima lect. 3. in principio: quod & Pierius in suis Hieroglyphicis libr. 36. capit. de quadrato, luculenter tradit: & expressius Aristoteles libro 4. Rhetor. ad Theodectem capit. 11 *Iustum quemque* (ait) *appellari quadratum propter quatuor virtutes Cardinales, eum circumstantes.* Vnde de isto dicitur Eccles. 27. *Iustus perma-*

Rupertus.

1. Reg. 26.

1. Mach. 2.

Albert. Mag.

Clem. Alex.

Abulensis.

Beda.

3. Reg. 6.

Iudith. 1.

S. Thom.

Pierius.

Aristot.

Eccl. 27.

permanet, vt sol. Sic Iob, quasi quadratus, vtroque consolationis, & tribulationis tempore dicebat: *Qui cœpit, ipse me conterat.* Sic Paulus: *Quis nos separabit à Charitate Christi? tribulatio, an angustia?* Vnde quęso hoc? non aliunde profectò, quàm ex doctrina magistri veritatis, dicentis: *Assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram.* Nostro sanctissimo Iosepho planè hæc conueniunt, qui in maxima tribulatione positus, semper firmus, semper stabilis, nunquam minus habens, inuentus est. Quod sanctus Chrysostomus hom. 5. super Matth. animo voluens, sic admiratus, in hæc verba prorupit: *Vidisti Iosephi obedientiam? vidisti animum facilè sacris sermonibus fidem accommodantem? vidisti mentem omninò vigilem, & nulla prorsus corruptione violatam?* Constat ergo virum hunc excellentissimum quendam attigisse iustitiæ vniuersalis gradum: fundatus enim erat supra firmam petram quatuor virtutum Cardinalium, excellentius multò, quàm alter Ioseph Patriarcha, (ipsius figura, & imago) de quo Eusebius Cæsarienſis libr. 7. de præparatione Euangelica cap 3. in fine dixit: *Aderat enim Iosepho libertas animi, maximè robur inuictum, pudor eximius, iustitia, modestia, prudentia summa, sed pietate in verum Deum maximè præstabat, eratque mirabili corporis præditus formositate, qua adolescentia virtutibus ornata insignis videbatur.*

Iob 6. Rom. 8. Matth. 7. Chrysost. Eusèb. Cæs.

Verùm iustitiam Iosephi altius mihi contemplanti, planè videtur iustus extitisse in omni iustitiæ genere. Primò in legali iustitia, quæ singulos dirigit homines ad operādum pro communi Reipublicæ bono, cùm reuera ipse non tantùm pro vnius Reipublicæ, aut vnius, aut alterius Regni vtilitate, & bono operatus sit, sed & pro totius orbis, vt satis indicant verba Angeli: *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est: pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Vnde sanctus Bernardus homila 2. super Missus est dixit: *Hæc Christum panem viuum seruauit sibi, & toti mundo.* Secundò, fuit iustus iustitia distributiua; nam cùm esset diuinæ possessionis Princeps, Christique Domini, & Virginis Deiparæ superior, reddebat quod Christi erat, Christo, & quod Virginis Virgini, diuidens singulis, prout cuique opus erat, & quod eorum vnicuique debebatur, Virgini solatium, Christo nutrimentum, tutelam, & vigilantiam. Tertiò, fuit iustus, iustitia cōmutatiua, inter particulares personas: hanc enim clarè ostendit, dum noluit Virginem prægnantem traducere, sed eam occultè dimittere: reddidit enim Virgini, quod suum erat, nam cum suspicio adulterij esset criminis occulti, & omninò iudicialiter improbabilis, ius eam practicè accusandi non habebat, maximè quòd, cum vero, & essentiali matrimonio essent copulati, & in eadem domo habitationem communem habuissent, fœtum ex matrimonio processisse iudicandum, & præsumendum erat, vt habetur in l. filium ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris: quod etiam verisimum putant Doctores, quamuis adulterium probaretur iuxta l. miles §. defuncto, ff. de adulterijs; & tradunt Gregorius Lopez in l. 1 tit. 14. p. 2. glos. 5. & Nauarr. lib. 4 consil. titu. 10. de frigidis, & maleficiatis cons. 3. & in nostris terminis D. Thom. ex D. August. super c. 1. Matth. hæc docet: *Duplex est peccatum, scilicet peccatum occultum, & peccatum manifestum: peccatum enim occultum, non est publicè arguendum, sed aliter est ei remedium adhibendum: suspicio ergo adulterij, quam habuit Ioseph, erat suspicio peccati occulti, & non manifesti, quia ipse solus sciebat.* Et iterum: *Si alij scirent eam grauidam, non possent opinari, nisi quòd de ipso esset, & ideò crimen eius non debuisset propalasse.* Et Abulensis super capit. 1. Matth. quæst 34. in medio ait: *Istum modum accusandi in iudicio humano non poterat tenere Ioseph. Primò,*

S. Bernard. Matth. 1. Gregor. Lop. Nauarrus. D. Thom. D. August. Abulensis. Matth. 1.

quia non constabat, an fuisset adulterium: nam dato quod appareret de conceptu, non autem constabat, an ante contractum matrimonij fornicata esset, vel postea; quia sic prius non erat adulterium, & tamen istud non erat posibile probari saltem quoadusque pareret Maria; licet adhuc tunc non fiebat firma probatio, quia non habebat testes aliquos Ioseph ad probandum istud adulterium, & accusatio non valeret, imò potius ipse condemnaretur, quia deficiebat in probatione obiecti criminis per accusationem, & dato quòd appareret, eam esse prægnantem, non tamen secluso testimonio constaret de ista negatiua, scilicet, quòd ipse non cognouisset eam, cùm & sponsa eius esset, & cum illa cohabitaret. Porrò hoc loco quorundam prudenti obiectioni satisfacere non prętermittam, qui asserunt, Ioseph̃um in actione nolendi accusare sponsam, pietatem potius quandam, non iustitiam exercuisse, atque adeò propter illud opus magis pium, quam iustum dicendum fore: Verum nodum hunc sapienter satis soluit diuus Petrus Chrysologus; nam sermone 145 qui primus est de generatione Christi, explicans verba Matthæi. *Ioseph autem cùm esset iustus*, sic ait: *Hoc pio magis videtur conuenire, quam iusto, sed humano iudicio, non diuino penes Deum neque pietas sine iustitia est, neque sine pietate iustitia: quia equitas sine bonitate sæuitia est, & iustitia sine pietate crudelitas est. Ioseph ergo meritò iustus, quia pius, & pius quia iustus. Denique dum pietatē cogitat, crudelitate caruit, dum causam temperat, iudicium custodit, dum vindictam differt, crimen euasit: dum refugit accusatorem, fugit sæuitiam.* Et Beda super cap. 1. Matth. *Ea quippè* (ait) *iustitia iustus erat Ioseph, vt misericorditer propinquæ consuleret. Iustus erat, de quo scriptum dicit: misericordiam volo, & non sacrificium, non ex qua Scribæ, & Pharisæi elati, iustos se, quasi emulatores legis æstimabant, cùm crudeliter proximorum sanguinem effunderent propter transgressionem legis, quam nequaquam ipsi obseruabant.* Certè in eo clarius iustitiam cum mirabili mansuetudine coniunctam ostentauit D. Ioseph, quod noluit Virginem traducere ad sacerdotem pro sacrificio zelotypiæ iuxta ca. 5. Numer. quod liberè poterat facere, quamuis ad id ex præcepto minimè cogeretur: quia ius hoc introductum à Deo, fuit in fauorem maritorum ad mouendam adulterij suspicionem, quòd inter maritum, & vxorem, imò & in tota familia pacem turbat, & ideò poterat tali iuri renunciare, vt habetur in capit. si diligent. de foro compet. quia quod alicuius voluntati permittitur, non subiicitur iuris necessitati. vt Papinianus docuit in l. non quidquid ff. de iudicijs. Aliàs enim introductum in mariti fauorem, in eius læsionem, & odium retorqueretur contra l. quod fauore C. de legibus. Et sic pietate ductus noster Ioseph, vtens iure suo, noluit Virginem traducere, noluit potestate adducendi eam ad Sacerdotem pro sacrificio zelotypiæ vti. Vnde meritò S. Chrysostomus super Matth. virum in omnibus præclarum, ac omnigena virtute insignitum nostrum nominat Ioseph̃ū, qui in hac maxima positus tribulatione inuocauit Dominum, & exaudiuit eum in abscondito tempestatis, & probauit eum apud aquam contradictionis, aquam scilicet zelotipiæ, & cùm posset Virgini facere malum, & molestiam inferre, noluit ex pietate facere, & probatus, perfectus inuentus est, eritque illi gloria æterna. Ex quibus omnibus ego mihi facilè, nec temerè persuadeo, D. Ioseph̃um iustitia, & sanctitate omnes Sanctos, vna eius sponsa excepta, longè antecellere, nec quicquam obest huic Ioseph̃i excellentiæ, quòd generaliter B. Paulus ad Rom. 8. dixit: *Nos autem primitias spiritus habentes*, quibus Apostolos omnibus sanctitate præfert: nam cùm noster Ioseph̃ nutritius fuerit Christi, minimè in illa vniuersali prælatione venit intelligendus. Nam sicut Imperatores Seuerus, & Antoninus in leg. 1. C. quæ res pignori obligari possunt, vel non, Imperatoria potestate in hunc

Num. 5.

Papinianus.

Chrysost.

Pasr. Chrys.

Beda.

D. Paul. ad Rom. 8.

Imperatores Seuerus, & Antoninus.

hunc modum statuerunt: *Alumnos tuos, & cæteras res, quas neminem credibile est pignori specialiter daturum fuisse, generali pacti conuentione, quæ de bonis tuis facta est, in causa pignoris non fuisse, rationis est.* Vbi Glossa prima sic explicat: *Alumnos scilicet, qui te aluerunt.* Glossa 1. Ita cùm sanctissimus Ioseph Christi Domini carnis fuerit nutritius, eumque viuens semper aluerit; in generali illa regula, qua Paulus Apostolos omnibus præfert, non debet intelligi comprehensus, imò ab ea iure tãtæ dignitatis exceptus.

§. 4.

De sanguinis nobilitate D. Ioseph, & de miro splendore stemmatum eius.

VIdebitur fortasse cuipiam frustrame D. Iosephi præconia à nobilitate generis petere, D. Paulo dicente 1. Cor. 1 *Non multi sapientes secundùm carnem, non multi nobiles, sed ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus.* 1. Corin. 1. Super quę verba Glossa ordinaria ait: *Veni Deus humilis quærens humiles, non altos.* Sed non rectè iudicabit, tum quia D. Paulus ibi loquitur de Apostolis, per quos conuertendus erat mundus: oportebat autem illos esse plebeos, & indoctos, ne eorum nobilitati, & sapientiæ adscribi posset id, quod Deus per ministerium illorum operabatur, & sic Crux Christi euacuaretur, non autem congruebat, vt domestico famulatu Christus Rex Regum ab ignobili homine nutriretur, cui, vt ait Daniel capit. 7 *Angelorum millia millium ministrabant, & decies millies centena millia assistebant ei.* Daniel. 7. Tum quia, vt rectè dixit diuus Ambrosius super caput primum Lucæ in principio: *Non solùm mores in his, qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportet laudare, vt, velut intransmissa immaculatæ puritatis hæreditas in his, quos volumus laudare, præexcellat.* Ambros. Etenim nobilibus sanguine parentibus nati, quasi quadam necessitate constringuntur à maiorum suorum probitate non degenerare, vt his verbis eleganter dixit diuus Hieronymus in epistola ad Paulam & Eustochium: *Nobilitas videtur esse quædam laus de meritis veniens: quare splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non efficit. Quod si quid est in nobilitate bonum, id esse arbitror solùm, vt imposita nobilibus necessitudo videatur, ne à maiorum virtute degenerent.* Hieron. Et quidem si generis nobilitas nihili facienda esset, nec ad Dei obsequium deseruire posset, minimè diuina eloquia toties illam commendassent: legimus autem Deuteronomij primo, Populo Dei Moysen dixisse: *Tollite de tribubus vestris viros sapientes, & nobiles, & constituam eos Principes, Tribunos, & Centuriones.* Deuter. 1. Et Ecclesiastes capite decimo dixit: *Beata terra cuius Rex nobilis est*; Eccl. 10. vbi Glossa ordinaria adiecit: *Nobilis moribus, & genere*: ac tandem primum, quod senex Sanctus Tobias precatione quæsiuit à viro, filium suum comitaturo (quem Raphaelem Archangelum esse ignorabat) fuit, de qua domo, & tribu originem duceret: *Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu?* Qui cùm respondisset: *Ego sum Azarias Ananiæ Magni filius*; tunc Tobias dixit: *Ex magno genere es tu.* Tobiæ 5. Vnde tunc magna confidentia filium suum ducendum ei commisit, dicens: *Bene ambuletis, & sit Deus in itinere vestro.* Tob. 5. Et quidem sicut legimus 1. Machab. 3 *Rex Antiochus reliquit Lysiam hominem de genere regali super negotia regia, & vt nutriret Antiochum filium suum*; 1. Mach. 3. dubitari non potest de summa Dei sapientia, quin vnigenitum filium suum Ioseph educandum minimè tradidisset, nisi ex nobili sanguine oriundus esset: quis enim ignorat nobilitatem naturalem cum spirituali coniunctam, ad virtutis exercitia, calcaria addere, & eius impedimenta remouere? tunc namque habet homo cor bifariam præparatum

homines satis liquet. Sanctitas enim & nobilitas Ioseph excellit gemmis, vndique circũdata radiantibus: nam retrò radiat præclarissima nobilitate, ante radiat nobilissima humilitate, supra radiat præstantissima dignitate, infra radiat mundissima peccatorum immunitate, intus radiat virtutum magnificentissima puritate. A dextris erga Deũ radiat ardentissima charitate; & à sinistris in proximum radiat ineffabili pietate. Sed præter hæc ex eo etiam capite, quod S. Ioseph fuerit maritus Deiparæ Virg. illamq; habuerit in veram suam coniugẽ iuxta Angelicum oraculum: *Ioseph noli timere accipere Mariam coniugem tuam*; opus fuit excellenti nobilitate conspicuum esse, cum nubentem Reginę, consequens est Regem fieri: quis autem non videat dignitate Regia, ac regali splendore, magnam comparari nobilitatem? Licet enim verum sit, nobilitari mulierem ignobilem nuptam viro nobili, quia efficitur de familia mariti, vt habetur in l. fin. C. de nuptijs, ibi *vxor marito concrescat, & sentiat eius fulgorem*: & clarius in l. fin. C. de incolis lib. 10. vbi, *mulieres honore maritorum erigimur, & genere nobilitamur*: non tamen è contrario, quando mulier quantumcunque nobilis nubit viro plebeio, quia vilem mariti conditionem sequitur, vt dixit Vlpianus Iurisconsul. in l. fœm. ff. de Senatoribus, & habetur in l. ingenuæ C. de murilegulis: illa tamen iura locum non habent, quãdo vxor est Ducissa, Princeps, aut Regina, vt tradunt Bald. in c. significauit, columna 1. de rescriptis, Decius in l. 1. C. de edendo: Raynuntius Ostiensis, & alij non pauci, quos refert, & sequitur Thiraq. de nobilitate capite 18. idque mihi apertè statutum fuisse videtur in l. vnic. C. de præpositis laborum lib. 12. vbi hæc verba lego: *Nam & immunitate digni sunt, quos nostri lateris comitatus illustrat.* Nulla autem excogitari potest maior lateritas (vt verbis loquar Baldi prę citato loco) quàm viri, & vxoris. Vnde ad id significandum, olim Deus vxorẽ dedit primo parenti productã ex costa lateris sui. Igitur cũ D. Iosephũ B. V. latus illustrauerit, non potuit exinde non magnam nobilitatem nanciscì. Quod si D. Iosephum colateralẽ esse Virgini, regiam nobilitatem præbuit, planè aliam non inferiorem ex eo, quòd per plures annos colateralis Christi Domini fuit, adeptum fuisse ambigendum non est: vt enim ait Imperator in præcitata leg. 1. C. de præpositis laborum: *Qui præpositi laborum nostro iudicio promouentur, clarissimi sunt inter electos, ita vt ex cõsularibus habeantur.* Et in l. fin. C. de excusationibus tutorum dicit: *Viros clarissimos sacri nostri Palatij silentiarios, circa caput nostrum militantes, de tutelis, & curationibus excusari.* Cum ergo Diuus Ioseph per omnes annos infantiæ, & pueritiæ Christi lateri eius adhæserit, non solum, vt socius laborum, aut minister, vel famulus, sed vt magni consilij adiutor fidelissimus, imò vt superior, cui Dominus ipse vltro se subderet, vt testatur Diuus Lucas; non potuit, non inde magnum contrahere nobilitatis splendorem, vt meritò in eum conueniat illud, quòd Esther 6. de Mardochæo dictum fuit: *Hoc honore condignus est, quemcumque Rex voluerit honorare.* Atque hinc est, quod sicut moris est in singulis nobilium familijs, diuersa ab alijs stemmata ostentare, ad earum nobilitatem dignoscendam, & distinguendam, vt tradunt Tiraquel. de nobilitate capite sexto & Cassaneus in catalogo gloriæ mundi 1. part. vnde etiam in Catholica Ecclesia plurimorum sanctorum venerandæ imagines ex diuersis stemmatibus agnoscuntur, Princeps Apostolorum Petrus per claues, Apostolus Paulus per ensem, Diuus Augustinus per sagittatum cor, & per hæreticorum capita pedibus eius conculcata: Seraphicus noster Pater Franciscus per sacra ei impressa stigmata, B. Pater Dominicus per canem varijs maculis distinctum, facem prædicationis

Matth. 1. *Vlpian.* *Bald.* *Decius.* *Raynuntius Ostiensis.* *Baldus.* *Imperator.* *Luc. 2.* *Esther. 6.* *Tiraquel.* *Cassaneus.*

tionis accensam ferentē: illustris S. Laurentius martyr Hispanus per craticulā; nobilissima Virgo, & martyr Catharina per nouacularum rotam; sanctissima Deipara per Christum Dominum in vlnis suo pectori admotum; sic stemmata illa, quibus Ioseph insignitur in argumentum suę nobilitatis, tanto splendore corruscāt, vt omnia Regum, & Imperatorum quantumq; Cæsarea insignia, cum illis nulla ratione valeāt comparari. Etenim sicut ipse fuit velut confiniū vtriusque legis, scriptæ scilicet, & gratiæ, ita etiam ex vtroque capite varia ei competunt suæ ingenuitatis, & claritatis insignia: nā quatenus de domo Dauid in stemmate habet fundam, & quinque limpidissimos lapides, quibus Dauid eius pareas giganteam illam Goliæ molem prostrauit, nec nō gladium, quo caput illius gloriosè precidit: quatenus verò sponsus fuit Virginis, & Pater legalis Christi, sicut maiorem inde nobilitatis claritatem mutuauit, ita splendidiora, & glorioſiora stemmata sortitus est, non ab hominibus collata, sed ab ipso totius nobilitatis fōte ei tributa. Hęc sunt Iesus, & Maria: quod ne meo marte confingere videar, diuino eloquio, ac neruosa ratione comprobabo: an nescitis Angelum ad Iosephum dixisse Matt. 2. *Ioseph accipe puerum & Matrem eius*. Quasi clarius in persona Dei ei dicentem: Ioseph hæc regalia insignia, ac tuę diuinitus inditę nobilitatis clarissima stēmata suscipe: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*: hęc, de qua multo ante prædixeram: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Hæc tua sunt, tibi singulariter propria, hæc in trophæorum tuorum monumentum in Regio tuo scuto depingere potes: atque hæc stemmata sub methaphora virgę, & floris ab Isai. capite 11. prænunciata fuisse, facilè mihi persuadeo: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*. Virga illa Mariam refert; etenim, quòd arida esset, indicat virginitatem eius: quòd sine humore refloruerit: ostendit nō ex opera viri, sed ex diuino spiramine concepisse: flos verò de radice eius, ascendens Christum Dominum significat, instar floris ab ea ortum absque suæ integritatis violatione. Tunc autem virga, & flos intelliguntur etiam data tanquam stemmata D. Ioſepho, quando ad explorādum quis esset futurus sponsus Virginis, cūctis de domo Dauid ad nubendum aptis, singulas virgas accipientibus, vt cuiuscunq; germinasset; ille in sponsum Virginis haberetur, cōtigit, vt sola Ioſephi virga floreret: nam sicut Num 17 Aaronis virga, flores germinā- *Numer. 17.*
te, in sacerdotium fuit electus, ita simili miraculo B. Ioseph fuit in sponsum Virginis destinatus. Virga igitur cū suo flore in manu Ioſephi posita, præter quam quòd significat superioritatē, quam habiturus erat super vtrumq; facile nobis ante oculos ponit virgā, & florem, Mariā, & Iesum sibi in propria suæ nobilitatis insignia cælitus data; hęc autem tā splēdida, ac præclara stēmata D. Ioſepho esse debita, ratio nō parum vrgens probat. Nā quando aliquis strenuus miles in bello iusto Regē quempiam debellauit, Rex ille catenis vinctus, pro stēmate datur. Et qui Regē, aut Reginā ab insidijs, & morte liberauit, eos in insignia nobilitatis assumit. In lege etiā quisq; §. fin. C. ad leg Iul. Maiest. statuitur, vt reuelās proditiones cōtra Regem, vel Rempub. amplissimè remuneretur, verba eius sūt hæc: *Si quis in exordio initæ factionis studio veræ laudis accensus initā prodiderit factionē, præmio, & honore donabitur*. Sed non opus est Iuris ciuilis testimonio, vbi diuinū eloquiū Esther 7. luculenter dicit, quòd *Esther 7.* cum Mardocheus insidias Bagatham, & Thares Eunuchorum Regē Assuerum iugulare machinātium eidem Regi detegeret, continuò Regijs honoribus ab eo fuit cumulatus; sanè D. Ioseph insidias aduersus Christum, & Matrem non reuelauit; per reuelationem tamen Angeli eas agnoscens, quas Herodes illis para-

Matth. 2. *Matth. 3.* *Cant. 4.* *Isai. 11.*

parabat, continuo omni depoſita mora, & nulli parcens labori, Matrem, & prolem in Aegyptum duxit, ab immaniſſimi illius lupi cruentis faucibus illos liberans. Meritò ergo Maria, & Ieſus, tanquam à Ioſepho liberati, in ſtemmata eius debebantur in præmium ſibi dari, Salomone dicente capite 28. *Qui cuſtos eſt*
Prouerb. 28. *Domini ſui, glorificabitur.* Quam autem ſtrenuè, ac viriliter Ioſeph pro defenſione Chriſti, & Mariæ aduerſus diabolum pugnaret, his verbis eruditè deſcripſit
Iſidor. Iſol. piiſſimus Iſidorus Iſolanus 2. p. capite 4. *Fuit Ioſeph Chriſti pueri contra inſidias diaboli, & aſtutias defenſor: magna profectò erat, & mortalibus inexplicabilis virtus Ioſephi, quæ vehementiora diabolinocumenta ſuperare poterat. Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ*
Iob 4. *diabolipoteſtati comparari queat. Illi tamen incognitas Ioſephi virtutes Deus omnipotens appoſuit, quàm fortis, quã excelſus, quanta fulgebat prudẽtia Ioſeph, qui aduerſus fortiſſimũ, callidiſſimũ, ac nequiſſimum diabolum, filium Dei infantem, ac puerum protexit, & defendit? Hic quoque Matris Virginis pudorem tutatus eſt tanta fide, & ſapientia, vt etiam intellectũ angelicum diaboli obtenebrauerit: oppreſſa enim fuit mens diaboli à Maieſtate prudentiæ Ioſeph.* Hactenus ille.

Ad extremum, vt inſignis nobilitas, ac Regia ſanguinis claritas Diui Ioſephi manifeſtius innoteſcat, illam ducere cenſui à primo parente, ex quo pariter conſtabit, in quibus parentibus Ioſeph, & Beata Virgo conueniant, & in quibus diſſideant.

Adam cum eſſet annorum centum triginta genuit Seth,
Seth autem annorum 105. genuit Enos,
Enos autem annorum 90. genuit Cainan,
Cainan autem annorum 70. genuit Malaleel,
Malaleel autem 65. agẽs annum genuit Iared,
Iared autem annorum 162. genuit Henoch,
Henoch autem annorum 65. genuit Mathuſale,
Mathuſale autem annorum 187. genuit Lamech,
Lamech autem annorum 182. genuit Noe,
Noe autem annorum 500 genuit Sem,
Sem autem, vel Melchiſedech Rex, & Sacerdos biennio poſt diluuium genuit Arphaxat,
Arphaxat autem annorum 35. genuit Cainan,
Cainan autem genuit Sale,
Sale autem annorum 30. genuit Heber,
Heber autem annorum 34. genuit Phaleg,
Phaleg autem annorum 30. genuit Reu, vel Ragau,
Reu, vel Ragau autem annorum 32. genuit Sarug,
Sarug autem annorum 30. genuit Nachor,
Nachor autem annorum 29. genuit Thare,
Thare autem annorum 70. genuit Abraham,
Abraham autem annorum 99. genuit Iſaac,
Iſaac autem annorum 60. genuit Iacob,
Iacob autem annorum 91. genuit Iudam,
Iudas autem genuit Phares de Thamar,
Phares autem genuit Eſron,
Eſron autem genuit Aram,
Aram autem genuit Aminadab,
Aminadab autem genuit Naaſſon,
Naaſſon autem genuit Salmon,
Salmon autem genuit Booz de Rahab,
Booz autem genuit Obed ex Ruth,
Obed autem genuit Ieſſe,
Ieſſe autem genuit Dauid,
Dauid autem Rex genuit Salomon,
Salomon autem genuit Roboam,
Roboam autem genuit Abiam,
Abias autem genuit Aſa,
Aſa autem genuit Ioſaphat,
Ioſaphat autem genuit Ioram,
Ioram autem genuit Ocoziam,

Ocozias

Oczias autem genuit Ioam,
Ioas autem genuit Amasiam,
Amasias autem genuit Oziam,
Ozias autem genuit Ioatham,
Ioatham autem genuit Achaz,
Achaz autem genuit Ezechiam,
Ezechias autem genuit Manassen,
Manasses autem genuit Amon,
Amon autem genuit Iosiam,
Iosias autem genuit Iechoniam,
Iechonias autem genuit Salathiel,
Salathiel autem genuit Zorobabel,
Zorobabel autem genuit Abiud,
Abiud autem genuit Eliacim,
Eliacim autem genuit Azor,
Azor autem genuit Sadoch,
Sadoch autem genuit Achim,
Achim autem genuit Eliud,
Eliud autem genuit Eleazar,
Eleazar autem genuit Mathan,
Mathan autem genuit Iacob,
Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus.

Quia tamen in enarrationem progenitorum Diui Iosephi incidimus, aduerto, progenitores Iosephi positos infra Dauidem, non esse progenitores naturales B. Virg. & consequenter, nec Christi Domini. Nam Beata Virgo non descendit ex Dauide per Salomonem, sed per Nathan fratrem eiusdem Salomonis, vt Diuus Lucas cap. 3. palam testatur. Quare ad cognoscendam lineam rectam, per quam descendit Beata Virgo, atque adeò Christus Dominus, in quantum homo, quamuis Beata Virgo, & Ioseph eosdem progenitores habuerint vsque ad Dauid inclusiue, deinceps tamen omnino diuersi sunt: nam ad Iosephum spectant omnes supra relati infra Dauidem, ad Beatã vero Virginem hi, qui sequuntur: nam Dauid genuit Nathan,
Nathan autem genuit Mathata,
Mathata autem genuit Menna,
Menna autem genuit Melea,
Melea autem genuit Eliachim,
Eliachim autem genuit Iona,
Iona autem genuit Ioseph,
Ioseph autem genuit Iuda,
Iuda autem genuit Simeon,
Simeon autem genuit Leui,
Leui autem genuit Mathat,
Mathat autem genuit Iorim,
Iorim autem genuit Eliezer,
Eliezer autem genuit Iesu,
Iesu autem genuit Her,
Her autem genuit Elmadan,
Elmadan autem genuit Cosan,
Cosan autem genuit Addi,
Addi autem genuit Melchi,
Melchi autem genuit Neri,
Neri autem genuit Salatiel,
Salatiel autem genuit Zorobabel,
Zorobabel autem genuit Resa,
Resa autem genuit Ioanna,
Ioanna autem genuit Iuda,
Iuda autem genuit Ioseph,
Ioseph autem genuit Semei,
Semei autem genuit Mathathias,
Mathathias autem genuit Mahat,
Mahat autem genuit Nagge,
Nagges autem genuit Hesli,
Hesli autem genuit Naum,
Naum autem genuit Amos,
Amos autem genuit Mathathias,
Mathathias autem genuit Ioseph,
Ioseph autem genuit Ianne,
Ianne autem genuit Melchi,
Melchi autem genuit Leui,
Leui autem genuit Mathath,
Mathath autem genuit Heli,
Heli autem genuit Pantherem,
Panther autem genuit Bipantherem,
Bipanther autem genuit Ioachim,
Ioachim autem genuit Mariam, de qua natus est Iesus.

Aduertendum tamen est, omnes hos patres, qui naturales fuerunt Mariæ, fuisse Iosephi legales. Diuus enim Lucas capite tertio miro artificio coniunxit vtrumque, vt latè, & sapienter prosequitur Cardinalis Toletus super caput tertium Lucæ, præsertim annotat. 58.

§. 5.

Famæ, & honori Christi Domini & Matris eius S. Ioseph mirificè consuluit.

INter pleraque heroica D. Ioseph facinora, quæ illum valdè commendant, illud mirabile est, quòd Christi Domini honorem ab Hebræorum opprobrijs suo sponsalitio præseruauit, sine quo tamquam illegitimè natum illum longè à se abijcerent. Vnde Diuus Ambrosius lib. 2. in Luc. capite primo in med. tom. 5. dixit: *Quid Iudæis, quid Herodi posset adscribi, si natum viderent ex adulterio?* Et Diuus Bernardus homilia secunda super Missus est id confirmat his verbis: *Tolerabilius fuit, atque honestius putare ad tempus de coniugio fuisse natum, quàm de fornicatione: alias enim daretur occasio, vt eius lex & prædicatio contemnerentur. Nam si cum Pharisæi ex legitimo matrimonio Christum natum esse putarent, tamen ideo contempserunt, quod fabri filium esse crederent, quid facturi erant, si spurium dicere potuissent?* Solent enim huiusmodi illegitimi, incestuosi, & adulterini cõtemptui haberi, tãquam infames iuxta illud Sapient. 3. *Filij adulterini in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur.* Vbi Iansen. ex Diuo Ambrosio ser. 65. legit: *Filij adulterorum erunt in consummationem.* Et Lyra: *Filij iniquorum, qui erunt in exterminationem.* Et Budæus in pandectis: *Filij adulterorum in consummatione erunt, id est imperfecti, & non consummati.* De quibus grauissimè dixit S. Pontifex, & mart. Bonifacius in epistola ad Echedobaldum Regem Anglorum: *Incæstuosi, & adulterini, neque in bello sæculari fortes, neque in fide stabiles, neque honorabiles hominibus, nec Deo amabiles.* Quod & refertur cap. si gens Anglorum dist. 56. Sunt enim infames, quibus portæ dignitatum non patent, vt defendit Azon in summa, C. ex quibus causis infamia irrogetur: idque verum habet, etiam si essent legitimati à Principe, cum filius legitimatus similis sit Alchimiæ, quæ facit apparere, quod non est, vt loquuntur Baldus Iason, & alij, quos refert, & sequitur Cassan. in catalog. gloriæ mundi part. 11. considerat. 15. per totam. Hi namque taliter nati, testes sunt adulterij, & parentibus pudori sunt, non honori, vt dixit Diuus Ambrosius in ser. de Sancte Ioanne, & refertur in cap. dicat aliquis 32. quæst. 4. Vnde secundum iura, non promouentur ad dignitates, nisi in legitimorum defectum, vt decreuit Vlpian. Iurisconsul. in lege generaliter, §. spurios, ff. de Decurionibus, quod præcipuè locum habet in filijs presbyterorum, de quibus Vrbanus Papa sic statuit in capite primo 56. dist. *Presbyterorum filios à sacris altaris ministerijs remouemus, nisi aut cœnobijs, aut in canonijs religiosè probati fuerint conuersati. Nam si morum honestas eos commendabiles fecerit, cessante etiam legitimo competitore, admitti poterũt;* vt quãplurimis exemplis adductis probat, Diuus Damasus Papa in suo Pontificali, & refertur in cap 2. dist 56 his verbis: *Osius Papa fuit filius Stephani subdiaconi, Bonifacius Papa fuit filius Iucundi presbyteri, Fœlix Papa filius Fœlicis presbyteri, Agapitus Papa filius Gordiani presbyteri Theodorus Papa filius Theodori Episcopi, Siluerius Papa filius Siluerij Episcopi: Romæ Deus dedit Papam filium Stephani subdiaconi: Fœlix enim Tertius natione Romanus, & cõplures etiam alij, inueniuntur, qui de sacerdotibus nati, Apostolicæ Sedi præfuerunt.* Et efficacius Alexander Papa Secundus in capite 12. distinct. 56 sic ait: *Apostolica auctoritate præcipimus vobis, vt si eum, qui ab Ecclesia electus est, altero digniorem esse, canonicamque eius electionem probaueritis, fulti nostra authoritate consecretis: nam pro eo quòd filius sacerdotis ejicitur, si cæteræ virtutes in eum conueniant, non reijcimus, sed suffragantibus meritis conniuẽdo eum recipimus.* Regulare tamen est, huiusmodi illegitimos esse imitatores paterni sceleris, & incontinentiæ, vt dicitur in cap. si quis

cum

D. Ambros. — Ambros.
D. Bernard. — Sap. 3. — Iansen. — Lyranus. — Budæus. — S. Bonifac. Pont. — Azon. — Bald. Iason. Cassan. — Ambros. — Dama Papa. — Alex. Papæ.

sum milit. 6. quæst. 1. & in cap. si gens Angl. dist. 56 Huius autem boni nominis in Christo apud homines, & quòd fuerit ex Virgine natus, vnicus testis fuit B. Ioseph, in quo maxima eius excellentia declaratur, iuxta illud Psal. 80. num 6. *Testimonium in Ioseph posuit illud*, vt optimè explicuit Isidorus Isolanus 2. part. cap. 4. dicens: *Ipse Ioseph fuit Christi ex Virgine nati vnicus testis*. Quo munere, sanctos, æquauit Spiritus, qui testes, & nuntij sunt, & reuelatores mysteriorum Dei.

Psal. 80. Isolanus.

§. 6.

De duplici D. Iosephi sublimi dignitate, sponsi scilicet Deiparæ Virginis, & Christi Domini patris legalis.

CVm Moyses historiã dierũ creationis mundi texere institueret in hæc verba illam exorsus est: *In principio creauit Deus Cælum, & terram*: vbi originale Hebræũ habet: *In principio creauit Heloyn* (quod idem est quod Iudices) *cælum & terram*. In quibus verbis interpretes duplicem reperiunt difficultatem. Prima leuis est, quòd secũdum documenta linguæ Latinæ non bene inter se consentiant, singulare illud *creauit*, & plurale *Iudices*; Verum hac incongrua secundum Latinos dicendi phrasi, latet supremum theologiæ arcanum, ac altissimum Triadis mysterium. Nam verbum illud in plurali *Iudices*, pluralitatem diuinarum personarum attestatur; vox autem *creauit* in singulari vnitatem Deitatis, in qua diuinæ personę consubstantiales sunt, & vnicus solus Deus nõ obscurè indicat. Secũda difficultas grauior est, quia non benè cohærere videntur Creator, & Iudex; nam creare nihil habet commune cum munere iudicis: vt quid ergo ait Moyses: *Creauit Iudices cælum, & terram?* Creare enim est quoddam gratuitum beneficium, quod Deus confert rei creatæ, adeò vt Diuus Augustinus epist. 106. & D. Bernard. li. de gratia, & libero arbitrio vocauerint illud gratiam creationis. Iudicem autẽ fungi munere suo, nõ pertinet ad gratiam, sed ad iustitiam, ita sane esse non difficeor, sed quia opus iustitiæ distributiuæ est dare vnicuique secundum propria eius merita, & Deus in creatione hoc genus iustitiæ suo modo obseruauit, singulis creaturis iuxta exigentiam, & merita suæ naturæ varias facultates, potentias, situm, locum, & proportionẽ cum alijs eis conferens; idcirco sapienter Moyses ad id declarandum dixit: *Creauit Iudices*. Hanc interpretationem docuit me Tertullianus aduersus Marcionem, dum de creatione mundi loquens, ait: *A primordio tam bonus, quàm iustus, bonitas eius operata est mundum, iustitia modulata est*. Et subiungit: *Iustitiæ opus est, quòd inter lucẽ, & tenebras, inter diem, & noctem, inter Cælum, & terram separatio pronunciata est, ita bonitas concepit omnia, iustitia distinxit*. Ecce, ait, diuinam bonitatem, & diuinam iustitiam pariter cõcurrisse ad fabricam huius mundi; aliter tamen, & aliter, quia bonitas ex nihilo creauit, in illas se diffundens: *Bonitas eius operata est mundum*. Iustitia verò qualitates, ordinẽ, & proportionem cum alijs iuxta vniuscuiusq; naturæ exigentiam dedit: *Iustitia distinxit*, inquit, Tertullianus. Sed & dixit: *Iustitia modulata est*. Quia reuera mixta hęc creaturarum proportio, connexio, & cohærentia cum quadam inter se pugna permixta, vt quidam Poetarum cecinit:

Genes. 1.

D. August. Bernard.

Tertull.

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus,

Suauem concentum modulari videtur, vt dixit Iob cap. 38. *Quis enarrabit rationes cælorum, & concentum cæli dormire quis faciet?* Adeò autem Deo placuit creaturarum hic concentus, quòd quamuis de singulis operibus creationis Moyses dicat: *Vidit Deus quod esset bonum*. Tamen

Iob 38.

postquam iam omnia opera compleuerat, obseruante Deo in illis mirabilem concentum, & inter se proportionem
Genes. 1. affirmat Moyses: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Ecce attendens ad creaturarum naturam, prius dixit esse bona, deinde ad miram harmoniam, & consonantiam inter se respiciens, dixit, cuncta simul sumpta, esse valdè bona: illud tamen in operibus creationis singulari obseruatione dignum arbitror, quòd, cũ Deus singulas alias creaturas creans, confestim illas laudaret, vocans illas bonas, ab hominis tamen laude, cum illum creauit, se abstinuit. Scio alicui videri posse consultò id factum, ad manifestãdum liberum hominis arbitrium, cuius operibus, laude, vel vituperio dignus redditur; vnde quousque operaretur, laudari nõ decebat, sed nostro argumento accommodatius arbitror, Deũ non laudasse illum à bonitate, quia nondum tunc creauerat mulierem illi consonam, & conformem, ex cuius consortio magna illi debebat accrescere perfectio, vt non obscurè indicant verba ipsius Dei:
Genes 2. *Non est bonum, hominem esse solum, faciamus adiutorium simile sibi.* D. Ambros. lib. de institut. Virginũ cap. 3. ex hoc diuino oraculo infert: *Sine muliere igitur homo non habet laudem, in muliere prædicatur.* Ecce quomodo laus viri, & complementum perfectionis illius à fœmina dependet propter miram consonãtiam, & harmoniam, quam conformitas inter illos parit. Hęc cum ita sint, nemo sanæ mentis ambiget, perfectionem, & laudem Diui Ioseph maximè pendere à sponsa sua Maria: vnde ad id innuendum facer Euangelista notanter
Matth. 1. dixit: *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph*, quasi dicat: attendite, Iosephum sponsum esse Matris Iesu: hinc enim valdè innotescit sanctitatis, & dignitatis eius excellentia, cum absonum sit de Deo cogitare, voluisse, Matrem suam in matrimonium contũgere viro sibi moribus dissimili: si enim curam habuit dandi Adæ adiutorium simile sibi quo modo (nisi insipienter credam) dissimile Matri suæ dedisset? Et quis quæso sibi persuadeat in sponsalitio Mariæ cum Ioseph non fuisse ad vnguem impletũ illud Ecclesiast. 7. *Trade filiam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam.* Vbi Gloss. interlinearis: *Ideſt prudenti, strenuo, qui benè seruet eam.* Et Lyra. & Iansen. *Trade filiam nuptui, & homini prudenti da illam, ita vt magis habeatur respectus ad mores, & prudentiam sponsi, quàm ad opes, vel genus.* Huc pertinet responsio Themistoclis, qui cum à quodam esset interrogatus, cuinam ex duobus filiam suam daret, improbo ne diuiti, an pauperi bono, ac prudenti viro; *malo* (inquit) *virum, qui pecunia egeat, quàm pecuniam quæ viro.* Sicut ergo B. Virgo fuit omnium mulierũ præstantissima, sic etiam sanctissimus Ioseph fuit omnium hominũ prudẽtissimus, vt sic à Deo matrimonium peculiariter ordinatum inter eos, debita proportione contraheretur. Deinde si argumentum hominis Deo grati est, prudentem vxorem ab eo accipere, Salomone dicente Prou. 19. *Domus, & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autẽ præparatur vxor prudens*; certe cum Diuo Ioseph solum præ omnibus alijs viris tam creatis, quã creabilibus, Dominus præparauerit in vxorem Matrem suam Virginem, non ex quinque prudentibus, sed omnium prudentissimã; non leue illud argumentum censeri debet, ipsum reliquos omnes sanctitatis excellentia longè superare; quod ne præcipitanter dixisse videar, testimonio D. Augustini omni exceptione maiori id constabiliam. etenim ser. 8. de tempore, reliquos omnes Sanctos comparat stellis, D. autem Ioseph fulgenti soli. Differit eo loco de somnio illo, in quo antiquus Patriarcha Ioseph vidit lunam, solem, & stellas ad adorandum eum sibi procumbere, notatque S. Doctor visionem hanc propheticam minimè gentium ad vnguem impletam fuisse in antiquo illo Ioseph, tum quia

Prou. 19.

Gloss. Lyra. Iansen.

D. August.

Mater

Mater eius, quam luna significabat, iam de hac luce migrauerat, atque adeò illum adorare non poterat: tum quia fratribus eius stellarum nomen non congruebat; quia inuidiæ nox obscuros illos, & tenebrosos effecerat. Vaticinium igitur illud impletum fuit in vero Ioseph Christo Domino, cuius antiquus ille typum gessit: hunc adorarunt stellæ splendidissimæ, scilicet Apostoli; hunc adorauit pulcherrima luna Maria, eundem etiam religioso adorationis cultu veneratus est sol fulgentissimus Ioseph. Non meam, sed diui Augustini doctrinam trado; nec miretur quispiam, quod in conspectu Virginis, quæ luna appellatur, Ioseph sol vocetur, quia re vera sicut luna splendorem, & claritatem à Sole mutuat; ita Maria honoris sui splẽdorem à sponso suo accepit, quæ, si dum filium pareret, sponso careret, graui infamiæ nota obscuraretur. Atque hinc manifestè liquet, quòd, si in claro die legis gratiæ præfulgebat Apostolis Ioseph, velut sol, sanè in lege veteri, quæ nox fuit respectu diei legis gratiæ, vt Pauli metaphora vtar, dicentis: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Rom. 13. Si Ioseph tanquam sol præesse non potuit, cùm in nocte sol omninò lateat; præfuit tamen antiquis Patriarchis in caliginosa legis scriptæ nocte, velut resplẽdens luna, vt non obscurè præfiguratum cerno. Eccl. cap. 50. vbi de Simone Oniæ filio hæc verba lego: *Quasi luna plena in diebus suis lucet, & quasi sol refulgens, sic ille effulsit.* Eccl. 50. Huius autem reddens rationem Ecclesiast. subiungit: *Quia in vita sua suffulsit domum, & corroborauit templum.* Hæc quam aptè in D. Ioseph̃um conueniant, nemo est qui non videat: vtrumque enim in eo palam impletum agnoscimus, præfulsit vt sol in die legis gratiæ, resplenduit vt luna in nocte legis scriptæ: ratio autem huius illa est, quam de filio Oniæ reddit Ecclesiast. *Suffulsit domum, & corroborauit templum.* Domum Virginis ille sua auctoritate, & industria, tanquam caput illius sacræ familiæ, fulciebat, indigentiæ Matris, & prolis singulari prouidentia consulens: sed nec hoc solùm præstitit: *Sed corroborauit templum*, hoc est Corpus Christi nutriebat, & alimento robustius reddebat, quòd ipse templum appellauit: *Soluite templum hoc, & iterum reædificabo illud. Ipse autem* (ait Ioannes) *dicebat de templo Corporis sui.* Ioan. 2.

Ad hæc si Salomon Prouerb. 18. dixit: *Qui inuenit mulierem bonam, inueniet bonum, & hauriet iucunditatem à Domino.* Prou. 18. Quantam putauimus D. Ioseph̃i felicitatem, qui non modo inuenit mulierem bonam, sed omnium optimam, ipsam scilicet Dei parentem? Sanè credendus est hausisse maiorem, quàm nemo iucunditatem à Domino: tunc autem illam hausit, cùm in vtero sponsæ suæ auctorem ipsius iucunditatis delitescere agnouit. Quare duplicem felicitatem contemplor in Ioseph̃o; primò, ex eo quòd inuenit mulierem bonam, vt ait Salomon: secundò, quòd illa ab eo inuenta est habens in vtero de Spiritu sancto, vt testatur diuus Lucas 1. Vt enim dixit diuus Hieronymus in comment. huius loci: *Non ab alio inuenta est, nisi à Ioseph, qui pænè licentia mariti ali futura vxoris omnia nouerat.* Lucæ 1. Hieron. Et quidem cùm propria vxor sit velut ager, seu hæreditas ipsi viro, meritò Ioseph cùm Dauid Patre suo canere poterit illud Psal. *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Psal. 15. Sed quare sibi præclara: sanè quia inuenta est ab eo habens in vtero de Spiritu Sancto Filium Dei, infiniti adeò valoris thesaurum, vt de eo Salomon dixerit: *Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Sap. 7. Sed & in hoc etiam mira Ioseph̃i excellentia super omnes sanctos eminet, quòd illi participes facti amicitiæ Dei, non aliud, quàm amicitiam hauserunt ex illo infinito thesauro: at Ioseph nõ solùm hausit arctissimæ amicitiæ cùm Deo fœdera,

ra, sed & paternitatis, & superioritatis super eum singularia iura, nemini alteri, quàm sibi, & Virgini concessa.

Quid plura? illud celsissimæ dignitatis sponsi Deiparæ excellentiam mirum in modum commendat: quòd si, cùm Adam, & Eua matrimonio iam copulati, communis perditionis, & iacturæ, humani generis antiquo serpente suadente principium, & origo extitere, ita Maria, & Ioseph vere matrimonio coniuncti, tanquam aptissima Dei instrumenta, reparationi antiquę illius ruinæ totius generis humani primordia exhibuere. Vnde verba illa Psal. 18. *Dies diei eructat Verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Psalm 18. D. Thom. Iuxta explicationem D. Thom. ita quidem interpretari licet: *dies*, id est, Gabriel, *Eructat Verbum Dei*, id est, Virgini, Verbum diuinum in eam incarnandũ, ei prænuncians; *nox nocti*, id est, diabolus, *indicat scientiam nocti*, id est, Euæ, quã ipse fraudulenter obscurauit, dicens: *Eritis sicut dij, scientes bonum, & malum.* Deinde sicut tunc serpens prius mulierem seduxit, & postea virum, vt legimus Genes. 3 *Comedit, deditque viro suo, qui comedit*, Genes. 3. sic similiter Angelus prius Virgini incarnationis mysterium manifestauit: *Concipies in vtero, & paries filium*, Luce 1. postmodum verò D Ioseph, dicens: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ac tandem sicut Adam, & Eua mortem peccati in posteros omnes transfuderant, ita Maria, & Ioseph vitam in vniuersum Orbem terrarum intulerunt, illa concipiendo, & pariendo auctorẽ vitę Christum Dominum, hic verò eundem infantem nutriendo, fouendo, & ab Herodis tyrannide liberando. Hæc & similia perpendens de nostro Ioseph Cancellarius Parisiensis ser. de Natiu. Mariæ Cancellar. Parisiens. dixit: *Decuit, vt Maria tanta puritate niteret, quæ sub Deo maior nequeat intelligi, vt S. ait Anselmus: ita decuit, vt Ioseph tanta prærogatiua polleret, quæ similitudinem, & conuenientiam exprimeret talis sponsi ad talem sponsam, de qua natus est Iesus, qui vocatus est Christus: & vt potest colligi ex Matth. 1. Beatissimus Ioseph fuit super omnes homines purus similis Virginis gloriosæ.* Hæc ille. Isidorus Isolanus verò Isolanus de B. Ioseph, valdè benè meritus, eandem sponsi Deiparæ dignitatem contemplans, hæc scripsit 2. part. ca. 4. *Quantæ latebant in sanctissimo Ioseph virtutes, quibus Filium Dei educaret, aleret, & vestiret, ad varia enim animantium genera alenda, atque educanda, omnium corporum cælestium vis concurrit, quam ab Angelis orbium motoribus accipiunt: Ioseph autem Verbum Dei, per quod cælestes orbes, & Angeli conditi sunt, & in esse conseruantur, enutriuit, & aluit. Ioseph profectò plusquam Ioseph fuit, ac in eo præfiguratus est, qui Ioas infantem clã nutriuit, & aluit, ac Regem Israel tandem cõstituit, vt habetur 4 Reg. 11.* Et paulò inferius: *Propter coniugium cum B. Virg. Ioseph fuit Christi ex Virgine nati vnicus testis, & hoc munere Sanctos æquauit spiritus, qui testes, & nuntij sunt, ac reuelatores mysteriorum Dei: vnde Angeli vocantur: Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciant firmamentũ: sacrarum quoque litterarum emerita dignitate donatus est: sacræ enim litteræ testimonium Domini vocantur Psal. 18. Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Fidelis nimirum, nimiumque Ioseph, cuius vnica testificatio satis Deo, & Angelis faciebat, cui etiam vniuersæ nationes, quæ sub Cælo sunt, meritò assentiri debent, Domino sermonem confirmante, sequentibus signis.* 4. Reg 11. Ad quæ attendens D Ioan. Damasc. orat. 3. de Nati. Marię, magnam vocauit dignitatem Ioseph: sic enim loquitur: *Dignitas magna hæc concessa fuit Ioseph, singulari Dei dono, vt per dispensationem omni sermone præstantiorem fieret Virginis sponsus.* Damasc. Ex qua dignitate aliam ex consequẽti obtinuit omninò ineffabilem, quòd legalis Christi Pater fieret, vt his verbis eleganter adnotauit Rupertus libr. 1. de gloria, & honore filij hominis in ca. 1. Matth. *Virum Mariæ, cùm dicit, magnum, & verum nomen B. Ioseph attribuit Euangelista: quia si est vir Mariæ, est Pater Domini; si ergo vir* Rupertus. *Mariæ*

Mariæ Ioseph, & ipsa vxor illius: proinde neque iste Euangelista Matth. ineptè dixit. Ioseph virum Mariæ, neq; alius Euangelista Luc. c. 2. Luc. 2. *mentitus est Patrem illum eius, qui ex ea natus est Christi appellando, dicens: Et erat Pater eius, & Mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.* Hactenus Rupertus. Ex quibus apertè constat, vt rectè adnotauit D. Aug. li. 2. de consensu Euangelistarum ca. 1. quòd, licet D. Ioseph parentis opinionem haberet apud Christi Conceptionis ignaros, Patris tamen appellationem non ab illis solùm, sed à sacris Euangelistis, & ab ipsa Dei Genitrice, quæ nihil falsum proferre poterat, accepit; cùm Luc. 2. dixit: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Nec quidquam refert si obijcias, quòd cùm B. Ioseph non fuerit Christi genitor, non verè dicatur Pater eius: respondet enim D. Augustin. lib. 23. contra Faustum tomo 6. *Quid ergo iam moueat sancti Euangelij sectatorem, quòd sine concubitu Ioseph Christus natus ex Virgine; filius tamen Dauid appelletur, cùm generationum seriem, non vsque ad Mariam, sed vsque ad Ioseph Matthæus Euangelista perducat? Primò, quia mariti eius fuerat propter virilem sexum potius honoranda persona: neque enim quia concubitu non permixtus, ideò non maritus, cùm ipse Matthæum narret, ab Angelo Mariam coniugem ipsius appellatam, qui narrat, quòd non ipsius concubitu, sed de Spiritu sancto conceperit. Cùm verò vnus, idemque narrator vtrumque dicat, vtrumque commendet, & virum Mariæ Ioseph, & Christi Virginem Matrem, & Christum ex semine Dauid, & Ioseph in serie progenitorum Christi, & Dauid; quid restat, vt credat, qui vult diuino Euangelio potius, quam hæreticorum fabulis assentiri, nisi & Mariam non fuisse extraneam à cognatione Dauid, eam Ioseph coniugem non frustra appellatam propter ordinem sexus, & animorum confœderationem, quamuis ei non fuerit carne commixtus; & Ioseph potius propter dignitatem virilem ab ordine generationum illarum non fuisse separandum, ne hoc ipso videretur ab illa fœmina separatus, cui eum coniungebat mentis affectus?* Hactenus D. Aug.

Et quidem, cùm nominis impositio ad parentes pertineat, ad quorum nutum; filij nomina suscipiunt; illud certè non obscurè indicat clarissimã Patris Christi nomenclaturam Iosepho aptè conuenire, cùm cœlitus ei data fuerit auctoritas imponendi Christo nomen Iesu, & consequenter quoddam genus paterni dominij, quo Patres gaudent in filios: vt enim rectè dixit D. Damasc. li. 2. de fide ca. 3. *Nomen imponere, maiestatis, ac dominij est; nomen verò accipere subiectionis, & seruitutis: quoniam nomen vicarium est rei, & ideò auctoritas in nominis impositione significat dominium rei.* Et copiosius S. Chrys. ho. 6 de laud. Pauli, to 4. & ho. de conuersione Pauli propè medium to. 5. his elegantibus verbis id confirmat: *Quare nomen Sauli mutauit in Paulum Spiritus sanctus: quemadmodum Dominus, qui seruum mercatus, ostendere volens, se Dominum serui, nomen illius immutat, ita Spiritus S. fecit, vbi Paulum captiuum accepit, vocabulum eius mutauit. Vt enim inde disceret Paulus se habere Dominum: nominum enim impositio dominij signum est, & præcipuum. Et vnde hoc declarabimus? facilè ex his, quæ Dominus cum Adam egit, perspicuum erit: volens enim Dominus docere Adamum, quòd eum Principem, & Dominum fecisset, adduxit ad eum omnia animalia, vt videret, quid vocaret ea, ecce nominum impositio dominium testatur. Quid si ab hominibus ita factum videre vultis, & discere, olim talem fuisse morem, quòd seruorum in captiuitatem abductorum nomina mutata sint: audite quid fecerit Babyloniorum Rex. Nam vt captiuos abduxit Ananiam, Azariam, & Misaelem, non reliquit eorum nomina prima, sed vocauit eos Sidrach, Misach, & Abdenago.* Idemq; docet S. Hier. super cap. 1. Danielis his verbis: *Non solùm præpositus Eunuchorum sanctis mutat nomina, sed & Pharao Ioseph in Aegypto appellauit Saphanatphanee: nolentes eos in terra captiuitatis vocabula habere Iudæorum.* Atq; hinc fit, quòd propter hanc rationem, olim in Circumcisione, modo autẽ in baptismo, nomina paruulis imponũtur, quia ex eo tẽpore, iam

Damasc.

Chrysost.

Hieron.

iam non dæmon, sed Deus noster incipit eorum esse Dominus peculiari, & nouo titulo iuxta illud Genes. 28. vbi Iacob votum vouens Deo dixit: *Erit mihi Dominus in Deum*. Vnde quia ingressus in religionem habet quandam imaginem, & effectum baptismi: ideò secundùm sanctum Thomam 2. 2. quæst. 189. art. 3. ad 3. legitur in vitis Patrum, quòd eandem gratiam consequuntur religionem intrantes, quam consequuntur baptizati. Hinc pijssimus Isolanus part. 1. ca. 11. pro mira, qua præstabat erga D. Ioseph, deuotionem perdoctè, & piè dixit: *Non parum, attulit dignitatis Ioseph legatio Angelica, qua ei mandauit, dicens: vocabis nomen eius Iesum Matth. 1. Impositione enim, ac sanctissimi nominis huius publicatione cœleste secretum mundo aperuit Ioseph; Patris cœlestis vices gessit, Spiritus sancti arcana, quæ in canticis, & Prophetis mysterio abscondita erant, patefecit, beatissimæq; mundi Reginæ coniugis suæ collega fuit, atque Angelicæ maiestatis sublimitatem attigit.* Quod oppositissimo hoc, & quotidiano exemplo statim confirmat. Est namque mos apud homines, vt Patres nomina imponendi filijs auctoritatem habeant: Iesus autem erat filius Dei Patris Sanctus: igitur Ioseph Patris cœlestis vices hac in dignitate manifestè gessit. Olim Spiritus sanctus per ora loquens Prophetarum, diuersorum varijs vocibus, licet ænigmaticis, beatissimum nomen Iesu expressit. Legitur Isaiæ 7. *Vocabitur nomen eius Emmanuel.* Item cap 9. *Vocabitur nomen eius, admirabilis, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis*, & item: *Vocabitur nomen eius, spolia detrahe, festina prædare.* Messias, quod nomen interpretatur Christus, notissimum apud Hebræos est. In canticis quoque scribitur cap. 1. *Oleum effusum nomen tuum*. Lucæ verò cap. 2. dicitur: *Et filius altissimi vocabitur.* Hæc verò mysteria vnica nominis Iesu impositione, ignaro orbi aperuit noster Ioseph. Verum, vt Patris Christi dignitas magis innotescat, reuocate quæso in memoriam, quòd, dum ipse morti esset propinquus, de Ioanne Euangelista dixit: *Mulier ecce filius tuus.* Ex qua appellatione colligunt omnes sancti singularem amorem, quem Christus ad Ioannem habuit, quem tanto honore affecit, vt nomen filij sibi proprium, illi communicaret, & loco sui ipsius illum substitueret. Cùm igitur multò excellentior sit parentis Christi, quam filij Virginis appellatio, non solùm, quia Patris appellatio maiorem authoritatem præsefert, sed etiam, quia dignitas Christi dignitatem Virginis infinitè excedit, consequens est, non solùm Patris Christi nomen, sed etiam rem, quæ huic nomini subest, Ioseph participasse, quantum excepta generatione ab homine participari potuit, vt loquitur diuus Chrysostomus homil. 4. in Matth. Ad extremum illud eiusdem dignitatis Patris Christi excellentiam palam facit, quòd ad illam consequitur in Ioseph quædam superioritatis auctoritas super Christum Dominum, vt disertis verbis dixit Lucas. *Et erat subditus illis*: quamuis enim verum sit, quòd hæc subiectio ex parte Christi, & superioritas ex parte Ioseph magis significat vsum, quàm debitum: quia re vera Christus propter dignitatem suæ personæ nulli hominum propriè subiectionem debebat; tamen ad dignitatem Ioseph declarandam satis est: tum quòd præcisè considerata humana conditione, & origine, Christus futurus erat iure subditus Ioseph, eo quòd maritus esset matris eius; tum quòd, licet ratione diuinitatis esset omninò exemptus; tamen de facto voluit illi esse subiectus, eique tanquam patri, ac superiori obedientiam, honoremque deferre. Cæterum, quia rem hanc maximi momenti esse reor ad Ioseph dignitatem illustrandam, explicare oportebit fundamentum paternitatis Ioseph, ex quo in eo resultat superioritatis mira illa dignitas, nec non & obedientia à Christo ei præsti-

Genes. 28.
S. Tho. 2. 2. q. 189. ar. 3. ad 3.
Isolanus.
Matth. 1.
D. Chrysost.
Isaiæ 7.
Cant. 2.
Lucæ 2.

præstita, quod quia præclarè exposuit Gerson, eius verba hic apponam: is ser. de Natiu. Mariæ, consid 4 explicans illud Matth. 1. *Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*, sic loquitur: *De Maria natus est Iesus nedum corporaliter sed spiritualiter quidem, & de virginali sponso suo Ioseph, suo modo dici potest. Non equidem, quod de Ioseph natus sit Iesus, modo quo blasphemat Iudæus infelix, qui dicit Christum de Iosephi semine esse natum: procul sit hoc à pietate fidelium; sed attendendo triplicem natiuitatem Iesu Christi, attendat & vestra beatitudo, scilicet æternalem, corporalem, spiritualem vel mentalem. Nascitur enim æternaliter ex patre, quemadmodum nascitur splendor ex luce coæum luci, de quo Eccles. Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam & in Psal. Ex vtero ante luciferum genui te. In hac æternali natiuitate Christi Iesu, nec Maria, nec Ioseph communicat. Altera natiuitas Christi Iesu corporaliter in mundo ex Virgine, de qua Angelus ad Mariam: Spiritus S. superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Et hoc factum est, quando completi sunt dies Mariæ, vt pareret, & peperit filium suum primogenitum, & in hac quidem natiuitate sola Maria materiam ministrauit; at verò, quia corpus Mariæ fuit ipsius Ioseph iure matrimoniali, quo fit mutua translatio corporum viri ad mulierem, & è contra: videamus, si cùm intelligentiæ sobrietate dicere fas nobis sit, quod ex corpore, & carne Ioseph natus est Christus Iesus? & hoc dici forsitan posset, nisi piarum aurium timeretur offensio* Idem etiam Gerson cod. ser. aliam egregiam rationem paternitatis Ioseph in hæc verba reddit: *Natus est Iesus in terra, seu fundo ipsius Ioseph, de qua terra Isaias clamat: Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. & Dauid: Veritas de terra orta est; quidni competat igitur ipsi Ioseph ius aliquod legale vltra cæteros homines in benedicta pueri Iesu formatione, quoniam natus est in ea, & ex ea carne, cuius dominium iure matrimoniali verè translatum erat in ipsum. Vnde D. Aug. libr. 2. de consensu Euang. c. 1. dicere audet: Non quod opinione sola, sed quadam ex parte veritatis quoque Iosephi filius esset Iesus, quippè, qui Mariæ verissimus filius.* Ex hac autem paternitatis dignitate, alia mirabilis accreuit Iosepho prærogatiua, quod Christo Domino multifariè multisque modis vtilis fuerit: etenim licet Dominus dixerit omnibus iustis: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepe-* Luc. 17. *rim vobis, dicite, quia serui inutiles sumus.* audeo tamen dicere hanc prærogatiuam Iosepho cœlitus datam, vt mirũ in modum vtilis fuerit Christo Domino creatori, & redemptori suo. Vnde cupiens Angelus Gabriel Iosepho amanter ostẽdere ministerium, laborem, suæq; personæ industriam, & fidelissimam prouidẽtiam familiæ Dei esse necessariam ad vtilitatem matris, & filij ad matrimonij honorem, pariterq; ad ipsiusmet Iosephi eximiam exaltationem dixit ei: *Pariet* Matth. 1. *autem filium, & vocabis nomen eius Iesum* vbi Gloss. ord sic interpretatur: *Pariet ne* Gloss. *videretur Ioseph non esse necessarius ei, subdit: pariet: & ita erit necessarius educationi.* Sed multò præstantius S. Tho. sup. Matt. in D. Thom. expos. & in cathena, ait: *Hic Angelus pronunciat obsequium, quod exhibebit Ioseph puero iam nato, quia posset Ioseph dicere, ipsa concepit de Spiritu S. & pariet filium, quid ergo ad me: in nullo sum ei necessarius: ideò subdit ipsius Iosephi obsequium: vocabis nomen eius Iesum. Ostenditque quod quamuis non fuerit necessarius conceptui; tamen vtilis est educationi, quia ipsa pariet filium, & tunc matri, & filio erit necessarius; matri, vt ab infamia defendat; filio, vt eum enutriat.* Aduerte Ioseph dignitatem tuam, illam attentè cõsidera. Deus, per quem nec ales esurit, qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum; qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum; qui Danielem in lacu leonum mirabiliter pauit; qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione, & omnibus affluenter tribuit; ille, in quem desiderant An-

Gerson.

Gerson.

geli prospicere fact⁹ homo vult tibi subdi, vult à te enutriri, vult denique vt filius tuus sub tua protectione morari S. Ambros. explicans illa eadem verba, *Pariet tibi filium*, ho 2. de nat. Dom sic loquitur: *Ioseph conceptum filium suscepit quem non genuit; & ideò Angelus dixit: Pariet autem filium, & non dixit, pariet tibi filium, sicut Zachar. antea dixerat: Ecce Elisabeth vxor tua, pariet tibi filium, quia mulier, quæ ex viro concepit, marito suo filium parit; quia magis est ex illo, quàm de ipsa. Hæc autem, quæ non de viro conceperat, non viro filium peperit, sed sibi tantum nodo.* Quis quæso oratione dignè prosequi valeat, quàm vtilis Ioseph Christo Domino fuerit, præsertim in itineribus, sanctissimis suis brachijs sæpè illum deferens: *Qui consurgens, accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum*: tunc B. Iosephum deuotissimè ita coram infante modulatum cõtemplor: *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ, memor fui nocte nominis tui Domine, & custodiui legem tuam. Hæc facta est mihi, quia iustificationes tuas exquisiui.* Quæ verba Iansen. post D. August. Theodor. Euthym. Lyranum, & alios, sic interpretatur: *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ: adeò enim ardenter legem tuam dilexi, vt etiam in loco, in quo exulari, & peregrinari cogebar propter hostes me persequentes, iustissima tua præcepta à me decantarentur, vt horum oblectatione exilij, atque peregrinationis meæ molestiam lenirem, & condulcorarem ad modum peregrinantium, qui ad leuandum laboris & afflictionis suæ fastidium, cantica exhilarantia per viam decantare solent. Nec de die tantum studio legis tuæ tenebar, sed & nocte memor fui nominis tui Domine, somnum nocturnum memoria tui interrumpens: nocte, id est, tentationum tempore, quandoquidem nebulam inferunt, & noctis instar hominibus superueniunt; in hoc sanè potissimum necessaria est Dei memoria, quæ recreat, & bono animo esse iubet. Hæc facta est mihi, quia iustificationes tuas exquisiui: istud nempè, vt mandata tua pro carminibus mihi essent, vtq; memoria tui, nec nocturno quidem tempore mentem meam desereret, euenit mihi: eo quòd mandata tua omni studio quæserim, & cognoscere, & adimplere.* Deinde ingẽtes Deo reddẽs gratias pro bẽneficijs receptis, præcipuè pro extinctione, vel repressione fomitis, & pro confirmatione in gratia, ita humiliter concinnebat: *In te confirmatus sum ex vtero de ventre matris meæ, tu es protector meus; in te cantatio mea semper. Repleatur os meum laude, vt cantem gloriã tuam, tota die magnitudinem tuam.* Verùm, quia in hoc plusquam Angelico choro nõ vnius Iosephi cantus tantum, qui fincinnium appellatur, sed beatę V. simul, qui bicinium nominatur insonaret. Rogabat Ioseph dulcissimam sponsam, vt etiam in terra alienâ, & in loco peregrinationis dignaretur cantare dę canticis Sion: *Sonet*, dicebat ei, *vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Rogabat iterum: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Vbi hęc Rupertus: *Dilectus dilectæ dicit: Quæ habitas in hortis; quibus in hortis habitat dilecta? nisi in amœnitate scripturarum, in delectatione virtutum pulchrè florentium, benè olentiũ, semper virentium, fac me audire vocem tuam.* Et statim obẽdientiam præstans humillima Virgo respondit: *Cantabo, & psalmũ dicam Domino.* continuoq; canticum suũ diuinitus repetebat: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Quis cœlestes delicias, quis diuinas consolationes, quis illustrationes supernas in sanctissimi Iosephi purissimo corde ex B. Deip. virginali cantico ortas excogitare poterit? Si vetus illa mater Elisabeth exclamauit prophetice ad vnicam Marię salutationem; Si exultauit prę gaudio infans in vtero eius, quid ex continua cohabitatione, & allocutione cũ Maria, & puero Iesu, Ioseph acceperit diuinæ consolationis, & illuminationis? Intueor Mariam baiulantem in vlnis speciosum forma præ filijs hominum, quæ blandiebatur arridenti, quæ condolebat vagienti, & frequenter

D. Ambr.

Matth. 2.

Psal. 118.

Iansenius.

Cantic. 4.

Cantic. 8.

Rupert.

Psalm. 26.

Luc. 1.

viro suo Ioseph infantem baiulandum, fouendum, osculãdumq; tradebat? quia tamen amici Angeli eos comitantes auscultabant, præ nimio gaudio, & lætitia incredibili eleuauerunt vocem suam, vt assolent iuxta illud Psal. 67. *Præuenerunt Principes coniuncti psallentibus in medio iuuẽcularum tympanistriarum.* beatissimã Vir. vocari tympanistriam docet D. Aug. ser. 17. de nat. Dom. Virginali autem, ac suaui huius tympanistriæ, & Iosephi cantu, infantulus Iesus mirificè delectabatur, iuxta illud Psal. *Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu.* Etenim beata Virg. & sanctissimus Ioseph non solùm cantabant canticum nouum, sicut cęteræ virgines, de quibus dicitur Apoc. 14. *Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante 4. animalia, & seniores, & nemo poterat dicere canticum, nisi illa 144. millia, qui empti sunt de terra: hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocunq; ierit.* Cuius maximæ prærogatiuæ rationem reddunt D. Aug. li. de virg. c. 27. in med. to. 6. & D. Th. 2.2. q. 152. art 5. ad 3. sic dicentes: Virgines sequuntur agnum quocũque ierit, quia imitantur Christum, non solùm in integritate mentis, sed etiam in integritate carnis; & ideò sequuntur agnum. Canticum autem nouum, quod solæ virgines cantant, gaudiũ est, quod habent de integritate carnis: quod conforme est promissioni diuinæ Isai. 56. *Dabo eis in domo mea, & muris meis locum, & nomen melius, à filijs, & filiabus, dabo eis nomen sempiternum, quod non peribit.* Quem locum D. Aug. lib. de virgin. ca. 23. & 24. docet explanandum esse de his, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. Quod idem docuit August. lib. 14. cont. Faustum in fi. & D. Ambros. & D. Gregor. & D. Basilius, & alij, quos refert Leo Castr. in eundem locum. In beata autem Virgine, & Ioseph, illa nouitas singularissima est, quod virgines illæ sequebantur agnum quocunq; iret: virginem autem, & Iosephum, quia multò præstantiores virgines Agnus ipse sequebatur illos, & humiliter eis obsequebatur, vt testatur D. Luc. dicens: *Descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* Quod & D. Bern. ho. 1. sup. Missus est, in hæc verba obseruauit: *In laudibus virginum singulariter canitur, quod sequuntur agnum quocunque ierit: quibus ergo laudibus iudicas dignam, quæ præit?*

Ad extremum, non solùm Ioseph pater fuit legalis Christi, sed simul etiam spiritualis; pro quo obseruandum est, quòd Christus Dominus non nascitur in anima, quę virum non habet: ad quod adumbrandum Samaritanæ dixit Ioan. 4. *Voca virum tuum*, vt ei concederet aquam viuam. Sed quis, inquis, hic vir est? virilis profectò animus, quo à peccato discedat, viriliter proponens, nunquam in peccatum se consensurum: si hoc viro careas, licet multa alia bona habeas, vidua es, sine viro es, licet plena populo sis, dicig; potest ad te: *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo? facta est quasi vidua domina gentium.* Non enim est illi vir, qui eam protegat. Sicut ergo olim curauit Pharao omnes occidere viros, femellas verò reliquit, Exodi 11. ita curat dæmon, vt lachrymæ, quas pro peccatis fundis, & reliqua, quæ præstas, pœnitentiæ opera, sine hoc viro sint: quod si hoc fiat, femellæ tibi sunt, virum non habes, vidua relinqueris: Christus in te nequaquam nascetur. Si ergo Christum tibi adesse vis, sint tibi Maria, & Ioseph: Maria amarum est mare lacrymarũ, Ioseph virile propositum omninò à peccato discedendi: de hac spirituali generatione agens D. Bonau. to. 2. opusc. de 5. natiuitatibus pueri Iesu c. 1. hęc preclara dixit: *Purgato iam intellectu contritionis lauacro, & inflammato, & eleuato affectu dilectionis igniculo, castis meditationibus, & deuotis cogitationibus tunc anima deuota stimulata nouis inspirationib visitatur, & nouo viuendi proposito à Patre luminum, à quo omne donum optimũ, & datũ perfectum, spiritu gratiæ fœcundatur, & Pater ipse cœlestis, diuino*

Psal. 67. D. Aug. Psal. 67. Apoc. 14. D. August. D. Thom. Isai. 56. D. August. Idem. D. Ambr. D. Greg. D. Basil. Leo Castr. Luc. 2. D. Bern. Ioan. 4. Thren. 1. Exod. 11. D. Bonau.

quodam semine, animam grauidam facit, & fœcundat. Post hunc conceptum sacratißimum pallet in facie per veram humilitatem, fastidium cibi, & potus concipit: aliquando etiam infirmare, & ægrotare incipit anima, in propriæ voluntatis abiectione. Iam paulatim graue, & tædium incipit esse, quod foris est, & foris cernitur. O felix conceptus, quem talis sequitur mundi contemptus, & cœlestium operationum appetitus. Iam modico gustato spiritu, despit omnis caro: cum gemitu iam anima cum Maria montana ascendere incipit: post talem conceptum fastidiunt terrena, desiderantur cœlestia, & æterna: iam fugere incipit societatem illorum, qui terrena sapiunt, & appetit familiaritatem eorum, qui cœlestia concupiscunt: iam incipit anima cum Maria ministrare Elisabeth, hoc est illis, quos diuina gratia amplius per dilectionem inflammat. B. ergo Ioseph cùm ab vtero matris suæ sanctificatus, filium Dei conciperet in mẽtem, & eundem deinceps semper spiritualiter in corde fouit; manifestum est non solùm patrem Christi legalem, sed eiusdem patrem spiritualem extitisse, ipso Christo Domino dicente: qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & mater est. Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

§. 7.

De felicißima D. Iosephi morte.

CVM de D. Iosephi morte nihil ex sacris eloquijs, Concilijs, traditionibus, aut antiquorum Patrum concordi doctrina certum habeamus, præterquam quod fuerit pretiosa in conspectu Domini, & aliundè erubescamus, cùm sine lege loquimur (vt habetur in Authen. de triente, & semisse. §. consideremus) tunc recurrendum est ad Doctorum auctoritatem, vt dixit gl. in l. mulier bona, in princ. ff. de iur. dot. & Ang. in l. si idem, in prin. ff. de iurisd. omn. iud. His autem deficientib. confugiendum est ad prudentes coniecturas, præsumptiones, & indicia, vt docet Alc. in tract. de præsumpt. reg. 2. præsum. 14. vel, quod idem est, ratio naturalis consulenda est: quia omne, quod in ratione consistit, lex meritò reputatur, vt tradit gloss. in c. ex eo verbo qua ratione de elect. in 6. vnde Iurisconsultus in l. 16. ff. de legib. iure optimo dixit: *Scire leges, non est verba earum tenere, sed vim, ac potestatem.* Quibus consonat D Hier. sup. c 1. ad Gal. vbi de diuina agens scriptura, inquit: *Marcion, & Basilides, & cæteræ hæreticorum pestes, non habent Dei Euangelium: quia non habent Spiritum sanctum, sine quo humanum fit Euangelium, quod docetur: nec putemus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla; non in sermonum folijs, sed in radice rationis.* Quod & legimus in c. Marcion. 1. q. 1. Ergo quamdiu B. Ioseph apud nos vixerit, & quo tempore è vita discesserit, neq; ex Euangelio, aut Concilio, neq; ex Ecclesiæ decreto, aut ex eiusdem traditione, neque ex Sanctorum Patrum vnanimi consensu quidquam nobis constet, diuersas, in quas Doctores abierunt, sententias referemus; & quam Euangelio, rationi, & prudenti coniecturæ conformiorem censuerimus, eligemus.

Alciat. *Gloss.* *D. Hieron.*

Primò ergò D. Epiphanius putat B. Ioseph paulò post duodecimum ætatis Christi annum è vita migrasse: sic enim docet hæres. 78 hac ratione motus, quia ab eo tempore, quo Christum 12. annum agentem in templo cum B. V. refertur, nulla deinceps mentio fit ipsius, quamuis interdum & discipulorum, & fratrum, & B. Virginis tractetur historia: quod non alia ratione factum iudicat, nisi quia obierat paulo post 12. ætatis Christi annum: cui sententiæ adhærere videtur Baronius in vita Augusti.

D. Epiph. *Baron.*

Alij secundò asserunt, B. Ioseph obijsse tempore prædicationis Saluatoris, Christumq; Dominum cum discipulorum turba adfuisse, cùm D. Ioseph vltimum tradidit spiritum, vt refert Isolanus 4. par. ca. 4. in prin. §. alij.

Isolan.

Alij

Authen. *Gloss.* *Angel.*

Alij tertiò opinantur, B. Ioſephum tempore paſſionis Chriſti ſuperſtitem fuiſſe, æquanimiterque paſſum fuiſſe Ioannem ſibi præponi, quando illi Chriſtus in Cruce Virginem commendauit; ita docuit Sanctus Cyprianus ſerm. de paſſione Domini in hæc verba: *Habebat Ioſeph in hac Chriſti diſpoſitione mirabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, ſi ſe cognouiſſet carnalem maritum. ſed quia in ſpiritu actum erat coniunctionis illius myſterium, paſſus eſt Ioſeph æquanimiter ſibi eum in hoc ſeruitio præponi, quem digniorem ſe iudicabat: & ideo maximè, quia Magiſtri electio ſic negotium ordinabat.* Idem tenet D. Chryſoſt. hom. 5. ſup. c. 1 Matth. dum ait: *Si enim cognouiſſet eam, & loco habuiſſet vxoris, quomodo illam Dominus, quaſi abſque ſolatio, & nihil penitus habentem, diſcipulo commendaſſet, iubens illi, vt illam acciperet in ſuam?* vbi gloſſ. ſic interpretatur: *Argumentum eſt, quod viuente Ioſeph, ſeparata eſt Virgo ab eo: hic enim exprimitur cauſa, quare Dominus ſeparauerit eam à Ioſepho.* Et Diuus Ambroſius in tract. de inſtitut. Virginis, ſup. cap. 23 Lucæ affirmat fuiſſe etiam Reſurrectionis tempore inter viuos D. Ioſephum, Chriſtumque adoraſſe, ſolem, & lunam, & vndecim ſtellas, quando poſt reſurrectionem ſancta Maria, quaſi luna, & B. Ioſeph, quaſi ſol, cum vndecim ſtellis, ideſt beatis Apoſtolis proſtrati ſunt ante eum, vt & ex Diuo Auguſtino ſupra retulimus; & eiuſdem nonnullos reperio recentiores, id probantes: tum quia, licet B. Ioſeph per verũ, & eſſẽciale matrimonium ratum, fuerit Virgini datus in adiutoriũ, & ſolatium, & vt abditiſſimum Incarnationis myſterium, ſub illius ſanctiſſimi matrimonij vmbra celaretur; paſſionis tamẽ Dominicæ tempore ita erat Ioſeph ſenio confectus, vt iuuamine alieno potius ipſe indigeret, quã vt Virginem adiuuare poſſet; tum quia eo tẽpore veritatem Incarnationis myſterij, quòd ſcilicet Chriſtus Dominus, non filius Ioſeph, vt putabatur, ſed Filius Dei, & Filius Virginis, ope Spiritus ſancti conceptus fuiſſet, oportebat declarari, Ioſepho manente Virginis ſponſo, & matrimonij vinculo cum ea coniuncto: tum quia Matth. cap. 3. ſatis id indicatur in illis verbis: *Nonne hic eſt fabri filius? Nonne Mater eius dicitur Maria, & fratres eius, Iacobus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas, & ſorores eius? Nonne omnes apud nos ſunt? Vnde ergo huic omnia iſta?* Quæ non obſcurè inſinuant, Beatum Ioſephum adhuc ſuperſtitem eſſe.

Alij grauiſſimi Doctores, quorum ſententiæ ſubſcribo, è contra docent, B. Ioſephum ante paſſionem Dominicam paulò ante, vel poſt baptiſmum, & ante nuptias Canæ Galileæ fœliciter in Domino obdormiſſe: ita tradunt Diuus Hieronymus lib. contra Eluid. D. Bern. Senen. tom. 3. ſer. de Ioſepho cap. 3. S. Bonauentura de vita Chriſti cap. 17. S. Vincentius ſerm. de S. Ioſeph, Gregorius Cedrenus in compend. hiſtoriarum, Petrus Nannius in ſcholijs ad epiſt. 79. S. Ambroſius, & Gerſon de S. Ioſepho, Vbertinus li. de arbore vitæ, Petrus Commeſtor in ſua hiſtor. cap. 86. & latiſſimè Iſolanus 4. par. capite 1. Paludanus in 4. diſt. 30. quæſt. 2. num. 16. concluſ. 4. Viguerius de myſterio Incarnationis Filij Dei cap. de Ann. Dominica §. 9. Caniſius lib. 2. de Virgine capite 13. paulò poſt principium, Salmeron tom. 10. tract. 41. §. dicit Matri ſuæ, Card. Toletus, ſuper cap. 2. Ioannis, annot. 2. & poſtea ſuper cap. 19. in illa verba: deinde dicit diſcipulo: Ecce Mater tua; Franciſcus Suarez tõ. 2. in 3. par. q. 29. art. 1 & 2. diſp. 7. ſect. 1. § ad primam confirmationem, & ſect. 3 in fine, Barradius tom. 2 li. 3. ſuper illa verba Ioãnis: & erat Mater Ieſu ibi; Caſtro de hiſt. Deiparæ ca. 13 Et plures alij Neoterici, nõ contẽnendæ authoritatis.

D. Cyprian. Gloſſ. D. Ambr. D. Auguſt. D. Hieron. D. Bern. Sen. S. Bonau. S. Vincen. Greg. Cedr. Petrus Nannius. S. Ambroſ. Gerſon. Vbertinus. Petrus Commeſtor. Iſolanus. Paludanus. Viguerius. Caniſius. Salmeron. Card. Tol. Franc. Suar. Barradius. Caſtro.

Probariq; poteſt optimis coniecturis. Prima, quia cum ex vna parte matrimonium inter Virginem, & Ioſephũ fuerit à Deo principaliter ordinatum propter Chriſtum Dominum, tum vt legitimus

gitimus putaretur, tum & vt erga illum se exhiberet tutorem, nutritiū, & adiutorem fidelissimum. Ex alia autem parte Christus Dominus trigesimum ingrediens annum, à baptismi, & prædicationis tempore, aliam vitæ rationem instituere publicè inter peccatores degens, & ex eleemosynis piorum, victum quotidianum acciperet, seque ipsum manifestans non esse filium Ioseph, sed Mariæ tantum, Spiritu sancto cum ea cooperante, prudenter satis colligimus in re dubia cessante fine ministeriorum Ioseph, & cōtracti matrimonij, ante nuptias Canæ Galilææ vita functum fuisse. Secunda coniectura, quia in nuptijs Canæ Galileę Mater Iesu, & similiter Iesus, & discipuli eius vocati sunt: nulla Ioseph facta mentione, quòd sanè factum non fuisset, nisi iam ipse è vita discessisset; quando etiam Christo prædicanti nunciatum fuit: *Ecce Mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te*; certè cum nulla etiam tunc Ioseph facta fuerit mentio, nullam aliam eius rationem crediderim, nisi quia iam obierat, & Virgo in custodiam filij transierat.

Matth. 12.

Atque ex his planè efficitur, quòd cum Christus Dominus vsque ad tēpus prædicationis eguisset ministerio, & labore Ioseph, vt ei vitæ necessaria suppeditaret, falsam esse eorum opinionē, qui anno ætatis Christi 12 putarunt illum ob isse. Efficitur etiam, nullam præseferre veritatem aliorum sententiam, opinantiū, illum mortuum fuisse tempore prędicationis Christi, & Apostolos eius interfuisse morti: hoc enim, licet possibile fuerit, nulla tamen apparenti congruentia probant, id ita contigisse; ac tādem, quę alij proferunt, opinantes, Ioseph vixisse tempore mortis Christi mihi planè videntur à ratione aliena, & quidem, quòd Glossa illa dixit, à nobis supra citata, nimirum, Ioseph, cum passionis tempore viueret, diuortio separatum à Virgine, mihi omnino execrabile videtur propter egregias rationes, quas Isolanus his verbis congessit 4. par. cap 1. *Non enim rationabile est, imò impium videtur dicere, quòd Ioseph libellum repudij dederit B. Virgini, vt lex Moysi iubebat, cum nulla subesset causa, nisi Ioseph mentiri voluisset, quod non fecit iustus, præsertim quòd coniugium illud omni claruit perfectione, vt supra probatum fuit, sed ad perpetuum spectat matrimonium perpetua cohabitatio, diuturnamque separationem non fert. Consonat ergo rationi mirum in modum, Ioseph viuentem à B. Virgine numquam fuisse separatum: charitas etenim nunquam excidit, ac eius nexus: at inter Beatam Virginem, & S. Ioseph fuit amor secundum perfectam charitatem: ergo amor ille nunquam fuit dissolutus, & per consequens nec coniugium, præsertim nulla auctoritate, nullaue necessitate interuenientibus; & adhuc, quia exercitium operum diuinæ pietatis est conforme legi communi, dirigenti illa opera: sed hæc est lex prima matrimonij à diuina pietate instituta inseparabilitas in vita vtriusque coniugis, Genes. 2. Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ. Hoc igitur matrimonium nunquam fuit separatum. Hinc ait Petrus Palud in 4. dist. 30. q. 2 art. 2. Bonum Sacramenti est inseparabilitas: ipsi autem non fuerunt separati vsq; ad mortem: coniungitur ergo Ioseph mortuus, quando fuit alteri commendata.* Hactenus ille.

Isolanus.

Pet. Palud.

Glossa.

Et quidem si B. Ioseph tempore Dominicæ passionis adhuc viueret, nec esset absens à Dominica cruce, neque oportuisset sacram Virginem commendari alieno custodi, prætermisso legitimo marito; neque erat, cur eo honore, ac dignitate tam acceptus Deo Patriarcha priuaretur, & in alium transferretur, nisi gratis fingamus illum seniculū, ac decrepitum, nullique ministerio, atq; custodiæ amplius aptum, sed potius ipsum vlterius custodia, opeque indigere: quod nulla apparenti ratione vnquam probare poterunt.

Ex eadem quoque radice non caret maxima difficultate, quod Gratianus supra relatus in d.c. si enim. 27. q. 2. retu-

Gratianus.

lit

lit ex D. Chrysostomo hom. 5. sup. capit. Matth. cui respondet Isolanus loco citato, in hæc verba : *Dicitur primo, quòd ille textus vbicumq; sit, est intelligendus de separatione quantum ad mortem: dico secundo me diligenter quæsisse textum adductum in hom. S. Chrysostomi, & nihil, nec quidē simile comperisse, immò potius aduersa, & contraria: sic enim habetur in hom. de S. Iosepho: Ille siquidē tam modestus erat, & honestus, tanquā à vitiosa passione liber, vt neq; suspicione eogēte, vellet in Virginis ire supplicium: ille enim supra legem philosophatur: dimittere enim, & occultè omittere, sine dubio erat philosophantis supra legem: quomodo contra legem aliquid admitteret?* Hæc ille. Neque aliquid probat locus ille Matthæi. 13. *Nonne omnes apud nos sunt?* quia vt Christus Dominus tunc diceretur fabri filius, necesse non erat, Iosephum tunc temporis fuisse superstitem, cum in communi vsu loquendi, filius fabri dicatur, cuius pater iam diu vita functus, fabri munus exercebat, sic ergo contigit Christo Domino: Cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Isolanus.

Matth. 13.

§. vlt.

De resurrectione D. Iosephi ad vitam immortalem, & gloriosam, secundum animam, & corpus.

Sicut semper eorum execratus sum opinionem, qui putarunt eos, qui cum Christo Domino resurrexerunt, quorum meminit D. Matth. cap. 27. dicens: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant surrexerunt*: iterum in mortis fauces incidisse; ita semper illorum libenter amplexatus sum sententiam, qui ad vitam immortalem eos resurrexisse constanter affirmāt. Hi sunt Angelicus Doctor S. Thomas sup. c. 27. Matth. & in 4. dist. 43. q. 1. a. 3. Origenes sup. epist. ad Roman. cap. 1. Remigius in c. 27. Matth. Card. Caiet. in 3. p. q. 53 art 3 Iansenius c. 143. suæ concordiæ, ac multi Theologi in 4. dist. 43. q. 1. a. 3. & in 3. dist. 22. ac tandem communiter recentiores: quorum omnium Doctorum assertum multifariam fulcire possumus. Primo, quia qui cum Christo resurrexérunt, suscitati sunt à Deo ad manifestationem, & comprobationem resurrectionis Christi Domini. Igitur cum Christi resurrectio fuerit ad immortalem vitam, iuxta illud Pauli: *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors vltra illi non dominabitur*; consequens est, illos resurrexisse, iterum non morituros: nam si iterum morerentur, simile iudicium omnes de Christo ferrent, iudicantes, iterum illum moriturum, sicut & illi, qui cum illo resurrexerunt. Vnde egregiè D. Thomas in 4. dist. 43 q. 1. art 3. quæstiunc. 1. ad 3. dixit: *Quia ad hoc, vt verum testimonium de vera resurrectione Christi proferrent, congruum fuit, quòd verè resurgerent, semper in corpore victuri, in cælum cum Christo ascendentes corporaliter. Nec eorum resurrectio propter ipsos accelerata est, sed propter resurrectionē Christi testificandam: quod quidem testimonium erat ad fundandam fidē noui Testamenti: vnde decētius factum est per Patres veteris Testamenti, quàm per eos, qui iam nouo Testamento fundato, decesserunt.* Secundo, quia anima gloriosa secundum legē ordinariā nō vnitur nisi corpori immortali, ac glorioso: vnde quòd anima Christi Domini, cū esset beata, vniretur corpori mortali, fuit singulare miraculum: igitur cum animæ illorum Sanctorum, qui cū Christo resurrexerunt, essent iam beatæ, prudenter censentur non vnitæ, nisi corporibus immortalibus: etenim si necesse est concedere speciale miraculum, & exceptionem ab aliqua generali regula, rationabilius est credere, factam, tribuendo gloriam illis corporibus ante resurrectionem generalem, quā vniendo animabus beatis corpora corruptibilia, & mortalia, statui beatorum minimè consentanea, immò violenta. Tertio, quia, si illi, qui cum Christo resurrexerunt, iterum morē subie-

Matth. 27.

D. Thom. Origen. Remig. Caietan. Iansen.

Ad Rom. 6.

D. Thom.

runt,

runt, peioris profectò conditionis extitissent, quàm si nunquam fuissent exsuscitati, cum à sinu Abrahæ, vbi in loco quietis erant, ad turbulentam vitam reuocarentur, vt in ea humanis miserijs obnoxij, iterum morituri manerent. Ac tandem, quia, vt adnotauit Iabolenus Iurisconsultus de Principum beneficijs agens in l 3 ff de constitutionibus Principum: *Beneficium Imperatorii, quod à diuina scilicet eius indulgentia proficiscitur, quàm plenissimè interpretari debemus*: igitur cum beneficium illius resurrectionis fuerit collatum illis à Christo Rege Regum, & Domino dominantium, interpretandum est perpetuum fuisse, ac permanēs. Inter hos igitur, qui cum Christo Domino resurrexerunt ad immortalem vitam, arbitramur cum grauissimis Doctoribus fuisse sanctissimum Ioseph. Hi sunt Viguerius Granatensis de mysterio Incarnationis filij Dei. §. de Annunciat. Dominica cap. 20. Fonseca in vita Christi cap. 9. Suarez tom. 2. in 3 p. q. 29. art. 2. disp. 8. sect. 2 Bernardinus Bustensis in Marialí 4. p. ser. 12. Gratianus lib. 5. de S. Ioseph, tit. 5. Andreas de Soto lib. 3. Sancti Iosephi cap. 33. vbi refert id prædicasse Paduæ S. Bernardinum, atq; id eo prædicante, super illum apparuisse fulgentissimam auream crucem. Equidem quod id prædicauerit, miniæ è ambigo, cum ipse tom. 3. de S. Ioseph o art. 3 cap. 2. hæc verba habeat: *Piè quidem credendum est, quòd pijssimus filius Dei Iesus pari priuilegio decorauit suum putatiuum patrē, sicut sanctissimam matrem, vt sicut illam assumpsit in cælum in corpore, & animā gloriosam sic etiam in die Resurrectionis suæ sanctissimum Ioseph suscitauerit: scriptum est enim* 27. *Matth. Multa corpora Sanctorum resurrexerunt, & c inter quos suscitatos, piè credendum est, quòd fuerit sanctissimus iste vir Ioseph.*

Iabolenus.

Viguerius.

Fonseca. Suarez. Bustensis.

Gratianus. And. Soto.

Matt. 27.

Quàm autem insigni gloria D. Ioseph in cælesti patria perfruatur, non solum meam, sed grauissimorum Doctorum sententiam proferam, qui affirmare audent, in cælesti aula propè Christum Dominum, post Virginem Deiparam, in sublimi gloriæ throno collocatum esse, & reliquos omnes essentialibeatitudine antecellere: etenim doctissimus Gerson serm. de Natiu Mariæ, considerat. 4. ante medium in hunc modum loquitur: *Cuperem mihi verba suppetere ad explicandum tam altum, & absconditum à sæculis mysterium, tam admirandam, venerandamque Trinitatem Iesu, Ioseph, & Mariæ: velle mihi quidem adiacet, sed posse non inuenio, ac in ipso conatu deficio: vnde cum gratia similiter, & gloria naturam non tollat, sed extollat, & perficiat, recogitemus pia deuotione, quòd si vinculo quodam naturali obligatio consurgit filij ad patrem, & matris ad sponsum suum, & vtriusque, scilicet filij, & matris, ad fidelissimum, vigilantissimum, & sedulum custodem, & nutritium Ioseph, qui fuit caput Mariæ, habens inde authoritatem aliquam, principatum, dominationem, vel imperium in Mariam; sicut & Maria suo modo in filium suum Iesum, iure naturalis maternitatis, quantus æstimandus est iustus ipse Ioseph, nunc in gloria, & in cælis, qui talis, & tantus inuentus est hic in miseria, & hic in terris? Profecto si non mentiebatur Iesus, qui ait: Vbi ego sum, illic & minister meus erit, ille proximior videtur collocandus in cælis, qui in ministerio fuit vicinior, obsequentior, atque fidelior post Mariam inuentus in terris.* Hæc ille. Deinde Isidorus Isolanus 4. par cap. 2. hæc in idem argumentum scripsit: *Ioseph Virginis sponsus, velut alter Ioseph, gemina donatus stola, scilicet beatitudine animæ, & corporis, Christum Regem Regum ad cælos ascendentem, associauit, & primus post Christum Regem Regum sedit: Considera, obsecro dignum veneratione parentem, quantis honoribus, ac beneficijs incytus filius prosequatur, cogente natura, suadente ratione, ac moribus prædicantibus, quid ergo de Christo Deo vero, ex quo omnis bonitas in cælo, & in terra nominatur, dicendum erit?* Accedit Bernardinus Bustensis 4. part. sui Marialis, ser. 12. dum ait: *Ex quibus patet, quod nullus Sanctus in cælo est maior S. Ioseph o post Beatam Virgi-*

Gerson.

Isolanus.

Bustensis.

Suarez. *Virginem benedictam.* Ac tandem Suarez. 3. p. q. 29. art. 1. & 2. disp. 8. sect. 2. ait: *Non existimo esse temerarium, neque improbabile, sed pium potius, & verisimile, si quis fortasse opinetur, Sanctum hunc, reliquos omnes in gratia, ac beatitudine antecellere, quia ex scriptura nihil est, quod repugnet, neque in Patribus aliquid reperio.* Hæc ille. Quæ omnia ea ratione sufficienter stabiliri arbitror, quòd, sicut humanitas Christi Domini eo abundantiorem gratiam, & gloriam obtinuit, quo propinquior fuit Verbo diuino; & deinde Beata Virgo, quæ proxima fuit filio, ita prudenter, & piè existimamus Sanctum Ioſephum, quasi tertium locum in abundantia gratiæ, & gloriæ obtinuisse, quia post Virginem propinquissimè attigit Christum, familiariusque tractauit, atque singularissimam coniunctionem cum ipso permultos annos habuit.

His omnibus addit Isidorus Isolanus 4. p. c. 4. D Ioſephum triplicem aureolam obtinuisse, ad similitudinem suæ sponsæ: verba eius, licet non pauca, hic apponam: *De aureola Virginitatis Ioſeph Catholici Doctores minimè nunc hæsitant, tum quia virginem mente, corpore, voto, & statu mortuum Ioſeph credunt; tum quia primus sequutus est Virginē Reginam, tum quia sponsus, & sponsa communibus ornatibus circumdari consueuerunt. De aureola autem Prædicatorum sic argumentamur. Plus est Christum prædicare facto, quàm verbo; sed Ioſeph Christum factis summopere prædicauit, quibus quidem occasionem vniuerso præstitit orbi, vt conuerteretur ad adorandum Deum, verum hominē factum; itidem veri Prædicatores de sursum illuminantur, suo tempore loquuntur, & ad Deum verum agnoscendum quosque conuertere conantur, sed Ioſeph ab Angelis fuit illuminatus, quibuscum conuersabatur, suo tempore de Deo est alloquutus: verba nēpe prædicatoris fumus sunt diuini ignis in corde ardētis, atque in Christi cognitionem mortales ad vitam æternam deducere satagentis. Subsistamus hic parumper, & Ioſeph, multos per annos habitantem in Ægypto meditemur: an non credimus Ioſeph innumeris vicibus fuisse exhortatum eos, cum quibus conuersabatur Ægyptios, vt Deum verum colerent? si quando contingeret eos audire, Meßiam promissum in lege Iudæorum, aduenisse, vt crederent persuasisse? aiebat verò, Deus erit verus, & verus homo, & ipse renouaturus est mundum, vestra destruet idola, innouabit sacrificia, renouabit leges, mores, vitam, regna, & imperium hac tempestate: qui sanctæ legis profundiora vero intellectu dignoscunt, Meßiæ assseuerant tempora adesse: quod profectò apud me dubium non est. Vos hortor, ô fratres Ægyptij, lætemini, quia pariter vos redimet à potestate tenebrarum: vos quidem ex hominibus illi credentes eritis similes Angelis, immo homines in se credentes, Meßias tandem donabit æterno regno cælorum. Verum cum Nazareth Galilææ habitaret ciuis, & cognitus, ampliora quotidie prædicabat. O quoties benevolos, & verè amicos hortabatur, vt quàm attentissimè faciem, verba, mores Iesu filij sui animaduerterent? arbitrabatur enim quod caro illa diuinitatis odorem cæteris emitteret, sicut sibi. Persuadeo demum mihi ipsi, sicut præsentia corporis Christi in Ecclesia, ac sacramentorum virtute plurimi salui fiunt; sic & in Nazareth ciuitate, illis temporibus multi sunt ad fidem conuersi conuersatione Christi, beatissimæ Virginis moribus, meritis quoque, ac verbis Ioſeph.* Hactenus Isidorus. De Martyrij autem aureola hæc piè, vt assolet, idem Isidorus Isolanus scripsit: *Ioſeph excellens victoria fuit tyrannorum persequentium Christum, ac gladio materiali satagentium illum occidere: qua victoria expresse liquet pro Deo voluntariam mortem non expauisse, propterea de palma martyrij bene meritus dici potest. Adhuc ratione animæ, actu conuenit palma martyrij, sed Ioſeph actu offerens eam, dedit pro Deo, quamquam non potuerit tyrannus eam eripere. Ioſeph igitur palma Martyrij benemeritus.* Quibus omnibus addo, quòd sicut Diuus Hieronym. sermone de Assumpt. Deiparæ dixit: *Beata Dei Genitrix, & Martyr, & Virgo fuit, quamuis in pace vitam finierit:* cuius non aliam rationem reddit, nisi, quia Simeon prophetice ad eam

Isolanus.

Isolanus.

D. Hieron.

Luc. 2. dixit: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius?* ita similiter cum post Beatam Virginem fuerit amor Ioſephi erga Chriſtum ardentiſſimus, non potuerunt illa verba non acerrimè tranſuerberare cor D. Ioſephi. Vnde quod de antiquiori Ioſepho Patriarcha Regius Vates cecinit Pſalm. 104. *Ferrum pertranſiit animam eius*; vbi Gloſſa interlinearis, & Lyranus id explicantes, aiunt: *Ferrum, ideſt tribulatio durae neceſſitatis, animam eius pertranſiit, vt de Maria dicitur: & tuam ipſius animam pertranſibit gladius*; præſtantius id in noſtrum Ioſephum conuenit, cuius penetralia cordis, Simeonis audito vaticinio, doloris anceps gladius confodit. Sicut ergo ob illam rationem Beata Virgo Martyr vocitatur, propter eandem certè proportionaliter, ſanctiſſimus Ioſeph Chriſti martyr meritò cenſeri debet. Cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Gloſſ. & Lyranus.

Luc. 2.

DE MIRANDIS DEIPARÆ VIRGINIS TAM IN GRATIAM, QVAM IN VINDICTAM.

LIBER VLTIMVS.

§. Primus.

Inſignis præfatio de Miraculorum natura, & vtilitate, necnon de poteſtate Virginis ad ea patranda diſſerens, varia doctrina, & eruditione locupletiſſima.

PErmultum ſane intereſſe arbitror inter ea, quę vulgus miracula appellat, & ea, quæ Theologi proprè, & in rigore miracula eſſe cenſent. Etenim vulgus ea miracula dicit, quæ ad ſtuporem, & admirationem illum excitant, licet facultatem naturæ non ſuperent. Vnde ille epigrammaton ſcriptor dixit:

Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis. Martial. lib. 1. epigr. 1.

Hinc etiam pro miraculis coluerunt, ac mirificè celebrarunt ſeptem ingentia mun-

mundi opera, hominum industria, siue viribus confecta, atque elaborata, vt tẽplum Dianæ Ephesiæ, Mausolæum Reginæ Cariæ, in honorem sui viri structum, Colossum Iouis apud Rhodios, Iouis Olympiaci simulacrum, ex ebore à Phidia cõfectum, muros Babylonios, quos Semiramis Regina construxerat, Pyramides Aegypti miræ altitudinis, Domum Cyri Medorum Regis, quam Memnon, illigatis auro lapidibus pretiosis, fabricauit, de quibus Plinius, & alij historici disserunt.

Plinius.

Plutar. in vita Marcel.

Ad hæc Plutarchus in vita Marcelli refert, quòd, sola manu vim adhibente, ingentem nauem, graui pondere plenã, quam magna hominum multitudo non posset impellere, aut loco dimouere, placido ipse vultu ad se trahebat Archimedes. idem etiam adeò artificiosas tormentorum machinas confecit in Syracusæ defensionem, vt Romani dicerent, videris ibi non cum hominibus, sed cũ Dijs bellum fecisse: aut, vt Gellius li. 10. cap. 52. narrat, Archytam Pythagoricũ Tarentinum ligneã columbam affabre fecisse, quam per aera volare faciebat; ita vt omnibus animata esse videretur. Boetius in quadam epistola Cassiodori, vel certè Theodorici ad eum missa, de Seuerino commemorat, eius mirabili artificio factum, vt æneus bos mugiret, ænei serpentes sibilarent, æneę volucres dulci cantu modularentur, & homines per aera viderentur tubis personantes. S Augustinus lib 10. de Ciuit. Dei. cap. 10. necnon & Plinius lib. 28. cap. 2. referunt, quòd, cum perstitisset immota in medio Tyberis nauis, qua vehebatur fœmina, quæ Deorum mater falsò putabatur, Claudia virgo Vestalis solo cingulo suo, nauem, quò placuit, traxit. S. Thomas in disputatis quæstionibus de potentia q. 6. a. 5. ad 5. tradit. Tutiam, virginem etiam Vestalem, cribrũ aqua plenum manu detulisse, nulla ab eo decidente aquæ guttula: quid plura? Archimedes vitream sphæram cõfecit, in qua omnes cælos constituit cum motibus annorum, mẽsium, diei, & noctis; cuius meminit in hæc carmina Claudianus poeta, in persona Iouis dicens:

Archimedes

Gellius lib. 10. c. 12.

Archytas.

Boetius.

D. Aug. lib. 10 de Ciu. Dei. c. 10.

Plin. lib. 28. c. 2.

D. Thomas.

Archimed.

Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.
Iura poli, rerumque fidem, legesq; virorum,
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusum varijs famulatus spiritus astris,
Et viuum certis motibus vrget opus.
Percurrit proprium metitus signifer annum,
Et simulata nouo Cynthia mense redit.
Iamque suum volues audax industria
Gaudet, & humana sydera mente regit.

Claudianus.

Hæc certè, etsi admirabilia sint, miracula neutiquam dici possunt, more Theologico loquendo: nam ad rationem miraculi, duo præcipuè requiruntur, iuxta communiorem Doctorum intelligentiam, & quòd excedat totam facultatem naturæ, & quòd ordinariè non fiat, sed rarò: illa verò nuper narrata, naturali virtute hominum, vel dæmonum effici poterant. Vnde Diuus Augustinus tractatu 8. in Ioannem, tomo 9. & 3. de Trinitate cap. 8. tom. 3 inquit: *Miraculum, est aliquid arduum, & insolitum supra facultatem naturæ, & præter spem admirantis apparens.* Quam definitionẽ D. Thomas explicãs in disputatis quæstionibus, q. 6. art. 2. de miraculis hęc obseruatione digna scripsit: *Dicendum, quòd miraculi nomẽ à mirãdo est sumptum. Ad admirationem autem duo concurrunt, vt potest accipi ex verbis Philosophi in principio Metaphysicæ, quorum vnum est, quòd causa illius, quod admiramur, sit occulta, secundum est, quòd in eo, quod miramur appareat aliquid, per quod videatur cõtrarium eius debere esse, quod miramur: sicut aliquis posset mirari, si videret ferrum ascendere ad calamitam, ignorans calamitæ virtutem, cum videatur, quòd ferrum naturali motu debet tendere deorsum: hoc autem cõtingit dupliciter: vno modo secũdũ se, alio modo quoad nos: quoad nos quidẽ, quando causa effectus, quem miramur, non est occulta simpliciter, sed occulta huic, vel illi, nec in re, quam miramur secundum rei veritatem, sed solum secundum*

D Augustt. tract. 8. in Ioan to. 9. & 3 de Trin. c. 8. tom 3.

D. Tho. in disput qq. q. 6. art. 2. de mira.

opinionem admirãtis: & ex hoc contingit, quòd id, quod est vni mirum, vel admirabile, nõ est mirum, vel admirabile alteri: sicut scẽs virtutem calamitæ, per doctrinam, vel per experimentum, non miratur prædictum effectum: ignorans autem miratur. Secundum se autem aliquid est mirum, vel admirabile, cuius causa simpliciter est occulta, & quando in re est contraria dispositio secundum naturam effectui, qui apparet, & ista non solum possunt dici mira in actu, vel mira in potentia, sed etiam miracula, quasi habentia in se admirationis causam. Causa autem occultissima, & remotissima à nostris sensibus, est diuina, quæ in rebus omnibus secretissimè operatur: & ideò illa, quæ sola virtute diuina fiunt, in rebus illis, in quibus est naturalis ordo ad contrarium effectum, vel ad contrarium modum faciendi, dicuntur propriè miracula: ea verò quæ natura facit, nobis tamen, vel alicui nostrum occulta, vel etiã quæ Deus facit, nec aliter nata sunt fieri, nisi à Deo, miracula dici non possunt, sed solùm mira, vel mirabilia: & ideo in definitione miraculi ponitur aliquid, quod excedit naturæ ordinem in hoc, quod dicit, supra facultatem naturæ, cui ex parte rei mirabilis respõdet, quod dicitur arduum: & ponitur etiam aliquid, quod excedit nostrã cognitionẽ, in hoc, quod dicitur, præter spẽ admirantis apparens, cui ex parte rei mirabilis, respondet, quod dicitur insolitũ: nam per consuetudinem aliquid in nostram notitiã familiarius venit. Ex qua Doctoris Angelici doctrina, quęcunq; operationes, quę non excedunt facultatem naturæ, quantumcumque in admirationem rapiant, miracula non sunt. Huiusmodi erant mirabilia illa, quæ Magistri Pharaonis effecerunt, applicando actiua passiuis: similiter etiã operationes, alioquin supernaturales, ac totã facultatem naturæ excedẽtes, si tamẽ non sint insolitæ, sed frequenter fiant, vt cõuersio libera peccatoris in Deum, & iustificatio eiusdem à ratione miraculi excludũtur, vt docet S. Th. p. 3. q. 105. a 7. & in disputatis q. 6. de miracul. art. 2. quòd si obijcias, à ratione miraculi excludendam esse transubstantiationem, quia licet sit opus supernaturale, non tamen est insolitum, sed potius frequentissimum, cum toties quotidie fiat, quoties consecratio panis, & vini iteratur: & tamen constat ex communi sententia Theologorum cum D. Thoma in præcitata q. 4. de miraculis, transubstantiationem esse magnum miraculum. Respondeo, vel definitionem illam miraculi à Diuo Augustino assignatam intelligi debere de miraculis sensibilibus, seu sensu perceptibilibus: illa enim vt dicantur miracula, debent esse insolita, & rara. transubstantiatio autem est miraculum sensibus omnino ignotum, cum ibi sensus nullam prorsus mutationem percipiat, & idem est de iustificatione. Vnde Diuus Thomas ait quæstione sexta de miraculis, art. secundo ad 2. *dicendum quòd insolitum dicitur miraculum, quia est contra consuetum cursum naturæ,* hoc sane difficile est, quia ex eo apertè efficeretur contra ipsum, iustificationem impij non esse excludendam à ratione miraculi, ex eo quòd non esset insolita: nam illud censet D. Thomas insolitum, quod est contra consuetum cursum naturę: iustificatio autẽ, sicut & transubstantiatio cõtra consuetum cursum naturæ est, cum ad illam, nec semel tota facultas naturæ attingere possit. Vel dicendum, de ratione essentiali miraculi nõ esse, vt sit insolitũ, vt rectè adnotauit Viguerius. Etenim si quotidiè Deus suscitaret homines, certè eorũ suscitatio, quantũ attinet ad rationem essentialem illius actionis, nõ minus esset miraculosa, quàm nũc, licet alioquin non tantã admirationẽ in nobis causaret propter eius frequentiam. Quare omnia opera, quæ quantũ ad substantiam, vel modum superãt totam facultatem naturæ creatæ, opinor verè, & essentialiter esse miracula. Cum igitur in hoc li. de miraculis agere tentamus, per intercessionem B. Virginis patratis, nõ solum comprehẽdere nitimur opera Virginis, quę in toto rigore Theologico, verè miracula fuere, sed & alia valdè

Exod. 7.

D. Thomas.

S. Thom.

Viguer. de grat. diuina c. 9. §. 2. ver. 1.

mira-

mirabilia, & stupenda, licet formalem rationem miraculi, iuxta aliorum opinionem, non attigerint, quia frequentissimè illa factitabat. Est autem huiusmodi tractatio hac duplici potissimum ratione valdè conueniens, tum quia ad pietatem Virginis in suos clientes manifestandam, tum ad potentiam suæ intercessionis commendandam, tum tandem ad peccatorum animos in bonum promouendos permultum valet. Etenim Virgo egregiè mihi præfigurata videtur in Moysis virga, per quam ad educendum Dei populum ex AEgypto, & introducendum in terram promissionis, tot sunt admirabilia patrata miracula: quemadmodum Petrus Damianus sermone de Assumptione, S. Bernardinus Senensis tomo 3. ser. 1. de nomine Mariæ art. 3. ca. 2. & serm. 11. ar. 1. cap. 3. & S. Antoninus 4. part. titul. 15. cap. 24. §. 4. animaduerterunt; vt propterea Virgini dicatur Canticorum 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.* Equitatus enim Dei, qui Pharaonem expugnauit, eiusq; currus subuertit, ex Honorio in sigillo, & ex Ruperto in Cantic. capit. 1. fuit virga Moysis, quæ primò in colubrum versa, Magorum virgas deuorauit, deinde aquas fluminis percutiens, eas vertit in sanguinem, aliisque plagis Pharaonem atque AEgyptios affecit: nouissimè autem, vt Dei populus ex illa seruitute in libertatem omninò duceretur, mare rubrum peruium reddidit populo Dei, cuius aquis redeuntibus demersus est Pharao cũ curribus, & equitibus eius. Huic autem virgæ Moysis, quę equitatus Dei dicitur in curribus Pharaonis (quod magnis prodigijs, atque miraculis Pharaonem, eiusque currus debellarit) iure optimo Cant. 1. assimilatur ex Ruperto, & Honorio Deipara, quæ virga Iesse dicitur Isaiæ 11. & in virga Moysis adumbratur, quòd in liberatione illa, qua (vt verbis vtar S. Leonis sermone 8. de Passione) *Non ex dominatione Pharaonis vnus populus, sed ex diaboli captiuitate totus mundus seruatur*, ea omnia signa spiritualiter peregerit; cunctas hæreses sola (vt canit Ecclesia) in vniuerso mundo interemerit, diaboli vires fregerit, suaque ope, atque patrocinio, veluti mystica Moysis virga, expeditur via populo Dei, dũ vnda maris rubri, id est, mundi huius peccatorum sanguinibus cruenti, percutitur, ac diuiditur, vt Dei populus per hoc desertum ad terram promissionis intraturus, sicco vestigio pertransire possit. Hac virga percussa petra, nimirum lapideum, & obstinatum peccatoris pectus, aquas lachrymarum vbertim emittit. Hanc virgam in bello contra Amalecitas tenens Moyses in manu sua, cùm leuaret manus, vincebat Israel, sin autem paululum remisisset, superabat Amalech, quia in nostra pugna cum dęmone, leuantes in oratione ad Deum manus, & Virginis patrocinium apud Deum implorantes, gloriosè vincimus.

Exodi 14. Petr. Dam. S. Bernardinus Senensis. S. Antonin. Cantic. 2. Honorius. Rupertus. Isaiæ 11. S. Leo.

Ex off. Eccl. Exodi 17. Num. 20.

Hæc est illa virga Aaron, vt ait Diuus Ioannes Damascenus oratione de dormitione Deiparæ Virginis, arida, id est, absq; viri consortio, quæ in Tabernaculo testimonij posita, præclarissimum edidit miraculum, Num. cap. 17. germinauit enim, floruit, & fructum fecit: fructum (inquam) benedictum ventris sui, quo gustato, mors procul abigitur, & vita reparatur. Hæc denique virga, tanquam præcipuum miraculum, cum manna, & tabulis legis in Arca Dei asseruanda reponitur. De sanctissima Virgine, quæ per hanc virgam Aaron in arca repositam, adumbratur: Ildefonsus serm. 1. de Assumptione, existimat, locutum esse Dauidem Psalm. 109. cùm ait: *Emittet Dominus ex Sion virgam virtutis suæ.* Deinde faciens apostrophen ad eandem: *Dominare* (inquit) *in medio inimicorum tuorum.* Hæc Ildefonsus.

Io. Damasc. Num. 17. Ildefons. Psal. 109.

Præterea egregiè etiam mihi adumbratam Virginem persuadeo per thronum illum, dilecto Ioanni ostensum, Apocal. 4. ex quo procedebant fulgura,

Apoc. 4.

& voces, & tonitrua. Sanè beata Virgo thronus fuit, non Salomonis, sed ipsius Verbi diuini incarnati, quod per nouem menses in eius vtero, velut in nitidissimo, & fulgentissimo throno requieuit: ex hoc autem throno, tot voces, tot tonitrua, tot fulgura, quot miracula prodierunt: præclarè enim per fulgura, miracula significari opinor. Primò, quia fulgura in Sacris litteris nonnunquam pro fulminibus vsurpantur: nec enim dubitandum est, fulmina fuisse illa, quibus Deus AEgyptios oppressit, quæ tamen Exodi cap. 9. 2 Reg. 22. & Psalm. 17. fulgura nuncupantur. Illud etiam ad miraculorum vim explicandam pertinet; quòd, sicut fulgura, integro exterius manente corpore, vniuersa ossa comminuunt, & loculis intactis, pecuniam conflant, & illæsa manēte vagina, ensem liquefaciunt: ita Deus per miraculorum suorum fulmina, infideles, & peccatores sic interdum afficit, vt cùm exterius similes alijs remaneant, in carne videlicet ambulantes, non tamen secundùm carnem militent, vt dixit D. Paul. 2. ad Corinth. cap. 10. sed omnem cordis duritiem intrinsecus amittant, & diuino amore liquefacti, in Deum ferantur. Denique diuitijs, ac sęcularibus honoribus contemptis, se Deo deuoueant, ita vt à cœlesti aliquo fulmine percussi videantur. quod in suis laboribus, qui etiam instar fulminum sunt, videtur Dauid agnouisse, cùm dixit Psalmo 41 *Dum confringuntur ossa mea, exprobrauerunt mihi, qui tribulant me inimici mei.*

Exodi 9. *2. Reg. 22.* *Psalm. 17.* *2. Cor. 10.* *Psalm. 41.*

Secundò, quia sicut fulgurum coruscationem pluuia consequitur, ita miraculorum splendorem consequitur pœnitentiæ compunctio, & lachrymæ peccatorum anteactæ vitæ, errores, & cœcitatem lamentantium. Vtrumque significauit, vnum quidē in litterali sensu, alterum in mystico Regius Vates, cùm dixit Psalmo 134 *Fulgura in pluuiam fecit*, in quem locum (vt hoc obiter dicamus) eleganter adnotauit ad litteram Diuus Augustinus, voluisse Deum, vt post fulgura pluuia sequeretur, quia fulgura sine pluuia terrerent, & nihil vtilitatis afferrent mortalibus: itaque voluisse, vt post fulgurum terrorem, refectio pluuiæ sequeretur: sic enim ille omnes suas comminationes, in bonum tandem nostrum, & vtilitatem mirabiliter conuertit, iuxta illud Tobiæ capite tertio, *Post tempestatem tranquillum facit.* Nec minus elegans est D. Hieronymi in eum locum obseruatio, quàm reperies in eius commentarijs super tertium caput Marci: *Fulgura in pluuiam fecit, vt extinguat misericordia, quod iudicium inurit.*

Psalm. 134. *D. Augustin.* *Tobiæ 3.* *D. Hier.*

Tertiò, quia (vt ait Richardus de sancto Victore) sicut fulgura longè, lateq; coruscant, iuxta illud Matth. ca. 24. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in occidentem*, sic miraculorum splendor, & fulgor latè multorum commemoratione funditur, plurimosque, vel ad fidem conuertit, vel iam conuersos, in fide confirmat. atque idcircò, miracula, splendor, & coruscatio armorum Dei appellantur, Habacuc capit. 3 vbi pro eo, quòd ex Hebræo transtulit D. Hieronymus: *In luce sagittarum tuarum ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ*, Septuaginta reddiderunt: *In lumine iacula tua ibunt, in splendore, seu coruscatione fulguris armorum tuorum.* Quem locum in hanc sententiam expendit Diuus Gregorius libr. 3. Moralium capit. 3. *Fulgur* (inquit) *armorum est claritas miraculorum.* Armis nos tuemur, iaculis aduersa destruimus. arma ergo cum iaculis, sunt miracula cum prædicatione. Etenim Sancti verbis prædicationis, quasi iaculis aduersarios feriunt: miraculis verò, quasi armis se tuentur; & quantum sint audiendi, sonent per impetum iaculorū, & quantum sint reuerendi, clarescāt per arma miraculorum. Ex Mariano igitur throno tot prodiere fulgura, quot miracula. Etenim B. Virgo officina fuit

Richard de S. Victore. *Matth. 24.* *Habac. 3.* *D. Hier.* *LXX Interp.* *D. Greg. li. 3. mor. ca. 3.*

mira-

miraculorum, vt illam nuncupauit D. Ioannes Damascenus orat. 1. de natiuitat Mariæ, non solùm quia Christum Dominum, Deum, & hominem virgo concepit, & virgo peperit, in quem innumera tunc confluxere miracula. Vnde; & ipse seipsum miraculum appellat: vbi enim nostra Vulgata vertit Psalm. 7. *Tanquàm prodigium factus sum multis*, Diuus Hieronymus ex Hebræo transtulit: *Tanquam portentum factus sum multis*, Cardinalis Caietanus vertit: *Miraculum factus sum multis*. Quæ verba, licet nonnulli illa interpretentur de Dauide, qui miraculũ sui temporis fuisse dicitur; quoniam adhuc iuuenis paucorum annorum, vrsum, leonem, & gigantem interfecit; rectius tamen de Christo intelligenda veniunt, qui (nemine dissentiẽte) maximum omnium sæculorum miraculum fuit. Verùm, non solùm hac ratione, officina miraculorum Beatissima Virgo appellatur; sed quia summus ille miraculorum opifex Beatam Virginem Genitricem suam, tanquam propriam officinam exstruxit, ex qua omnia pænè miracula prodirent, vt qui miraculum aliquod eximium requireret, ad hanc sacram Virginis officinam accurreret, vbi ea, & plura maiora efficerentur, prout quotidie in vniuerso terrarum orbe frequenter ad Beat. Virginis patrantur intercessionem. Quare Andreas Cretensis orat. 2. de Assumptione, omnium miraculorum, quæ quomodocunque facta sunt, aut fiunt, effectricem illam dicit: atque hinc est, quòd si qua Virginis Deiparæ imago, vel sentibus obsita, vel eluuione aliqua humi defixa, digno cultu, ac veneratione aliquamdiu destituatur, sæpè miraculorum multitudine, ac splendore in oculis omnium maiore virorum, & mulierum celebritate mox restituitur. Neque id cuiquam mirum videri debet, si Deiparæ supra reliquos Sanctos, quibus miraculorum gratia est tributa, præstantiam attendat. Quod pulchrè Basilius Seleuciæ Episcopus oratione in Deiparæ Annunciatione animaduertit his verbis: *Quis* (inquit) *magnam Dei Genitricis virtutem non veneretur? quis quantò eos omnes interuallo post se relinquat, quos Diuorum loco nos habemus, non miretur? Si enim Christus seruis tantam gratiam conferre dignatus est, vt solo contactu, imò verò sola corporis vmbra ægris præsidium afferre possent. Nam* (vt Actorum liber exponit) *infirmi in plateas eiecti, vmbra tantum Petri contacti, liberi à morbis euadebant. Non deerant quoque, qui linteo, quo Apostolus Paulus corporis sudorem exterserat, accepto, infestos dæmones profligarent; qualem vim aduersus omne morborum genus Virgini Matri collatam fuisse putandum est? an non multò maiorem, quàm cæteris Christi imperio subiectis? omninò hæc res clara est. Et quid mirum, si Sancti, cùm inter viuos etiam tunc degebant, præpotenter operabantur, cùm terra quoque non omnem vitæ hac mortalitate perfunctorum vim, & energiam vnà cum illis prorsus obruere potuerit? Constat namque saxa illorum corpora ita tegere, vt si interim (si eo tamen, quo par est, modo adeantur) sibi addictos tueri, atque conseruare non desinant. Nam si talibus tantam miracula patrandi virtutem contulit Deus, qualem educationis mercedem parenti donasse, quantisque charismatibus, & donis illam exornasse existimandus est?* Hæc Diuus Basilius Seleuciæ Episcopus. Ioannes Damascenus verò, qui in libro quarto de fide orthodoxa capite decimoquinto scribit, Deiparam natam in domo probaticæ, seu ouilis Ioachim, ad hoc alludens oratione prima de natiuitate Deiparæ Virginis, hanc probaticam in miraculis edendis cum probatica illa piscina, de qua Ioan. ca. 5. eleganter sic confert: *Fausta tibi sint omnia ô matris Dei probatica, sanctissimum delubrum, fausta tibi sint omnia, ô probatica, patrium Reginæ domicilium; fausta tibi sint omnia ô probatica seminum Ioachim vetus fanum; nunc autem ouilis ratione præditi Ecclesiæ cœlum imitans, atque olim quidem, quotannis semel Angelum Dei excipiens aquam turbantem.*

Damasc. orat 1. de nat Mariæ.

Vulgata.

D. Hieron.

Caietan.

1. Reg. 17.

Andr. Cret.

Basil. Seleuciæ Episc.

Actor. 5.

Ioan. Dam.

Ioan. 5.

bantem; atque vnum duntaxat valetudini restituentem, & ab vrgente morbo vindicantem: nunc autem cœlestium virtutum copiosissimũ agmen habens Dei Genitricem nobiscum laudantium, illam, inquam, miraculorum abyssum, illam vniuerso orbi medicinam afferentem fontem; illam (inquam) quæ non ministrum angelum accepit, sed illum magni consilij angelum, qui tanquam bona pluuia in vellus absque vllo strepitu descendit, atque omnem naturam morbo laborantem, ac ad interitum vergentem, in certam sanitatem, ac vitam senio carentem restituit, ob quam paraclitus ille, qui in te erat, tanquam cerua, exilijt, fausta omnia tibi sint, ô veneranda probatica, incrementum sumat tua gratia, saluto te Maria, dulcissimum Annæ pignus: nam me rursum ad te amor pertrahit. Hactenus D. Ioan. Damasc. Psalm. 71.

Et Christus Dominus, vt omnibus testatum esset efficacissimum suæ genitricis apud ipsum ad miracula efficienda patrocinium; primum miraculum, cùm in nuptijs in Chana Galilææ aquam in vinum mutauit, eius intercessione efficere voluit, quando teste S. Ioanne Euãgelista: *Manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.* vt non immeritò diuus Cyrillus ho. 6. in Nestorium ad Virginem dicat: *Per te omnis creatura conuersa est ad cognitionem veritatis.* cùm (vt alia, quibus hoc de Deipara iure dicere possumus, omittam) & ipsi quidem Apostoli, gentium omnium Doctores, occasione miraculi, beatæ Virginis precibus à Christo effecti, in eum crediderint. D. Ioan. 2. D. Cyrill.

Huius primi miraculi, quoad beatæ Virginis intercessionem, aquæ in vinum mutatæ Christus Dominus sequẽtibus sæculis memoriam extare voluit, quo etiam Christi virtutis, & efficaciæ, quam habet apud eum Deipara, admoneremur: quod testatur diuus Epiphan. hæres. 51. *Circa vndecimam* (inquit) *diem mensis Tybi (quæ apud nos est 6. Ianuarij) post annos 30. factum est primum signum in Chana Galilææ, quando aqua facta est vinum: quapropter etiam in multis locis vsq; in hunc diem hoc fit, quod tunc factum est, diuinum signum in testimonium incredulis; velut testantur in multis locis fontes, ac fluuij in vinum conuersi. Cibyres quidem Vrbis Curiæ fons, qua hora hauserunt ministri, & ipse dixit: date Archytriclino: testatur id in Gerasa Arabiæ fons similiter. Nos bibimus de Cyberes fonte, fratres verò nostri de eo, qui est in Gerasa, in Martyrum templo: sed, & multi in Aegypto, de Nilo hoc testantur. Quare in vndecima Tybi apud Aegyptios omnes hauriunt aquam, & reponunt tum in ipsa Aegypto, tum in multis Regionibus &c.* Hæc diuus Epiphanius. Vnde hypothesim illorum, qui opinantur multò rariora esse nunc, quàm olim miracula, non omninò veram, & certam opinor, cùm sola Deipara Virgo permulta quotidie, eaque insignia miracula conficiat, vt his verbis testatur Pius Secundus Pontifex in Calice aureo, quẽ domui Lauretanæ obtulit: *Quamuis tua potestas nullis coarctetur finibus, ac totum impleat orbem miraculis, Laureti tibi placitam sedem per singulos dies innumeris signis, & miraculis exornat.* Imò, si de miraculis in generali loquamur, certè in singulis cẽturijs ex septem, & decem decursis ab Ascensione Christi Domini in Cœlum, permulta, eaque præclara miracula in Ecclesia Dei non fuere desiderata. In prima centuria, Apostoli miraculis floruere, vt diuus Lucas in actibus Apostolorum. In secunda, milites Christiani exercitus Marci Aurelij Antonini, qui miraculosum imbrem obtinuere, vt referunt Tertullianus, Eusebius, Iustinus martyr, & Orosius. In tertia floruit portentis, & prodigijs, atque stupendis gestis S. Gregorius Thaumaturghus, vt scripsere S. Basilius, S. Gregorius Nyssenus, S. Hieronymus, & Rufinus. In quarta floruere miraculis magnus Antonius, S. Hilarion, S. Martinus, S. Nicolaus, vt testatur diuus Athanasius, & Seuerus Sulpitius. In quinta, permulti in patrãdis miraculis insignes se exhibuere, vt auctor est, diuus Augustinus. In sexta cen- Pius II. Papa. Act 5. Tertull. Euseb. Iustin. mart. Oros. Basilius. Gregorius Nyssenus. Hieron. Rufinus. Athanasius. Seuer. Sulp. August.

Gregor. in Dialog. centuria D. Gregorius Magnus quatuor Dialogorum libros conscripsit, quibus permulta eius ætatis miracula commemorat. In septima, Anglia nouit permulta D. Augustini miracula, pluraque alia experta est, quorum auctores fuere socij missi à D. Gregorio in eam regionem, vt ipse nec S. Pontifex testatur. In octaua, miraculorum gratia effulserunt in eadem Anglia, S. Cuthbertus, & S. Ioannes, vt refert venerabilis Beda. In nona, illustris fuit miraculis Gallia in Suetonia propter translationem S. Sebastiani martyris, vt annalia eiusdem Galliæ narrant anno 826. & Ignatius Nissenus permulta testatur miracula tunc patrata à S. Ignatio Tharasio. In decima, omnes in admirationem rapuerunt magna S. Vincislai Bohemiæ miracula Regis, nec non S. Romualdi, quorum meminit beatus Petrus Damianus. In vndecima; eruditus auctor Surius permulta miracula refert S. Vldarici, & Dumstani. In duodecima, non pauca scribit Diuus Bernardus per S. Malachiam facta. In tertiadecima, sanctissimi illi Patriarchæ Dominicus, & Franciscus inaudita, & portentosa edidere miracula, in cuius etiam ætatis media, ac postrema parte, quàm plurima patrata legimus à D. Hyacintho Odrouansio, Petro nouo martyre, Thoma Aquinate, S. Antonio de Padua, S. Clara, Seraphico Doctore D. Bonauentura, & S. Celestino Papa Quinto. In quartadecima, operati sunt pænè innumera Sancta Catharina, & Sanctus Bernardinus Senenses, nec non Sanct. Nicolaus Tolentinas. In quintadecima, solus S. Vincentius Ferrer (omissis aliis miraculis) trigintaocto mortuos ad vitam reuocauit, S. Antonino id referente 3. par histor. tit. 23. In sextadecima, quis ignorat S. Franciscum de Paula, & S. Carolum permultis claruisse miraculis, nec non etiam alios cõplures, præsertim ex ordine Prædicatorum, & fratrum minorum? quorum hodie causæ de beatificatione, & canonizatione, me præsente Romę pertractantur, permultaq; illorũ sunt comprobata iuridice miracula, vt beati nostri Iacobi de Picœno, beati Iuliani Hispani, beati Pasqualis, beati Factoris, beati Bertrani, beati Saluatoris ab horta, beati Ignatij de Loyola, & beatæ Therasiæ de Iesu, fratrum Carmelitarum Discalceatorum sanctissimæ fundatricis, nec non & aliorum quàm plurium, quos longum esset recensere. In eo tamen beata Virgo inter alia cæteros omnes sanctos in patrandis miraculis longo interuallo superat, quòd illi omnes certis, & statis temporibus in edendis miraculis enituere, beata autem Virgo veluti perennis miraculorum fons, per omnes Ecclesiæ ætates à Christi Domini aduentu, vsque nunc, ab eis patrandis nunquam cessauit, nec hucusq; cessat; vt annales vniuersales, & historiæ particulares passim commemorant, quibus fidem non dare, vt moris est apud nonnullos, qui, nisi ea antiquissimi alicuius auctoris sint constabilita testimonio, eis non acquiescunt, temeritatem mihi redolere videtur. nasuti enim censoris est velle in omnibus, quæ pro credulitate Christiani credunt, æqualibus testimonijs inuenire miracula confirmata: illa enim, nec leuiter sunt credenda, nec leuiter sunt abijcienda. Scio quidem D. Paul 1. Thess. 2. quædam apparentia miracula vocare: mẽdacia prodigia à seductione, & iniquitate nata: scio, Christum Dominum, Matth. 24. prædicere prodigiosa adeò miracula patranda in fine temporum: *Vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* scio tamen ad hæc mala præcauenda, Sacrum Concilium Tridentinum, ne falsa miracula proueris in Ecclesia Dei vendicarentur, sess. 25. tradere: *Nulla admittenda esse noua miracula, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo.* Si igitur Concilium Tridentinum ad miracula admittenda non aliud requirit, quàm explorationem, & approbationem vnius Epi-

1. Thess. 2.

Matth. 24.

Conc Trid. sess. 25.

Idem.

Venerab. Beda.

Ignatius Nissenus.

B. Petrus Damian.

Surius.

D. Bern.

D. Anton. 3. par. hist. tit. 23.

scopi, superciliosæ sanè mentis est ad eorum credulitatem, antiquissimi alicuius auctoris testimonium quærere; maximè cùm nouorum miraculorum stultum sit vetustum auctorem quæritare. Quare in hoc genere creduliratis miraculorum media via incedendum semper censui, vt his verbis sapienter edocuit insignis Doctor Canisius libr. 5. de Deipara cap. 18. *Est media tenenda via, vt Marianis miraculis admittendis, & confirmādis, neque nimis faciles, neque rursus plus æquo difficiles, ac morosi esse velimus: etsi enim omnia, quæ in hoc genere leguntur, eiusdem nō sint ponderis, & auctoritatis, tamen, quia charitas non est suspicax, & temerè aliena iudicare prohibet Dominus, sapidique cibi ob vitium palati, pro insipidis nonnunquam habentur, & demum paucorum est sacris de rebus solidè dijudicare, minus in eo quidem erit periculi, si à bonis probabiliter narrata, & à doctis non reiecta, quæ ad piorum ædificationem faciunt, recipiantur, quàm si eadem fastidioso, & contentioso perfricatoque animo repudiantur.* Hinc est, quod doctissimus Iustus Lypsius, dum libr. de mirac. ad B. Virginis Sichimiensis miraculosa facinora narranda calamum admoueret, volens miraculorum vtilitatem ostendere, sic exorsus est: *Decet igitur ea scribere, sed iuuat, an non iuuet, vbi tam palam fructus, & tam magnus est? & fructus quidem non vnus ille Primò, quod miracula communiter religionem in animis excitant, & Deum credere, Deum colere suadent, & inducunt: quis est, tam alienus à pietate, qui rem euentumque à natura, à ratione dissonum videns, non moueatur animo, & intimis præcordijs, & veluti ictu quodam admirationis percuti se fateatur? itaque clausos, aut commiuentes aperit oculos, ad alta tollit, & lumen aliquod in his agnoscit, cui vni causam deligat: inde ad venerationem componitur, & ad fidem disponitur. atque hic est primus, & communis fructus miraculorum alter, magis distinctus, quod ad veram religionem ducunt, siue potius trahunt; fit enim diuina benignitate, & arcana prouidentia, vt vera miracula nusquam, & nunquam, nisi in vera fide, & à fidelibus patrentur.* Accedit ad hæc D Augustinus, qui de vtilitate credendi ca. 17. ait: *Culmen auctoritatis obtinuisse Ecclesiam, hæreticis miraculorum maiestate damnatis.* Et quidem nemo ignorat, vi miraculorum totum pænè terrarum orbem ad fidem fuisse pertractum: *Quod si negant* (vt sapienter dixit Augustinus lib. 22. de ciu. Dei cap. 8. aduersus gentiles) *maius ipsi, miracula tollendo, miraculum faciunt: incredibilius enim miraculum est, totum orbem terræ, id est, tot philosophos, tot sapientes viros, tam paucis Apostolis, tam imperitis, tam incredibilia humanæ rationi prædicantibus, sine vllis miraculis credidisse, quàm illa ipsa miracula, quæ per eos facta narrantur.* Certè, ita Catholici in vera fide firmantur, vt meritò clamare possint cum Richardo de S. Victore lib. 1. de Trinitate cap. 2. *Domine, si error est, à te decepti sumus. nam ista in nobis tantis signis, & prodigijs confirmata sunt, & talibus, quæ nonnisi certè fieri possunt.* Verùm, dicet quispiam, non tanti facienda esse miracula, nec tam vtilia putanda: nam, cùm gratia miraculorum sit gratis data, scelerati etiam homines illa gaudere possunt. Vnde Saul 1. Regum 19 postquam ab eo Dominus discesserat, in cuneo prophetarum medius, vt cæteri, prophetauit: futura autem verbo prædicere, absque miraculo fieri non potest, iuxta illud: *Dicite nobis, quæ ventura sunt, & dicemus, quia dij estis.* Caiphas, iniquus homo, prophetica veritatem protulit: & Iudas, dum in Christum credebat, miracula fecit; nam & potestatem cum alijs accepit, vt tradit Diuus Matthæus, & cum ijsdem gloriatus est, quòd sibi dæmonia subijcerentur, vt refert Diuus Lucas capit. 10. & tamen *fur erat, & loculos habebat*, vt Diuus Ioannes testatur cap. 12. ac tandem Christus Dominus, Matth. capit. 7 inquit, falsos prophetas in die iudicij dicturos: *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?*

Canis. ll 5. de Deip. ca. 18.

Iustus Lyps. li. de mirac.

D. Aug. de vtilitate credendi ca. 17.

D. Aug. li. 22. de ciuit. Dei ca. 8. aduersus gentiles.

Richar. de S. Victore de Trinitate li. 1. ca. 2.

1. Reg. 19.

Isa. 41.

D. Lucas ca. 10.

D. Ioan. c. 12

Matth. 7.

Ex-

Ex quibus verbis facilè colligitur, falsos istos prophetas, de quibus loquitur Christus, vera miracula facturos, verè prophetasse, verè dæmonia eiecisse. nec enim respondet Christus, mentiri eos, sed se eos, quamuis ista fecerint, non nosse; & sententia postulat, vt Christus significet, vera eos miracula facturos; non enim mirum esset, si illis, qui non vera, sed falsa miracula fecissent, respõderet, se non nosse eos: valdè autem mirum, vt ijs, qui vera fecerunt miracula, crederemus, sed magnum omninò, & admirabile, quod moneat, ne falsis prophetis credamus, vera etiam miracula facientibus.

Cæterùm, non solùm fideles in peccato mortali existentes, verum & infideles non semel vera miracula effecerunt, vt multis exemplis comprobant Diuus Hieronymus ho. 25. in Matth. D. Euth. & Theophylact. in cap. 7. Matth. idque satis luculenter constat ex libr. Numer. cap. 24. vbi legimus, Balaam, qui extra Ecclesiam Dei erat, verum vaticinium fuisse. Verùm, dicet quispiam. Si peccatori, imò & infideli potest Deus virtutem patrandi miracula conferre, poterat ille tali facultate abutens, miracula facere in confirmationem alicuius erroris; sicut enim sacerdoti confert supernaturalem facultatem consecrandi, libertati eius illam committens, vt benè, vel malè ea vtatur, & quando malè vtitur, Deus nihilominus speciali, aut supernaturali auxilio ad faciendum opus miraculosum cum illo concurrit: ita poterit virtutem supernaturalem faciendi miracula alicui conferre, libertati eius illam committens, vt benè, vel malè ea vtatur. In neutro enim casu refunditur malitia in Deum; quia, sicut potest permittere, vt sacerdos vtatur malè sua facultate, ita & quòd ille alter abutatur virtute sibi data faciendi miracula: nec tunc Deus decipit, sed solùm permittit, vt alij putent, se confirmare id, quod in re falsum est. Non desunt, qui huic argumentationum generi succumbant, affirmare non verentes, verum miraculum fieri posse ab aliquo homine in attestationem falsitatis. verùm id omninò explodendum esse reor; quia certè ad diuinam prouidentiam pertinet non permittere aliquid falsum suo sub nomine, & auctoritate ita proponi, atque exterius confirmari, vt secundum rectam rationem cogantur homines ad credendum, illud esse dictum à Deo, & assentiendum ea certitudine, quæ omnem dubitationem expellat; quia, si Deus hoc permitteret, & cooperaretur ad omnia signa & opera, quibus mendacium confirmatur; quamuis reuera propriè non mentiretur, (vt argumenta facta probant) quodammodo tamen abuteretur suprema sua potestate in præiudicium suæ auctoritatis, qua fide dignus existit. Nam si concurrentibus tot signis, & diuinis operibus exterius factis in confirmationem veritatis, adhuc posset subesse falsitas, nulla supereſſet via ad credendum Deo loquenti per homines, vel per signa, quod est contra diuinam virtutem, & auctoritatem, quam ipsum oportet habere in dicendo. Vnde egregiè Viguerius in suis institutionibus præcitato loco dixit: *Ex quo sequitur, quòd ab his, qui falsam doctrinam annunciant, nunquam fiunt miracula, quia miracula sunt vera testimonia, & à solo Deo, qui non potest esse testis falsitatis, cùm sit veritas per essentiam, vt habetur Ioannis sexto. & in hoc poterunt cognoscere electi falsitatem prodigiorum, & signorum Anti-Christi, & præcursorum, ac complicum eius, & cauere ab eis, qui facient sua signa ad confirmationem falsitatis contra veritatem fidei, & ad inducendum ad malum.* Hæc ille. Nec ex his licet inferre, ad prouidentiam Dei etiam pertinere, non permittere apparentia miracula, quæ virtute dæmonis fiunt, cuiusmodi multa faciet Ante-Christus, eo quòd illa etiam moraliter videantur sufficere ad decipiendos homines, qui non ita periti sunt,

Hier. homil. 25. in Matth. Euthymius. Theophil. Num. 24.

Viguerius.

vt vera miracula à falsis discriminare sciant. Nam certè ad Dei prouidentiam non pertinet, non permittere illa falsa miracula, sed dare auxilium, ac modum, quo possunt dijudicari, cum, ob suam bonitatem, & sapientiam non permittat, hominem tentari vltra id, quòd potest; nunc iam ad miracula veniamus.

§. 2.

B. Petrus Damianus Cardinalis lib. 2 epist.

Gratia.

BEatus Petrus Damianus S. R. E. meritissimus Cardinalis li. 2. epistolarum, epist. 14. mirabilem rem his verbis commemorat: [Spem meam illud roborat, quod mihi vir religiosus, & prudens, ante quintum ferè diem Stephanus Apostolicæ Sedis Cardinalis presbyter intimauit. Ait enim, quia Bassus quidam, Burgundio genere, Anicensis Episcopatus, Ecclesiam beatæ Dei Genitricis, semperque Virginis insigni titulo decoratam, quæ vocatur, in Podio, orationis gratia deuotus adijt, & peractis orationibus, ac deuotione completa, redire cœpit ad propria. Cumque veniisset ad Pagum quendam, in quo cella cuiusdam monasterij, cuius me vocabulum fugit, à religiosis fratribus incolebatur, languore correptus, cecidit, ægrotauit, & obijt: dehinc, cùm iam lotum, atque ex more linteis obuolutum in medio iaceret cadauer exanime, ac pia fidelium circa feretrum custodia pernoctaret, intempesto iam ferè noctis emenso, ac gallicinio propinquante, qui mortuus iacebat, repentè prosiliuit, & sic omnes vndique circumstantes admirationis stupor, & intolerabilis horror inuasit. Tunc ille magni clamoris animaduersione vociferans, tremens, & horribiliter expaueſcens, rogare cœpit astantes, vt psalmodiæ pijsque votis valenter insisterent, quatenus tetros nequitiæ spiritus, qui per angulos, ac parietes domus vndique videbantur, sanctis orationibus effugerent. Cumque fusis ad Deum precibus, more fumi, vento perflati dæmones euanuissent, ille terrore deposito, & securitatis animatus audacia, quod sibi in occulto contigit, publicè coram omnibus enarrauit. Egredienti (inquit) mihi de corpore, duo protinus Angeli splendidæ claritatis occurrunt, qui me secum ducere in superiora cœperunt: sed ecce, me nigrantes dæmonum turmæ, velut phalanges AEthyopum vndique circumfundunt; me, tanquam sui iuris homine acri nimis, & importuna vehementer exactione reposcunt. Noster, (inquiunt) hic homo est, sub nostris ditionib. vixit, nostris obtemperare legib. non omisit: semper enim illi lex carnis inuiguit, legem verò spiritus funditus ignorauit. At cõtra beati Angeli respondẽũt, non (inquiunt) diffitemur, fuisse vestrum: dum in propijs viueret, non enim licet resistere veritati, sed quia nunc in obsequio Reginæ cœlestis dominæ nostræ defunctus est, nequaquam impietati vestræ pro vitæ suæ reatibus subiacebit, qui vitam suam pio fine concluſit. Nec ad æterni Iudicis poterit perire conspectum, qui Genitricis eius sibi prouidit auxilium. Ad hæc illi, Cùm Deus (aiunt) proculdubio iustus sit Iudex, nunquam, quod nostrum est, auferet, nec aduersum nos præiudicialiter aget; cùm iniustitiam prorsus ignoret. cumque vim Angelis inferre tentarent; Angeli verò lenius, atque remissius, iam cognita veritate, resisterent; affuturum tamen sibi continuò pollicentur, & profitentur auxilium, & Dei Genitricis celerem comminantur accursum. sed, cùm hinc isti, modesta circa me tuitione contenderent, illi è diuerso ad reposcendum sui iuris hominem furiosius, ac truculentius ebullirent, ecce, velut igneum fulgur repentissimè radiantis coruſci splendor illuxit, cunctisque mirantibus, cœlorum Regina, Angelicis vallata reuerenter obsequijs, Dei mater aduenit. Tunc reprobi spiri-

ſpiritus, licet ad primum tantæ gloriæ terrerentur aduentum, eorumq; nimius ſplendor reuerberaret obtutum, tamen illatam ſibi conqueruntur iniuriam, & Angelicæ violentiæ proclamantur ex propria poſſeſſione rapinam, dicentes: quia, ſi Deus eſt iuſtus, nunquam de manibus noſtris auferet impium: quibus è diuerſo Beata Virgo reſpondit: licet hic homo (vt aſſeritis) veſtra perprauitatem operis, poſſeſſio fuerit, & impiè, ſiue carnaliter vixerit, nunquam tamen pijſſimus, & clemẽtiſſimus filius meus, ac Dominus patietur, eum veſtris fieri crudelitatibus ſubditum, quem ſub mei famulatus obſequio cernit in peregrinatione defunctum, præſertim, cum iſte confeſſus peccata ſua ſacerdotibus fuerit, iudiciumque pœnitendo, ac ingemiſcendo perceperit, quamquam ſubita morte præuentus, implere nequiuerit. Ad hæc illi, quaſi nacta occaſione victoriæ, tripudiantes, & velut inſultantes obijciunt. Cum tu ſis (inquiunt) mater veritatis, & æternæ iuſtitiæ, num ignorare potes, quoniam hoc tam immane, tamque cruentum facinus perpetrauit, quod nulli tamen vnquam, per vocem confeſſionis innotuit? quoddam ſcilicet graue ſcelus à me commiſſum, nomine tenus inclamabant. quod peccatum cum B. Virgo, licet ab authoribus mendacij, veraciter recognouiſſet, modeſtè paululum obticuit, & quodammodo veritati reuerentiam præbuit. At reparato rurſus eloquio. Verum quidem (inquit) eſt, quod obijcitis, ſed quoniam apud miſericordem Dominum meum, ac filium miſericordia ſuperexaltat ex more iudicium, eumque non tam delectet pœna peccantium, quam remiſſio peccatorum, me confeſtim intuens, ait: ad corpus, homo, præſto regredere, ſcelus hoc, quod ab iniquis tibi iure obiectum eſt, ſacerdoti, coram vicinæ huius cellulæ monachis confitere; eoſque ex meæ auctoritatis iuſſione depoſce, vt pœnitentiæ modum, qui tibi iniunctus fuerit, ipſi ſuſcipiant, & implere pro tua mox obeuntis abſolutione contendant. quo perfecto, ad me protinus, ſine dilatione reuertere, hic enim ego non deſinam te, donec redeas, expectare. Cumque per ordinem hæc ille narraſſet, pœnitẽtiam ſibi inditam ſancti fratres, cum pro charitate illius, tũ pro Deificæ Virginis obedientia ſuſcepiſſent, mox lætus, & hilaris, velut obdormiens, obijt, & ſic vera eſſe, quæ viuens dixerat, moriens approbauit.]

§. 3.

IDem B. Damianus eodem in loco hæc, æterna memoria digna refert in hęc verba: [Quod fratris mei Damiani, tũc Archipresbyteri, deinde monachi, relatione didici, niſi me fallat obliuioſa memoria, fideliter narro: alter enim frater meus, Marinus nomine, laicus quidem habitu, ſed timoratus ſpiritu, ingraueſcente pulmonis, ac pectoris valetudine, tandem ad extrema peruenit. Interea cuiuſdam diei iam illuceſcente diluculo, repente cœpit, quaſi cuilibet aduentanti gratulabundus aggliſcere, iucundanter hilareſcere, & feſtiua ſerenitate vultus alacriter aſſultare; mox & in verba prorumpens, cum magno animaduerſionis impulſu, circumſedentes alloquitur: leuate (inquit) leuate, ac Dominæ meæ reuerenter aſſurgite. deinde aliorſum mutatæ vocis eloquiũ dirigens, aiebat: & quod eſt, Domina mea, Regina cæli, & terræ, pauperculum ſeruum tuũ, benedic me, Domina mea, & ne patiaris, in tenebras ire, cui lucem tantæ præſentiæ contuliſti. Cum igitur huiuſmodi ſermones impleſſet, ecce Damianus, qui ſcilicet illi, ſicut & mihi, erat germanitate coniunctus, perſolutis Deo nocturnis officijs, ab Eccleſia redit, quid circa fratrem languidum ageretur, inquirit. Ille verò certum ſe quidem de vicina morte teſtatur, ſed mox aduerſus aſſidentes probroſa re-

Id. B. Petr. Damia. eod. loco. Gratia.

dargutione conqueritur. Heu, heu, frater, inquit, quàm ignaros, quàm imperitos, atq; irreuerentes habemus, & sine disciplina domesticos: & tu, vir strenue Bronizo (erat enim ille inter eos, dives quidam huius vocabuli, ille negociator) quomodo sedere potuisti ad Reginę cælestis aduentum? venit Regina mundi, & vos assurgere neglexistis? venit mater Imperatoris æterni, & vos eius præsentiam ignobilem deputastis? ad quod Bronizo, deliras (inquit) adhuc, & ægritudine dementatus, hæc vana profundis, aut verum est forte, quod loqueris? Nobis certè vana hæc videntur, & friuola. ad hoc ille: num ignoratis (ait) quia languor iste, quē patior, nunquam alienare mentes ægrotantium consueuit? firmiter igitur, & absq; vlla prorsus ambiguitate cognoscite, quoniam Angelicis comitata vestigijs, beata Redemptoris nostri me mater inuisit, hilaritatem mihi sereni vultus ostendit, benedixit me, & protinus abijt Cumque paulò post ille defunctus esset, senex quidam presbyter, Seuerus nomine, qui nimirū spiritualis eius pater extiterat, retulit, quoniam longè ante, dum vegetus adhuc, & sanitate floreret incolumis, depositis nudatus exuuijs collo, corrigiā, qua cingebatur, intexuit, altari se beatæ Dei genitricis, velut seruile mancipiū tradidit: mox se, quasi seruum malum coram Domina sua fecit verberibus affici, dicens: Domina mea gloriosa, virginalis munditiæ speculum, & omnium norma virtutum, quàm ego te miser, & infœlix offendi per obscœnam carnis meæ putredinem, & eam, cuius tu mater, & author es, violaui mei corporis castitatem. nunc itaque, quòd solum remedij supereſt, me tibi famulum trado, tuæ ditionis imperio substrati cordis colla submitto. Flecte rebellem, suscipe contumacem, nec tua pietas respuat delinquentem; cuius intemerata virginitas peperit veræ pietatis authorem. Per istud ergo munusculum seruitutis meæ tibi nunc offero censum, & amodò, ac deinceps, quoad vixero, certi canonis appendam annuale tributum. Quandam ergo pecuniæ summam in altaris crepidine posuit, & sic de misericordia, quam quæsierat, confisus abscessit. Non igitur fortassis hanc, sed huiusmodi frater meus de fratre narrauit historiam, cuius, etsi præ obliuione verba non teneo, saltem, in quantum mihi possibile est, à relatis quadam similitudine non recedo. Cōfessionis igitur iste versiculus ad relata, vel referenda mihi cuncta proficiat, meque in quibus ignoranter oberro, coram supernis obtutibus excusatum reddat.

§. 4.

IDem B. Petrus Damianus lib. 3. epistolarum, ep. 10. hoc etiam scitu dignissimum scribit: [Religiosus planè presbyter Ioannes, rem mihi retulit ante paucos annos Romæ contigisse, quā narro: in assumptione, scilicet, Beatæ Dei Genitricis Mariæ, cum nocturno tempore Romanus populus iuxta morē orationibus, & litanijs insisteret, & accensis luminibus diuersarum regionum Ecclesias perlustraret, mulier quædam in Basilica, quæ est ad honorem eiusdem beatæ Virginis in capitulo constituta, commatrem suam vidit, quæ scilicet ab anno ferè fuerat iam defuncta. Cumque per multitudinem confluentium, ad eius attingere non potuisset alloquium, studuit eam in tali cuiusdam angiportus articulo præstolari, vt dubium non esset, quòd egressa basilicam, ab ea declinare non posset. Hanc itaque transeuntem protinus inquisiuit: non (inquit) tu commater mea es, Marozia, videlicet, quæ dudum defuncta es? hoc illi vocabulum fuerat, dum adhuc viueret, qua respondente, ipsa sum, & quomodo (inquit) tibi nunc est? Ait vsque hodie, non leuis me pœna constrinxit, quia videlicet per lasciuiæ petulantis

B. Petr. Damian. Gratia. Assumptionis Festum laudabile

tulantis illecebras cum coetaneis me puellis in tenera adhuc ætate fœdaui, & hoc ipsum (proh dolor) obliuioni quodammodo tradens, sacerdoti quidem confessa fui, sed iudicium non accepi. Verum hodie Regina mundi pro nobis preces effudit, meque cum multis alijs de locis pœnalibus liberauit, tantaque multitudo per interuentionem eius hodie est de tormentis erepta, vt numerum totius Romanę plebis excedat. Vnde sacra eidem Dominæ nostræ gloriosæ dicata passim loca visitamus, actioneſq; sibi gratiarum pro tantis misericordiæ beneficijs alacres exhibemus. Cumq; super hoc commater illius ambigeret, nec fidem facilè sermonibus adhiberet, subiunxit, vt experiaris (inquit) pro certo verum esse, quod loquor, scias te transacto hoc anno in hac eadem festiuitate proculdubio moriturā. Quòd si (quod fieri non potest) vlterius vixeris, me protulisse mendacium liquidò comprobabis. Et his dictis, ab oculis eius euanuit. Mox illa cilicium induit, & de obitu suo sollicita quæ audierat, viuere cautius cœpit. Quid plura? peracto ferè anno, pridianis cœpit ægrotare vigilijs; in ipso verò festiuitatis die, vitam (sicut demōstratum fuerat) terminauit. Vbi notandum, & non leuiter expauescendum, quia de peracta culpa, quā præfata mulier obliuioni tradiderat, vsque ad interuentum intemeratæ Dei genitricis, supplicia perferebat.]

§. 5.

Idem B. Damian. eodē lib. 3. c. 10. Gratia.

IDem Beatus Damianus eodem lib. 3. ca. 10. memorandum quendam Virginis fauorem his verbis attexuit: [Præterea idem, qui supra mihi narrauit Episcopus, quia monachus quidam quotidie, dum ante sanctum altare beatæ Mariæ semper Virginis pertransiret, illam ex more percurrebat antiphonā, quæ sic incipit. Gaude Dei genitrix Virgo immaculata; gaude, quæ gaudium ab Angelo suscepisti; gaude, quæ genuisti æterni luminis claritatem: gaude mater, gaude sancta Dei genitrix Virgo, tu sola mater innupta, te laudat omnis factura, genitrix lucis intercede pro nobis. Quam videlicet antiphonam, dum quadam die pertransiens diceret, audiuit vocem ex eodem altari procedentē. Gaudium mihi annunciasti; gaudium tibi eueniet.]

§. 6.

B. Pet. Dam. lib. 6. epistolarum, epist. 29. Gratia.

IDem Beatus Petrus Damianus lib. 6. epistolarum, epist. 29. hæc quoque refert: [Cum in psalmodiæ studijs, ac diuinis laudibus te vigilanter exerceas, hortor te (venerande frater) & moneo, vt quotidianum quoque Beatæ Mariæ semper Virginis officium non omittas. Dignum quippe est, vt quæ laudum præconia meretur ab Angelis, obsequijs etiam frequentetur humanis, eiq; e post Deum totius orbis exhibeat laudem, per quam suscepit propriæ salutis authorē, optima sanè spes est, apud eam habere confugium, quæ scilicet inter omnes cælestis Curiæ Senatores, impetrandi apud DEVM primum obtinet locum. Nempè sororis meæ filius Damianus, religiosæ videlicet indolis adoelscens, dum hæc coram eo scriberem, retulit, quod apud Gallias in litterarum studijs constitutus, fama vulgante cognouit. Clericus quidam Neuernensis Ecclesiæ morbo depressus elanguit, iam iamque superexcrescente molestia, moribundus ad extrema peruenit. Hic planè regulam sibi sanctæ seruitutis induxerat, vt beatæ Dei genitrici quotidiana per singulas horas laudum vota persolueret; cumq; de vita illius iam nemo pœnè cōsideret, & velut egressurus in eius pectore spiritus anxiè palpitaret: ecce gloriosa Mater Dei sibi visibiliter astitit, & sacri vberis popilla lac exprimens, eius labijs instillauit, & diuinæ virtutis antidoto, protinus ille resumptis viribus, ex infir-

infirmitate conualuit; & mox clericalibus ornamentis indutus, Ecclesiam adijt, sesequè choro psallentium fratrum lætus interserens, mirum videntibus spectaculum præbuit. Dicitur etiam, quòd adhuc tunc in labijs eius quædam lactis videbantur vestigia. Quæ autem sibi verba beata Virgo protulerit, quàuis mihi, vtcunque dicantur, quia certus non sum, non adhibeo fidem, quoniam in veritatis lineam, vel leuiter impingere pertimesco, quamuis per hoc conijci possit, quoniam eisdem labijs, quibus cã ille laudauit, & coluit, gloriosa Virgo lac salutis immulsit, vt per illud corporis membrum, quo sibi venerabilis clericus laudis obtulerat gloriam, congrua vicissitudine recuperandæ salutis suæ perciperet medicinam.]

§. 7.

Greg. Presb. Gratia.

GRegorius Presbyter, in vita Theodori anno Christi seruatoris, & vindicis 1528. in Suessionensi quodam pago, multi igne correpti, ad Virginis templum, Suessionense remedium quæsituri venerunt; votis eorum, & precibus cæli Regina respondit, intra dies quindecim sanatis membris centum, & tribus, puellisq; ternis dumtaxat liberatis, vel, quia non plures ignis attigerat, vel quòd solis illis esset expediens. Quin & ipsa Virginum Virgo venit in templum cælesti agmine constipata, templi ipso fragore aduentum testificante: fama est non nullis pridie illius diei, in quo morbum horribilem depulerunt, cælitus lucem oculis offusam, quæ per templi specularia, faciem lumine, mentem gaudio compleuit. Sed illud inibi valde mirabile. Puer annorũ vndecim, pecoris custos à matre in illud templum adductus, cum, valetudine obtenta, citius, quàm oportet, reductus esset in patriam, beneficijque memor, gratijs agendis, donoque attentius recolendo, redire vellet ad templum, neque id ab ingrata matre peruinceret. O recidam inquit, & me iterum ignis infestet, vt redire necesse sit, morboque vrgente vota ædes reuisatur, vnde tam immaturè discessi, exauditis precibus, rena tenue morbo, relaxus est puer. vt autem limen aggressus sedis sacrosanctæ, somno consopitur, sed sacræ strepitu pompæ, quæ tum agebatur, excitus, soluũtur ora clamoribus, inque gratiarum actionem effusus est totus. Narrauit, ante Dei adfuisse conspectum, Deiparamque vidisse pro misero populo supplicantem, Deumque suæ genitrici, vt ignis ille sanaretur, concessisse, mox Virginis de Suessionensi sua domo querelas consulentem audisse filium, quę, præter cæteras, afflicta, deformataque tum transmarino, tum Transthenano promissos obsidio, Suessionensesque pœnas daturos populi Virginei, non in tempore resistentes. Itaq; ignis negligentes multos exstitit, pastor hic puer haud falsa proditione paulò post ijsdem mortuũ affirmauit. Nec enim mensem superuixit. Historiam idem hic pastor, indeà mundi exordio versibus bene currentibus, extempore decantabat. Euangelia memoriter, tanquam ex libro recitabat. Ioseph um, Virginis sponsam præcipuis laudibus exornabat. In dicendo, claudebat oculos, quasi lucem pertæsus mundanam. Mortuus, candoris insoliti voluptate, intuentium oculos obtestauit. Antonius affirmat, prægnantis cuiusdam, periclitantisque mulieris non amè faciem partum fuisse, quam visendæ S. Mariæ Suessionis se voto constrinxit, etsi quædam mirabilia partum præcesserunt nam, priusquam esset enixa puerum, ternos ex vtero lapides fudit, primum magnitudine oui anserini, alterum, gallinacei, tertium, quanta nux est. Secutus illico partus infantis, qui baptismi aqua tinctus, breui ad superos euolauit.

§. 8.

§. 8.

Greg. Turo. lib. de glor. Martyr. c. 8. Gratia.

GRegorius Turonen. lib. de gloria Martyrum cap. 8. Hebræus puer, simplex, & paruulus, cum pueris Christianis in litterarũ ludum ventitabat, condiscipulorũ sequax in omnibus. Igitur die vna, diuini altaris sacrificio peracto, cui ipse, sociorum secutus exẽplum, religiosus, & attẽtus interfuit, ad sacrosancti corporis cõmunionẽ, Christianos pueros vidisset accedere, ipse quoque diuinæ illius mensæ conuiuio vitali se cibo refecit, imitationis studio fallente, quæ sumere suadebat, quod nõdũ Christianis non licet accipere. Domũ reuersus, quid egisset, patri gaudens exponit. Ille Christi Domino, atq; eius institutis inimicus, si alienos (excipit) puerculos imitatus, Christianorũ sacra sumpsisti, neq; quo parente natus esses, animaduertere voluisti, ego Mosaycæ legis vltor, in te parricida iustus existã. Nec mora, simplicẽ filium, infantemq; in fornacẽ coniecit ardentem, quæ domesticæ officinæ peropportuna seruiebat; vitrum enim Hebræus hic homo cõflabat, atq; illo se conformandorũ fragilium vasorum artificio sustentabat. Mater periclitantem puerũ liberare conata est, sed flammis, ardentiq; incendio prohibita, caput præ dolore denudat, comã scindit, domũ egressa ciuitatem clamoribus, lamentisq; compleuit: ciues exciti vocibus, quæ sit flendi causa sciscitãtur: cognita, ad ludęi ędes, quasi dato signo, cõcurrunt, vel potius conuolant, remotoq; ab ore fornacis igne, puerum salutũ, & à flammis intactũ inuenerunt, neque aliter affectũ, atq; si mollissima pluma iacuisset. Exortus est populi clamor, exaltantis Iesum Christum, & laudantis, nefariumq; Iudæum ad pœnas meritissimas reposcentis, quẽ in flammas iectũ ita, ignis absorpsit, vt vix quicquã ex impijs ossibus remaneret. Interrogatus à Christianis puer, quo, vel vmbraculo, vel vento sæuientis flammæ vim, & impetum arcuisset, illam matronam sibi adfuisse respondit, quę in templo, vbi panem sacrum ipse gustarat, puerum pulchellum in sinu fouens, visebatur, illa sua me palla contexit, à flamisque defendit. Hanc eandem historiam Glycas apponit, & Menam patriarcham adfuisse adiungit, remq; Iustinum Imperatorẽ ex Menæ narratione didicisse. Dissimile quiddã est, aliqua tamen ex parte consuetum, quod Augustæ factum esse Benicius scribit, cuius ipsa hęc est oratio, quę sequitur: Quidã priuilegio pascha tis satur, ab hęreticorũ cœna in nostrũ templum venit, otiosè exploraturus, ecquid ageretur. Cum spectaret tacitus, quæ confitẽtium pietas, qui sensus animorũ, vnum, atq; idem agentiũ, quam spirarẽt omnia religionem, qui captatum venerat, captus est, neque inde discessit, antequam euomeret virus iniquitatis suæ. Puer, cum videret cõdiscipulos aliquot suos ad sacram mensam accedere, similiter ratus licere omnibus, etiam ipse accessit, & panem hausit Angelorũ. quod, vt eius pater, qui erat catholicus, resciuit, simplicitatẽ pueri causatus, illũ clã matre hæretica, vt confiteretur, adduxit. Narrabat porrò puer, vt magnum illud argumentum accepit diuinæ charitatis, non aliter, atque intrasset flamma, os sibi visum esse aduri.]

Benc. in August.

§. 9.

Fr Abrahã Bzouium in mon. gẽmeo. Gratia.

FRater Abrahã Bzouius in monili gemmeo diuæ Deiparæ sacro, hęc scribit: [Lublini, quæ Ciuitas est totius Regni Poloniæ tribunali insignis, Martinus ciuis erat arte lanius. Huic duo filioli, bimus alter, quadrimus alter, aberat ipse, & vxor eius domo: cum maior natu, prout viderat patrem pecora mactantem, cultro arrepto iugulauit fratrem, in cuna iacentem; metuens virgas, coniecit se in fornacem, & retrò ligna instruem cõpositа se occuluit: mater domum reuersa cogitans de pueris

nihil, ignem lignis suppositum, illa flammas concipientia puerum intus latentē suffocarunt, antequam infœlix animaduertisset. Extraxit tandem iam suffocantum, & ad cunas conuersa vidit alterū iugulatum, sanguini innare, quid faceret? Dedit se in lamenta super duo cadauera, donec maritus aduenisset, qui ratus, illam scelus perpetrasse, tandiu verberibus affixit, donec occideret. Tristi postmodum spectaculo, & metu vindictæ, & supplicij percussus, equum carro iunxit, & cadaueribus iniectis, votoque concepto in viam se dedit ad diuā Virginem Deiparētem apud Clarummontem Poloniæ: (abest Lublino, plus, minus, centumquinquaginta milliaribus, propter imaginem illius, vt fama est, à diuo Luca depictam, summa veneratione cultam. Dum est ante basilicā illius, putētia corpora, quæ ex carro deposuit, post orationes fusas, redanimata aspexit, & recepit ab intercessione illius, quę vitam omnium viuentium parturiuit. Factum anno salutari millesimo quingentesimo quadragesimo.]

§. 10.

Ioā. Patriarcha Hierosolymitanus. Gratia.

IOannes Patriarcha Hierosolymitanus in vita sancti Ioannis Damasceni, hæc, quæ sequuntur, commemorat [Ioannis, illius, qui à sua ciuitate Damasco, Damascenus est appellatus, quanta fuerit sanctitas, quæ sapientia, quàm singularis conditio, neminē profecto fugit, cuius etiam illud est valde proprium, vt in veneranda, oranda, & à calumniis defendenda præpotentis Dei Matre Maria, sæpè multumq; versetur; de eius fœlicissima infœlicitate hæc est in ore omnium historia. Leo Isauricus Byzantinus Imperator, eorum omniū, qui sacras imagines deinceps insectati sunt, antesignanus, & tartareus Lucifer, Angelos perdens, atque præcipitans ad suam perfidiam, & tutandam, & propagandam, Synodi (si superis placet) adulterinæ, ac falsæ se, suosque asseclas authoritate, vel (vt melius dicam) vanitate, ac fuco ineptissimo tegere, ac dissimulare constituit, ingentesq; turbas secta pestilens excitauit, & Ecclesia, ac veræ religionis causa damnum leue non fecit, sacris imaginibus flamma, ferroq; deletis. Rugiētis Leonis hos impetus, & furores noster Damascenus magna ex parte compressit, sceleratissimique Imperatoris conatus præ cæteris illius ætatis, memoriæque hominibus, retardauit, cōsilia fregit, & machinationes impediuit. Nam Damasci in patria tres libros pro sacris imaginibus, picturisque conscripsit, & cū magno catholicæ causæ bono peruulgauit, quo opere Iconomachorum animos vehementer irritauit, quippe cum dolerent, Damasceni potissimū opera, suas fraudes eludi, consilia patefieri, conatus ad nihilum recidere, telas deniq; retexi, quas factorū insidiosa manus compegisset. Itaque, qui insanissimi erroris magistri erant, immanissimi etiam, teterrimiq; facinoris magistri esse voluerūt. Siquidem innocentē Ioannem apud Saracenū in Arabia principē tentatæ proditionis accusauerunt, & mendacissimis criminationibus suspicioſi reguli aures oppleuerunt. Ad rumpēda cū externis Regibus, cumq; ipso Constantinopolitano Imperatore inita fœdera, Ioannis manu exaratas, consignataſq; litteras esse (epistolā subiectores ita adulteraueraent, vt Damasceni manus esse videretur) illū hostē pattiæ, & publicæ pacis inimicū, qui litteris, Leonis animū sollicitasset, Damascū inuitasset, venieti portas se pandere paratum professus esset. Sarraceni iram augebat Leonis Imperatoris altera epistola, se Fabritium simulantis, quō perhibent, medico nō assensisse, qui Pyrrhum Epyrotarum Regem, quo cū erat Romanis bellum, veneno se esse necaturum promittebat. Negat Isauricus, eum se esse, qui quos semel in amicitiam recepisset, eorum insidioso gauderet interitu,

situ, proinde caueret insidias eius, quem domi haberet, & præfectura honestaret; cuius nomen ex epistola condiscere liceret, quam epistolam à perfidioso proditore missam, Imperator fide sancta remitteret, non quidem authori, sed ei, in cuius exitium facta videbatur. Damasci regulis, binis illis litteris acceptis, & lectis, & quæ Ioanni falso imponebantur, & quos Leo pestilens fraudulenter immiserat; ira excandescens, Ioannem accersit, vtramq; mõstrat epistolam; se defendere parantem, atq; innocentiã probare cupientem (neq; enim subiecti chyrographi, & artificio expressæ alienæ manus doli latuerunt) furore præuẽtus, anticipat, & immorantem Damascenũ publico iudicio condemnat: dexteramque illam abscindi iubet, quæ epistolam (vt ille falso credebat) in patriæ perniciẽ ad externos principes, & eos pacificos exarasset. Sed quæ barbarus ille machinantibus hæreticis in Ioannem Damascenum temerè, iniusteque constituit, ad orthodoxæ fidei custodiam, & victoriam nobilissimam, & ad veritatis claritatem, lucemque multo splendidiorem, & ad ipsius Ioannis gloriam, & triumphum valuerunt. Principio, cum præcisa manus barbari sententia, in medio foro suspensa teneretur, eam sibi Damascenus, licet à cætero corpore abruptam dari rogat, solatij fore genus, si domi habeat, videat, contempleturque quotidiè, haud grauatè tyrannus, cuius vt intermittebat iracundia paulatim, ita inconsideranti, præcipitisque iudicij, & supplicij conscientia magis, ac magis repugnabat. Damascenus in suum sacrarium ingressus, ante Virginis, & matris imaginem prouolutus, lachrymisq; perfusus, & suam, & totius Ecclesiæ calamitatem deplorabat. Mater clementissima, quæ Deam immortalem peperisti, en (inquit) truncata manus est dextera, quæ pro sanctis imaginibus pugnabat, cuius rei causa immanis Leo sæuiebat, ignotũ tibi non est; tu subueni, & esto propitia. Illa altissimi dextera, quæ de te carnem accepit, quæque tam multa, & tam præclara patrauit, hanc meam manum, te deprecante, restituat, auulsamque cætero corpori, vt erat ante, coniungat; atq; conglutinet, vt, & tuas, & eius in primis, quem saluo pudore genuisti, laudes, miraculaque præscribat. Versus, te auspice, faciat, de rebus diuinis disputationes litteris mandet, atque orthodoxi cultus, & religionis administra sit. Post pias preces, & amicas querimonias, arctus Ioannem complexus est somnus, viditque in quiete sanctam illam Deiparæ imaginem, in quam suspiciẽs, tam multa defleuerat, clementibus, arridentibusque oculis se intuentem, atque ita dicentem. ecce sancta manus est tua, iam fuge pigritiam, sitq; ex hoc tempore ista dextra, calamus scribæ, velociter scribẽtis id, quod mihi paulò ante promisisti. Euigilat Damascenus, manum, somni memor, aspectat, cum se omnino curatum videt, vehementer exultat. Ergo benè merenti Deo, atque eius sanctissimæ matri, quàm gratissimum se verbis, factisque quoad vixit, exhibuit. manum repositam Sarracenis, Ethnicisque Damasci Ioannes ostendit; quo Dei præpotentis virtus, atq; diuinitas eluceret, suamque ipse innocẽtiam, quod religionis Christianæ maxime intererat, testaretur. Admirãdæ sanitatis, & naturæ vires longè superantis, fidẽ augebat rotunda quædã lineola magnæ pulchritudinis, quã manus Damasceno restituta, redditaq; seruabat, antiquæ sectionis argumentum, quæ armillæ instar, eã partem, qua manus brachio deuincitur, mirabiliter exornabat; quin & barbarus ipse veniam petijt immaturi, præcipitisque iudicij, ac se errasse confessus, Damascenum semper est veritus. Hac quasi comœdia peracta sanctus Ioannes, posthabitis mundi rebus, monachus factus, in senem Austrium incidit, à quo vehementer exercitatus, sportas publicè vendere, proque eis immane precium

exigere videbatur; quin, & cloacas, eodem imperante, cōuertit, & sine nausea perpurgauit. De sacerdote, cui ad Virginis gloriam sabbato sacrificanti, lingua reddita est, quam hęretici auulserant, loquitur lib. 2. de Leone Papa sanctissimo. Simile quiddam à nonnullis scribitur, manum osculo mulieris, quasi veneno tactam, priusquam libidinosa contagio peruadit ad animum, sibi præcidisse, pro restitutione Deiparam exorasse, eaque à Virgine reddita, Pontificis duplicatam esse lætitiam. Sed, has nugas, aridasq; fabulas censet esse Baronius: quod enim (inquit ille) Ioanni Damasceno contigit, cum ab Iconoclasta Leone mutilatus est dextera, & sanatus à Virgine, inuersa historiæ veritate, Leo Papa præcisus manu iactatur, & à Deiparæ restitutus asseritur; sed facessant commenta isthæc, quorum imago picta iussu Clementis Papæ octaui, consultis viris doctis, abrasa est, quòd nulla penitus reperta sit veritate subnixa, vel saltem veri similitudine colorata, sed leuissimè in vulgus sparsa.

Baronius.

§. II.

Ioan. Brugni Francis. in vita Lyduu. virg. Gratia.

NArrat Ioannes Brugnianus Frāciscanus in vita Lyduuinæ virginis, multaq; alia apponuntur, quia de laudibus S. Mariæ Virg. quòd morbis grauissimis Lyduuina confecta, inuisebatur à familiari Angelo, qui sua pulchritudine, aspectuq; Lyduuinā, ita recreabat, vt cruciatuū dolor incredibilis omnino leuaretur. Ab hoc ipso Angelo, & ad Beatissimę Dei Matris imaginem, deducebatur, & ea salutata, ad locū amœnissimū, vbi florum miræ suauitates, ac cæli tāta tēperies, vt neq; ab æstu, neq; ab algore sibi Lyduuina metueret, perduci solebat. Hoc ipso tēpore mulier quædā fragili naturæ cedens, flagitium immane commiserat, quod etsi iam erat confessa, tamen dęmonis astutia nequissimi ad desperationem trahebatur. Nam chartam obtrudebat, in qua scelus erat inscriptum, mulieremq; imperiosè, furioseq; pertentans, sui esse iuris aiebat, peccatum neque viuenti, neque mortuę remissum iri: sancti Spiritus numen esse violatum, quem qui offendant, indigni sint venia. Mulier talia dæmoni suggerenti prope succumbit, captaq; argutijs perplexa pendet, ambigit, hęsitat, conflictatur, sed Dei instinctu, ductuq; cælesti ad Lyduuinam adit, quā sit sibi dæmon infestus, queritatur, remedium animi quærit ancipitis. Lyduuina figmentum dæmonis esse respondet, mulieris causam habet pro sua, apud Deum lachrymis agit, & precibus, media in supplicatione rapitur. Matrē Christi videt choro cinctam virginali, citatus adest Sathanas, & imperio coactus, ad Dei tribunal assistit, schedam manu tenet, orat Lyduuina cæli Reginam pro tristi mulierecula, illa protinus à diaboli manu extortā schedulā disrumpit, atq; discerpit, chyrographi frusta Lyduuinæ seruanda tradit, deriso, explosoq; dæmone. Post visionē, Lyduuina suū confessariū accersit haud ignarum grauissimi illius periculi, quod mulieri cogitabundę creabatur. Schedæ fragmenta, minutiasque demonstrat, totamq; ex ordine aperit, & explanat visionem. Illo ipso tempore, ecce tibi mulier interuenit, cuius agebatur causa; quærimoniā repetentē, & miserè lamentantem Lyduuina cōsolatur. Finem malorum venisse, damnū se velle pręstare, nihil esse laborandū de flagitio veteri, quod expiarit bona, & vera confessio; sibi rem totam esse patefactam, de cæloque monstratam, chartulæ nullum esse terrorem, quam in minuta cōcisam mulier demonstrauit. Recreatur ex angore diurno mulier, cōfirmataq; dæmonis præstigias paruipendit. Cætera subijciā, quę Brugmanus affirmat, ab historia Virginis Deiparæ nō abhorrentia; quāuis huic aliena sint capiti. Fuerat ingentes Lyduuina misericors; quocirca, illo est dignata viso, quod mox dicam.

Brugmanus.

In

In Paradisum rapta, lucem vidit mirabilem, & candorem è cœlo fulgentem, qui multos mortales, soliq́ue huius terreni incolas illustrabat. Vidit insuper in hoc mentis recessu, beatorum quasi exercitum, mediamq́; Deiparam, exornariq́; mensas serico, & eleemosynas, quas per id tempus dederat Lyduuina famelicis, velut à supernis allatas, quàm aptissimè collocari. Potiones quoq; quas in figulinis vasculis pro sua facultate pauperibus ipsa porrexerat, partim crystallinis, partim aureis pateris reuerenter apponi, exinde clarissimum virorũ cœtum illis in mensis ornatis, instructisq́ue discumbere, sonitumq́; audiri, quasi iucundè, hilariterq́; prandentium, seq́ue illis alacriter ministrare: inde memor visionis, beneficium erga inopes cumulauit. Ad altare Virginis aliquando arrepta per visum, illinc per loca pœnarum obita cursim ad conuentos cœlicolas, Angelo ducente, peruenit. Ibi Deum collaudãtium, & coram eo plaudentium infinitus visus est numerus, tantaq́ue oculis voluptatum, & oblectamentorum obiecta copia, vt à raptu, ne minimam quidem partem narrare se posse fateretur: ex illo autem sanctorum cœtu quosdam ita esse locutos: Lyduuina, patere constanter, & fortiter; quæ præterea ferenda, tolerandaq́ue restant; nos enim per aquam, ignemque transiuimus, nunc tamen (vt cernis) in requiete viuimus. Angelorum deinde Dominum, eiusq́ue excellentissimam Genitricem conspicatur. Vbi propius accessissent, collocutam ita esse Deiparam: Cur in hunc locum inculta, & inordinata venisti? aitq́ue Lyduuina: scis ipsa, scis Dei mater intacta, ab Angelo huc me esse perductam. Tu Domina mundi, visne hoc, quod manibus fero, tuo capiti velamen imponi? illa respexit ad ducem dubia responsi; sed Deiparæ iterum, ac tertio idem percontanti; timida, & pudens, voluntatis suæ illud esse negat, quæ, tota penderet ex auctoritate Deiparæ; tandem Angelo (vt acciperet) annuente, capitis ornamentum illud sibi dari, timidè tamen & verecũdè petiuit. Sed viso ex oculis illo dispulso, cùm sui iuris Lyduuina iam esset, ecce, rursus Deiparam videt multis Virginibus comitatam, & capitis redimiculum manu tenentem, atque ita dicentem: sæpè de te, Lyduuina quæsiui, vellesne hoc habere velamen, neque tamen tuam mihi voluntatem explicasti; en illud aptamus capiti tuo, sed quando allatum de cœlo est, septem non amplius horis erit in terris: dabis confessario tuo, non vt habeat, sed vt imaginis meæ caput exornet. Post Deiparæ abscessum, & actionem gratiarum, velum de capite Lyduuina deponit, eiusq́ue formam, materiamq́ue considerat. Erat crispum colore cæruleo, neque omninò album, neque planè viridè, actum tamen ex vtroque, operis videbatur esse textilis, sed quod mortalis nemo peruideat, quale sit, quanamue arte confectum. cumq́; confessionis presbytero, vt beatissimæ Matris aptaret imagini, ex Deiparæ mãdato, vehementer instaret, illeque & aperiendi, & reserandi templi tempus esse inficiaretur, & difficilem causaretur ascensum (erat locus imaginis valdè sublimis) omnia fore peruia Lyduuina pollicetur. Itaque in tempore templi custos occurrit, portas aperuit, scalæq́ue repertæ, quibus admotis, velum Virginali figuræ inditum est, sed ab Angelo confestim ablatum. Magna quidem huic Virgini Lyduuinæ cum clementissima Deiparente Maria, quasi familiaritas intercessit. Nam quotiescunq; Christi vitæ mysteria, quæ Scriptura commemorat, meditatio recoleret, non ea tam mente agitabat, quàm oculis cernebat. Cùm Deipara filium lactante, & paruulum lacte nutriente, lacte ipsam (quod miteris) alebat, cum gestante gestabat, cum exulante in exteris oris, exul quoque Lyduuina terras Aegyptias peragrabat; cum amissum puerum quæ-

rente, quærebat, cum Maria ad Crucem stante, & permanente perstabat, cum sepeliente sepeliebat, & humato Dei vnigenæ filio vna ex præficis parentābat, quas ex animo plorare videbat, illius admodum dissimiles, quæ ad funera conducuntur inferijs. Christi nascentis rem omnem Lyduuinę cogitanti, atque altissima contemplatione rumanti, vbera, ne quid ad Deiparæ perfectam limitationem deesset, vbera (inquam) Virginali, & miraculoso sunt lacte distenta; quæ enim viuebat, vt pauci; digna fuit, quamobrem illud assequeretur, quod solet euenire perpaucis.

§. 12.

Laur. Surius de vita sanctorum mensis Aprilis.

Gratia.

LAurentius Surius de vitis Sanctorum mensis Aprilis hæc enarrat: [Doluit aliquando Hermannus ea sibi à suo Abbate imperari, quæ contemplationis dulcedinem impedirent; vidensque misericordiæ Mater hunc filium, quem adoptarat, ob negotiosa illa demandata munera tristiorem, sic illum affata est. Scito canonice, nihil tibi tam esse necessarium, quàm vt fratribus ex charitate deseruias, & rectoris qualecunque capessas imperium: quo monito, & querimoniam missam fecit Hermannus, & officij necessitatem, quā nescierat, intellexit. ergo Marthæ munia libenter exercuit, ac Dei, propter Deum, quasi aspectu priuari facilè tulit. Cùm autem ad ea munera reuolutus esset, quæ Mariam Magdalenam haberè sociam possent, sibi esse redditus, ac restitutus videbatur. Tum præter consuetas preces, quibus Dei matrem & orabat, & honorabat, nouas quasdam excogitauit, quibus & implorare Virginem, & laudare non destitit. Salutem ab Angelo sæpenumero repetebat, genuflexus semper in fine, ad Mariæ nomen, se se humi prouoluebat, causam rogatus, ita respondit: Quotiescunque Mariam nominari audio, memet (vt cernitis) ad terram abijcio non sine fructu, quando omnium florum, & aromatum suauitas in nares influit; & quia ægrè hac voluptate careo (careo autem, si me à terra effero) in surgendo sum tardior. Viro huic Dei Mater intacta se se quàm frequentissimè demonstrabat: erat enim rara Hermanni castitas, & virginitas singularis. Non semel ad orandum intentus, Deiparæ vocem audiuit, eaque magistra, quæ nesciebat, multa perdidicit. In quandam sanctimonialium Ecclesiam venturum, Dei mater anteuertit, sororesque admonuit, vti suum sacerdotem (cappellanum vulgò dicimus) comiter, benigneque reciperent; post sanguinis è vena missionem, admonitus est à Virgine, quemadmodum dormiret, & venæ fluentis periculum deuitaret. Non est silenda plena admirationis historia, quam qui scripsit, de eodem Hermanno se audiuisse narrauit, & ex illius ore admiratus, posteritati mādare decreuit, ne rem tantam obliuio sepeliret. Nocte intempesta, cùm ad solitas preces Hermannus vigilaret, in medio choro, inexplicabili pulchritudine Virginem vidit, regali amictu decoram. Aderant duo formosi iuuenes, stupens nouitate visionis, vnum dicentem audiuit: ecquis huiusce Virginis erit sponsus? cui ab altero responsum est: non alius, nisi iste, qui adest; veni ergo. venit timidus, & verecundans ad Reginæ præsentiam: tum sic est locutus vnus ex Angelis (Angelos fuisse cognouit) Hanc tibi illustrissimam puellam desponderi necesse est; ille, & tali sponsa, & illo sponsi nomine se fatetur indignum, & clamore, quàm sit humilis, abiectusque pronunciat. Reluctantis, ac refugientis Angelus acceptam manum cum Virginis manu coniungit, & his verbis sponsalia contraxit. Hanc Virginem tibi sponsam tradimus, vt fuit quondam Iosephi, cuius nomen cùm sponsa ipsa te oportet assumere.

Quod

Quod quidem nomen alia quædam visio confirmauit. Nictabundus post longas preces recumbit in lectulo, iamque obdormiscens, sibi visus est ad eundem precationis locum redijsse, ibi aram erectam, excitataque suscipiens, beatissimam Virginem vidit, quæ pulcherrimum gestabat infantem. A Deipara familiariter vocatus accessit, & infantem puerum sibi dari poposcit, illa aliquamdiu dilatulit, vt desiderium augeretur, denique dedit: porta (inquiens) filium meum, vt olim Iosephus in illa ad AEgyptum fuga portauit, quo fiet, vt ferendi onus eiusdem nominis honorem mereatur. Monitus insuper est à Deipara, ne ægrè ferret, se Iosephum appellari. Ac ne illud quidem silebo, quod ad mores confirmandos maximè valet. Hermannus hic talis, & tantus, humanæ infirmitatis vitio, tantillum de pietate remiserat, & in beatissimæ Matris officio persoluendo, hymnisque, & horarijs precibus recitandis, negotijs, curisque distractus negligentior, cessatiunculam minus ipse obseruarat. Nam per illos dies quidam monasterij fores effregerant, inque rerum custodia defixus, qui & quantum omisisset, minimè senserat. Virgo beatissima suo nouo Iosepho de cœnobij tutela nimis sollicito, non formosa, vt solebat, occurrit, sed anili figura, & fronte rugis deformata. Expauit primò Iosephus, & latrones, quos habebat in mente, suspicatus, quid rei esset, exclamat. Ego (inquit diuina Mater) huius monasterij sum custos multò iam tempore; ille agnita voce, ignota facie, tunc inquit: ô Domina, & rosa pulcherrima? cùm annuisset: quid igitur ista sibi figura vult? atqui (Mater ait) talis appareo, qualis tibi iam sum. Tempora illa, requiro, in quibus me millies salutabas, laudabas, memorabas; nec te puder, in hac re esse remissum, mei memoria senescente. Seruandi monasterij, quòd latronum iniuria reseruit, necessitatem excusas, sed est futilis ista defensio: me enim in tali re appellare debuisses, cui est curæ tutela cœnobij. Caue igitur, ne tuæ amor sponsæ refrigescat. Correctus, emendatusq; Iosephus primum ardorem renouauit; & nihil de pristina viriditate, & florida amoris quasi iuuentute, diminuit, vt adolescenti adolescentem se Virgo monstraret, nec vetulæ formam indueret, quod in grauissimi supplicij loco ponebat. Accidit aliquando, vt minus cautè progrediens, laberetur, in casu duos dentes pronus, & ad terram afflictus excuteret, quos manus tollens, Virginem vidit, à qua rogatus amanter, quid haberet, dētes hos (inquit) amisi, & graui dolore discrutior: da istos mihi, quos vbi de manibus gementis accepit, in os inseruit, dolore sanato, nulloque vulneris in Iosephi bucca manente vestigio. Ad aram Iosepho religioso canonico rem diuinam facienti, æternoque Patri immaculatum Agnum offerenti, Dei Mater affulsit, cum aureo calice, cuius in medio crux aurea resplendebat, deductoque sacrificantis pectore, illuc visa est cum Cruce, & calice penetrare. Neque mirandum est, in illius cor sacerdotis intrasse Deiparam, in quo & Virginis vigebat amor, & erga Dei matrem ardebat charitas, & virtutes omnes habitabant. In summa hyemis asperitate, hoc ipso Deiparæ intimo Iosepho sacrum faciente, quædam Virgo, cui Elisabetha nomen fuit, in tanto frigore moram, & lentitudinem, missam dicentis admirata, oculis mentis, hinc ab ipso Iesu, illinc à Dei Matre medium videt teneri presbyterum cuius dexteram calefaciebat Christus, sinistram Virgo, & parens fouebat à frigore. Canticorum cantica, exhausto iam corpore, confectoque morbis, aggressus exponere, tantam ex Mariæ matris laudibus dulcedinem sensit, vt nihil omninò doloris, nihil infirmitatis perpeti videretur. Maxima quidem, maxima

hæc

hæc sunt amoris erga hominis è terra concretum argumenta, non incredibilia tamen, si Deiparæ bonitatem, & admiranda huius alterius Iosephi merita perpendamus.

§. 13.

Leand. Alb. in eius vita Iordani.

LEander Albertus in eius vita Iordani hæc refert: Iordanis ille, qui Dominicanorum gregi vniuerso, post diuum Dominicum, summa cum laude præfuit, beatissimam Virginem Mariam intimo cordis colebat affectu, vt quæ Prædicatorum familiam singulari patrocinio tueretur. Sub idem tempus, ex eodem numero quidam, nomine Bartoldus, bonus frater in primis Iordanum aliquando orantem obseruauit, precantemque in templo ante aram immaculatæ Dei Genitricis, sed oscitatione proditus, & à Iordano, quid quæreret, interrogatus, ita respondit: equidem Pater, nihil aliud explorabam, quã orandæ Virginis rationem, consuetudinemque tuam, vt istis hærendo vestigijs, in ea me diligenter exercerem. Iordanus Bartoldi pio studio, se debere putauit, vt omninò patefaceret. Coram misericordiæ Matre (inquit ille) preces sic offero meas, cùm vox hæc Maria, ex quinque litteris componatur, do operam, vt cuique illud canticum respondeat, cui illa eadem præposita littera sit. Tale deinde canticum salutatione Angelica terminamus. Priusquam venitur ad Psalmos litteris illis insignitos, hymnum *Aue maris stella*, pronuncio, quo præmisso, *Magnificat*, recito, litteræ illius admonitu, quæ in Mariæ dulcissimo nomine, prima est M, altera, quæ deinde sequitur. *Ad te leuaui oculos*, vt dicam, persuadet, R, ordine tertio, canticum Dauidicum: *Retribue*, à me poscit. Penultima, I *In conuertendo*, quasi suo iure à me repetit. A, vltimum: *Ad te leuaui animam meam*, proferre iubet. In singulis psalmis genuflecto, & Dei matrem Angelicis verbis consaluto. Narrabat idem Iordanus (verè Iordanis irrigans terram Dominicam) cuidam eiusdem familiæ viro sanctissimam Dei matrem adfuisse, sibique Prædicatorum ordinem valdè probari affirmasse, in quo ordine, quæ Deo persoluantur officia, à Virgineis laudibus inchoarentur, in eaſdemque desinerent. Fuit solemne primis illis Dominici successoribus, vt præter consuetas preces ad omnes horas, Deiparæ quoque officium diebus singulis integrum recitarent, à matutinis auspicantes, cumque coniunctis lectulis, nullo interiecto pariete, cubarēt, vt primum expergefacti essent, stantes, rerum omnium gerendarum primordia, ne calceis quidem indutis, à virgineis laudibus, hymnisque Deiparæ capiebant, nec se loco mouebant, donec preces absoluissent: quocirca à filio Virginem impetrasse, vt nemo Dominicanus in mortifera culpa persisteret, sed, aut à lethali flagitio (si quod esset admissum) pedem quam primum referret, aut foras (si corrigi nollet) eijceretur, ne tam præclaræ familiæ maculam posset inurere. Quæ certè visio, Virginisque (Iordano teste) promissio societatis nostræ morem laudabilem esse declarat, quosdam vel ex ijs, qui nouitij esse desierunt, neq; suis se rectoribus subdunt, emittendi, idq; e à Dominicanis quondam fieri consuesse declarat hic locus. Non erit intempestiuum Diui Leonis Papæ tum testimonium, tum decretum de retrogradis, quod sic habet: *Puellæ, quæ non coactæ parentum imperio, sed sponta-neo iudicio virginitatis propositum, atque habitum susceperint, si post ea nuptias eligant, præuaricantur, etiam si consecratio non accesſit, cuius vtiq; non frudarentur munere, si in proposito permanerent.* Idemq; e sanctus Pontifex constituit, vt monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate quadraginta annis, eiusque, vt credimus, suasu, Martianus Imperator lege cauit hoc

Fernand. Castellan in vita S. Dom. li. 5. ca. 60.

S. Leo Pap.

Idem Pont.

Mart. Imp.

hoc idem. In eos autem, qui illa, quæ nobis, & Summorum Pontificum diplomata, & sancta Synodus Tridentina largitur, in dubium vocant, nobisq; de sera professione, & alijs, quæ nostræ disciplinæ sunt propria, molesti esse non desinunt, illa eiusdem Diui Leonis ad Leonem Imperatorem scripta conueniunt: *Quæ patefacta sunt* (ait Pontifex) *quærere, quæ perfecta sunt, retractare, & quæ sunt definita, conuellere, quid aliud est, quàm de adeptis gratiam non referre, & ad interdictæ arboris cibum, mortiferos appetitus mortiferæ cupiditatis extendere?* Hæc ita Præsul, & Doctor Ecclesiæ, qui tamen vt illis occurramus, permittit, qui non nequitia labuntur, sed ignoratione toleranda vacillant: itaque subdit: *Institutioni autem paruulorum nostrorum, qui post lactis alimoniam, cibo desiderant solidiore satiari, ministerij nostri præsidium non negamus: & sicut simpliciores non spernimus, ita à re bellibus hæreticis abstinemus, memores præcepti dominici, dicentis: Nolite sanctum dare canibus; neque miseritis margaritas vestras ante porcos. Nimis quippè indignum, nimisque iniustum est, eos ad libertatem disceptationis admitti, quos significat Spiritus S. per prophetam dicens: Filij alieni mentiti sunt mihi.* Hæc S. Leonis verbis illis hominib. respondemus, qui nostra condemnant, suntque in arguendo pertinaces.

S. Leo Papa.

§. 14.

TRitemius lib. de Monasterio Hirsaugiensi, Petrus Canisius li. 5. de beata Virgine ca. 20. Magnus ille Rupertus Abbas Tuitiensis, cùm natura tardus esset: & ad studia literarum ineptus, neque labore, vt multi, ingenij tarditatem compensare posset, sanctissimæ Virginis opem, cuius perstudiosus erat, ardentissimis & votis, & affectibus implorauit, petit, & obsecrat, vt quando hebes natus est, & indocilis, natura, illud vitium Virginis tollat auxilio: sibi enim sacrarum litterarum studia placere, neque de profanis discipulis laborare. Ruperto mœrenti, atque anxio, noctu se Virgo Mater ostendens, quę erant à Ruperto postulata, largitur, & ex tardo, atque stupido, tam ingeniosus, acutus, & velox euasit, vt Germaniæ Theologorum Princeps haberetur. quandoquidem Ruperto parem ætas illa non tulit, Tritemioq; teste, viuus, mortuusque miraculis claruit; admirabilemque sapientiam, cum incredibili sanctitate coniunxit. Tanti beneficij per Virginē adepti non immemor Rupertus, Virginem suis in scriptis perstudiosè commendat, laudibus effert, prædicatq; perpetuò. Cuius rei, vt alia præteream, testis est commentariorum aureus ille liber in Cantica.

Tritem. li. de monast. Hirsaug. Petr. Canis. li. 5. de B.V. cap 20. Rupert. Abb.

Gratia.

§. 15.

HIeronymus Platus de Bono status religiosi li. 2. c. 33. ijsdem verbis: [Sextodecimo ætatis anno in Prędicatorum ordinem ingressus Albertus, cùm in litteris pænè nihil proficeret, eo quòd ingenio, ac memoria esset tardiore, tanto affici cœpit tædio, vt etiam de religiosa vita deserenda tentaretur: in qua fluctuatione dum hæreret, visum est ei nocte quadam, cum scalis ad Monasterij murum admotis, obitum pareret, apparere patronas 4. venerabiles admodum vultu, quarum vna, deinde altera, semel iam, atque iterum scandentem, manu impulsum deturbaret. Cùm autem tertio idem conaretur, interrogatum esse à tertia, quidnam ageret, & qua de causa. qua exposita, monuisse illam, vt opem potius à quarta matrona, quæ Dei Mater, cœliq; Regina esset, exposceret: se verò cum reliquis deprecatione adiuturam. Paruit ille, ac benignè acceptus à Virgine, insuper etiam interrogatus est, vera scientia excellere mallet, diuina, an naturali: tum adolescens, qui pro ætate, nihil adhuc altius gustasset, cùm philosophiam dixisset:

Hier. Plat. de bon. stat. relig. lib. 2. ca. 33.

Gratia.

Fi[illegible] (inquit illa) quod petisti; sed tamen, quia scientiam hanc, filij mei scientiæ prætulisti, extremâ vita omnem perdes doctrinam, & in hanc ipsam, quam exules, habitudinem recides. Nec mora, vix dilapso, statim se mutatum sensit, quidquid audiret, quidquid legeret facillimè capiebat, aut si quid paulò difficilius incidisset, cùm se ad Virginem deprecandam, quasi promissum efflagitans, conuertisset, illico consequebatur. Quare cùm talis, tantusque vir euasisset, vt multos annos, tum docendo, tum scribendo consumpsisset, denique triennio, antequam è vita migraret, dum publicè è cathedra, nescio quid interpretatur, repentè omnem sibi memoriam rerum omnium, quas tenebat, funditus excidisse sensit: tum ille coram omnibus, qui astabant, quod sibi adolescenti accidisset, enarrauit, ac professus, quidquid sibi postea eueniret, se fidei articulos complecti, & in eorum confessione emori velle, descendit è suggestu, prosequentibus eum auditoribus cum fletu, eumq; amanter amplexantibus. quin etiã reliquam deinceps vitam, quasi repuerascens, in magna simplicitate transegit: ita tamen, vt nullum religiosi instituti officium prætermitteret. Nam in his tantummodo memoriæ facultas cõstabat. Hic igitur tam admirabilis Alberti euentus, à quo Deus scientiam omnem, quasi mutuò commodatam, repetijt, vt à se datam ostenderet, alios quoque iudicat Religiosos, qui in doctrinis excelluere, vel excellunt, id certa Dei ope, ac peculiari gratia consecutos.

§. 15.

Deus tribuit memoriam diuinam Sanctis. Gratia.

GObelinus in vita S. Annonis Archiepiscopi Colonienſis li. 1. c. 33. S. Anno Colonienſis Antiſtes, Mariæ Virginis, Sanctorumq; omnium obſeruantiſſimus, ac religioſiſſimus venerator erat, & eorum, qui Chriſto Domino placuiſſent, reliquias, præcipua quadam pietate, & ſanctitate cordis, honorabat. Quorum omnium, ſed præſertim Dei matris patrocinio vtendum, nitendumque eſſe affirmabat, hocq; vt illi & facerent, & eſſe faciendum putarent, quibus ipſe præerat, frequenter admonebat: in quem finem commemorabilem hiſtoriam ita narrabat.

Gobelin. in vita S. Annon. Archiepiſ. Colon. lib 1. c. 33.

Romæ quidam, qui diuitijs intemperanter abuſus, luxu, atq; inertia diffluebat, ſolaq; fide Chriſtianus erat; in quo honeſtæ vitæ veſtigium apparebat: tantum Cæſarij inclyti martyris ſtudioſus, eius templum cum cæteris frequẽtabat. Cùm verò mortis ineuitabile telum Andream ex numero viuentium exturbaſſet, corpus non ſine amicorum, propinquorumq; lamentis in feretro ad ſepulturam collocatur, protinusque mediam ad noctem excubijs die poſtero humandus aſſeruatur. Enimuero in nocturno ſilentio feretrum cum ſummo adſtantium horrore moueri cœptum eſt, & caput attollens, qui iam obierat, alijs fugientibus, alijs manentibus quidem, ſed pauidis, atq; conterritis in lecto reſedit: & cùm ſe quidam fortiores ex illo timore collegiſſent, ad loculos accedunt; & Andream tria prudenter interrogant: diaboli ne ludificatione illud fieret, vt, qui mortuus eſſet, viuere videretur; an præter mortalium legem, diuina virtute (quod multis euenerat) rediret ad vitam; an denique morbi grauitate pro mortuo habitus eſſet; qui ſtupidis ſenſibus immobilis, viueret tamen, & ſpiritũ ſecretiſſimè duceret? ille ſuſpirans: non hæc (inquit) ſimulata, ſed vera mors fuit, perpetuasq; apud inferos meorum ſcelerum pœnas dediſſem, niſi ſanctiſſimi Martyris Cæſarij deprecatio, & patrocinium adfuiſſet: rogatus vbi fuiſſet, quid vidiſſet, & quare reuixiſſet? ita reſpondit. E corpore per vim eiectus, & ad metuendum Chriſti Opt. Max tribunal, ſoliumque pertractus circumſtantibus Angelorum millibus, meorum ſcelerum con-

conscius, eorum neminem appellare audebam, seuerique iudicis sententia damnatus, dæmonibus rapientibus trahebar ad inferos, & illius quidem horæ dititas deleri mihi ex animo nequit. Horrendi spectaculi ante oculos imago obuersatur, & quoties terribilis iudicij mihi venit in mentem, toties corpore, & artubus contremisco. Et cùm me flentem, vociferantem, & lachrymantem cachinnantes dæmones, ac meis ærumnis insultantes in sempiternæ miseriæ barathrum iamiam detrudere conarentur, martyr Cęsarij patronus, & tutor meus, sui clientis miserans interitum, fauente Dei matre clementissima, sanctisque Apostolis, & Martyribus vnà deprecantibus, ante Dei tribunal in genua procumbens, suorum signa vulnerum demonstrauit, & in hunc locutus est modum: Pater misericordiarum, totiusq; bonitatis fons, hęc pro tua gloria quondam libenter accepi, quæ tamen longo interuallo nescio quomodo recrudescunt: & si nullus quidem in hac beatissima vita, doloris est sensus; tamen si ita dicere fas est, crucior, atq; angor interitu, quòd is, qui suam vitam mihi crediderat, præceps ad inferos impellatur, arguaturq; stultitię, quandoquidem inani spe ductus, me, vt suæ vitæ tutorem, ac curatorem veneratus est. Cæsario hæc flexis genibus ante conspectum præpotentis Dei pro Andrea, dæmonũ captiuo, dicente, mitissima Dei mater Virgo Maria, Sanctorum omnium stipata choro, filium, & Dominum suum ad martyris Cæsarij flexit voluntatem; vtq; Cęsario Andreas concederetur, obtinuit. Itaq; immundis præda est erepta de manibus. Cæsario Andream diuini numinis voluntate, per sanctissimam Deiparam è mortis æternę faucibus extrahente: idcircò (ait) sum iussus corpus resumere, vt his cognitis, tua, tuiq; curæ sit salus. Hæc Andrea narrante, omnium, qui aderant, animi, præ stupore riguerunt, ipseq; cùm resedisset in feretro, animam iterum exhalauit. Hoc (vt diximus) ad Sanctorum, & inprimis Deiparę ingenerandum amorem, & cœlitum captanda suffragia, S. Episcopus memorabat: sed, vt multa libris desunt, intelligendum est, D. Cæsarij meritis ante priorem, posterioremve mortem Andream de suis sceleribus ritè esse sacerdoti confessum, visionemq; illam quasi picturam fuisse eorum malorum, quæ sine pœnitentia decedens, sine dubio æterna pertulisset, martyremq; Cæsarium, Virgine adiutrice, aut confessionem, aut certè in subita moriendi celeritate, dolorem, peccata tollentem, & expiantem, voto etiam confessionis (si licebat) adhibito, contritionem, Theologi vocant, suo clienti meruisse.

§. 17.

SVrius de vita Augusti. Benedictus natione Siculus, vir inprimis nobilis, Ioannam Drepanensem duxit vxorem: cùm autem ipse nuptiarũ die, anni 6. & 20. præterijssent, neque vllam toto illo tempore prolem genuissent, Beatissimæ Virgini, quem filium procreassent, communi amborũ voto sponderunt, & ordini Carmelitarum, qui sanctissimæ Deiparæ sacer est, se addicturos promiserunt: ad sponsionem additæ preces, ieiunia. breui post votum interiecto spatio, Ioanna fœtum, Deo annuente, concepit, ipseque Benedictus dormiens sibi videre visus cæreum radiantem, qui ex suę vxoris vtero prominebat: eadem, per quietem, Ioannæ mõstrantur, somnium vterq; alteri narrat, collocutioneq; mutua, & visorum consensione lętati, Deo, & sanctissimæ Virgini genibus nixi, gratias supplices agunt; mox puerum in lucem editum in sacri fonte baptismatis Albertum nominarunt; secuta est educatio liberalis, & in litteris, ac virtute processus admirandus. Puero, summa omnia pollicenti, suisq; gratissimo ciuib', regali stirpe

Surius de vita S. Aug.

sponsa parabatur. Benedictum ad nuptias inclinantem, Ioanna coniux vehementer obiurgat, votiq; admonet nuncupati, negat mortali fœminæ filium se esse daturam, qui beatissimæ Dei Genitrici ex voto deberetur. Benedictus vir pius, & planè vir cum vxore consentit, nuptiarumque abiecto consilio, susceptū Virginis dono filium, ei esse reddendū censet, de cuius manu accepisset, & Ioannę curam imponit Alberti ad religionem inducendi: mater à morigero filio facilè impetrat, vt se Carmelitanum fieri velit. qua cognita voluntate, parentes, filium ad Monasterium Drepanense mittunt, vtque illam vestem verè nuptialem sibi quærat, potestatem faciūt: euntem votis, & elogiis prosequuntur. Vadit puer lætus, & alacer ad Carmelitanam familiam, quæ Virgini sacrosanctæ militat, monasticam vestem efflagitat, id præfectus denegat, haud ignarus, quibus puer parentibus natus esset, quos non audet offendere non cognita illorum voluntate. Puer, reinfecta tristis redit ad suos; nocte insequenti, consopitis somno parentibus beatissima Dei Mater apparens, voti soluendi moram reprehendit, ac pœnas graues, nisi puer sibi quàmprimum reddatur, seueriſſimis verbis comminatur: parentes voce illa perterriti, filium ad Monasterium deducunt, visionem exponūt, præfectoque instant, vti votiuus Albertus monastico amictu quàmprimum induatur. His cognitis, ad monachorum illorum moderatorem maturauit, & coram parentibus, multisque alijs ex prima nobilitate amabilem Albertum religionis insignibus decorauit. Quæ fuerit expectatio tyronis Alberti, quæ sanctitas veterani, & quibus eam miraculis testificatus sit, docet historia non minus vera, quàm dulcis. Illud ego tacere non debeo, quod valet ad Virginis pietatem vehementer excitandam. Quo tempore Siciliæ Prouincialis rector Albertus sue ditionis monasteria visitabat, quendam fratrem sanctissimæ Deiparę perstudiosum, cultorem, & veneratorem fuisse, Deo indicante, cognouit: de qua tamen pietate multum detraxerat, posteaquam malo dæmone lenocinante, fœminæ cuiusdam amore cœpisset ardere, qui tam longè processerat, vt de potiunda primo quoque tempore puella iam ageretur; quam, vel pretio, vel precibus ad suam pellexerat voluntatem. Erant hæc quidem occultissimo transacta colloquio, nullo teste, nemine internuncio, vbi tamen sacrilegi stupri fœdera miserrimus frater inierat, Alberto patefacta, & reserata sunt diuinitus. Quare fratrem accersit, quid cùm clam delinita muliere perpetrare se statuisset, non latere, fœdissimi pacti facinus exprobrare, & monachum paterna charitate corrigere: obstupefactus ille, procidit supplex ad genua, petitaque venia, emendationem pollicetur. Serio tum admonitus, tum ad similes casus probè instructus, munitusque dimittitur; deprecanteque Alberto, non solùm grauitatem morum, sed pristinam etiam erga Dei Matrem religionem sibi esse restitutam monachus experitur. Quòd puellam seductam, deceptamque non tetigit, quod tempestiuè interuenit Albertus, quòd monachus non nimis seriò resipiuit, sacrosanctæ Virgini attribuendum censeo, quæ antiqui obsequij non immemor, suæque fautrix Carmelitanæ familiæ, ægrum fratrem, amoreque saucium persanauit, libidinisque face restincta, ignis castissimi flammas rursus accendit. Quidam puer in medios sæuientis incendij æstus inciderat, illoque in periculo beatissimam Virginem, beatumque Albertum inuocauit haud inani spe, siquidem abigne intactus euasit, clamans, sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ, eiusque amatoris Alberti meritis, nullas se flammas esse perpessum. Præclarum Deiparæ amorem, cuius efficacitate, ab animi, & corporis incendio liberamur.

Ant. August. Bapt. Mantuan carmine saphico.

Aliud

Alber. Monachus.

Aliud Albertus ille monachus, hoc puer laicus effugit.

§. 18.

Hist. S. Fr. Ciſci D. Bonauent. cap. deliberat a pericul. partu. Gratia.

EX hiſtoria ſancti Patris noſtri Franciſci, (authore beato Bonauentura c. de liberatis à periculo partus) quædam mulier difficultate partus iam dies ſeptem grauiſſimè cruciata, cum præ tormento, nigrum induta colorem, deſperaretur à medicis, Diuum Franciſcum, qui iam diem ſuum obierat, confidenter inuocauit. vtique promiſſione facta, dormiuit. In quiete beatum pauperum Patriarcham vidit, ſe humaniſſimè conſolantem, duoque illam percontantem: agnoſcis me? &, Cāticum, *Salue Regina*, ad implorandum Deiparæ tenes auxilium? cum illa, ſe vtrumque noſſe reſpondiſſet, nam Franciſcum vel de facie nouerat, ſic eius vixit ætate, vel vulnera prodiderunt, ea ſe forma oſtendentem, qua fingitur: exordire igitur antiphonam: *Salue*, Franciſcus ait, qua, nedum perfecta, ſalua, & incolumis partum effundes: ad hanc vocē experrecta mulier, & admonitionis memor, celebrem Eccleſiæ canticum; *Salue Regina*, pronunciat: inque verbis illis:

Eccl. Catho.

Et Ieſum, benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exilium oſtende; puerum pulchellum doloribus liberata peperit, ac Reginæ miſericordiæ gratias egit, quæ Diuo intercurrente Franciſco, pietatis virgineæ vel poſt mortē magiſtro, manum ſibi porrexit ſalutarem.

§. 19.

Sur. de vita ſanctor. mēſis Iulij. Gratia.

SVrius de vitis Sanctorum menſis Iulij. Laborante in partu Brigitta illa, cui tam multa ſunt oſtenſa diuinitus, matrona quædam ſerica veſte albi coloris induta ad eam venit, parturientiſque & fœtum educere connitentis blandiſſimè membra tractauit, corpuſq; omne flexibile reddidit, vt nullo negotio ventris fructus exiret: abeunte matrona, facilis ſecutus eſt partus, proleſque in lucem cum gaudio, & gratulatione edita, quæ in aluo tamdiu incluſa latuiſſet, & puerperæ negotium, dolorēque feciſſet. Neq; verò eſt dubitandum, quin beatiſſima Dei mater illa fuerit, cuius & beneficio, & aduentu pariendi eſt ſublata difficultas. Id enim Brigitta (ipſa Deipara patefaciente) cognouit. Et quidem miſericordiæ matrem religioſiſſimè Brigitta coluerat, coluitque, dum vixit; ſuumque maritum, virum ſanè præclarum ſanctiſſimæ Dei genitricis preces horarias recitare docuit, & omni officio, & ſanctitate venerari.

§. 20.

Vincen. Belluacen.

EX Vincentio Beluacenſi in ſpeculo hiſtoriali lib. 7. ca. 116. totidem verbis mihi referēdum duxi: quo nulla re addita, vel dempta, maiori ſinceritate illud lectori proponatur: ſic autem habet. [Quidam Archiepiſcopus Cantuarienſis Eccleſiæ, olim à Curia Romana reuertens, in Abbatia S. Bertini, quæ eſt apud S. Audomarum, hoſpitatus eſt; & die craſtina ductus in capitulum, ſermonem ædificationis cū fratribus habuit, quo finito, indicauit eis, quia cum eſſet apud Beneuentum, audiſſet à quodam viro religioſo, qui de partibus Hieroſolymitanis erat, quòd in illa terra quinque pſalmos incipientes à ſingulis litteris nominis B. Mariæ, in honorem, & memoriam ipſius frequentare multi conſueuerant, ſcilicet: *Magnificat: Ad Dominum cum tribularer: Retribue: In conuertendo: Ad te leuaui*: ſingulis: *Aue Maria*: præmittentes: erat autem ibidem in conuentu S. Bertini quidam monachus, Ioſcio nomine; qui hoc vigilanter audiuit, & quotidiè poſt matutinas prædictos pſalmos in honorem B. Mariæ decantare cœpit. Accidit igitur, vt quadā nocte ſurgentibus fratribus ad vigilias, ille frater Ioſcio nomine non intereſſet

Gratia.

choro psallentiũ. Superior verò chorũ circumiens cum lucerna, vbi eum non inuenit, ad lectum citius eius perrexit, ibique eum defunctum reperit: conuocati autem fratres, accurrunt stupentes, & lugentes, vultumq; ei discooperientes, inuenerunt quinq; flores rosarum, vnus egrediebatur de ore, & lingua eius: duo de oculis, duo de auribus. Lætantes pro tali miraculo, tulerunt eum in chorum, & facie discooperta cum recẽtibus rosis diligenter intuentes, in rosa, quæ de ore exibat, inuenerunt scriptum Maria. Tenuerunt ergo illum per septem dies, donec tres Episcopi conuenirent, quorum vnus fuit Atrebatensis Episcopus, qui fuit Abbas Cisterciensis, & multi alij clerici, & laici, qui viderunt magnalia Dei. Hæc Vincentius. Cæterum qua ratione in illis rosis initium quinq; psalmorum, quos Ioscio recitare solebat descriptum fuerit, narratur plenius in speculo exẽplorum, dist. 9. nu. 119. vbi hoc ipsum Ioscionis factum ex lib. exẽplorum B. Virg. describitur: cum enim reliqua, quæ supra ex Vincentio retulimus, posita essent, hęc subijciuntur: Superior, inquit, eius monasterij, qui frater Ioscionis erat, in nocte S. Andreæ an. 1173. vbi cognouisset, dictum Ioscionem ad matutinas cantandas in choro non adesse, sumpta laterna, iuit in dormitoriũ, vbi eum præcedenti vespere viderat ire dormitum: cumq; venisset in dormitoriũ ante fratris sui lectisterniũ inuenit eum in lecto, sed mortuum; viditque ex ore eius rosam miræ pulchritudinis excreuisse, similem quoque rosam vidit ex quolibet oculorum suorum, atque auriũ exortam. Super rosam autem in ore radicatam habebatur inscripta prima littera nominis Maria, atq; primus versus huius psalmi: *Magnificat*. Super rosam autem in dextro oculo radicatam littera A, primus quoque versus psalmi: *Ad Dominum cum tribularer*, habebatur inscriptus. Super rosam sinistri oculi R, & primus versus psalmi: *Retribue*. Super rosam dextræ auris littera I, atque primus versus psalmi: *In conuertendo*. Super rosam sinistræ auris littera A, atq; primus versus psal. *Ad te leuaui*. Cum autem his admirabilibus visis, stupefactus superior, cum magno timore ad chorũ cucurrit, visaq; fratribus nunciauit. Cumque fratres ad spectalũ cõueniissent, viso miraculo, miro timore conterriti, monachũ antedictum attingere verebantur; sed mox miserunt nuncium, & intimabant Episcopo, sub cuius stabãt dominio, qui referens gratias Deo, ac B. Mariæ matri eius, multum ex audito miraculo est gauisus, eo quòd sic Deo, & gloriosæ matri eius deotè seruiẽtes solet remunerari. Episcopus quoque indutus Episcopalibus, solennem processionem cum facibus, cum crucibus, atq; thuribulis ordinauit: sicque cum conuentu, atque clericorum solẽni collegio venit ad lectum Ioscionis monachi iam mortui: eductã autem rosam de ore iam dicti monachi, quæ trahentis manũ facilè subsequebatur, atq; cũ suo vigore, & decore incorrupta manebat, fecit in crystallo quodã formoso artificiosè, ac reuerenter clausam super altare reponi, vbi ad miraculi euidentiam ab omnibus posset videri: cæteræ verò rosæ mox eductæ aruerũt, atque pristinam pulchritudinem amiserunt. Episcopus verò susceptum corpus ante summum altare, quod in honorem B. Mariæ fuerat cõsecratum, honore debito sepeliuit, vbi ad declarandam clementiam Virginis, & deuoti ministri eius meritum ostendendum, plura postmodum miracula contigerunt.] Hæc in Speculo exemplorum.

Iacobus de Virg. in festo Assumpt.

S. Anton. 4. par. tit. 15. c. 32. § 2. Speculum exẽplor. Gratia.

§. 21.

IAcobus de Voragine in festo Assũp. B. Mariæ. huius exempli meminit S. Antonin. 4. p. tit. 15. c. 32. § 2. & Spec. exemp. dist. 8. nu. 61. Miles quidã opibus, ac diuitijs pollens, cui vxor erat in primis pudica, ac Deiparæ obsequijs impẽsè ad-

sè addicta, cum bona omnia sua prodegisset, eò redactus inopiæ est, vt egere cœperit. Cumq; solemnis quidam aduētaret dies, quo die multa dona elargiri consecrauerat, nec iā haberet, vnde alijs quicquā daret: quare præ pudore, ac verecundia nemorum recessus, ac latebras tantisper, dum dicta solemnitas præteriret, expetijt, quo suæ egestatis incōmoda deploraret, & verecundiæ consuleret suæ: sed ecce tibi teterrimi oris eques retro pariter insidens equo, sciscitatus tristitiæ causam ex homine, cum omnia ab eo didicisset, promittit, si imperata faciat, se diuitias multo plures ei daturū. Accepit ille conditionem, tunc eques: abeas, inquit domum tuam, & in tali loco (certum autem quendam designabat locū) exquiras, ibiq; tot auri, argentique pōdera, plurimū pretiosorum lapidum inuenies: tu verò facito, vt tali die coniugē ad me tuam huc adducas. Domus miles repetit; quas perquirebat diuitias ex Satanæ prescripto inuenit. Mox redimit fundos, emit domos, seruos comparat; & cum præstituta dies appropinquaret, coniugem accersit suam, monet, vt equum ascendat; secum, iter alio facturā. Illa quæ viri imperiū detrectare non audebat, Deiparæ se deuotè cōmēdauit, & post virum abire cœpit. Iam longius processerat, cū quandā Ecclesiam offendens in via, ex equo repentè desilit, templum ingreditur, viro ad fores præstolāte. Dum verò Virgini beatissimæ se cōmendauit, somno ibidē subitò corripitur. Interim Deipara Virgo specie, habitu, cæteris denique omnibus matronæ consopitæ consimilis, foras exit è templo; equum conscendit dat in viam sese cum milite, qui suā ratus vxorem, ad cōdictum cum ea locum peruenit. Hic ecce impostor diabolus tāetsi primo propere eò festinaret mox tamen appropinquans infremuit, ac propius accedere præ timore non ausus: militi dixit, hominum infidelissime, quid mihi sic illusisti? hęccine pro tantis in te collatis beneficijs mihi respondis? tu enim in coniugis, quā petierā, locum, Dei genitricē substituisti, mihiq; adduxisti: à tua enim coniuge pro illatis mihi iniurijs pœnas repetere cupiebā: tu verò hanc adduxisti, vt me torqueat, & in infernū detrudat. Tūc Deipara sanctissima (neq; enim præ timore, & admiratione loqui quicquā poterat miles) nequissimum spiritū obiurgauit, quòd mulieri sibi deuotæ nocere præsumpsisset, eumq; in infernorum carcerē abire iussit, edixitq; pro potestate, ne quis in posterum nocumenti inferre audeat his, qui sui studeant obsequio ac pietati. Ille verò magno eiulatu recessit. Mox militem, qui cum magno sensu doloris ex equo desiliens, ad eius sese pedes abiecerat, grauiter increpans, ad suam iubet vxorē (quæ adhuc in Ecclesia consopita diuinitus dormiebat) redire: cum ea domū repetere, omnesq; dæmonis diuitias confestim abijcere. Fecit is, quod est iussus. Coniugi, quam somno excitauit, ordine narrauit vniuersa, dæmonis diuitias abiecit, & quo ad vixerunt ambo in sanctissimæ Virginis, à qua innumerabilibus postmodum diuitijs aucti sunt, patrocinio ac clientela perstiterunt.

§. 22.

EX lib. de viris illustr. ord. Cistere. apud spec. exēpl. dist. 3. n. 46. Idem exēplum refert Vincentius, idque in territorio Lingoniē. accidisse, eamq; post confessionē sacra Eucharistia percepta, obijsse scribit. Matrona quædā religiosæ valdè cōuersationis, licet maritali vinculo teneretur: tamen ieiunijs, orationibus, eleemosynis cæterisq; religiosis actibus insistens, in habitu tamen sæculari vitam regularē quodammodo ducere videbatur. Verū piaculum quoddam in adolescentia commissum, præ nimia erubescentia nemini confessa est; quoties autem confitebatur, ita confessionem claudebat. De omnibus peccatis meis,

Spec. exēpl. de viris illustrib. ord. Cister. dist. 3. num. 46. Vincen. Beluacē. in spec. histor. lib. 7. cap. 117. Gratia.

meis, quæ modo protuli, & quæ nō protuli culpabilem me fateor coram Deo, & vobis: quę verba cum singulis confessionibus iteraret, trahebat ex imo cordis longa suspiria, & tota protinus in lachrymas soluebatur. Quod cum per annos plurimos vniformiter ageret, sacerdos, vt erat prudens, aduertit aliquid pestiferum latere in corde ipsius; quare multis argumentis id ab ea elicere curauit: sed cum nihil proficeret, monuit eā vicini monasterij Cluniacēsis (sic enim habet Vincentius Beluacēsis) adire priorem, eique tanquam viro sanctissimo suam conscientiam totam aperire. Cum ergo mulier ipsum priorem adijsset, nihil aliud ei dixit. Factum est autem, vt infirmata, & minimè confessa moreretur, & diutius mortua iacuit, donec filia de alio remoto ad maternas exequias vocata aduenirет, quę cum tandem concito gradu magnis eiulatibus aduenisset, fœmina, quæ defuncta erat, reuixit, & filiæ flenti ait: *Noli timere filia, quoniam miserante Deo reuixi.* Eaq; iubente, sacerdos propere accersitur, & secedentibus cunctis, contagium venenosum per cōfessionem emittitur, atque diluitur. Postea confluentibus populis, ad tantum miraculum ipsa mulier inæstimabilis gratiæ Dei in se factæ, testis, & pronunciatrix effecta, rei ordinem cūctis exposuit, qualiter per interuentionem pijssimæ Dei genitricis liberata fuisset. Ego, inquit, miserabilis peccatrix coram oculis hominum propter religiosam cōuersationem, quam prætendebam, stare videbar, sed coram Deo in ruina mortis iacebam; constituit enim Deus in Ecclesia homines per confessionem saluare; ego verò licet de cæteris peccatis puram confessionem facerem, tamē quoddam graue peccatum nulli vnquā sum ausa cōfiteri. Propterea opera bona, quæ faciebam, infructuosa mihi reddebantur. Veruntamen eundem lapsum meū singulis ferè diebus beatiss. Dei genitrici coram ipsius altari, vel imagine, seu vbicunque poteram, pœnitendo, lugendo, ipsius misericordiā miserabili quærimonia implorabam, ne me pro hoc peccato meo pateretur æternæ damnationis sententiæ subiacere. Postquam autem mortis debitum solui, à malignis spiritibus vndiq; vallata, crudeliter rapiebar, impellebar, discutiebar, & cum amarissima exprobratione peccati mei ad inferni supplicia trahebar. Itaque omni auxilio, & consilio destituta, recordata sum, quòd hoc ipsum peccatum meum, pro quo iustam damnationis sententiam excipiebam, beatissimæ Dei genitrici Mariæ eiulando frequenter confiteri solebam, & continuò modicū spei aliquid concipiens, ipsam matrem misericordiæ, & vnicam spem miserorum, ne me miseram in summo necessitatis articulo constitutam, derelinqueret, votis magis, atque suspirijs, quam verbis, orabam. Nec mora, eadem consolatrix, & protectio omnium ad se confugientium, tanquam stella matutina, & fulgor meridianus aduenies, terruit, & increpauit dæmones, qui mihi illudebant, quod suam ancillam inuadere præsumpsissent, iussitque quanto citius deponere prædam, ibique dimittere eam, donec à Domino egrederetur sententia, quid inde fieri deberet. Cumque dicto citius paruissent nequam spiritus, ipsa mater misericordiæ accedens ad filium, enixè orauit pro me. Cui Dominus. Nosti dilecta mater, quòd sine confessione non potest saluari quispiam: sed quia fas non est, vt pro quauis petitione repulsam à me patiaris, & extra carnem locus confitendi, & pœnitendi non est, placet, vt hæc anima proprio corpore reddita, quod male deliquit, & peius apud se retinuit, humiliter pœnitendo confiteatur, statimque reducta, debito tandem ordine misericordiam consequatur. Mox itaque Domino imperante, & pijssima Domina nostra sollicite procurante, missus est ad me Angelus bonus, qui de omni expectatione malo-

malorum ſpirituum eripiens, proprio corpori, ſicut cernitis, reſtituit. Nunc ergo, confeſſione peracta, tēpus eſt, vt abeā minimè iam reditura; ſed in æternū Dei miſericordiam cantatura, qui me licet indignam tremendo ſuo iudicio eadem miſericordia præueniente, & ſubſequēte tā dignanter ſubtraxit. Cum hoc illa dixiſſet caput feretro reclinauit, & ſigno crucis ſe muniens, ſpiritum exhalauit.

§. 23.

Ex lib Fortalitiū Fidei lib 30. de bello Iudæorum. Gratia.

EX libro, qui inſcribitur Fortalitiū fidei li. 3 de bello Iudæorum in 9. Mirabili ijſdē planè auctoris verbis: [Accidit in ciuitate Segouiēſi, quòd quidam impoſuit mulieri Iudææ crimē adulterij falsò, quæ tradita fuit marito, vt de ea faceret, quod vellet, qui cum eā duceret ad ſupercilium cuiuſdā excelſæ rupis, ciuitati coniunctæ, vt ex loco illo illā præcipitaret, concurrentibus ad ſpectaculū pluribus gentibus; prædicta Iudæa, quæ immunis erat à crimine, & deuota Virginis glorioſæ, licet occulta, in articulo illo, grādi cum deuotione B. V. ſe cōmendauit, proponens in corde ſuo, ſi eam liberaret, fidem Chriſti recipere, ac ſibi toto tempore vitæ ſuę in Eccleſia ſeruire: & ecce mox vt præcipitata fuit, apparuit ſibi B. Virgo, eā ſuis manibus recipiens, & illæſam in profundo vallis ponens, cumq; plurimæ gentes ad locū cōuenirent, inuenerunt eā illęſam, gaudentē, & laudantē Deū, & gratias referētem Virgini glorioſæ; publicè affirmantē, manibus eius fuiſſe liberatā. Deducta eſt Iudæa ad Eccleſiā maiorem prædictę ciuitatis, quæ S. Maria Maior intitulatur, & ibi ſacrū baptiſma recepit, & vocata eſt Maria Mariſaltos propter B. V. quæ eam à tali ſaltu liberauit, & vixit in Eccleſia multo tēpore in timore Domini, ſeruiendo Deo mirabiliter, & reſplēduit ſpiritu prophetiæ, & fęliciter curſum ſuum cōſummauit, & prędicti miraculi extat in tali Eccleſia memoria in picturis, & ſic ego vidi.] Hucuſque Auct. Fort. Fid.

§. 24.

Baron. to. 7. Annal. ad annum Chriſti 544. & in notis ad Martyrol. die 2. Febr.

BAronius tom. 7. Annal. ad annum Chriſti 544. & in notis ad Martyrol. die 2. Febr. ſic refert. Cū peſtilentia ſæuiſſima ex Procopio li. 2. de bello Perſico Iuſtiniani tēporibus an. Chriſti 545. vel iuxta alios 542. in oriēte graſſari cœpiſſet, & nulli ætati, nulli ſexui, nulli loco parceret; nullū ei remedium, præterquā ex Deo eſt inuentū, nā quinquaginta annos per vniuerſum orbē ex Euagrio li. 4. cap. 20. eſt propagata. Hæc verò lues, vt verbis vtar Procopij loco citato; [Conſtantinopoli tribus tantum menſibus pręualuit: & ab initio quidem pauci, deinde in ſingulos dies quinque, ſępè etiā decem millia efferebātur, adeò vt plures etiā diuites, miniſtris iā omnibus extinctis, curatorū penuria magis, quā morbo perirent, & inſepulti manerent.] Ita Procopius. Quod verò tā breui tēpore fuerit extincta, id Deiparæ beneficio factum eſt, feſto Purificationis Dei genitricis, hāc ob causā inſtituto. Quod affirmat Sigibertus in Chron. an. Chriſti 542. [Conſtantinopoli, inquit, mortalitate magna inſurgente, ſtatura eſt ſolēnitas S. Mariæ, quæ Græce, hypopante, id eſt, obuiatio dicitur.] ſic ille. Idē referūt Genebrar. Martinus, Polonus, & Buſtus, vbi addit: [inualeſcente peſtilentia, cuidam ſancto viro reuelatum eſſe, vt die 2. Febr. feſtū Purificationis B. Virg. celebraretur, & ſic omnis mortalitas ceſſaret.] Quam feſtiuitatem an. circiter 494. Gelaſius Pont. in Occidēte, Lupercalibus abrogatis, iam introduxerat.

Ex Procop. lib. 2. de bello Perſ. ann. Chriſti 545. vel iuxta alios 542. Euagr. lib. 4. cap. 20.

Sigibert. in Chron. ann. Chriſti 542.

Genebrard. li. 3 Chron. an. 537. Polon. lib. 4. Chron. ann. 529. Buſtus par. 8 manual. ſer. 2. par. 3. Anno circiter 494.

§. 25.

ROmæ quoque tēpore Leonis IV. nō minus admirabilis, quàm ſalutaris Deiparæ virtute liberatio à baſiliſco; cuius venenatus afflatus, & intuitus ijs, qui ad eius ſpecū accedebā-

Tempore Leon. IV. Gratia.

celerē afferebat interitum. Id enim factū est ipso Assumptionis Dei Genitricis festo, & indicta ad S. Mariā Maiorē supplicatione; precedente itē sancta Imagine, quæ vtiq; ipsius Deiparæ erat; cuius imaginis efficaciatē Romani tempore S. Gregorij Magni, vt diximus, in depellenda pestilentia experti erant. Rem gestam narrat Anastas. Bibliothec. cui cōsentit Sigon. & Barō. Nos Anastasij verbis eam hic apponemus. [Leone III. in primo sui Pontific. anno (is autem erat annus Domini 847.) iuxta Basilicā Luciæ Martyris, quæ in Orphea sita est, in quibusdā terris, abditisque cauernis diri generis serpens, qui basiliscus Græcè, Latinè Regulus dicitur, ortus est, qui flatu suo, ac visione omnes, qui ad easdē appropinquabāt cauernas, celeriter necabat. Ipse verò Pontifex beatissimus hāc populi necem audiens, atq; perniciem, ad orationem se conuertit, ac litanias, vt Dominum deprecaretur; quo huiusmodi omnes interitu liberaret. Dū hæc aguntur, præclarus, ac celeberrimus dies aduenit, in quo B. Dei Genitricis, semperq; Virg. Mariæ Assumptio celebraretur: tunc præfatus vniuersalis Pontif. à Patriarchis cum hymnis, & canticis spiritualibus, sancta præcedente Icona ad Basilicā S. Adriani martyris, sicut mos est, proprijs pedibus cū omni clero perrexit. Dē qua regressus cum omnium fidelium cœtu ad Basilicam B. Dei Genitricis, & Domini nostri Iesu Christi, quę ad præsepe dicitur, cum Dei laudibus magna populi caterua comitāte properabat. Qui cum peruenisset ad locum, in quo sæuissimus basiliscus tetris (vt iam superius dictū est) iacebat cauernis: omni Clero & populo stare præcepit, atque iuxta easdem cauernas properās, sub foramē vnde spiritꝰ & pestiferi flatꝰ egrediebantur serpentis, intrepidus stetit, & oculos in cęlū patiter tendēs, & palmas, Christū, qui est super omnia Dominus, profusis lachrymis deprecatus est, vt ab eodē loco diri serpentis genus sua potētia effugaret; & data super populū oratione, Dei laudes, ad basilicā, quā superius memorauimus, profectus est, exhibere. Ab eodem verò die ipse mortifer basiliscus ita effugatus, & ab ipsis proiectus est antris, vt vltra in illis locis nulla læsionis eius macula appareret.

Anastas. Bibliothec. Sigon lib 5. de Reg. Ital. Baro to.10. annal. ad annum 847.

§. 26.

TVrsellinus lib. 3. c. 28. hęc scribit: [Sicula quędam mulier Venetijs multos annos vulgato corpore quæstū fecerat, tandē bonis in pecuniā redactis, in Patriā per Lauretanum templū, quo inibi vitæ maculas confessione expiaret, & Deiparā Lauretanam salutaret, familiari quodā suo comite redibat: cum ecce in Rauennati sylua comes ille, prædæ spe stimulante, stricto mucrone, eā petit, ac transuerberat, & ex equo deiectā, plagis cōcidit, ac seminecē B. Mariæ Lauretanæ subinde præsidiū implorantem iugulat, pecuniaq; sublata, recedit. Illa in suo manans cruore, iā moribūda luctantem animam Beatiss. Virgini commendabat, quæ repente & in veste candida cælesti emicās luce, se offert: & bono animo esse iussam, benigne cōplectitur; moribundamq; gremio fouens, simul vulnera corporis tactu sanat; simul ægrū animum cęlesti perfundit gaudio. Deinde castæ vitę admonitā, relinquens ex eius oculis elabitur. Ibi tū mulier velut ex profundo excita somno recentiū vulnerum cicatrices iā obductas videt, mortiferā iuguli plagā persanatam sensit, explorās manu. itaq; maximas Deo, & Deiparæ gratias agit; cumq; in subucula cruenta, ac lacera à latrone relicta esset in sylua, à mulionibus, qui illac forte transibant, centone contegitur, & mulo impositā Anconā deuehunt, inde Lauretū contendit: vitæ labes sacra cōfessione expiat. Miraculū Deiparæ omnibus prædicat, ad rei fidē faciendam, cicatricem in iugulo ostendebat; quæ aurea circa collum monilis in modum ful-

Idem Tursellin. Gratia.

fulgebat, vt facilè Deiparæ manu plagā illam tactam, sanatamq; sentires. Id verò permulti viderunt, ex quorū numero fuit Raphael Riera Societatis Iesu, qui rem memoriæ tradidit. Mulier verò illa Laureti vitam deinceps ducens, diuinis identidem expiata mysterijs, liberatricē suam inuisebat, pluresque ex incolis ad Dei, Deiparæque obsequium singulari pietatis exemplo excitabat.

§. 27.

Turſellin. li. 3. cap. 28.

IDem Turſellinus lib. 5. cap. 6 narrat. Iacobus Marchio Badēsis ex Germaniæ Principibus, propter vulnus plūbea glāde in Colonien̄si tumultu in brachio acceptū, ad vltimum vitæ discrimē venerat. Itaq; Beatiss. Virginē Lauretanā implorat, vouens se, si salutē recuperasset, Lauretū, ad eam cum donis iturū; mox à periculo mortis eximitur, ac sanatur: sed ita vt brachiū mouere nō posset. Lauretum igitur anno 1584 voti exoluēdi causa, & spe brachij recuperandi venit; ibi gratijs pro recuperata sanitate Deiparæ actis, votiuum donum magni pretij, custodibus tradit, & nouo se obligat voto, si integrā sanitatē recipiat: & voto adiecit preces, ad sacrosanctam cellam identidē regressus. in his precibus biduo exacto, sub Solis occasum, ad hospitium, cuius insigne est vrsus, se recipit. Nox erat Christi Natalis, quādo tertia ferè Vigilia Deipara, candida in veste collucēs, se illi offert in quiete, bonū animum habere iussō, brachium manu prehensum extēdit illicò, sanatq;. Marchio igitur tā euidens, testatumq; miraculū Præsidi Lauretano exponit: ille miraculū ritè consignandum litteris, subscribēdumq; à testibus curauit. Marchio verò gratijs Deo, ac Dei Genitrici impēsis actis, Romā ad Gregorium XIII. Sūmum Pontificē se contulit: miraculum prædicat, cui fidē addebat persona narrantis; Marchio antea in Lutheri erroribus enutritus, iam de Catholica Religione, & Christi Vicario bene sentiebat. Quare Gregorius miraculi admiratione, lætitiaq; perfusus, Marchionē omni honore coluit, qui Germaniā repetens, Laureanā Virginē reuisit: vitamq; instituit, quæ omnibus esset innocentiæ, ac pietatis exemplum: sua etiam auctoritate complures ex suis popularibus ad Catholicam Religionem traduxit. Multa ab eo præclarè instituta genti suæ saluti futura fuissent, nisi immatura mors cōsceleratorum fraude (vt creditum est) accersita, optimi Principis salutaria consilia oppressisset.

§. 28.

Idem Turſellin. Gratia.

IDem Turſellinus li. 2. ca. 18. tempore Leonis X. (qui sedere cœpit anno salutis 1513.) hæc refert: Sacerdos erat Dalmata Lauretanæ Virgini vnicè deditus; hic fortè captus à Turcis, & ad deferendā Religionem omni artificio sollicitatus, cū nefarias voces auersaretur, Christum, ac Mariam identidē inuocabat, illiſq; sciscitantibus, cur nomina illa vsurparet; quia hęrent mihi, inquit, in præcordijs. Tū verò illi furentes ira, circumsistunt Sacerdotē, eiq; Lauretanam Virginē inclamanti, adiecto voto, eam primo quoq; tempore adeundi, discisso pectore inteſtina à summo recisa extrahunt; eaque semineci tradunt simul per ludibrium increpantes: Abi iam, propera, & præcordia, in quibus hęrere ais Mariā Lauretanam, ad eam præfer vti vouisti. Moribundus sacerdos Deo, mortē morante, vires que suggerente, porro ire pergit; multorūq; dierū itinere celeriter emenſo, Lauretū peruenit, sua exta præferens manu. Quacūque incidit, concursus ad eū fieri, seu visendi studio, seu rei cognoscēdæ, & ille Lauretani præcipuè tēpli ministris, apertum, vacuumque pectus, & prætē a manu viscera ostentans, totam rē breuiter enarrat. Ad vltimum gratijs Virgini enixè actis, & solemnibus confessionis, Euchāristiæque præsi-

dijs communitus, in Deiparæ cõspectu, complexuq; (vt credere par est) efflauit animam Exta ipsa è regione sacrosanctę Cellæ suspensa diu aduenis spectaculo fuerunt: Quibus tabe absumptis, exta ligno assimulata, atq; ibidē affixa, multos annos munumentū ei fuerūt miraculo: quibus deiectis, ad cōseruandā tāti miraculi memoriā, sacerdos, præcordia prætendens, in tabella depictus, addita breui totius rei narratione, hodie visitur.

§. 29.

Lipsius. *Gratia.*

LIpsius de Virgine Hallensi hęc ca. 33. collegit, & scribit. Anno 1428. in Vico S. Hilarij, prope Cameracum, euenit. Quædam mulier, Firmina nomine, vxor Stephani Morelij, puerū peperit mortuū, quem de more extra locū sacrum sepelierūt: mater męsta, quod absq; baptismo diē obijsset, Virgini Hallēsi, quam annua peregrinatione venerabatur, vota facit, iteratq; de die in diē, vsq; ad diem 15. à prolis suæ morte: & iā fidētior palā affirmat, puerū viuere, seq; certam eius rei ex viso nocturno factam esse, quare mulieres ad ministras importuna vrget ad hortum ire, & defossa terra puerum contemplari, nū viueret. Mira res, refossa terra, vident puerum tot iā dies terra cōditum, pulchellulum, viuidum, & rosæ instar rubentem; nisi quòd maxilla altera terræ aggestu attrita leuiter esset. eum tollunt, ad proximum pagum Vertenguelium, qui frequentior erat, deferunt: ibiq; signa vitæ clara dedit; nam & sanguinem è naribus stillat, oculis lacrymatur, os, oculosq; claudit, & aperit. quare à Parocho, non absque difficultate reperto in arce, cui Verticinium nomen est, baptizatur coram septuaginta hominibus, post quinque verò horas ex hac vita puer fæliciter migrat. Multa alia admirabilia in hoc baptismo memorat Lipsius cap. 21. euenisse, dum baptismi gratia noctu defertur ad illum pagum, dum conquiritur Parochus, quī ad illam arcem se contulerat, quæ breuitatis studio omittimus.

§. 30.

Promptuarium exemplorum. *Gratia.* *Psalm.*

IN promptuario exemplorū discipuli de miraculis B. V. exēpl. 58. refertur. Cum in quodam monasterio S. Petri religiosus quidā malè vixisset, & ex hac luce absq; sacramentis migrasset, eiusq; anima à dæmonibus ad inferna raperetur; S. Petrus pro anima fratris, qui ex suo monasterio fuerat, Christum precatur: cui Christus respondit, Cœli regnū patere, iuxta Psalmistam, ei: *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam,* quod in hoc religioso, maculis inquinato, quique non operatus erat iustitiam, minimè inueniebatur. Quare S. Petrus Virginē orat, vt secū pro illa anima intercedere dignaretur. At Virgo pijssima sanctis Virginibus comitata, Christum pro anima illa interpellat, ad cuius preces indulget Christus, vt anima corpori restituatur, sicq; de malis anteactis, pœnitētia peracta, salutē cōsequatur. Quod vbi per Virginē Apostolo Petro innotuit, illico magna claue, quam gestabat, dæmones fugat, animamq; illā duobus Angelis ad corpus reducendā tradit; ille vero ad vitam reuocatus se à dæmonum potestate ereptum B. Virginis, ac S. Petri precibus apertè testatur.

§. 31.

Baronius. *Arnoldus.* *Gratia.*

BAronius to. 10. ad annum Domini 870. & Arnoldus à Damasco, inquit, atque cum in Palęstinā peregrinaret, hæc vidisse testatur. Ad tria millia est quidā locus, in mōtibus situs, qui Sardaneida vocatur, & à Christianis inhabitabatur. Et est ibi Ecclesia in rure sita, & in honorē glorioſę Virginis dedicata, in qua Moniales Virgines duodecim, & Monachi octo assiduè Deo seruiunt, & B. Virgini. In qua Ecclesia vidi tabulā ligneam, ad mensurā vnius vlnę lon-

longam, & latam ad modum dimidiæ vlnæ, retrò altare in muro sanctuarij in fenestra positam, & ferro laqueatiter cancellatim firmatam. In qua tabula effigies B Mariæ Virginis aliquando depicta fuit, sed nunc (quod dictu mirabile est) pictura super lignum est incarnata, & oleum odoriferum super odorem balsami incessanter ex ea manat. De quo oleo multi Christiani, Sarraceni, & Iudæi de diuersis languoribus sæpè liberantur. Et nota, quod oleum illud nunquam imminuitur, quantumcunq; inde accipiatur. Nec prædicta tabula, à quoquam tangi audetur, videri autem omnibus hominibus conceditur: oleum verò illud à Christiano religiosè conseruatur, augmentatur, & cùm pro quocunque cum deuotione, & fide sincera sumptum fuerit, pro honore sanctę Virginis, commissisque solemnitatibus indubitanter impetrabitur. Ad hunc locum in Assumptione, & die gloriosæ Natiuitatis suæ omnes Sarraceni illius prouinciæ, vna cum Christianis causa orandi confluunt, & Sarraceni cæremonialia illic sua offerunt cum maxima deuotione. Nota, quòd hæc tabula primò Constantinopoli facta, & depicta fuit, tunc temporis quędam Abbatissa supradicti loci causa orationis Ierusalem descenderat, & impetrata tabula à Patriarcha Ieroso|ymitano, eam secum ad Ecclesiam sibi commissam transportauit. Fuit autem hoc Incarnationis anno 870 sed postea permulta tempora, cœpit oleum sacrum ex ea manare, hucusq; Arnoldus.

§. 32.

Vincentius Beluacensis.

Gratia.

VIncentius Beluacensis li. 27. ca. 2. 3. & 4. hæc narrat: Quidam puer annorum vndecim, pecorum custos, ardens pedibus, à matre sua aduectus est, remedioq; doloris intra paucos dies accepto, ad domum reduct⁹ est: erat autem de Vallibus. sed dum puer idem diuino nutu non immemor tanti beneficij, desiderio visendæ domus beatæ Virginis flagraret, & super hoc quotidie molestus matrem perurgeret, & illa penitus non acquiesceret. Redeat, inquit, in me infirmitas, vt necesse habeam illuc referri, quod & factum est. Relatus igitur à matre illuc, ad ingressum processionis matris Ecclesia, excussus à quiete, in gratiarum actionibus rupit clamoribus æthera, narrauitque omnibus raptum se fuisse ante Deum, & Dei Genitricem pro populo supplicantem vidisse, vt dignaretur Deus hunc morbum à populo auertere, & euertere, & hanc scintillam, quæ acciderat auferre, hoc tamen responsum à Filio suo benignè accepisse: Mater, tu es Maris stella, fiat omnis voluntas tua. Dumque iterum eadem Virgo quæreretur super domo sua, quæ vilis, & abiecta præ cæteris erat, audiuit à Filio suo, quod de trans mare, & de trans Rhenum faceret pecuniam afferri, de qua domus eius ædificaretur, & in omnium oculis intuentium claritate magna, & gloria illustraret eam. Populo etiam Suessionensi mala euētura ex parte Dei prædixit, quia suæ Genitricis Ecclesiam non reficeret. Et quidem multos ex eadem Vrbe ignis inuasit Quæ & qualia restent, nescimus. Idem puer parum post se moriturum testatus est; & sic euenit, non enim mensem superuixit. Mirum autem valdè de hoc puero erat, quod ab initio, mundi omnem historiam retexens totam narrationē suam cursim rhythmice digerebat. Textum Euangelij, & actus Domini sic in ordine recensebat, tanquam omnia in libro legeret, & dictata ab alijs pronunciaret. De Ioseph quoque viro beatæ Virginis inter cætera ait: Qui tenet sceptrum florentis virgæ, custos erat gloriosæ puellæ. Hæc narrabat clausis oculis, tanquam lucem transitoriam exosus, laicis, & illitteratis vix dignabatur facere verbum, tanquam ignorātiam eorum pertæsus. Eius mortui cor-

pus tanta gratia perfudit, vt candore, & claritate vultº Angelicum nescio quid, & diuinum signaret.

§. 33.

Speculum Exemplorū Seraphinus Razius.

EX speculo exemplorum dist. 9 numer. 108. quod in libro exemplorum B. Virginis manu scriptum Seraphinus Razius ex Ordine Prædicatorum in suo hortulo exemplorum testatur se in Italia legisse. Sanctimonialis quædam, cui amor & assidua Beatæ Virginis memoria cum ipsa ætate creauerat, cuiusdam potentis, ac prædiuitis eius pulchritudine capti blanditijs, ac promissionibus illecta, nuptias cum eo celebrare consenserat: condixerunt diē, quo raptam Virginem de Monastério ille adulter suo sociaret coniugio. Postea autem cùm in domo parentum quiesceret, nocte illa in somnis se supra os putei raptam vidit, qui enormi amplitudine, & profunditate oris sui aperiens barathrum, tam immanes exhalabat fœtores, vt vniuersum mundi huius aerem videretur inficere; tam densas fumi nebulas, vt claritatem de cœlo videretur effugasse. Cumque totum serpentibus, & vermibus scaturire, & à clamore eorum, qui intus torquebantur, horribili quodam sonitu miraretur immugire; vidit repentè Aethiopes quosdam ignitos, de medio exilientes, & animas damnatas tormentis absque differentia crudeliter immergentes; à quibus & ipsa correpta, cùm intro traheretur, inter ipsas iam desperationis angustias circumspiciens, si esset auxiliator, Deiparam vidit, sed nimis à longe, & à se ita auersam, vt ex eius visione vix aliquam spem posset colligere, toto tamen conatu ad illam conuersa, eiusq; nomen inclamans: Domina, inquit, Domina, subueni ancillæ tuæ in tam amara necessitate constitutæ. Post multa verba accessit mater pietatis, manumq; eius tenuit; & procul illico facti sunt inimici, dixitque ei: Hi sunt fructus libidinis, hoc præmium voluptatis, & recessit. Vix euigilarat, cùm nuncij illius diuitis aderant, quærentes, quid fieri iuberet de necessarijs nuptiarum, quibus cum summa indignatione reiectis, rem omnem parentibus aperuit, & Monasterio reddita, totis se viribus pœnitentiæ luctibus, & antiquo proposito reddidit.

§. 34.

Vincentius.

VIncentius li. 7. ca 11. ait. Quidam Iudæus nomine Iacobus à Londonia Ciuitate Angliæ apud Vuintoniam pergens, in via prędonum manus incurrens, captus est, plagis afflictus, atque in domum vetustam, casum iam minantem tractus: post multas iniurias, omnibus rebus suis spoliatus, ligatisque ad postem pedibus, & vinctis post tergum manibus, ibidem relinquitur solitarius. Verùm ne penitus deficeret, modico pane, & aqua per triduum sustentaretur: sperabant enim per sui redemptionem, magnam pecuniam accipere. Sed tertia nocte cùm ex lassitudine paululum obdormisset, astitit ei in somnis fœmina inæstimabili decore reuerenda, & niueo habitu amicta, quæ propius accedens, vincula, quibus miser ille constringebatur, potenter disrumpit, eumque soluit. Qui præ gaudio, & admiratione euigilans, curioso intuitu circumspexit, si forte aduerteret personam, quæ illum restitueret libertati. Quod intensius agens, vidit apertè non iam in spiritu, vt prius, sed corporeo visu Mariam Dominam Cœli sibi assistere, & ex eius claritate, totum illud diuersorium resplendebat. In quā oculos meticulosus defigens, sic eam alloquitur. Quæ es Domina, vel vnde tibi pectus tam benignum, vt mihi misero subuenires in tanta angustia? At illa: Ego sum, inquit, Maria, cui tu, & genus tuum malo vestro insultatis: meque Redemptorem mundi edidisse pertinaciter nega-

Gratia.

negatis: veni tamen ad te, vt more meo tibi pro malis bona rependam, & ab errore te ad veritatis cognitionem reducam, atq; hucusq; quam periculosè vixeris tibi insinuem: quod vt euidentius cognoscas, egrediamur foras. Illa præcedente, securus iubetur super euidentem petram, quę in promptu erat, ascendere, & intento animo deorsum aspicere, qui iubenti obtemperans, attendit hiatu terræ vallem tenebrosam, ipso aspectu horribilem, flammas sulphureas exhalantem, fœtore intolerabilem, omniq; genere tormentorum horridam, & asperam: cernit etiam in his cruciatibus animas damnatorum rotari, & miserrimè à carnificibus torqueri. Quorum lachrymabilis eiulatus attonitis auribus excipiens, pænè vsq; ad animam exterritus est. His visis, & auditis, ait illi B. Virgo: Hic carcer, hæc incendia, hæc omnimoda tormenta, te, tuosq; sequaces expectant, nisi Iudaicam impietatem celerius demiseritis, & ad fidei Christianæ sacramenta confugeritis: nunc autem sequere me, vt ostendam tibi, quid etiã boni pro vestra cœcitate perdideritis. Cumq; supra collem excelsum eum statuisset, aspicit eminus mansionem perlucidam, visuq; pulcherrimam, ex qua tanta optimi odoris fragrantia naribus intuentis infusa est, ac si illum omnium suauitas aromatum respersisset. Ibi vidit cætus beatorum splendido vultu solemnes, omni gaudio tripudiantes, melos dulcissimum concinentes. Quibus studiosè conspectis, ait Maria ad eum: Hæc est hæreditas animarum, sanguine filij mei redemptarum, quam & tu possidebis, si illum ex me veram carnem assumpsisse credideris. Sed iam hinc recede, & mysterium tibi, licet indigno, reuelatũ, memoriter retine, & posthac quid tibi sit agendum, sollicitè perpende. Timens Iudæus, ne denuò hostibus suis occurreret, ibat densissima nocte, quo impetus illum ducebat, quousq; diluceseeret. Diluculo autem pergens ad vrbem, quæ Bacha dicitur, quoddam monasterium, quod ibi erat, adijt, Priori, & fratribus, quicquid viderat & audierat, totum ex ordine exposuit. Baptismum petijt, & accepit, Ioannesq; vocatus est. Hucusq; Vincentius loco citato.

§. 35.

BAronius tom. 10. ad annum 1095. vbi quosdã canones recitat Conc. Claremont. ex Francisco. Belleforestio: hæc narrat: Vrbanus II. Pont. Max. anno Domini 1095. in Claremontensi Concilio sacram expeditionem Christianorum in terram Sanctam ad eripiendam de manibus infidelium Ierosolymam, magno studio indixit: vtque res hæc difficillima optatum consequeretur effectũ, Dei Genitricis apud Christum patrocinium enixè implorandum censuit: quare in eodem Concilio rogata Patrum sententia, egit, vt horariæ illæ preces, quæ vulgo B. Virginis officiũ dicuntur, apud monachos eremitas institutione Petri Damiani, recitari cœptas, ad Clericos etiam deducerentur. quod quidem à Sancta Synodo, Vrbano agente, ea occasione indictum, & à Clericis piè susceptum, ad laicos quoque tum viros, tum mulieres, magno eorum bono, vt omnes experti sumus, est propagatum. Mandatum est etiam omnib. Christianis, vt diebus singulis sabbathi, officium B. Virginis recitarent. Quantum verò Virginis preces apud filium valuerint, declarat felix illius sacræ expeditionis successus; nam anno 1099. ab exercitu Christianorum, Duce Godifredo, capta est Ierosolyma, magna omniũ fidelium gratulatione, quam ad multos annos strenuè retinuerunt, donec peccatis nostris exigentibus, iterum ad infidelium potestatem deuenit. Sic ille.

Baronius.

Gratia. in bell

***

§. 36.

§. 36.

Antonius Spinellus.

ANtonius Spinellus de Maria Deipara, tractatu de Miraculis numer. 65. hæc narrat: Franciscus Capamazza, Alexandri nobilis Puteolani filius, vndecim annos natus, puer modestus, optimisque moribus præditus, & vt in tantula ætate perspicacis ingenij, Beatæ Virgini inprimis deuotus erat. Nam pænè ab incunabilis in Deiparæ honorem præter coronam, rosarium, aliasque pias preces, quas eidem Virgini recitare consueuerat; singulis hebdomadis bis à carnibus abstinebat, eo scilicet die, in quem festum Anunciatæ Virginis incidit: die item Mercurij eidem Virgini, quam à Carmelo vocant dicato; sabbatho præterea à lacticinijs semper abstinebat; quin etiam à parentibus enixè contendebat, vt & die Martis, Beatæ Virginis à Constantinopoli sacro liceret sibi à carnibus pariter abstinere, quod illi propter tenerā pueri ætatem minimè permittebant. Is itaque cum parente ad montem Virginis in festo Pentecostes anni 1611. se contulerat; cumq; ipse, ac parens in cuiusdam Monachi cellam, qui eos amicè hospitabatur, recepti essent, ad incendij strepitum expergefacti, surgunt è stratis, arreptaque pater filij inhærentis manu, vt & eius, & suæ consuleret vitæ, ianuam versus pergebat, quo plurima ad incendium euadendum multitudo confluxerat. Verùm cùm non longè abesset à ianua, repentè confertissima turba superuenit, suoque impetu filium à Patre distraxit sic, vt confluentium horum vndis pænè obrutus puer, contenta voce patris auxilium nequicquam imploraret, cui Pater multitudinis etiam impetu abreptus in hæc verba respondit: Christus Iesus te seruet incolumem, fili mi: ego enim nihil opis tibi afferre valeo. Hic puer, cum se sentiret humana ope destitutum, Virginis singularis suæ patronæ auxilium inuocauit; vouit, si ab eo discrimine eriperetur singulis hebdomadis die Martis carnium abstinentiam. Interea iacebat pænè sepultus ac multitudine opprimente protritus altero subtus pectus brachio, altero non impedito; cùm ecce tibi mulier, in cuius faciem minimè se intendisse affirmauit (beatam tamen Virginem fuisse probauit euentus.) Quid hic agis, inquit, puer? surge inde. At ille cùm se surgere posse negaret, brachio mulier arrepto substulit, tantaq; vi extraxit, ac diuulsit è turba, vt calceos è pedibus extractos ibi relinquere coegerit, dolorem quoque brachio vehementer compresso incusserit. Inde sub fornicem, tutissimum nempè locum, momento traduxit incolumem. Albescente iam die mœstus pater ad cadauerum aceruum se contulit, vt filium, quem iam extinctum arbitrabatur, honestiore tumulo componeret; & cum proprius accederet, filium exaudiuit clamantem, Pater, Pater, quem vt spirantem, atque incolumem, nec opinato aspexit, flexis genibus terram sæpius exosculatus, Deo quas poterat gratias egit, quod extinctis, atque attritis tot hominibus, ijsque robustioribus, tenerum filium à tāto periculo subduxerit. postmodum interroganti Patri, quo nam pacto calamitatem pænè communem vnus euaserit; puer rem omnem ordine narrauit. Qua in re mihi visus est Deus ad Beatæ Matris intercessionem à tam communi clade vtrumque liberare voluisse; nam & parens spectatæ est probitatis, & filius pietati Virginis maximè addictus, cui parentes ob votum Deiparæ ab ipso in tali incendio nuncupatum, coacti sunt abstinentiam à carnibus die Martis concedere: vterque verò oratorium Deiparæ, recens Puteolis erectum, adire studet.

Gratia.

§ 37.

Studior. cũ nõ miter
omittenda deuotio §. 37. P. B. M.

Henr. Gran. HEnrico Granno, maximè habenda fides est, cùm historias recenseat personis, ac locis definitas, agnoscitur in hoc viro diligentia, & fides cum probitate coniuncta. Quo tempore Kampensis Thomas Dauentriæ in
S. Thom. Germania Theologicæ, apud Florentium, florentissimum diuinæ sapientiæ doctorem, operam daret, vnam horam Deiparæ, cui ex animo studebat, in precationibus recitandis, pronunciandisque ponebat, ita demum se in litteris ratus posse proficere, si pietatem comitem adhiberet. Veruntamen paulatim frigescente feruore, qui in iuuenibus præsertim litterarum studio attentis, haud solet esse diuturnus, principio rarius, mox sæpius virginales hymnos, & laudes omittebat, eoque delapsa sensim Thomę socordia est, vt de virgineo penso nihil relinqueretur, eam tacitus præteriret, cuius olim diebus singulis memoriam vsurpabat. Thomæ in hac obliuione quiescenti, quadam nocte talis obiecta species est. In medio sibi videbant xisto consistere, vbi multis audientibus solebat docere Florentius: inter mediam explanationem, disputationēq; Florentij, quam ipse cum alijs audiret attentè, cœli Regina fulgentissima, tum facie tum veste descendit. Cùm in atrium venisset, singulas Doctorum exedras perlustrasse, magistros de suis quemque rebus, ac quæstionibus disserentes, amantissimè complexam, gratulatamque, quod eruditis scholis, hominum mentes expolirent, neque solùm à suis discipulis scientiam, sed multò etiam magis vitæ innocentiam, & morum requirerent sanctitatem, qua sublata, fusus Christi filij sui sanguis auditoribus emolumento non esset; Thomam, Deiparę communi indulgentia animaduersa, se quoque sperasse fore participem; quo circa fixis oculis intuentem, dum ad se veniret, anxiè expectauisse. Sed enim, cùm modo hos, modo illos Dei mater esset amplexa, vbi ad Thomam venit, amplexum denegasse, obiurgatione non tacita. Frustra, crudelis inimice, meum tibi amplexum spopondisti, qui consuetudinis piæ immemor, nihil de pristina precum antiquarum pensione persoluas. Quo tandem precationes illæ tuæ, quo laudationes abierunt? vbi illa mihi supplicandi studia feruentibus mixta suspirijs? charitatem intepuisse non vides? ac religionem illam, qua me tuam matrem obseruabas, claudicasse? & tamen, quasi nihil mali egisses, meum tibi suauium promisisti. Deinde aduerso, atque indignante vultu, vbi (inquit) & te huismodi solatijs, atque hac voluptate cœlesti, quæ, quanta sit, scit ille, qui capit, te, quàm indignissimum arbitrare. Virginem post acrem hanc reprehensionem, se se in cœlum recepisse. Thomas, somno solutus, memorque dictorum, culpam negligentiæ defleuit, vitam correxit, solitas preces tantò ardentius repetiuit, quantò acerbiora obiurgationis, ac repulsæ vulnera fuerunt, & beatissimæ Virginis, vt ante fuerat, sic esse denuò studiosus cultor incepit, atque in hoc, non minus pio, quam salutari officio perdurauit. Quin & posthabitis huius vitæ rebus, sui magistri Florentij suasu, ad religiosam vitam aspirauit; & in eorum canonicorum, qui D. Augustini regulam sequuntur, adscribi se numerum voluit, id quod cœnobiũ à prefecto impetrauit; & quia ad hoc ipsum obtinendum, commendatitijs Florentij litteris iuuabatur; attamen cœnobiarcha, tametsi benè moratum, & ad religionem sectandam esse vidit aptissimum, ad professionem non nisi emenso spatio sex annorum admisit. Cuius rei causam scribit Ascensius ille typographia, & librorum commentarijs nobilis, eiusque hæc ipsa sunt verba: *Siue, quod illa ætas cauebat, quenquam adhuc rerum imperitum, ad ignotarum rerum vota astringere, siue, quod è re adolescentuli* Ascensius.

primarium existimabat, ipsum prius per omnia probare. Hæc ille. Sex igitur annos Thomas Malleolus Campensis in tyrocinio consumpsit, seque cunctis præbuit admirandum. Ac, ne quando regredi posset, voto se nonitius spontè constrinxit. Itaque, cum anno ætatis vndeuigesimo in religiosorum numerum relatus primo esset, vigintiquinque annos natus, professionis solemnia vota nuncupauit. Migrauit è vita, dierum, & sanctitatis plenus, quem etiam miracula patrasse fama vulgauit. Ex quo intelligi illud potest, professionis hanc tarditatem, quam Iesu Societas suo more, institutoque conseruat, insolitam in Dei Ecclesia non fuisse, quippè quæ annis abhinc ducentis, (vt alia prætermittam) esset in vsu, scriptore Iodoco Badio Ascensio in Thomæ vita Campensis, cui est habenda fides, qui in illa vixit ætate, suæque memoriæ viros, homo, vt illis temporibus eruditus, æternitati commendauit. Etsi Thomam, cum alia scripta, tum ille maximè liber ab oblivione vindicat, qui mundi contemptus, inscribitur, in quo perfectum Christi seruum, militemque depingit, atque ita conformat, nihil vt sit, quod amplius philosophia Christiana desideret. In eo, quot verba Thomas, tot fudit oracula, Deo plenus ad scribendum accessit, mentesque solidæ doctrinæ discendæ auidas, sine fastidio saturat, nulloque dicendi apparatu docet, delectat, & mouet.

Iodocus Badius ca. 12.

§. 38.

Ludou. Granat. de symbol fid. pa. 2. sect 10. reg. 4. ca. 5.

LVdouicus Granatensis de symbolo fidei part 2. sect. 10. reg. 4. cap. 5. Sequitur miraculum nostri quidem temporis, sed tantæ tum vetitatis, tum magnitudinis, vt Granatensis Ludouicus grauis nostræ ætatis scriptor, vel hoc vno, si Ethnicus esset, Christiana sacra se susceperum fuisse fateatur: Naamani Syri exemplo, cuius elephantiasim turauerat Helisæus. Vlyssipone nobilissimâ matrona, Catharina Thaldia degebat, eius familiæ domina, quæ, oppidum, villam viridem possessione tenet antiqua. Huic annum propè quartumdecimum agenti, infestus valdè morbus fuit, cuius dolor horribilis, atque iactatio puellã generosam ad mortis limen, aditumque peruexit, adeò vt moribundæ funebre linteum pararetur. In hoc Virginis periculo, domesticorumque dolore, atque luctu, Catharinæ nutrix tam sibi, quam alumnæ metuens (egebat enim, & ex Catharinæ vita pendebat) ad quandam Mariæ sacrosanctæ Virginis ædem citò confugit; ibi collachrymans, & ingemiscens pro Catharinæ vita sanctissimæ parenti supplicauit. Haud irritus miserorum orandæ patronæ labor. Siquidem ad pias (quod credere par est) mulieris ærumnosæ preces inclinante Deipara Virgine, paulatim, ac sensim exanimata, ac pænè mortua, Catharina reuixit; ac melius habere cœpit, cùm menses propè quatuor ægrotasset; & verò morbus, quanquam remissior est factus, tamen eius reliquiæ manserunt; lateris siniſtri sæua paralysis, & brachij tanta mobilitas, vt qui illud firmare vellet, brachium statim ei contremeret. Hæc nouem menses inaudita plaga durauit, quibus optimi quique Vrbis Vlyssiponæ Medici suam artem frustra tentarunt. Interim Catharina ad communem omnium dominam suspiciebat: cuius ope mortis faucibus esset erepta. Mariæ Dei Genitricis beneficia imperfecta non esse, quæ vitam dedisset integram, valetudinem eiusdem esse beneficio, & liberalitate venturam. Itaque ad cœnobium, in eiusdem Catharinæ castello situm, se deferri postulat, cuius cœnobij templum, Deiparæ sacrum Mariæ reliquiarum appellatur. Religiosa domus hæc est, & peregrinorum celebrata concursu, simulatque venit in templum, ac se ante perpetuæ Virginis imaginem supplex,

Helisæus.

Gratia.

& ve-

& venerabunda demisit anum à tergo audiuit, ægroto filio salutem enixè deprecantem, & clementissimæ Reginæ opem, & auxilium intenta supplicatione, magnisque gemitibus, & claritate insolita vocis implorantem. Hinc Catharina suæ precationis sumit exordium. Non equidem dubito, quin mihi medicinam faceres, Virgo sanctissima, si huius vetulæ mihi fides esset; oro supplex, vt quæ remedium dare soles, modum etiam remedij adipiscendi concedas. Hæc, & alia cum pietate, & mentis ardore locuta, misericordiæ parentis dono sanatur; & molestissima illa paralysi, quæ corpus magna ex parte contraxerat, repentè liberatur. Catharinam stupor alienat à sensibus, admiratioque suspendit. Deinde nemine sustentante surrexit à terra, suisque ingressa pedibus, ad matrem Dynastæ, & Comitis vxorem, quæ in templo erat, gaudio turbata, se confert. Matres similis stupor occupauit, quæ verò turba non infrequens (Dominicus enim agebatur dies) in templum, rem diuinam auditura conuenerat, miraculum magnis vocibus acclamauit. Hæc cùm audissent monasterij Patres, rei veritate nullo negotio comperta, immortali Deo, eiusque Matri largissimis, modulatisque vocibus: *Te Deum laudamus*, cecinerunt: die postero castelli sacerdotes publica gratulatione, pompaque miraculum celebrarunt, Catharina pedibus sacrum triumphum celebrante, quam constabat, nouem ipsos menses sine axillari baculo, & fulciente famulo; ne vestigium quidem facere potuisse; & tamen ita conualuit, vt dicere soleat sanitatem, quam Maria sanctissima donauerit, ex calice, ac petra componi, cæmentoque durissimo, qua similitudine firmissimum sanationis genus de manu Virginis ostendebat; cuius argumentum est. Ludouicus ait, Catharinam nunc à templis à matutinæ lucis exordio, ad vi decimam horam, aut non multò secus flexis genibus obdurare solitam, non sedere, non fatigari. In huius porrò beneficij memoriam nobilissima hæc matrona quotannis ipso recuperatæ valetudinis die ferias ad honorem benemeritæ de se Virginis agitat, quas cuncta simul familia concelebrat, atq; à seruilibus vacat operibus; non aliter, atq; in festis diebus fieri à Christianis solet, quos à non ingenuo labore, & à functione famulari immunes fecit Ecclesia. Prodigij testes, Castelli incolæ sunt, villam populari sermone dicimus, matronæ tota domus, & Carmelitani Patres, qui in illo religioso cœnobio sacro iure commorantur. Fama miraculi ex finitimis plagis quàm plurimos euocauit, quibus generosæ Virginis à Virginum Virgine salus, & medicina gratissima fuit; amat enim Deipara sui similes; amat item agnus ille niue candidior, quem Virgines, quocunq; pergat, prosequuntur.

§. 39.

DIscipulus libr. exemplorum Beatæ Virginis. Erat in cœnobio quodam frater quidam Hieron. nomine, pictor optimus, qui assuetus semper Virgini Mariæ statuam omni studio, ac virtute decorare & ornare studebat, & solebat; aduersarij quidem diaboli per contrarium faciebat, turpissimam, deformem, omnique imagini illusiuam, post, in ipsius imaginem irrisiuè spuens. Odiosus ergo his diabolus, cœpit Hieronymum stimulare vehementissimæ luxuriæ libidine: cogitans vendicare se ex perpetrata iniuria; demum apparuit ei diabolus in specie dominæ pulcherrimæ, quæ pollicebatur secum gaudere, si vellet sibi consentire. Et respondit Hieronymus cuncta patrare, si vellet consensum ei præbere; dixit ei domina, tu es loci illius sacrista? at ille, vtique: inquit ista: accipe ergo thesauros, quos sub tuo

Discip lib. exemplo B. Virg. Gratia.

dominio habes, maximè autem auri, & argenti, frangeq; simulq; omnia ponas in sacco, & tunc ad me venies, diu gauisurus. Hieron. autem pollicetur hæc agere, & cùm talia operaretur, cœpit diabolus vociferare: currite Domini, currite Domini, quia Hieronymus prædatur Ecclesiæ thesauros. Cùm verò monachi currerent, & Hieronymum reperissent calices, & crates, & cætera auro, & argento fregisse, admirati sunt valdè, & interrogantes, quidnam esset; volens ratione se tueri, timens ac tremens obmutuit. at illi, quia serò erat, ligauerunt eum ad columnam; diabolus verò ad ipsum veniens, illudebat ei dicēs: nonne es ille, qui me tam deformem depingebas, & in faciem spernebas? quia me illusisti, illusi te, ecce miser assaberis: dic ergo Mariæ tuæ, quam ita pulchram faciebas, vt te nunc adiuuet. Recordatus itaq; Hieron. miserationis Dei Genitricis, toto corde cœpit eam inuocare, vt in tantis afflictionibus dignaretur sibi succurrere: ipsa quidem mater pietatis apparuit ei, & ait: Confortare in Domino Hieronyme, & deinceps constans esto, & caueas tibi ab astutia diaboli, quia te non deseram in his tribulationibus, & statim apprehenso diabolo, ligauit eū ad columnā, soluto Hieronymo. Simul verò à Domino admonitus, hora competenti pulsat matutinum, & accensis lampadibus, & apertis libris, stetit in loco consueto. Venientibus siquidem fratribus, atq; in Ecclesia Hieronymum intuentibus, similiter ad columnam ligatum, mirari maximè; quidnam hoc esset, reperientes sacristani consuetum officium, & Ecclesiæ thesauros solito modo consistentes; euntes ad columnam reperierunt diabolum, quem exposuerunt, eo maximè verberato: at ille stridens, & clamans aufugit. Denique confessus Hieronym. scelus suum, cœpit narrare misericordiam Virginis Mariæ, qualiter sibi misericorditer, & potenter in tali necessitate subuenit.

§. 40. Brugnans.

Discipulus libr. exemplorum beatæ Mariæ Virginis. Quædam Abbatissa, quantum poterat, moniales religiosè gubernans, & ad custodiam disciplinæ coarctans, eas in odium sui de bono studio prouocauit; & instinctu diaboli, occulto Dei iudicio, cum dapifero suo luxuriæ crimen incurrit: at illa grauidam se cognoscens, moniales, vt prius, ad regulam nihilominus astringebat. Vnde contra eam amplius concitatæ, tandem per incessum, & cibum muliebri sagacitate, ab eis pro certo grauidam esse deprehenditur, & statim cum grauissimis accusationibus occultationes tanti criminis Episcopo deferunt. Imminente ergo aduentu Episcopi, Abbatissa in quadam priuata capella, vbi orare solebat, effusa est in lachrymas, beatissimam Virginē deuotissimè deprecans: tandem in oratione paululum soporabat, & tunc Beata Virgo Maria cum duobus Angelis eam alloquitur, & data peccati venia delere citò infamiam illam pollicetur, statimque dixit duobus Angelis, vt eam ab onere prolis exonerarent, & cuidam heremitæ in vicino manenti per septem annos puerum nutriendum offerrent, quo facto liberatam ab opprobrio, monuit, vt caueret deinceps à peccato. Scias tamen (inquit) te prius ab Episcopo multis opprobrijs fatigandam, sed, ne timeas, quia facile pertransibit. Post hæc Episcopus veniens, capitulum intrauit, & Abbatissam venire præcepit, & accedens, contumelijs illam arguens, de capitulo exire compellit; at illa nil timens, imperterrita foris stetit; missis ad eam duobus clericis, vt crimen explorarent, cùm nullum in ea signum grauidationis inuenirent, Episcopus ad pedes eius corruit, veniam petijt, & omnes detractores illius ex monasterio eius citius abire præcepit. Abbatissa verò Episcopo in confessione

Discip. lib. exempl. B. Virginis. Gratia.

sione totum factum narrauit, & ille benedicens Deum ad heremitam duos clericos pro causa pueri inquirenda transmisit. Venerunt ergo, & didicerunt ab illo puerum ista nocte natum, & à duobus iuuenibus ad eum paulò ante delatum, & ex parte beatæ Mariæ fuisse sibi commendatum. Audiens hoc Episcopus, mirabiliter lætus, puerum septem annis nutriẽdum in manu heremitæ dimisit; & ipse puer postea litteris, & vita idoneus, eidem Episcopo in episcopatu successit.

§. 41.

Discip. lib. exempl. Gratia.

DIscipulus lib. exẽplorum B. Virginis. Clericus quidam B. Virgini deuotus, cui cum per Ecclesiam contingeret transitus, cum omni humilitate, & deuotione genuflexus, Angelica salutatione eam honorabat, dicens: Aue Maria: rursus genuflexus: Beatus venter, qui te portauit, Christe, & beata vbera, quæ lactauerunt Dominum, & Saluatorem nostrum. Huic aliquando molestia corporis, & dolor inoleuit, vt linguam, & labia dentibus suis manducaret; idipsum de membris facturus, si permitteretur. Cumque iam lingua, & labijs penitus absumptus, vehementer in alijs membris se læderet, iaceretque horrendus aspectu, ac sensibus corporis exemptus, vidit iuxta lecturi sui caput personam consistere pulchram facie, & reuerendo aspectu, quantum datur intelligi, Angelus eius erat: hic ægroti sui ærumnas plorans, qui in hunc modum lamentari videbatur: Quid (ô domina misericordiæ, fõs pietatis) hoc cine est gratiosè, & gloriosè saluandorum? hęc, quæ est lingua, quæ beatificãdo ventrem, vbera, & partum tuum lõgo vsu ex ardenti affectu salutare sic assidue facta, vt pęnè nihil aliud sonare nosceret in Ecclesia Dei: ô domina, si tu dees tuis, quis aderit suis? non sic, domina, nõ sic: ad nihilum deueniet spes hominum, si in te incipiunt non inuenire refugium. Hæc cum in auribus tantum ægri declamaret, & in eius tantum oculis declararet, apparuit vtique Mater Domini, & quasi satisfaciens de negligentia in seruulum suum, de qua insultabatur, ad lectulum ægri propius accedit, extracto que vbere, visa est protinus mittere in os ægri, & sacri lactis sui rore infuso, subito suæ linguæ integritatem, & labijs antiquum decorem, & in toto eius corpore pristinam restaurauit sanitatem: & surrexit sanus, & incolumis, factamque circa se misericordiam omnibus cœpit prædicare, & postmodum se, & sua Dei seruitio mancipans, de cætero duxit vitam religiosam, & bonam.

§. 42.

Discip. lib. exemplor. Gratia.

DIscipulus lib. exemplor. B. Virginis. Fuit quidam nobilis Theophilus nomine, qui, cum depauperatus fuisset, cœpit desperare, & cogitare, quid faceret. Tandem cogitauit, vt iret ad biuium, & cum diabolo loqueretur, vt ei in rebus mundanis subueniret: quod sic factum est. Diabolus verò, cum precibus Theophili sollicitaretur, vt eũ diuitijs restitueret, quæsiuit à Theophilo, si facere posset, & vellet quæ proponeret. Respondit, quòd vellet, & iurauit: qui veniens, tribus noctibus successiuè, prima nocte, abrenunciabat baptismæ; secũda, suo Creatori; tertia ipsi Matri misericordiæ. Diabolus verò cõsiderans suum affectum, dixit: hanc abiurationem, si per chyrographum scriptum tuo sanguine confirmaueris, & ad me deportaueris, tunc omnia consummata sunt: quod sic factum est. Chyrographũ scriptum est sanguine Theophili, & sigillo diaboli confirmatum est. Contigit die quodam, quòd Theophilus pœnitẽtia ductus, cœpit flere, & cum fletu corã imagine B. Mariæ Virginis se prosterneret, inuocauit B. Virginem Mariam eũ

deuotione: sed B. Virgo Maria semper fuit miseratrix, & benigna: ipsa misereta eius, indulsit, quæ fecerat. Et cũ ipse Theophilus prostratus ante altare, multum fleret, & rogaret imaginem B. Mariæ Virginis; Dei imago, quasi irata, ipsum audire noluit, & faciem vertit ab ipso: quod videns B. Virgo, collocauit filij sui imaginem in altari, & vna cum Theophilo diabolum adijt, & per B. V. reformatus est gratiæ Dei, & chyrographum abrenunciationis, quod diabolo dederat, diabolum reddere præcepit, & sic Theophilus conuersus est, ac tandem peruenit ad gaudia cæli.

§. 43.

Discip. lib. exemplor. *Gratia.*

DIscipulus lib. exemplorũ B. Virginis. Vir quidam per omnia litteratus, & pius, dixit in suis partibus fuisse prædonem, cædeq; inhiantem homini: hic ab inimicis raptus in decliuio montis ibidem decollatur. Delapsis verò Virgo Maria dat contritionem veram, ac confessionem. Caput enim à corpore euulsum valido clamore confessionem petebat; vnde vnus inimicorum pro sacerdote cucurrit. sed sacerdos appropinquare nolait, nec audebat, nisi caput corpori coniungeretur: quo facto cõfessionem audiuit, in cuius fine, sacerdos quæsiuit, cur mori non potuisset: at ille causam miraculi dixit: iuuenis audiui, quemcunque confessionem adipisci ante mortem, qui ob reuerentiam B. Mariæ Virginis quartam feriam, vel sabbatum ieiunaret; & seruaui, nec quicquam alias boni feci; absolutusque spiritum efflauit.

§. 44.

Discip. lib. exemplor. *Gratia.*

DIscipulus li. exemplorum B. Virginis. Quidam pictor diabolum cum cornibus, & cæteris membris (vt turpius poterat) & magis horribilem pinxit: idem verò imaginem beatæ Mariæ Virginis decentem, & ita pulchram (vt potuit) depinxit, diuersis coloribus. De hoc verò diabolus iratus, & inuidens, festinanter accedens ad pictorem, quæsiuit dicens: Cur me, tam horribilem, & deformem, & beatam Virginem Mariam tam pulchram, & decentem depinxisti? qui respondit, quòd ita se res in veritate haberet, sicut facta pictura ostendit. Diabolus verò, iratus, pictorem ab alto, vbi depinxit imaginem beatæ Mariæ Virginis, quadam die voluit præcipitare, confregitq; e ligna, in quibus stabat pictor, qui ad casum petijt: mox imago pijssimæ Virginis pictori manum porrexit, & eum, ne caderet, firmiter retinuit, sicque eum à dæmone custodiuit.

§. 45.

Discip. lib. exemplor. *Gratia.*

DIscipulus li. exemplorum B. Virginis Mariæ. Fuit quidam sacerdos idiota nullam sciens missam, nisi de beata Domina Maria, & cũ de illa quotidie celebraret, & de hoc accusaretur, prohibitus est ab Episcopo, de cætero non celebrare aliquam Missam, qui cum esset in tribulatione, & egeret, beatamque Virginem inuocaret, illa ei apparens, ait: vade ad Episcopum, & dic ei ex parte mea, vt tibi restituat officium tuum; respondente sacerdote, Domina nostra, ego pauper sum, & despecta persona, non me audiet, neque mihi patebit accessus ad eum, Beata Virgo adiunxit: vade, & ego viam tibi præparabo: & ille, ô Domina Virgo Maria, non credet verbis meis; respondit illa: dices ei pro signo, quòd in tali hora, & in tali loco, dum cilicium suum resarciret, ego illud ex parte vna tenebam, adiuuans eum, & statim credet tibi. mane sine impedimento sacerdos intrans ad Episcopum, vt Beatæ Dei Genitricis deferret nuncium, cum ille diceret: vnde credam, te ab ea missum? prædictum signum de cilicio subiunxit: quo audito

Beatus

Beatus Pontifex stupens simul, ac pauens respondit: ecce reddo tibi, vt tantum Missam de Domina nostra Beata Virgine Maria celebres, ac frequentes, & ora pro me semper.

§. 46.

Discip. lib. exempl.

Gratia.

DIscipulus li. exemplorum B. Virginis. In monasterio quodam sanctimonialiū ante multos annos Virgo quædam degebat nomine Beatrix: erat enim corpore speciosa, mēte deuota, & in obsequio Dei genitricis feruentissima: quoties illa spirituales orationes, cum fine veniam secretius offerre potuit, pro maximis delicijs reputauit: facta verò custrix, hæc egit tanto deuotius, quanto liberius: quam clericus quidam videns, & concupiscens, precari cœpit; illa, verba spernēte luxuriæ, istoque tanto importunius instante, serpens antiquus eam vehementer incendit, vt pectus eius flammam amoris ferre non posset. accedens verò ad altare Beatæ Mariæ Virginis, quæ ibi patrona erat, sic ait: Domina, quanto deuotius potui, tibi seruiui, ecce, claues tibi resigno, tentationes carnales diutius sustinere non valeo: positis super altare clauibus, clam secuta est clericum: quam cum miser ille corrupisset, post dies paucos eam abiecit: illa, cum non haberet, vnde viueret, & ad claustrum redire erubesceret, facta est meretrix: in quo vitio, cum publicè annos plurimos transegisset, die quadam in habitu sæculari, ad portam venit monasterij, quæ cum dixisset portariæ: nosti Beatricem, quondam monasterij huius custricem, respōdit optime: est enim domina proba, & sancta, & sine querela, ab infantia vsque in hunc diem in hoc monasterio cōuersata; illa verba ista notans, sed non considerans, dum abire vellet, mater misericordiæ in effigie mulieris ei apparens ait: ego per quindecim annos absentiæ tuæ, officium tuum suppleui; reuertere autem in domum tuam, & pœnitentiam age, quia nullus hominum nouit excessum tuum: in forma siquidem, & habitu illius, Dei genitrix vices egerat custodiæ, quæ mox regressa, quandiu vixit, gratias egit Mariæ Virgini, & per confessionem, circa se gesta manifestauit confessori suo.

§. 47.

Petr. Cluniacensis.

Gratia.

PEtrus Cluniacensis, vir sua ætate, insignis doctrinæ, & pietatis in li. 2. de miraculis, cap. 30. mortē tradit Romanorum fuisse, festum Assumptionis Matris Domini inter vniuersas anni festiuitates præcipuo honore colere. Vnde inter plura deuoti animi sui erga præexcelsam Virginem signa, cereos maximos faciunt, & eos ante paratos, vigilia festiuitatis, ad nominatam Ecclesiam sanctæ Mariæ Maioris deferunt, atque vespertina hora, vel circa accendunt, pondus tamen eorum æqualiter pensarum domi retinent, vt sequenti die, solemni Missa peracta, eos rursus pensantes, quantum de quantitate eorum ignis absumpserit, iudicante statera, cognoscere valeant. Cumque eos die sequenti domum retulerint, & ponderauerint, deprehendunt, idem esse pōdus, atque prius fuit, quod miraculum in ipsa Romana Vrbe, templo præclaro, & non semel, sed annuo recursu fieri solitum expendit hic bonus Pater: ostendit Deus hoc signo, nihil eorum perire, quod in Virginis cultum, & honorem expenditur, sed id est Deo gratum, & acceptum.

§. 48.

Sylua. Razzius. Herc. Vincemala. Gratia.

SYluanus Razzius monachus Camaldulensis cuius opus ex Italico Latinum fecit Hercules Vincemala de miraculis Virginis Mariæ lib. 2. ca. 15. Vir nobilissimus, cuius vxor in Virginis fidem, & clientelam sese dederat, cum

cum nullos haberet liberos, Deum suppliciter obtestatus est, vt prolis dulcia præmia nosse sibi liceret: voti compos, filium ad Christianam disciplinam, & pios mores erudiuit. Iam infans esse desierat, cum ab alijs pueris floribus, & rosis serta contexi videt, idem ipse facere, illisq; cum magna pietate Virginei cuiusdam simulachri frontem exornare, neque vllum vnquam diem intermittere. Natu grandiorem parentes matrimonij vinculis impedire cupiebant; at ipse, qui Deo, eiusque matri, virginitatem suam intactam (quod aiunt) integramque seruaturum se voto promiserat, in cœnobium migrauit eorum, qui sanctum Brunonem sequuntur authorem, vbi quotidiè magis, magisque proficiens, firmiora in dies sanctitatis fundamenta iaciebat. Quòd verò neque in illam vitæ rationem conueniens esset, neque flores, & rosas hyems dura progigneret, institutum coronandæ Virginis intermitti oportuit; aliud tamen pro re, ac tempore, consilio sui moderatoris, remedium iniuit, qui (vt alij scribũt) tacente Syluano, huic, adhuc nouitio, quod rosæ in promptu non essent, paranti recessum, desperantique Virginis caput à se redimiri iam posse, saluti fuit, monens, vt pro rosis, quinquagenas salutationes offerat Angelicas, ac denis quibusque Dominicam subijceret precationem: eam coronam Deiparæ fore gratiorem: paret, obtemperatque nouitius, manendi iam certus, & florum vice, ex Christi oratione, & Angeli Gabrielis alloquio, rosea, floridaque serta virgineo capiti quotidie componebat: progrediente cum ipso tempore huius religiosi virtute, factus est cuiusdam illius familiæ Præfectus, ac Rector. Pro muneris autem necessitate commissi, faciendum iter aliquando fuit, eundumque peregrè satis. Ex obliuione tamen, obruentibus animum curis, piam illam quinquagies, vt multi, centies, vt Syluanus scribit, salutandæ Virginis consuetudinem, diem vnum intermisit, cumq; in vastam syluam ingressus, sue memor incuriæ, ad salutandam de more Virginem, à socijs disiunctus secessisset, repẽte latro erupit à latebris, qui precanti monacho manibus iniectis, equum, resque omnes ademit, vitam etiam hausturus, nisi Virginis misericordia imminens periculum depulisset. Iam latro telum intenderat, vt inermem occideret, cum puer formosus interuenit, qui ex monachi ore prodeuntes centum rosas collegit, ex quibus contextam coronam cum suo capiti imposuisset, in cælum reuolauit. Id vbi latro animaduertit, & homicida nefarius, ad Præfecti se pedes abiecit, & ijs, quæ puer ille cælestis egisset, singillatim expositis, veniam postulauit: quin & excursor ipse eidem se & instituto, & cœnobio libenter addixit, & reliquam vitæ partem cum sanctitate traduxit. Hæc ita Syluanus Vincemala Mediolanensi causidico interprete: qui in huius libri procœmio ingens se animi lucrum reportasse scribit ex peregrinatione Lauretana. sed si Dominicanis quibusdam Rosarij scriptoribus credimus, non vnus tantum latro fuit, sed multi, & molitores facinoris, & miraculi testes. Neq; Carthusiano huic Priori manus illata, ademptumue aliquid, procul venientem, quod est credibilius, explorarunt, secedentem à socijs, obseruarunt, vbi precari genibus inflexis cœpisset, formosissimam adstitisse matronam, quæ ex monachi psallentis ore, tot albas rosas educeret, quot ille salutationes recitaret Angelicas, candidam ex denis quamque, rubicunda vna sequente, quæ Dominicæ precationis index esset. Ex vtrisque ab illa pulcherrima Virginem coronam esse contextam: vbi capiti imposuisset, subito esse delapsam. Latrones viso exterritos ad Priorem supplices adijsse, de Virgine illa percontantibus, nihil se scire dixisse. Tũ à latronibus expositam ex ordine visionis historiam, infudisseque in omnium animis,

Vincemal.

animis, Deiparam fuisse cælestem, quæ suum viatorem defendere voluisset. Illo ex tempore Rosarium latronibus cordi esse cœpisse, rapere, & occidere desiisse. Hanc esse suspicor antiquam historiam minimè falsam, sed vetustate semesam, vt scriptorum discrepantia demonstrat, fierique potest, vt hoc factum, & antiqua nimis rei verisimilis pictura Rosario nomen dederit, quòd in Benedicti nouum familia natum Dimus Dominicus, (vt diximus) adoptauit.

§. 49.

Sur. in vita S. Rober. primi Abb.

SVrius in vita sancti Roberti primi Abbatis Molismensis, & Cisterciensis, Molismensis ædes à Roberto ædificata, Mariæ Virginis auspicijs, cuius patrona erat, multis, magnisque prodigijs in dies clarescebat. Ex quibus pauca quædam ad lectoris vtilitatem, iucunditatemque narrabimus.

Gratia.

Delectat enim vtile dulci miscere, neque tamē Horatiana nobis puncta sunt tanti. Mulier quædam obnoxia comitiali morbo, graui insuper inopia premebatur. Huic in mentem venit, Molismense templum adire, quod post Roberti obitum, multò, quàm antea, nobilius, & celebrius fama miraculorum, frequentiaque reddiderat. Igitur duobus filiolis adhibitis, altero lactente, altero paulò grandiore, sese dedit itineri. Sole autem inclināte, ad quoddam peruenit cœnobium, cuius monachi peregrinantes fœminas, vel quomodolibet adeuntes, ex ipsis monasterij finibus repellebant, quòd ea esset à conditore lata lex, castitatis amatori. Ita mulier iussa recedere, in deserto nemore pernoctauit: ibi diuina prouidente manu ignem langue scentem à sopitis cineribus, quos effenderat, excitauit; cuius opportunitate, cæli, ac tenebrarum tulit iniurias. Intempesta nocte, ecce ibi lupus intercucnit, viso pia mater, fronti crucis salutiferæ signum imprimit, seque, & suos filios Deo, beatissimæ Virgini, sanctoque Roberto sollicita religione commēdat: paulò post, infesto illo morbo corripitur, qui & sensum eripit, & corpus ad terrā affligit, ex quo à multis caducus appellatur; qua velut captata occasione, lupus rapto minore puerulo, sese fugæ mandauit, vbi remisso morbo mulier, quasi à morte reuocata, surrexit, infantem puerum, quem suo stringebat amplexu, requisiuit, puero grandiore, qui vnus restabat, casum nunciante, in maximos luctus incidit, atque inter plorandum, has voces iterabat: redde mihi depositum, Maria benignissima, tu quoque restitue Pater Molismensis. hæc subinde vociferanti, bellua suæ feritatis oblita, puerum sanum, saluumque restituit, inque pueruli, pusioniscque dorso, dentium lupinorum impressa signa, miraculum, miraculique fidem ampliarunt.

Gratia.

Altera mulier, negotiorum causa, foras egressa, puerum reliquit in cunis dormientem; cumque subito casu domus arderet, nullaque succurrentium remedia proficerent, diligentiam incendio superante, mater reuersa, flammæque testis omnia comburentis, hæc gemens iterabat: esto clypeus à facie ignis deuorantis, Domina Molismensis: aduolat tandem ad incunabula, parens vterque, difficili aditu vel ipsos deflagrati infantuli cineres loco magni muneris habiturus. Res mira, sed Mariam Deiparam appellantibus cōsuetam, repertus infans, flammis arridens, & cunis in cinerem redactis, in solum puerulum flamma non sæuijt.

Gratia.

Tertia narranda historia est, & lector salubriter oblectandus. Niuernensis Domina, potens in primis, nobilisque matrona, monile perdiderat, gemmis, vnionibusque distinctum; quod tamen diligentissimè perquisitum inuenire non poterat. Cum verò admonitu illorum, quæ in Molismensi suo templo Deipara

sactitarat, in beatissimæ Dei matris, & Roberti fundatoris honorem cereum accendisset preciosum, illud monile reperit, seque gratam beneficentissimæ Virgini continuò præstitit, quæ & hominum fida custos esset, & rerum. Ecce B. Virgo pia adeo, vt nescias, an magis commendandam, quod in minimis subueniat, quam quod in arduis, & grauioribus opituletur.

§. 50.

Syluan. Raz. de mirac. B. Virg.

Gratia.

SYluanus Razzius de miraculis B. Virginis lib. 1. miraculo 12. frater Moreus Olysiponensis in suo chronico 3. par. lib. 5. cap. 1. & seq. & Petrus Galetinus protonotarius Apostolicus de vita sancti Didaci. Didacus ille sapiens, & sanctus idiota, quem in cælitum numerum Sixtus, hoc nomine quintus, retulit, vnus fuit ex claris Deiparæ amantibus, cuius in peruigilijs, sabbathisq; omnibus, panis, & aquæ ieiunium tolerauit, & lampadis oleo (quæ lampas in Virginis ara lucebat) quoscunque vnxisset, sanabat ægrotos. Hyspali in mulierem incidit vociferantem; nam furnus, vbi se eius quidam filius absconderat, à pistore prudenter incensus, non poterat non filio esse funestus. Itaque mulier dolore insana, vocibus, & querelis omnia complebat. Didacus mulieris misertus, ei mandat, vti curriculo ad primarium templum eat, seque ante Dei genitricis imaginem, cui erat Antiquæ cognomen, gemebunda prosternat, fore, vt quæ benignitate est, filio incensis lignis oppressæ subueniat: paret bona mulier, præscriptaque perficit, sicque Dei admiranda, venerandaque genitrix filium mulieris extraxit illæsum. Peruulgato tanto miraculo, creuit in Deiparam amor ciuitatis, & illi imagini, cui nomē erat Antiquæ, præcipuus honor est habitus; vbi postea multa sunt patrata miracula, nobilitandæque imaginis in Vrbe tam celebri, Didacus fuit, aut ex primis, aut primus interpres. Cuius ex Baticanis ad Calycos est propagata religio per Rodericum Castrensem Hyspalis Antistitem, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, qui Collegij societatis Iesu, quod Monfortij insigne cōstituit, templum ipsum nostræ omnium Dominæ Antiquæ titulo, & aduocatione decorauit.

Non tacebo, ait Bonifacius, de miraculis B. Virginis, quod cuidam euenit, mirabile quidem, memoratuque dignissimum. Didici ex litteris, quas ad Patrē Prouincialem Mōtemaiorem Pater Didacus Garsias, qui illo erat tempore Monfortiensis Collegij Rector, misit, quem ego testem plurimi facio. Historiam nos alibi Latinam fecimus, verbaque ipsa repetimus. Quidam ex nostris domesticis, cum decisis negotijs, quorū causa erat à suo Rectore missus, domum rediret, in altum flumen deuenit, quod sine lintre transmitti non solet, Sylin accolæ vocant. Cumque cymbæ gubernator abesset, ratus noster hic, famulo adiuuante, qui comites omnes erant itineris, cymbam se commodè esse recturum, fluuio sese non magis cautè, quàm animosè commisit, sed vbi ad medium ventum est amnem, vbi aquarum impetus vehemētior erat, frater, & famulus, licet validè remum impellerent, tamen vortice aquarum instabilem cymbam rapiente, victi, superatiq; cesserunt, fratris nostri comes nauigatione desperata, sese proiecit in flumen, beneq; vertit, quandoquidem paulo post fœliciter enatauit: noster, ne, quod extremum videbatur esse remediū, nimis cito tētaret, in lintre remansit, quæ præceps ferebatur. Enimuerò, cum se altæ cuidam decliuitati, quam efficit vnda; precipitans, duabus in imum gurgitem lanceis, vicinum videret esse, & aquæ cadentis horrendo strepitu aures ipsæ obsurdescèrent, periculo attonitus, se cruce signat; & clara voce pronunciat: Adsis mihi

Virgo

Virgo Maria, cui Antiquæ cognomen. Ita videlicet Dei matrem appellauit, quam sciebat nostri Collegij Monfortiensis esse patronam; & templum in eius esse tutela ex fundatoris voluntate, cum Antiquæ vsitato, tũ Hyspali, tum alijs in locis cognomento. Etenim Cardinalis Rodericus à Castro Deiparam sanctissimam præcipua quadam religione veneratus est. Semper igitur in grauissimo vitæ discrimine fratri nostro bono artifici opitulatus est Christus, matre Virgine deprecante. Nam per salutem illam, aquarum cymba illæso vectore descendit, nec in scopulos impegit, qui & multi, & asperi aquam ex alto labentem resilire cogebant, & spumosos fluctus resistendo frangebant, & cum longo iam spatio temporis fluuium vbique torrentem linter errabunda sulcaret, quassata, & fatiscens in imo fundo subsedit. Frater non ignarus omnium, quibus erat perfunctus, illud grauissimum esse periculum, Virginem, cõmunem aduocatam inuocare non desinit, alteraque manu strenuè natantis muli frenum premens, altera remum nando, atque adnitendo, ad exoptatam ripam euasit incolumis, non sine stupore multorum, qui à terra, ipsi, quem iuuare nõ poterant, miserati, fausta, & fœlicia precabantur, & ancipitem nostri artificis inter vndas viam, Deo, cui nihil est arduum, commendabant. Virginis adauxit res tanta illis in terris pietatem; cuius se fama dilatauit. Quis enim non miraretur, in tam lõga iactatione (nam passuum sex millia per aquas emensa) nostrum sanum, & valentem suis esse fratribus restitutum? Ita Dei sanctissima genitrix igni in puero, aqua in nostro viro mirandæ fuit sospitatis effectrix.

§. 51.

Aug. Mann. in hist. rer. memorabil. in Eccl. Dei gestar. cap. 74. Gratia.

AVgustinus Mannus in historia rerum memorabilium, in Ecclesia Dei, gestarum cap. 74. In quodam Romanæ prouinciæ oppido, multi ex ciuibus odio se prosequebantur, inimicitiarum gratia. inter cæteros autem erat ibi quidam nomine Horatius, qui multorum sibi odia concitauerat, præsertim, cum quibusdam factiosis, & ab oppido proscriptis grauissimas gerebat inimicitias, nil aliud illis quærentibus, quàm eius fundere sanguinem. Habebat hic fratrem, qui appellabatur Mutius, vir bonus, & pacis amator, qui cum religioso viro ordinis Capuccinorum, qui eo tempore in oppido concionabatur, multa erat cõsuetudine coniunctus. Hic sæpè concionatori referebat, quot molestias, & dispendia, & pericula propter fratrem suum pateretur: cõcionator autem consolabatur eum, & hortabatur, vt sub tutelam, & patrocinium B. Virginis Mariæ confugeret, quæ semper & omnes, qui ad eius auxilium se conferunt, protegit, & valida defensione tuetur; & contra hostes virtutem præbet, quod innumerabilibus experientijs omni tempore probatum est; docebatque illum, vt hanc cælorum Reginam diligeret, vigilaret ad fores eius, & ad aures oraret, vt inueniret salutem, & gratiam, & consueesceret sæpius in die hoc modo compellare illam: Sub tuum præsidium confugimus sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa, & benedicta.

Sub tuum præsidium.

Quæ quidem omnia si facere non recusasset, certo futurum esse, (dicebat ille) vt re ipsa adiutricem manum experiretur, & videret, quam sit verum ipsam esse gratia plenam, aut, cum opus fuerit, & lapsos erigat, & labentes sustentet, ne cadant, omnesq; eius patrocinium sentiant, qui eam diligunt, & eius commemorationem celebrant. Secutus est iuuenis consilium admonentis, & quanto maiore poterat cordis ardore orabat, & sæpius in die antiphonam: *Sub tuum præsidium confugimus.* ingeminabat.

Contigit autem, vt prima quadrageſimæ hebdomada hoſtes ſupradicti, qui Horatium, & propter Horatium, Mutium etiam perſequebantur, facerent cuniculos igniuomos ſubterraneos ſubtus Horatij, & Mutij domum, vt ex illis ignis erumpens, domum, & habitatores euerteret. Sed Virgo miſericordiæ ſuæ memor, deuotum Mutij animum reſpiciens, ab imminenti ruina Mutium, & domum ſuam eripuit. Nam inſidiator ignis, totam domum ſubuerſurus, modicam tãtum cuiuſdam parietis partem nocturno tempore diſiecit, ita vt aliqui tantum lapides, & calcis fragmenta dum caderent, iuxta cubicula peruenerint, vbi viri, & mulieres, & tota domus familia dormiebat; vt appareret, quantam ignis ruinã afferre potuiſſet, ſi prohibitus deſuper non fuiſſet, & vt inimica fraus appareret, ſed nõ noceret. Cum autem craſtina fuiſſet hora, trepidi omnes ad Eccleſiam acceſſerunt, ideſt, ad agendas gratias. Mutius autem confeſtim ad concionatorem feſtinans, narrauit illi, quanta feciſſet Virgo beata pro ſua, ſuæq; domus incolumitate. Quamobrem concionator iterum hortatus eſt illum, vt in deuotione beatæ Virginis totus eſſet; antiphonam illam ſæpius in die frequentans: ita enim futurum eſſe, vt inimici eius præualere nulla ratione poſſent contra illum; qui tam fortem haberet patronam, & terribilem, vt caſtrorum aciem ordinatam.

Pauci dies pertranſierant, quando Mutius forte fortuna venerat iuxta quendam lacum, ibique ſubſtiterat, vt ferream fiſtulam concinnaret, cui iam rotam extraxerat: oculos autem cõuertens, conſpicit fratris ſui inimicos amaro animo aduerſus ipſum properantes, & pedes velociter conuertentes ad effundendum ſanguinem eius; conſpirauerant enim, vt eum trucidarent; quos, vt vidit, vt fugeret manus eorũ, ingreſſus eſt in nauiculã, quam iuxta litus paratam inuenit; dum autem remis eã impelleret, ſupradictã orationem: *Sub tuum præſidium confugimus*, coram beata Virgine, dicere non ceſſabat; hoſtes autem in littore ſtantes, contra fugientem, plumbeas glandes à ferra fiſtula, ignis vi emiſſas iaculabantur; percuſſit plumbeus globus peram, quam Mutius geſtabat, ſenſit ille ictum, ſed quoniam plumbi laminam habebat in pera, ex qua globulos facere ſolebat, ictus non penetrauit. Ipſe autem eò fidentius in oratione perſeuerans, commendabat ſuam beatæ Virgini ſalutem, & antiphonam ingeminabat: orabat ipſe: ignea tela contra ipſum contorquebant illi, ipſe pulſabat cælum, illi feriebant viſcera eius. Mirabile dictu, ignei globuli crebris ictibus pallium, ſagum, & ſubuculæ manicas vbique perforauerant, & tamẽ carnem eius tangere, aut aliquo modo lædere non potuerunt. Interim ipſe remis cymbam propellens, ab oculis inimicorum longius receſſit, & elapſus eſt, beata Virgine protegente; quoniam bona, quoniam pia, quoniam in ſæculum gratiæ, & miſericordiæ eius.

§. 52.

IDem author eodem lib. cap. 79. In Hiſpania in Cantabriæ Regno, in quadam Ciuitate, erat templum inſigne Virgini Mariæ Matri Ieſu Chriſti dedicatum, in quo ipſa gratiarum diuinarum indeficiens fons innumerabiles gratias in vſum mortalium profundebat. Eſt in dicta Eccleſia elegantiſſima beatæ Virginis imago, anaglyphicum opus, ornata omni lapide pretioſo, habens argenteas in pedibus crepidas pretioſiſſimas: erat autem in regionibus illis vir quidam ſatis probus, & erga beatam Virginem deuotus; qui in paupertate conſtitutus, & nihil habens in bonis, filios, filiaſque ſuas, & reliquam domus ſuæ familiam præ paupertate alere non poterat.

Idem auth. cap. 79. Gratia.

Cor-

Consueuerat hic frequenter ante prędictam imaginem orare, & omni studio seipsum, & familiam suam sanctissimæ Virgini in cœlis regnanti, commendare; ostendebatq; ei, quæ misericordiæ mater est, quantæ essent familiæ suæ necessitates, quantæ essent ipsius Virginis gratiæ, quibus plena semper fuit, semperque erit. Contigit autem quodam tempore, vt graui necessitate premeretur, ita vt Familiola sua pænè fame periret. Cùm autem non haberet, ad quem confugeret, confugit ad eam, quæ est adiutrix inopum, & refugium pauperum. Venit igitur in dictam Ecclesiam, & genua flectēs ante dictam imaginem, fidenti animo, humili oratione, cœlestem Reginam obsecrauit, vt misericordes oculos ad ipsum conuerteret, & misereretur familiæ suæ, in extrema inopia constitutæ; neque pateretur, aut fame omnes mori, aut filias suas necessitate compulsas, corporis pudicitiam quæstui exponere; eodemque tempore honoris, & animæ iacturam facere. Cū sicut orasset, videt, ecce, imaginem illam alterum extendere pedem, & crepidam argenteam proijcere in terram ante faciem ipsius, gestibusque blandis inuitare eum, vt argentum acciperet, venderet, & de pretio esurientem familiam sustentaret. Accepit ille magnificum munus libens, & gratias agens, profectus est ad aurificem, vt venderet eam; sed artifex certo credens, hominem illum argenteam crepidam sacrilega manu suffuratum fuisse, rem ad iudicem detulit, cuius mandato captus pauper, & in carcerem coniectus, & interrogatus, cùm innocentiam suam probare nō posset, condemnatus est, vt more latronum, vitā suspendio terminaret. Cùmque duceretur ad carnificinam, & per viam, vbi B. Virginis manebat Ecclesia, in qua crepidam furatus credebatur, lachrymans, rogauit milites ducentes illum, vt saltem permitterent ei, vt in hac hora mortis suæ, ingrediens Ecclesiam, oraret aliquantulum ante Virginis imaginem quod cùm ei concessum fuisset, ante imaginem prostratus, & lachrymis rigans pauimentum, hęc orauit, audiente turba: ô Dei Mater, ecce, vt vides, ducor ad mortem opprobrio plenam propter amorem erga me tuum, propter amorem erga te meum: dum enim te sperans, & te diligens, necessitates meas tibi notas facio, & tu mei miserans, mihi compatiens, denudasti pedē tuum, vt meam tegeres nuditatem. en morior, & quod largita est ad vitam, operatur ad mortem; sed nunc, Virgo potentissima, accinge te, & defende me, ostende tuam potentiam, & meam innocentiam, eripe animam meam de manu angustiæ, quoniam circumdederunt me dolorēs mortis, & non est, qui adiuuet, tibi derelictus est pauper, misero tu eris adiutrix, ne ergo confundas me ab expectatione mea.

Dum hæc miserabilis vir in conspectu astantis turbæ loqueretur, ecce iterum imago illa Virginis alterum pedem ad tradendam alteram argenteam crepidam, exporrexit, quæ cecidit ante pauperem virum, vt oblato secundo munere, primum confirmaretur, & ex noua, & euidenti beneficentia pauperis hominis omnibus appareret innocentia. Sed populus, qui conuenerat, & viderat prodigium magnum, incepit acclamare, vt liberaretur, & à militibus ad Gubernatorem deductus, liberatus fuit. Ciuitatis verò illius communitas hæc audiēs, & admirans, quod factum fuerat, nubiles pauperis filias dotauit, & nuptui tradidit, certumque prouentum pauperi constituit, vt reliquam familiam alere posset, & viueret. Verùm ipse tam excellentis gratiæ memor, omnibus diebus vitæ suæ propter B. Virginis amorem illi Ecclesiæ deseruire voluit. Referebat hæc Sacerdos Hispanus, ob probitatem suam fide dignus, qui asserebat, se miraculum vidisse: erat enim ex illa ciuitate oriundus, vbi miraculum factū est.

§. 53.

Idem.

Gratia.

IDem eodem libro cap. 80. Quædam mulier satis formosa, vitam meretriciam in Vrbe viuebat, quæ cum singulis diebus peccare non vereretur, sabbathi tamen diem propter B. Virginis amorem nunquam se violaturam fornicando proposuerat, quod cùm diu inuiolabiliter obseruasset, & multis procaciter sollicitantibus semper constantius restitisset, B. Virgo misericordiæ mater, inter media mulieris peccata illius, qualemcunque animi deuotionem non contempsit, sed illi odium peccandi, à Deo impetrauit. Vnde mulier, vt nec sabbatho, nec aliquo die peccare posset, monasterium Conuersarum meretricum ingredi deliberauit, & cum dotem quæ monasterio dari ab ingredientibus consueuerat, non haberet, ingressum retardabat. Interim ingreditur ad eam vir natione Anglus, qui cum illam rogaret, vt libidini eius obsequeretur, & esset sabbathi dies, negauit illa, se vnquam die illa peccaturam; imò se, vt nullo tempore Deum offenderet, constituisse religiosam vitam in monasterio Conuersarum acturam, sed plurimum tristari, id se quàm primum facere non posse, cùm satis dotis non haberet. Quod cùm ille audiuisset, quanquam libidine feruens, pietate motus, mulieris animum laudans, spopondit, se se quicquid ei deesset, libenter daturum; si propositum adimplere vellet. Accepit illa viri fidē, & obtinens ab eo aureos quotquot habebat necessarios, religionis habitum, & professionem suscepit anno millesimo sexcentesimo primo in mense Iunij.

Mirum est, quantum peccatoribus suffragantur aliquæ deuotiones in Virginis honorem factæ.

* * *

§. 54.

Idem eodem lib. cap 89.

Gratia.

IDem eodem lib. ca. 89. refert ex Turselin. lib. 3. histor. cap. 18. hæc, quæ sequuntur. Non est, qui se abscondat à calore gratiarum Virginis huius: vndiq; enim fluunt, ita vt nec barbari ipsi Beatæ Virginis opis expertes fuerint. Corcutus Turcarum prætor (Bassam ipsi vocant) anno 1552. Constantinopoli cùm esset, ex graui, occultoque pectoris apostemate, ad extremum venerat vitæ discrimen: apud eum seruitutem seruiebat quidam Christianus, vir bonus, ac pius, qui Domini periculum sue libertatis occasionem ratus, prætorem adit moribundum, & de Beatæ Mariæ Lauretanæ mirabili vi in morbis cuiusque generis depellendis edoctum, bonæ implet spei. Igitur haud ægrè eum impulit, vt secum Lauretanam Virginem inuocaret, vouens, si morbum depulisset, se in eius gratiam illi seruo libertatem daturum. Nec seruus Dominum, nec Maria pium seruum fefellit, protinus dirupto apostemate, prætor sanatur, & extitit ab eo quoque fides. Extemplo seruum illum libertate donatum cum litteris, ac muneribus Lauretum ad Virginem destinat, munera fuerunt mantile egregio opere, ingentes cerei, argenti vis non parua, arcus, & pharetra præclara, cum sagittis, non tam pretio, quàm donorum nouitate, donantisq; admiratione grata, & accepta. Erat illa tempestate Laureti Præses, Gaspar Doctus Venetus: is cæteris donis super aram positis, arcum, pharetramque suspendi in sacrosanctæ Cellæ vestibulo iussit, rei ad posteros monumentum. attulerat is, quæ dixi, Bassæ libertus, miraculi testimonium, chyrographum patroni sui; quod Gaspar ex Arabico in Vernaculam linguam conuersum, ad posteritatis memoriam asseruari voluit. id autem Latinè versum erat huiusmodi: [Quod bonum, fortunatumq; nobis esse velit magnus, ac misericors

fericors mundi Dominus. Cùm mihi ipsi diuinitus quiddā euenerit, ego Corcut Bassa, ne meo desim officio, tantæque rei monumentum aliquod posteris extet, rem omnem ordine ponam: ortum erat atrox apostema nobis in pectore, iamq; haud dubium imminebat exitium, cùm desperata à medicis salute, meus me seruus adijt, & sanè fidenter: si mihi libertatem polliceris, (inquit) Dei mei matrem exorabo, vt pristinam tibi restituat valetudinem. Itaque ego confestim, accersito tabellione, libertatem ei repromisi, si ipse promissa præstaret: extemplo seruus positis humi genibus, & quædam super se signa ducens manu, rogitat, vt semet verbo præeuntem sequar. inde ipse præire his verbis cœpit: Ego Beatæ Mariæ Lauretanæ opem imploro: monenti obsecutus, triduo post, Deo fauente, conualui, & seruo in libertatem vindicato, hoc chyrographum dedi cum votiuis donis, quæ meæ obseruantiæ, gratiq; animi monumenta sint, B Mariæ præpotentis Dei, qui nos saluos velit.]

§. 55.

Ferdinan. à Castell. Ordin. Præd.

FErdinādus à Castello Ordinis Prædicatorum in historia generali S. Dominici, & Ordinis eius part. 1. lib. 2. cap. 72. AEgidius quidam, natione Lusitanus, natus est ex parente nobili, qui erat Consiliarius Regis Don Sancij, & Gubernator Colimbriæ: huius viri vitæ progressus extitit per omnia singularis. dum enim adhuc adolescens esset, diligentia sua factus clericus, tres obtinuit Canonicatus, sed non vt clericus, qui in sortem Domini se dedit, viuebat; suscepit enim vitæ genus ab omni honestate, & virtute alienum, ita vt omnium oculos præ turpitudine offenderet: quicquid autem ex prouentibus eius comparabat, totum in illis rebus consumebat, quæ diuitibus, otiosisque adolescentibus amabiles esse solent, quando proprijs affectibus, & immoderatis passionibus trahuntur: Interim tamen Logicæ, Philosophiæ, & medicinæ operam dedit, in qua tanta attentione, & animi curiositate se habebat, quantam habere potest anima inquieta, sicut anima eius erat. Huiusmodi autem curiositas discendi, fuit sibi multorum malorum occasio: quapropter è Lusitania discedens, ad famosissimam Parisiorum Academiam proficisci decreuit. Dæmon hanc occasionem accepit, vt iuuenem hunc funditus perderet, persuasitque ei, vt necromantiæ artem addisceret, quæ eo tempore (sicut ferebatur) Toleti in obscura quadam, & secreta spelunca docebatur. Cumque animo suo magna euolueret, arbitrareturque hac via posse se consequi multa, quæ animo suo arriderent, dæmon, qui huiusmodi phantasias suggerebat, apparuit ei in via in similitudinem viatoris, & post multos sermones, tanta ei familiaritate coniunctus est, vt iuuenis non timuerit ei enarrare animi sui cogitationes, seque proficisci Parisios, vt egregius medicus euaderet: quæ cùm audiuisset dæmon, aliam scientiam, inquit, tibi proficuam, atque perutilem indicabo, quam si didiceris, futurum est, vt animos omnium ad te diligendum conuertas; atque etiam opes, ac facultates aliorum acquiras, & indulgere voluptatibus possis, quotquot mundus habet. Cùm enim iuuenis sis, atque nobilis, nunc tempus est, vt vitæ genus suscipias periucundum, ex quo gloriam, & honorem in mundo recipias, id quod medicinæ operam dando, & curis ægrotorum incumbens, consequi non poteris. Idque eo libentius facere debes, quò si scientiam, de qua tibi loquor, didiceris, non solùm habebis, quod à me tibi dictum est, sed arcana medicinæ admiranda intelliges: hæc autem est necromantia, quæ, præterquam quod maiorem fructum

Gratia.

affert,

affert, facilius etiam addiscitur. Iuuenis ea, quæ à simulato comite dicebantur, multa animi sui voluptate audiuit, tanquam ille, qui cùm minus cogitaret, visus est sibi ipsi vltrò offerri, quod tantopere desiderabat. Igitur ambo iter arripuerunt, vt ad eum locum peruenirent, vbi illa ars docebatur. Cumque Toleto appropinquarent, obuiam habuerunt ministros quosdam, hominum specie ex inferno profectos, qui expectabant eos, à quibus benignè, & læto vultu excepti sunt, multis amicitiæ significationibus. Deinde secreta sollicitudine, iuuenem ad antrum quoddam perduxerunt, vbi facultas hæc diabolica docebatur, in quam cùm ingressi fuissent, audiuit iuuenis, quas conditiones obseruare deberent, quicunque admitterentur ad magna illa arcana perdiscenda: prima autem erat, vt relicta lege diuina, subijceretur penitus imperio, & dominio docentis dæmonis, qui scientiæ illius ordinarius erat magister. Secunda autem erat, vt fidem denegaret, & baptisma. Tertia, vt chyrographum scriberet atramento sanguinis sui; in quo dæmoni se inseruiturum polliceretur. Iuuenis, qui nihil cogitabat, nisi quod volebat, & duce sensu res agebat, factus fuerat suorum affectuum, & voluptatum infelix mancipium, propter infanda vitia sua à Deo derelictus, & datus in reprobum sensum, consensit omnibus, quæ dicebantur: scripsit proprio sanguine chyrographum, seque in potestatem dæmonis dedit. sed Deus, qui ex terra fœculenta nouit extrahere thesauros, in perditissimo iuuene ostendit misericordias suas; ne corripiens eum, vt vltionem exercens, in media peccatorum colluuie, sicut contra alios ex socijs eius fecerat, quos dum relinqueret, morti tradidit, sed mores eius sustinuit vsque ad præfinitum tempus: exactis illis annis, iterum cogitauit Parisios proficisci, vt ibi Doctoratus lauream susciperet in facultate medicinæ, quod postea, relicta diabolica schola, executus est. Contigit autem, vt medicinæ, & necromantiæ arte functus, breui temporis spatio famosus euaderet, viuebatq; interim secundùm cordis sui concupiscentias. Cumque hoc modo in hac miseria perseueraret, Deus de Cœlo prospexit, & sicut moris est eius, misericordia motus, ex inextricabilibus laqueis eum eruere voluit. res autem hoc modo gesta est. Quadam die, cùm solus domi suæ in bibliotheca sua permaneret, apparuit ei fortissimus eques, & ferox, aspectuque terribilis, qui super equum ferum sedens, lanceam, quam in manu gestabat, contra eum conuertit, vt eum percuteret; terribilique voce insurrexit in eum, dicens: muta scelestè, muta scelestè mores. hoc viso spectro, AEgidius obriguit, & perterrefactus est. sed, vt qui erat infixus in vitiorum profundo, & ebrius in iniquitatibus suis, proprijsque inuolutus peccatis, paulò post ab animo eius timor ille discessit, non considerans, quid terribilis illa admonitio portenderet: quousque tribus diebus præteritis, eodem loco, & modo apparuit ei tremendus ille eques, qui sibi prius apparuerat magis indignatus, quàm prius, qui furore plenus, eadem verba profatus est: scelestè, muta scelestè statum tuum, muta vitam tuam: cui AEgidius territus, erraui, inquit, tibi, Domine, non obtemperans, cùm me prius admonuisses: nunc faciam, quod iubes: tunc eques illa lancea pectus eius percussit, non vt ferret, & occideret, sed vt sanaret, & vitam daret: illius enim ictus virtus peruenit ad cor eius, tantaq; virtute, eum commutauit, vt amplius non esset, qui fuerat, deindeque eques amplius non apparuit. Iuuenis nullam moram traxit, vt responderet supremæ vocationi, & quanquam tunc quartana febre laboraret, Lusitaniam versus profectus est, vt in antiqua religione se constitueret, vbi peccatorum suorum pœnitentiam agere posset. Cùm autem vi-

riorem Hesperiam perambulasset, vesperè peruenit Palentiam: forte fortuna audiuit in hac Ciuitate fabricari Monasterium Fratribus noui Ordinis Prædicatorum. quapropter, propter famam sanctitatis, quæ de illis Patribus vbique percrebuerat, priusquam vlterius progrederetur, Patres illos visitare decreuit, quos occupatos, & fractos laboribus ædificationis inuenit: vidensq; illos portare lateres, & calcem, ligna, & ferramenta pro fabrica construenda, ac si mercede conducti essent, quidem illum adamauit, persuasus præcipuè tantæ humilitatis exemplo: sequenti die allocutus est Monasterij Priorem, cui etiam peccata sua confessus est: petijtque ab eis, vt religionis habitum sibi impertirent; qui magna promptitudine ab illis Patribus sibi concessus est, remisitque famulos suos in Lusitaniam, scribens ad Patrem suum epistolam, certioremque eum faciens deliberationis suæ, permansit in eo monasterio totum annum nouitiatus sui, fuitq; mirificus profectus, qui miserante Deo, ab illo in morum disciplina factus est; nam religionis austeritas maximè tunc temporis in eo loco florebat.

Omnes enim laborabāt manibus diu, noctuque, alij in audiendis confessionibus, alij in verbo Dei disseminando, omnesque orationibus, alijsque spiritualibus exercitijs operam dabant: non comedebant præterquam panem, atque herbarum ferculum, absque aliquo condimento: nihilominus tamen iuuenis tantam corporis sanitatem obtinuit, & corde ita erat alacer, ac si omnibus mundi voluptatibus, atque delicijs potitus fuisset. A principio autem, cùm in vita delicata enutritus fuisset, in omnium rerum opulentia, magnas difficultates, & tentationes sustinuit, quas ipse confessario suo reuelauit, & consolationem suscepit, semper Dominum rogans, vt ei vires præberet, vt prouinciam susceptam ad finem adducere posset. Erat ipse natura sua hilaris, & sociabilis, multumque diligebat ioca, & nugas, quæ, sicut semper cordibus magnam spiritus ariditatem impertiunt, ita vt plurimum animis sunt ruinarum causa, quorum alimentum in vita spirituali est, deuotio in Deum, recessus à mundo, silentium, solitudo, cum oratione meditatio: sine quibus spiritus deuotionem maiorem non habebunt, quàm habeat aridum lignum. Adiuuit ille fragilitatem suam iterum promittens, se facturum, quod prius spoponderat, accendensque animum ad certamen, vt praua naturam virtuti subderet. Quapropter, fauore diuino, tantam concupiscētiarum, à quibus impugnabatur, moderationem obtinuit, pacemque cordis, & spiritus quietem adeptus est, vt nihil magis eum delectaret, quàm silentium, solitudo, clausura, & quicquid denique prius naturæ eius aduersabatur, ad tantamque perfectionem peruenit, vt Frater Vmbertus Generalis totius Ordinis Minister, qui multò tempore cum illo cohabitauerat, assereret, ex ore AEgidij verbum inordinatum exire se nunquā audiuisse; semper enim colloquebatur, vt afflictam alicuius animam consolaretur, aut, vt magnalia Dei enarraret, aut profunda humilitate taceret: & quanquam esset excellentissimus medicus, non tamen ægritudinibus suis remedia sibi componebat, sed in omnibus obtemperabat illi, qui sui curā gerebat, quanquam animaduerteret aliquando, parum esse sibi vtilia, quæ iniungebantur.

Quocirca magis, magisque de die in diem proficiendo, progrediebatur, & in sanctis exercitijs perseuerabat: addebat orationi orationem, humilitati humilitatem, silentium silentio, & pœnitentiam pœnitentiæ, nullæ rei parcens, quę rigida, & austera esset, ferream catenam circa carnes gerebat, quæ vsque hodie in monasterio, vbi sepultus est, in testimonium virtutis eius, conseruatur.

Cæterum extremo dolore conficiebatur propter chyrographum illud, in quo se ipsum diabolo deuouerat in illa spelunca, in qua exitialem artem didicerat. Quapropter se fletibus macerabat, & meditabatur, qua ratione ex diaboli manibus apocam suam, suo sanguine scriptam, eripere posset. Millies orabat, & suspirijs anhelantibus petebat à Deo, vt concederet sibi petitionem cordis sui. Contulit se ad orandam Virginem Beatam, terribilem diabolo, afflictorumq; consolatricem, prouoluebat se se ad pedes eius, pronunciabat lamenta pœnitentiæ, & flens ante ipsam, rogabat enixè, vt intercederet apud omnipotentem Filium, cui parent omnia, cui genuflectuntur Inferorum genua, & nutu perterrefacit tartara, pro apoca recuperanda; ne forsan mortis tempore apocam illam superbus dæmon contra ipsum produceret.

Quadam die in loco quodam monasterij sui, vbi erat cappella quædam, ab ea parte, in qua Campanarum funes pendebant, deuotissimè orabat, cùm nequitiæ Princeps mugiens, & vlulans, & formidabili sonitu aerem verberans, visibiliter apparet illi, & nefandis verbis, & ignominiæ plenis eum compellans, vocat ipsum proditorem, mendacem, apostatam, & perfidum, & fœdifragum, & secreta documenta, quibus eum instruxerat, & gloriæ opinionem, quam per illa apud homines acquisierat, improperat, & voluptuosam vitam, & delicijs plenam, quam illi procurauerat, obijcit, conqueriturque, se ad restituendum, quod suum est, cogi, deinde minas intentat ingentes, & maledicens eum, euanuit; & statim apoca illa per aerem volitare visa est, decidereque in terram, quam cùm arripuisset, coram Deo, & B. Virgine prouolutus, partim propter memoriam commissi sceleris dolens, partim propter ereptam ex manibus dæmonis apocam, alacer, & præ gaudio plorans, gratias ingentes optimo Deo, & sanctissimæ Virgini agit de recepto beneficio, queniam eripuisset eum de inimicis eius, & de manu omnium, qui oderunt eum.

Vt hinc appareat, quàm detestabile sit per maleficias artes quærere ab inimico dæmone, omnium malorum auctore, prouenire sibi bona, & recedere à Deo suo, à quo solo omne datum optimum, & omne donum perfectum cum magna plenitudine in mortales descendit.

De Rosario.

§. 56.

Hieronym. Taxim famil. Præd.

HIeronymus Taxius ex familia Prædicatorum, Theologiæ Magister in libr. de Rosario. Zamorensis quidam iuuenis, & genere, & doctrina clarus, & sacræ Scripturæ intelligens, cùm Dominicanos Patres de Sacro B. Dei parentis Rosario magnifica prædicantes audisset, ex initiatis vnus esse voluit, & in sodalium adlectus numerum, almæ matri precationes ex sancto illo funiculo quotidianas, statasque persoluit. Anno autem Domini 1530. in Italiam nauigans, captus est à Prædonibus, Algeriumque perductus, Aenobarbo archipyratæ triennio seruiuit: quo tempore Rosarij consueti neq; memoriam deposuit, neq; vsum intermisit: nam captiuus, & seruus, operisque distentus, eandem in recitando, quam solutus & liber, diligentiam adhibuit; haud ignarus non modò ad animi salutem, sed ad corporis etiam libertatem, illuditer esse directum. Nam suorum tenuitatis, & indigentiæ conscius, de pecuniaria redemptione diffidebat, maximè cùm Rex ille barbarus, pro libertate immane pretium exigeret, cui soluendo fortunæ paternæ non essent. Igitur humanis opibus desperatis, Virgineum numẽ implorat, liberationemq; à communi Christianorum parente deposcit, non tam vitæ suauioris desiderio, quàm veræ salutis studio. Metuebat enim, ne,

Gratia.

vel

vel minis, vel promissis Christianam fidem euitare cogeretur, adeò vt seruitutis intolerandos labores parui duceret pro illo dolore, quem ex sui animi statu capiebat: nam, vt scitè Tullius, aliud est laborare, aliud dolere. Cùm onera ferebat, agros colebat, humi cubabat, vigilabat, ac vix saturandæ fami cibaria fragmenta suppeditabant, tum se laborare arbitrabatur, ac corpore tantum defatigari: cùm verò inter Mahometanos, & Christiani nominis hostes acerrimos se versari meminerat, & fidei causam lædi posse videbat, sempiternæque salutis imminere discrimen apud animum cogitabat, tum dolor intimus cor adolescentis exedebat. Quamobrē suorum Christianorum desiderabat terras, & quò liberius filio, matrique seruiret, ac periclitandæ religionis metum deponeret, ex perfida Africa ad fidelem Europæ partem, Hispaniam redire cupiebat. Itaque consilio cum quodam altero captiuo, quem diligebat, communicato, & in eandem adducto sententiam, de fuga consentiunt, compedes dissecant, ac se in viam illam dare decernunt, qua ad nouæ Numidæ vrbem itur, quæ Bagia hodie dicitur, Neptunique aras, vocauit antiquitas: nullus panis, nulla cibaria, quod deuium, tortuosumque iter faciendum fuit. vt se persequētes fallere possent, herbis famem, sitim aqua pellebant, latitare luce, nec se loco mouere, in tenebris ambulare, ac progredi, & ad Regna Christiana cursu cōtendere. Rex barbarus interea fremere, vias omnes obsidendas curare, missis mille cursoribus persequi fugientes: sed nihil est tamen effectum, suos viatores Virgine defendente. Quin & eiusdem ope, ac præsidio, quam frequenter appellabant, prælatis manu Rosarijs, duos nauigabiles fluuios nando transmiserunt. Ventum est deniqae ad Vrbem, quæ Bagia, vt diximus, vulgari nomine compellatur, quæ à nostris illa tenebatur ætate. Ibi à fuga trepida, & sollicita, maximisque laboribus itineris recreati, quid inter Christianos, & Mahometanos interesset, intelligunt, reque ipsa condiscunt, seque ex Maurorum seruitute ereptos, Rosarij beneficio, testificari multorum animos salutaris illius precationis, quæ piacularibus globulis efficitur, religiosè compleuerunt; ipseque adolescens Zamoræ natus, (vt diximus) in laudem bene meritæ Virginis opus exornauit, quod Hieronymo Taxio facti huius historico, & alijs eiusdem familiæ viris perdoctis recitauit. Gesta hæc tanta res est anno 34. supra sexqui millesimum.

§. 57.

EDinerus Anglus in vita S. Anselmi, cuius domestic⁹ fuit ipse Edinerus li. 2. Vuilhelmo Angliæ Regi iniquissima cum D. Anselmo discordia fuit: hoc, pro Ecclesia propugnante, illo, Ecclesiæ iura violante. Quare Anselmo pacis causa ex Angliæ finibus excedendum fuit: ita tamen, vt discedens, iniurioso Regi benè precaretur, ipseq; Princeps cęteroquin superbus, atq; impius, abeuntis Anselmi salutationem extremam libenter acciperet, seq; & à S. viro, cui erat inimicus, manu signari, & suis rebus benedici non grauaretur. In Gallia, & in Italia, quas duas in exilio prouincias peragrauit, pro eo, ac meritus erat, & à principibus, & à Romano Pontifice tractabatur. Cumque illo ipso tempore Rogerius Apuliæ regulus vrbem Capuam obsideret, Anselmi fama permotus, sanctum Archiepiscopum ad se precibus accersiuit. Fecit, quod rogabatur, Anselmus homo lenissimus, & valdè officiosus, multosque dies Rogerij non modo hospes fuit, sed consiliarius etiā, & salubris adhortator. Sacra quædam ædicula deserta, & infrequens Anselmo, & socijs à Rogerio datur, vbi remotus à turba, & tumultu perstrepentis exercitus quietus habitauit. Aderat

Edinerus Anglus in vita S. Anselmi.

Gratia.

Edinerus, qui hæc litteris mandauit, teſtis oculatus: quadam nocte ſocijs, miniſtriſque dormientibus, Anſelmum, vel neceſsitas coegit exire, vel voluntas inuitauit liberioris cœli ſuſpectu, qui mentem ad alta conuertit, lentoque pede, ne ſuos excitaret, perrexit ad oſtiū; cumque egreſſus, foſſæ profundæ immemor, ad deſtinatum locum properaret, in barathrum decidit, altiſſimamque voraginem, in ipſaque ruina ſanctiſſimam Deiparam, quam amabat, & ſcriptis ornarat, contentione maxima vocis appellauit. Contubernales accurrunt, adeſt ipſe, quem dixi, indiuiduus comes, Edinerus, Anſelmum accenſis luminibus in depreſſam altitudinem demerſum vident. Omnes animus præ horrore, & ſtupore defecit. Id Anſelmus animaduertens, nihil ſe mali accepiſſe clamat, bonoque eſſe amicos animo iubet. Hac voce recreati deſcendunt, qua parte ad præcipitiū aliquis ſe aditus oſtendebat, ſuorumq; manibus ſanctus præſul, valens, & ſanus extrahitur. Iniurias Anſelmo illatas Rex impius Vuilhelmus non tulit importunè: cùm enim venationi intentus, feras captaret auidus, ſagitta in corde percutitur, quæ eum, nulla interpoſita mora, necauit, repentinæ, ac diræ mortis accepto hoc nuncio, acerbiſſimè fleuit Anſelmus Dauidis exemplo, qui ſui vexatoris Absalonis miſerabilem interitum triſtiſsimè deplorauit.

§. 58.

Nicephor. Calix hiſt. lib 15. ca 25. & 26.

NIcephorus Calixtus hiſtor. libro 15. capit. 25. & 26. Conſtantinopolitana ſuburbia, pratorum, & florum viriditate peramœna fuerunt, illa præſertim, quæ ad auream Vrbis portam reſpectabant: ab ſpecie Camporum ita fortaſſe dictam, qui ſe porta illa egreſsis offerebant. Augebat voluptatem fons vberrimus, qui locum varijs arboribus, & platanis præcipuè conſitum irrigabat: ſed iniuria temporis fontem terra aggeſta concluſit, & aquæ meatus ita obturauit, vt ſalutaris vndæ nihil prorſus affluaret. Tantum in vda humo venę latentis veſtigium apparebat; quin & ipſa arborum denſitas fontis aditum obſcurauit. Hęc loca cùm Græcus ille Leo, qui ſapientis eſt cognomen adeptus, animi relaxandi gratia ſolus, ac tacitus peragraret, in hominem incidit, oculis captum, ac viæ prorſus ignarum. Huic ſe itineris ducē Leo præbet, homo comis, & planè miſericors; confecto viæ aliquanto ſpatio cœcus ſitire ſe dicit, ac miſerè defatigari, Leonemq; rogat, vt vel vmbram quęrat, deſiderari leuamentum, ſitisque ſolatium. Leo ſyluam, nemusque perluſtrat, fontem ſollicitè quærit, humoriſque indicia ſecutus, laticem præueſtigat, vbi nihil inuenit, ad cœcum, quem ſub arboris vmbra reliquerat, mœſtus redit, ac triſtis. Hic cœlitus audita vox eſt, aquam in propinquo eſſe conteſtans. Quare fontem denuò vir bonus Leo officioſus inquirit. Quo minus inueniat, arborum oppoſitus, & cœni profundioris interiecta moles obſiſtit: deſperantem vox iterum audita confirmat. Leo Imperator denſum iſtum, & vmbroſum locum ingreſſus, turbidam aquam haurito: ea ęgri hominis ſitim recreato, cœnoſum dein lutum in manus ſumito, cœci cœcos oculos inungas, facito: quæ verò ipſa ſim propediem cognoſces, & loci iſtius, & ampli iam poſſeſſor imperij, quin & ædem mihi ibidem conſecrabis, in qua verſer, immorer, habitem, & me inuocantibus poſtulata concedam. Nihil eſt enim, quod meæ poteſtati queat obſiſtere, velit, nolit, caſſatus eſt dæmon, & morbus ſuapte natura inſanabilis, me volente, curbitur. Leo, verborum omnium memor, cœnum eduxit, aquam hauſit, vtrumque reportat ad cœcum, parum, aut nihil de remedio laborantem. Nam propè iacebat exanimis, & morti valdè

Gratia.

vici-

vicinus, adeo sitis spiritum hauserat, aut mentem sæua confuderat, & cum faucibus aridam infudisset, & oculos luto illinisset, depulsa cœcitas est, & vita restituta, quam pænè videbatur amisisse. Nō multò post Leo & pius, & sapiens ex Virginis prædictione ad imperiale fastigium euectus, tanti huius miraculi loco repurgato, fontis venam aperuit, atq; inibi templum prægrande construxit, cuius ea forma, descriptioque fuit, vt media operis pars è terra emineret, tantumdem sub terra lateret, quadranguli figuram moles tota cōformabat; latitudinem longitudo vincebat. Fabrica luminosa fuit, fonsq; ipse in medio templo, intromissa per crebra specularia luce, mirabiliter effulgebat. Tholus in alta, & rotunda testudine sublimis pendebat, cuius tanta erat, tum claritas, tum pulcritudo, vt fulguranti cælo similis esse videretur. Gradus etiam quosdam architectandos Leo curauit Augustus, per quos descenderetur ad fontem; ex quibus alij quadrati erant, alij semicirculi figuram referebant. Additi sunt marmorei cancelli, quibus homines siue ascendunt, siue descendunt, niterentur. Fons ipse aquæ perennis perlucidæ, atque ita frigidæ, vt geliditas nūquam offenderet, appositā phyala concaua, per quam aqua fundebatur more canalis, aderat labrum aquantibus oportunum. Habita etiam ratio est illius limi salutaris, cuniculusq; sub terram actus, in omnem ædem pertinebat. Patebant superni duo caua foramina, vnde lustrale lutum vasculo in modum cochlearis concauo, ad multorum medicinam trahebatur: aquæ mira temperies, vt diximus, & admiranda communitas; talis enim cuique erat, qualem quisque voluisset, vt, Nicephoro teste, decantatem illud manna imitari videretur. res quasuis aduersas, atque contrarias hæc aqua curabat: nam morbosa frigida radice fons hic frigidus depellebat. Igitur Constantinopolis Deiparam salutis effectricem ad hunc fontem veniens, agnoscebat, & Syloeam paldem se habere gloriabatur. Ex ædibus autem sacris, quas Leo Augustus erexit, hæc tenet principatum: huic splendori proximè accessit, quam ad eiusdem Mariæ Virginis laudem idem Leo huius ominis primus excitauit, vt in ea Deiparæ vestem reponeret. Hierosolymis allatam, quam innumerabilia signa cœlitus decorarunt; de cuius vestis inuentione pulchram Nicephorus narrat historiam. habet eandem Metaphrastes; numerat hæc ædificia Procopius, & virginalem Leonis cum fonte basilicam cæteris omnibus anteponit. Felix hic Leo fuisset omninò, si Zenonem, Imperij pestem, non generum adoptasset, de quo tamen quiddam narrat Sophronius, quod ad historiam facit Virginalem. Eripuerat cuidam matronæ filiam hæreticus Zeno libidini satiandæ, quæ in diuæ Matris templum assiduè veniebat; & cum lachrymis Dei genitricem illis verbis obsecrabat: vindica me de Zenone Imperatore, qui mihi filiam meam rapuit, filiæ pudorem. Cùm ergo in Deiparæ sacram ædem sæpè veniret, & has eadem preces iteraret, Virgo virginum illi se per visum demonstrauit: de vltione inquiens, quam efflagitas, laboraui, sed eius fuit impedimento manus: erat enim Zeno misericors, & eleemosynas multas erogabat; sed quæ distulit supplicium Deo, & hominibus ab improbissimo Imperatore factas, non tulit iniurias, quas pœnis luit, & luet sempiternis.

Idem Metap.
Procopius.
Sophron.

§. 59.

SOphronius Hierosolymitanus Episcopus in Concilium Nicenum secundum Act. 4. hanc agnoscit historiam, Damascenus de imaginibus, menologia orientalis Ecclesiæ, occidentalis martyrologia. AEgyptiaca illa Maria, cuius in vulgus cognomen est

Sophr. Episc. Hierosol. in conc. Nicen. 2. Act. 4.

Idem.

Gratia.

notum plurimos annos libidini, impudicitiæque seruiuit, rebusque vsa venereis, turpitudini fræna laxauit: sed qui ad Magdalenam respexit, huius etiam misertus est Deus; quo adiutore, peregrinationem ad sacram Solymorum vrbem suscepit, quam toto ex orbe Christiani propter nostri liberatoris, ac vindicis mortem, crucem, & sepulturam, piis & votis, & itineribus frequentabant. Ibat quidem impudica meretrix scortandi animo, ac sese multis in Vrbe celeberrima peruulgandi; Dei tamen infinita bonitas meliora, salubrioraque prouidit: adita iam Hierosolyma, cum in religiosissimum Christianorum illud templum vellet intrare, virosque lenocinijs captos, auro, argentoque, & virtutum thesauro lõgè precioſiore priuatura, perspiceret, pedem frustra tentat inferre: nam ingredi conantem vis quædam diuina repulit, iterum, ac sæpius intrare cupientem eadem illa virtus diuina retardauit; cumque à templi valuis, ac foribus diuinitus se cerneret prohiberi, ac secum tacitè causam inuestigaret, libidinosæ, obscenæque vitę infamia sese primo oculis mentis ostẽdit, & colluuio flagitiorum, quorum sibi conscia, se agnoscere & vitæ superioris errata longo intervallo lamentari cœpit. Ergo ad Deiparæ imaginem, quæ in templum ingressuris prima patebat, oculos, & vultum prima sustulit, & in hunc modum flens, atque eiulans cum Christi matre colloquitur, cuius memoriam sancta illa effigies excitabat. Domina Virgo, quæ immortalem Deum corpore mundissimo, & anima omnis maculæ experte genuisti, adiua me desertam, & solam, nihilque habentem adiumenti: & quando ille idem, quem immaculata peperisti, vt eos, qui peccant, vocaret ad pœnitentiam, venit in mundum, tu mihi dexteram porrige, ex his vitæ sordibus, cœnoque impurissimo emergere cupienti. Deinde pollicita est, omnibus mundi illecebris, quæ sunt inuitatrices voluptatum, pro nihilo habitis, vitæ cursum se esse directuram, & mores corruptissimos mutaturam; tantum in templum illud augustum introire, & Dei offensi gratiam reconciliare liceret. Virgine deprecante, post preces emissas, & vota, licuit salutiferi ligni, & Christi in eo mortis sanctissimæ, atque beneficentissimæ renouare memoriam: permissum est, vt religiosis laudibus, & præconijs nostræ redemptionis mysteria prosequeretur. Conceditur, cælestibus animum explere delicijs, & clementissimæ matris opem experta, etiam atque etiam se illi commendabat, & eius, ad voti solutionem pium patrocinium implorabat. Inde digressa, tantum abfuit, vt vitæ prioris errata repeteret, relaberetur in vitia cõsueta, mundi suauitates reguſtaret, Aegyptiq; ille ollas in Aegypto nata, atque educata requireret, vt corporis immemor, in solitudine vixerit, commissaque scelera incredibili asperitate puniuerit. Pugnas verò cum malo dæmone, tum assiduas, tum horribiles, truces, & feras, eo superabat, & vincebat alacrius, quo frequentius Virginem inuocabat. Hæc erant solitariæ Mariæ verba semper in ore: Tibi, ô sanctitatis amatrix, quæ mihi tale immerenti, te tam humanam præbuisti, neque spurcæ meretricis preces repudiasti, sit honor, & gloria; esto mihi salutis magistra, & rerum præceptrix diuinarum, viam ad pœnitendum indica, neque me improbam, & perditam vllo vnquam tempore derelinque: hac quidem succurrente Virgine, & solatia de cælo mittente, annos septem, & quadraginta Maria, noua iam mulier in heremo traduxit, diaboliq; multiplices pugnas, Virgine, quæ castitatis patrona est, adiuuante confregit. quid enim Aegyptiaca Maria, vel persculi metueret, vel mali pateretur, cuius intemerata Virgo, vt nubes oppositа, nimios solis defendebat ardores? quam-

que,

que, velut ignita columna, eadem ipsa Virgo integerrima in vtrisque tenebris illustrabat: hanc enim noctem, quæ solis absentia terras opacat, Dei mater, si vult, illuminat, & ab animo caliginem, obscuritatemque depellit; & quidem illis omnibus, qui in cœno libidinis, & flagitiosæ vitæ sordibus aliquando volutati, ad castitatem aspirant, & corporis, animique munditiem expetunt, expetitam assequuntur. Præclarum, & illustre exemplum nostra hæc dedit Aegyptia, habentque grauissimi pellicatus rei ad cuius regulam, normamque suæ vitæ correctæ iam, & commutatæ rationem, modumque conforment. Huius exemplo complures meretrices ad meliorem frugem conuersæ, arduum vitæ genus arripuerunt, huiusmodi pœnitentibus Constantinopoli monasterium Iustinianus Imp. instituit.

Rober. Richius, & Rober. Bacon. in vita sancti Edmundi. Edmun. Vincent. in suo speculo li. 32. ca. 67. Gratia.

RObertus Richius, & Robertus Baconius in vita S. Edmundi, multa quoque Edmundi, Vincentius in suo spec. lib. 32. cap 67. & deinceps philosophiæ interpres, & Doctor Edmundus contra, atque illi faciebant, qui in eodem dicendi curriculo versabantur, sacro interesse quotidie, & horarias preces, quas canonicas dicimus recitare cōsueuit, suisque discipulis, vt idem facerent, persuasit: quo autem commodius id exequi posset, sacellum in honorem Beatissimæ Virginis, quam impense amabat, pulchrè adornauit, Theologiæ studia pertractans, cuius ei erat perjucunda cognitio, imaginem gloriosæ Deiparę eburneam ante oculos habebat, cuius in ambitu, atque orbe nostræ per Christum libertatis mysteria efformata, & picta fulgebant: in eam intuens, cum ipsa lectione orationem, diuinarumque rerum meditationem coniungebat, neque ad intelligendum modo, sed etiam ad agendum vno, atq; eodem tempore se ipse comparabat, precationem illam, quæ incipit: *O intemerata*, in Mariæ Virginis, sanctiq; Ioannis Euangelistę memoriam diebus singulis vsurpabat: sed, cum aliquando studiorum impetu abreptus, quotidianę huius precationis esset oblitus, nocte insequenti D. Ioannes se illi demōstrauit, manumque iussit explicare, quam iam erat ferula percussurus, vt à ludimagistris fieri solet, si quando discipuli imprudenter egerunt. mox tamen placatus, dexteram traxit Apostolus, quam ad vulnus infligendum quasi commotus extenderat, amiceque monuit, ne vnquam Virgini Matri, sibique acceptas preces illas omitteret. Singulis diebus Edmundus Christum Crucifixum verbis illis: *Adoramus te Christe*, salutabat: Pontificias simul preces ad omnes horas, sanctique Spiritus, & Beatissimæ Virginis, atque exequiarum quotidie recitabat, pecuniolam tum collectam, cum discipulos liberales disciplinas edocebat, puluere opertam in fenestræ angulo recondebat, & terram terræ se dicebat adiungere: quæ tandem rapacium quorundam præda fuit. Matutinis, quæ nocte cantantur, precibus aderat, quibus absolutis, coram Virginalis Mariæ matris ara persistebat in precibus. Intra breue temporis spatium, Theologiæ doctoris ornatus est titulo: euasit etiam concionator egregius, & præceptor admirandus, multique magistri ex eius schola prodierunt, ex quibus nō pauci sacerdotijs spretis, ijsque præpinguibus, Edmundi oratione incēsi, monasticam vitam elegerunt. quadam nocte, ignem in suo gymnasio ardere somniauit, atque inde faculas septem desumi, postero die Edmundo, superiore loco, sacrā Theologiā, vti solebat, exponente, Abbas quidam Cistercienſis aduenit, septemq; ex eius auditorib⁹ ad religiosam v. ā profitendam eduxit, id quod Edmundo iucūdissimum accidit, cui auditorum numero, & frequētiæ ob religionem decessio,

sio, dolori non fuit. quadam alia nocte ad lucernam lectitāti somnus obrepsit, musque intregressus, lumen extinxit: experrectus, vt se vidit luce priuatum, dulcissimum Dei matris nomen appellauit, quo inuocato, lumen est cœlitus restitutum, ob Episcopale munus sanctissimè obitum, in multorum odium incurrerat, nempè quibus suorum flagitiorum tenebræ, noctemq; sectantibus cum cœlo claro, ac lucido conuenire non poterat: horum insolentiam tam moderatè tulit, vt diceret: si vel vtrumque mihi brachium mutilent, vel oculos eruant, nihilo tamen minus, habebo clariores. sunt enim illi quàm robustissimi, quos Mariæ matris lacte scimus esse nutritos.

§. 61.

Ex ann. Francisci Bencij in histor miss. Varal. Austr. prouinciæ.

EX annal. Francisci Bencij in historia Varalien. Austriacę prouincię eiusdem vrbis. Excurrit vnus sub Epiphaniorum festum in oppidum toparchæ cuiusdam excellenti pietate, qui olim educatus inter conuictores Viennæ, vxorem hic habebat sterilem, nec satis firmam in fide, cùm vesceretur cibis illicitis: persuadet mulieri noster, vt si liberos velit, habeat hunc saltem honorem B. Virgini, vt à carnibus sabbatho abstineat; diuinam illi opem sub tanto patrocinio affuturam: fidei respondit eventus. vno partu geminos, marem, & fœminam enixa, & agnoscens diuinum beneficium vterq; coniux aureæ casulæ, calicisq; donum miro artificio, Deiparæ, quę colitur in nostro templo, ex voto dedit hæc ille de muliere, cui profuit diei abstinentia septimi, nō quidem Iudaico ritu, sed Ecclesiastica propter Virginem pietate. Sabbathum quidem, vel Ethnicicis celebre fuisse iam diximus, quo die Seneca scribit, lucernas incendi solere, sed quæ, olim superstitio fuit, religio esse cœpit. posteaquā sabbathinas ferias in honorem Beat. ff. sempiternæ Virginis Ecclesiæ frequentauit, quibus fidei lumen huic matronæ, quæ vacillabat in fide, videtur reluxisse.

Gratia.

Seneca lib. 14. epist. 15.

§. 62.

SVrius de Vitis Sanctorum Aprilis. Quinque & viginti annos Albertus in sua Cella permansit, ex quibus viginti duos sine pane traduxit, herbis radicibusque contentus: viginti, quod mireris, nullum omnino potū degustauit. Quæ fuerit reijciendi panis occasio, operæ pretium est scire. Ex perpetuis imbribus tanta aliquando tamque metuenda tempestas intumuit, vt in cellula Albertus, velut obsessus, terreturq; cumque ad eum alendum pascendumque continentibus pluuijs penetrare nemo posset, Alberti animus dupliciter angebatur, & quod panis deesset, vt alimentum, & quod rem diuinam audire non posset, & panem de Cælo missum adorare nequiret. Quāmobrem Beatissimam sempiternamque Virginem Mariam, nocte quadam anxius, & moriens appellauit, vtque sibi in tantum adducto discrimen subueniret, supplex humique status orauit. Dumque fusis animo precibus fessus ac tristis obdormisset, ecce pervisum adest benefica Mater cum Virginibus pulcherrimis, quas tamen Cæli Regina & forma & proceritate vincebat: feminas vt vidit, humana credulitate ductus: si vos (inquit) præsensissem ex Monasteriolo repulissem. Indignitatem & quod introgredi ausæ essent acrirer obiurgantem, diuina Mater interpellat: desine frustra moueri: Ego sum Dei genitrix, quam tam amanter inuocasti, quid me igitur visitum ille. Succurre Mater in his, quibus me vides egere. hoc audito, misericordiæ & benignitatis fons ex fonte Christo Deipara, panem in os Alberti porrexit, quo ita recreatus refectusque est, vt domesticum hunc panem, quo viuimus, nunquam deinceps requisierit:

Surius de vitis Sanctorum Aprilis.

Gratia.

illa

illa etiam de sacris non auditis, quę animum angebat, consolante Virgine, cura consedit: Rei diuinæ diebus festis audiendæ necessitatem, temporibus metiendam, & casibus tolli repentinis, qui si incidunt, curandum esse, vt vitæ sanctitas, quoddam sit altaris, ac missæ supplementum: Albertum mihi viuere debere, vt eius actiones, quædam esse sacra videantur. Virginis & ante, & post hoc beneficium studiosus venerator Albertus, centenis genuflexionibus diebus singulis vtebatur; quoties autem genua curuabat, toties salutationem Angelicam, vultu ad pietatem, religionemque composito, proferebat.

§. 63.

S. Antonin. Archiepisc. Florent. per hist. tit. 17. ca. sect. 27.

SAnctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus per histor. tit. 17. cap. sect. 27. Circa annum à Christo nato, millesimum centesimum nonagesimum: cùm Rex Aragoniæ, & Comes sancti A Egidij, qui Raymundus dicebatur, molesta discordia dissentirent, nulliusque intercurrentis valeret oratio, ad pacem reducendam in Vrbe: Anitio, cuius non semel in hoc opere propter religiosissimum virginale templum faciendæ mentio est, cuidam humilis fortunæ viro (carpentarium fuisse Antoninus ait) non qui carpentorum artifex esset, sed quia faber lignarius, voce vsus propè Hispana, & nostra, cùm sese Deus immortalis ostendisset, chartulam dedit, in qua erat effigies Beatissimæ Mariæ Virginis, sedentis in throno; & charissimum Filium amplexantis; quæ solet esse pictura vulgaris, nisi quòd erat vtrique imagini circumscripta rotunditas cum illis verbis: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.* Postquam se tam admirandæ visionis fama vulgauit, viri principes ex varijs mundi plagis, & ingens popularium numerus, in ferijs Assumptæ Dei matris, Anitium conuenerunt. porrò Vrbis antistes hominem illum, fabrili artificio viuentem, haud magna in re, sed virtutis plenum, & fidei, (Durando nomen erat) in medium cœtum venire, & quæ vidisset, audiuisseque iubet effari: ille de Aragonum Regis, & Comitis competitoris reducenda pace, diuinum audacter exponit, & peruulgat imperium; imaginemque testem inducit, obeuntibus ora litteris illis consignatam. auscultant duo illi Principes diuino consilio ad Galliam peregrinati, & pacem cœlitus imperatam seruaturos se esse interposito iureiurando confirmant: pacis obsidem, virgineam illam imaginem adhibent, quam plumbeis sigillis impressam, lineisque assutam tunicellis, quales monachorum alberum scapulares esse solent, & pectori applicitam pro symbolo, proque pacis insigni circumgestant. Ea verò pax tantæ sanctitatis fuit, vt qui ita linteatus, & tali sigillo munitus, esset inuentus, ei hominum cædes impunita foret, non quidem à iudice, cuius est vindicare facinora, sed ab illius cognatis, & propinquis, qui esset interemptus. Non enim consanguinei, non amici de vltione laborabant, sed cœlitus admonitæ pacis memores, homicidæ libenter ignoscebant. quin & illatæ supernæ imaginis viso exemplo, scutulo animaduerso occisi, frater in occisoris ruebat amplexus, eumque hospitio acceptum, humaniter, & benignè tractabat; eratque sodalitatis Virgineæ quoddam genus, quod pacis poterat appellari.

Gratia.

§. 64.

Ex orat. S. Germani Patriarch Hieros. apud Sim. Metaph.

EX oratione S. Germani Patriarchę Constãtinopolitani apud Simeonem Metaphrastem. Sanctissimæ Deiparæ, qua se astringebat, zonam, pretiosissimasque fascias, quibus Virgo integerrima tenerrimum Christi pueri corpusculum colligauit, ac cinxit, vsque adeò venerata Græcia est, vt templum in vtriusque rei honorem incredi-

Gratia.

bilis cuiusdam formositatis erexerit. Cuius templi dedicationem, & vt ijdem Græci loquuntur, encænia: Germanus Byzantinus antistes oratione celebrauit, qua simul Virginis laudes prosequitur. Eam vocat Christi supremi Regis animatam Ciuitatem, Christianorum solatium, eorum qui vexantur, potentissimam adiutricem, peccantium, si modò pœniteant, paratissimum, tutissimumque perfugium. quò nam (inquit idem) confugiamus, si nos deseris? quid mundo fiet, si tu non opitularis, quæ spiritus es, & vita eorum, qui in Dei Ecclesia versantur? vt enim corpus hoc respiratione viuit, ita Christicolarum vita tuis (ô Virgo) afflatibus continetur: nullus tuæ magnitudini modus imponitur: nostri defendendi, tutandi, contegendi, nulla te vnquam satietas tenet. beneficiorum infinitus est numerus: nemo fit saluus, nisi per te, nemo donum ab immortali Deo assequitur sine deprecatione tua; nullus se à laqueis periculorum expedit, quin ipsa subuenias: quòd si patrocinium denegas, nihil est, quod à largitore gratiæ possimus expectare; tu enim à Rege, rerumque omnium parente, & gubernatore fœcunda mater, apud eum tum fiducia, tum potentia vales, nosque damnatos à supplicijs liberas sempiternis. & post multa erga mortalium genus beneficia commemorata, sic idem Germanus; Quamobrem ad templum tuum alacriter, & studiosè concurrimus; in quo cùm sumus, in cœlo ipso stare nos credimus, venerandam zonam tuam nemo fidelis aspicit, quin animi incredibili voluptate complea tur. Negat hic diuinus orator, quenquā ad zonæ sacræ adorationem flexis genibus subsedisse, quin illa impetraret, quæ suppliciter postulasset, & cum sacro illo pignore sic idem loquitur: Diuinissimum cingulum, quod efficis, vt vitia fugiamus, sequamurque virtutes, castitatem lumbis, efficacitatem manibus affers. ô zona, quę nostræ imbecillis naturæ lasciuiam coerces, ac refrænas, & hostes nostros, siue illi sub aspectum cadunt, siue non videntur, abterres, & fugas: fascias deinde simili oratione collaudat.

German. Byzantinus.

§. 65.

EVthymius monachus apud eundem Metaphrastem de zona Beatę Virginis, huius quoque sanctissimi cinguli laudes celebrauit. quæ verò non tam oratoriè, quàm historicè narrat, tacere non debeo. Laudatur (inquit) zona, quæ annos plus nongentos illæsa, atque integra perseuerat, cuius nequaquam infuscatus est color, quæ vincit splendore niuem, talemque se videntibus exhibet, qualis ex manu prodiuit artificis. ea se Cœli Regina reuera (vt credimus) cinxit, Idolorum contriuit aras, gentium delubra vastauit, & humani cruoris flumen coercuit. Iam verò templum in sacrorum, de quibus agimus, pignorum religiosam memoriam dedicatum idem Euthymius tam pulchrum, tamque luminosum fuisse affirmat, vt æquiparari Cœlo posset: hæc enim ipsa sunt verba: atq; etiam ex quatuor mundi partibus, Oriente, Occidente, Aquilone, & Austro confluere ad hoc templum peregrinos asseuerat, ex omni item ordine, sexu, & ætate agminatim conuenire prodidit. Adsunt (inquit ille) Pontifices, Reges, Principes, Magistratus, diuites, pauperes, immatura ætas, & piarum caterua fœminarum. In hoc ipso templo curari paralyticos Euthymius ait, illuminari cœcos, sanari ægrotos, clades auerti, maledicta refutari, falso crimine circumuentos, patefacta veritatis luce, liberari, ac denique miraculorum quasi perennem manare fontem. In te (inquit) mater optima, spem nostram collocamus, in te viuimus, gloriamur, & sumus. Scimus hanc nostram spem ratam fore, tua hæreditas sumus, ad te confugisse non pœnite-

Euthymius monachus. Græcia.

nitebit. Hæc Euthymius vir planè Catholicus, cùm illius ætatis, ac memoriæ sapientibus. Beatissimę Deiparę tribuebat; neque tamen ignorabat, spem nostram in Deo primum esse figendam, nostrum viuere, nostrum gloriari in eo verti debere, qui nos redemit, ac creauit, sed quia ad eos loquebatur, quos nō latebat naturalis, & propria filij potestas, & matris Mariæ gratia, & auctoritas, qua apud filium valebat, ornamenta illa in sacrosanctam Deiparam congerere non dubitauit, quæ proximè, & secundùm Deum nostra esset spes, salus, & vita. Horum sapientum vestigijs incessit Hermannus ille Contractus, qui in Cant. Salue Regina, illud non minus piè, quàm vetè concinit, Spes nostra salue Regina mater misericordiæ, quod carmen D. Bernardo pergratum S. Bonauentura ducentis annis, postquam erat ab Hermanno compositum, pijs & numeris, & versibus celebrauit; multiq; alij tota Ecclesia prędicarunt; & his 500. annis magno consensu in templis vsurparunt: quæ res Gregorium IX. qui Camaldulensis familiæ fuerat, impulit; vt auctoritate Pontificia hunc Contracti hymnum approbaret, & per omnes totius orbis Ecclesias cantari iuberet.

Hermannus Paul. de Rosad. in comm. Iacob. Philip. li. 13. Supplem. Chron. nost. Sosterus & Ald.

§. 66.

Ludou. Granat. de sym. fid. par. 2. sect. 10.

LVdouicus Granatensi de symbolo fidei pa. 2. sect. 10. sacrosanctæ Marię Virginis charitatem, ne minima quidem aspernantis, ac despicientis, Ludouico Granatense scriptore, cōmemorabo; qui, vtrum scriberet, diu, ac multum ipse secum dubitauit: rei namque paruitas magnum hunc virum à scribendo deterrebat, vicit tamen pietas, gloriaq; Virginis, quæ non secus in minimis, atq; in maximis enitescit. Vicit quoq; Sanctorum exemplum, qui & in tenui sæpè mirabiles extiterunt, & qui similia litteris mandarent, habuerunt. Nam D. Benedictus suæ nutricis fictile vas fractum, & diuisum in partes, ne mœror muliebrem animum occuparet, teste D Gregorio, restaurauit. & quidam alius, vt in eisdem Dialogis innonitur, lychni pensilis, quo templum illuminabatur, particulas diuulsas, dissectasq; coniunxit, & lampada reformauit. Nos igitur, quæ ærumnosorum pectora resecit, dicamus alacriter, & Deiparæ in rebus arduis potestatem, in paruis humanitatem, indulgentiamq; laudemus. quanquam quę nāturæ vires superant, in quacunq; materia, parua esse non possunt. Igitur (vt ad rem veniamus) quidam Centobrigensis incola, vel vt nunc loquimur) Setubalensis ex nobilium, & clarorum ordine, ac numero, cùm vellet ire piscatum, famulum arundinem expedire iussit, qua ad illud munus egregiè vtebatur. Cæterùm mulier, dum cannam diu intermissam, à puluere, & sordibus perpurgare studet, extremam alteram partem, quæ acutior est, atq; subtilior, figit in terra, manuq; premit ita grauiter, vt ex geniculato illo calamo, duo frusta, digitali vtrumque magnitudine, distracta arundine, desilirent. Militis ipsa vxor, quę præsens erat, casu perculsa, deq; mariti iracundia, & offensione valdè sollicita, ad sanctissimam Dei matrem confestim confugit, neq; oblita est cuiusdam sanctæ fœminę nutricis quondam suæ, quam idem Ludouicus magnificè prædicat, vitæ testis, & rerum quas egerat mirandarum, vt historiæ satis longæ argumentum præbeant, si eidem credimus Ludouico: qui cætera generatim, illud definitè, ac propriè tanto diuini amoris solitam incēdio flagrare, vt diceret: maris istius, quod videmus, aqua omnis, ignē haud extingueret, qui hic inardescit, manuq; hæc affirmans, suum pectus indicabat. Igitur bona fœmina, cùm se magnæ inprimis cunctorum Matri, & suæ deinde nutrici, quæ eodem Ludouico teste, miracula nonnulla patrauerat, ex animo commendasset, maritus ex ipso

S. Greg. li. 2. dial. ca. 1. li. 1. ca. 7.

Ibidem.

Gratia.

ædium atrio arundinem festinus efflagitat, ruptam, fractamque famuli deferre parant: quid enim agant, ex foribus vociferante iam hero, & moram durius accusante? ergo qualis erat, talem assumunt: lentè properant, timore retrahente, cunctabundique descendunt. mirabilis in sua matre Deus, & in Sanctis suis admirandus. arundinea illa pertica, illo acumine, & in exilitate confracta, priusquam domino ostenditur, anxiè petenti diuinitus integratur, & hero perfecta redditur, auidius expectanti: eadem prorsus est forma, quæ fuerat, adest contortum filum albi coloris, sectæ nexus, isque pulchellus. Aduolarat matronæ filiolus, vt patris, quæ puerorum & leuitas, & curiositas est, stomacho, & in familiam misellam conuiciis interesset, cuius imprudentia cannam defregerat, quæ tamen secum præclarè actum esse putaret, si verbis verbera addita, & adiuncta non fuissent. Cumque arundinem integram, & quasi sanam vidisset ex vulnere, lætitiæ plenus, currit ad matrem, & his verbis gratulatur: mater, mater, mater, salua res est. Et colaphum mater infigens, cape (inquit) mendacij, vanitatisque mercedem: succedit muliercula vna ex famulis, quę piscatoriæ arundini nihil decesse proclamat, ad quam sic hera: & tibi cum paruulo mentiri libet, quasi verò non te hæc duo fragmenta redarguant, quæ in manibus habeo. geminato pueri, famulæque testimonio, faciendum sibi putauit matris familias amita quædam, vt rem, quæ ferebatur, oculis cerneret, manibusque tractaret. It, redit, & quæ puer iniustè percussus, quæque famula, mendacij sine vlla causa suspecta, nunciassent, vero esse veriora confirmat, & virgam ex calamo calamitatis esse gratulatur expertem. Hæc ad viri aures iuncta venerunt, ministræ domesticæ inconsiderantia fractam arundinem fuisse, anxiam coniugem ad Virginem confugisse, & antiquam nutricem, cuius erat sanctitatis fama recens, appellasse, arundinis soliditatem naturæ esse non posse. Quare religione tactus, & arundinis miraculosam iuncturam admiratus, asseruat, manus abstinet, neque eam amplius ad piscandum ausus est assumere: nempè, quam præpotens ille Deus quasi manu consignasset. Ipsa porrò arundinis fragmina aliquamdiu penes Ludouicũ Granatensem fuerunt, ad miraculi tum fidem, tum memoriam, Christianamq; lætitiam. Neque cuiquam hoc incredibile videri poterit, Dei Genitricis potentiam cum immẽsa bonitate coniunctam, matronæ, quæ Virginem mœsta inuocauit, mores amabiles, & nutricis, quam simul adiutricem expetiuit, sanitatem ponderanti. Est insuper Dei Opt. Max. consideranda clementia, qui se implorantibus, siue leuis, siue grauis est, & arcta necessitas opitulatur, & succurrit in tempore, & si quod bona illa coniux timebat, leue non fuit: posset enim grauiter maritus offendi; & grauius in famulam sæuire, quàm res ipsa deposceret. Nam parua scintilla maximum sæpè mouet incendium; & hæc quidem minima curæ esse immortali Deo, S. Bonifacij apud D. Gregorium exemplo monstratur; qui puer paruulus in suæ domus ostio consistens, vulpem vidit irrumpentem, gallinamq; vnam repetita iniuria rapientem; id enim sæpè alias vulpes factitarat. Tum sanctus puer in templum aduolat, hisque verbis nouus hic Samuel Deũ affatur immortalem. Summe Pater, & pauperum patrone singularis, hæc ne tibi animum rapina placeat, quas alit mater mea, suam indigentiam vtcunque sustentans. Succurre, succurre, egenorum fautor egregiè, & quam graue damnum mea parens faciat, quia non tetigit, nostram iacturam miserare; & cùm, precatione absoluta, ex templi foribus exisset, ecce tibi vulpes illa regreditur, gallinamque restituit, quam ore premebat, & dentibus; vulpemque ad pueri pedes corruentem vi-

D. Greg. li. 4. dialog. ca. 9.

ta de-

ta defecit, vt sanctus ille pusio, mali sublata causa, sollicitus esse desineret. Quis igitur supremi illius dominatoris nostri Dei lenitatem non agnoscat in suos, præsertim simplices, ac doli prorsus expertes? quem cæli non modo timent, verum etiam tremunt; cuius nutum orbis vniuersus obseruat, his pueruli querimonijs facilem se præbet, & voto respondet, & in minimo damno resarciendo tardare non vult. Hanc quidem Bonifacij historiam admiranti Petro diacono, D Gregorius sapienter occurrit, & ad Dei prouidentiam mirabile hoc factum refert, ac reuocat, qui suos seruos ad maxima perenda minoribus his incitat, ac prouocat. Gregorij hæc ipsa sunt verba: Hoc, Petre, ex magna conditoris nostri dispensatione agitur, vt per minima, quæ percipimus, sperare maiora debeamus. Exauditus namque est in rebus vilibus puer sanctus, & simplex, vt in paruis disceret, quantum de Deo præsumere in magnis petitionibus deberet. Hæc Gregorius, veraque prædictio; nam diuo huic Bonifacio multa sunt in adulta ætate miraculosè concessa: vnum, quod est Virginalis huius historiæ, recensebo, quod me idem sanctus docuit Gregorius.

Ibidem.

§. 67.

Sozomen. histor. lib. 7. c. 1. & 5. Methaphr. in vita sancti Marcia. presbyt.

SOzomenus histor. lib. 7. cap. 1. & 5. & Metaphrast. in vita S. Marciani presbyteri. Gratianus Catholicus Imperator, & Nycænæ synodi defensor acerrimus, legem promulgauit, qua tenetur sanctificatus est, velle se, vt cuncti eam religionem agnoscerent, & agnitam retinerent, quam Princeps Apostolorum Petrus Romanis initio tradidisset, quamque illa ætate Damasus Romanæ antistes Ecclesiæ, & Petrus præsul Alexandrinus obseruarent, illique Catholicæ solum Ecclesiæ censerentur, qui sanctissimam Triadem honore pari suspicerent: & reliqui hæretici dicerentur, & supplicium impietati debitum sustinerent: paulò post, Constantinopolim venit, & Ecclesias ab Arianis Demophylo antesignano occupatas offendit. Gregorius verò illis præsidebat, qui tres diuinas personas vnius esse naturæ, atq; substantiæ Catholico more sentiebant: & hic quidem Dei Ecclesiam vnà cum orthodoxis in parua domuncula precandi causa constructa, bono exemplo pastoris congregabat; quæ domus omnium, quæ in Vrbe erant, templorum gloriam, & splendorem, ingens facta basilica, superauit, non modo ædificij venustate, sed miraculorum etiam salubri granditate: nam plurimorum morbi sanabantur, indigentiæque subuentum, beatæque Mariæ Virginis benignitas illa fuit, quæ sua multos præsentia recreabat. Ea Ecclesia, Anastasia dicta est, quòd Nicæni dogma Concilij hæreticorum fraude sepultum, & diuini agricolæ semen, erroris lolio succrescente oppressum in illa æde reuixerat, & vera fides surrexerat, Gregorio prædicante. Sunt, qui existimeat, ob prægnantem mulierem, quæ ex illius Ecclesiæ pergula sublimi delapsa, & mortua filium precatione reuixerat, fœtu incolumi, dictam esse Anastasiam. hæc ita Sozomenus. Metaphrastes hanc basilicam, quæ breuis, & angusta fuerat, Gregorium cognomento theologum prædixisse ait multo maiorem, ampliorem quæ, quàm tum esset, in posterum esse futuram; & cum Martianus ad immortalitatem, & gloriam sempiternam natus, hoc Gregorij vaticinium memoria repeteret, ad Anastasiæ hoc templum dignius exornandum, animū quamprimum appulit, neque operis vel magnitudine, vel sumptibus retardari potuit, quominus molitioni manus alacriter admoueret. Eam porrò rationē iniuit, vt antiqui templi forma integra, atq; intacta remaneret ad theologi vaticinium comprobandum: nouum siue, tum maximum, tum pulcherrimum ab ipsis fundamentum excitaretur; quod sphæricum, & rotundum, atria, porticus,

Gratia. Damas.

Martian.

vestibulaque claudebant, ac veluti lunam stellæ cingebant. Columnarū proceritatem, splendorem, colorem, exquisitos lapides, præstantiam, orbis dignitatē, auri vim, picturas, vasa, donaria facilius erat animo, quàm oratione complecti. Secuta templi dedicatio est, magna sacrorum cæremonia, Bizantiorumque lætitia. In hoc templo Deipara homin bus se præbuit salutarem: morbos enim fugauit, dæmones expulit, venefica sustulit, omniaque malorum genera profligauit; eoque diuinæ parentis beneficentia peruenit, vt quæ in hoc templo Deipara, vel miracula edidit, vel beneficia præstitit, enumerare nihil aliud esset, quàm immensum mare cyatho velle metiri: vtar enim Simeonis Metaphrastæ verbis, & eloquentis, & vera dicentis historici. Neque verò Diuo Martiano hoc Anastasiæ, Deiparæque templum, in quo tam se præstabat mater, & Virgo mirabilem, satis fuit: multa præterea vir inclytus partim refecit, partim à primis inchoata lapidibus, ad finem, fastigiumque perduxit. Quas vero ædes ædificasset, earum mirabilis erat exstructio, operosa species & pulchritudo singularis, & ipsis inspectoribus stuporem injiciebant. Cum inde oculos ad alia conuertissent, infinitis partibus meliora, quæ noua aspicerent, quàm quæ paulo ante vidissent, iudicabant. Pueros studiosè docebat, egentes benignè subleuabat, petenti aliquando eleemosynam, cū nihil aliud tunc esset, quod dare posset, tunicam dedit, qua se vna tegebat. Ad altaris autem sacrificium solas sacerdotū vestes adhibuit. Visum est tamen ijs, qui aderant, pulcherrima quadam veste Martiani corpus intus ornari, qualem Reges induere solēt ad dignitatem muneris declarandā, quæ tum maximè fulgebat, cum Christi sanctissimum corpus ad altare venientibus dabat, diuinissimique dispensatione cibi fidelium animos, mentesque pascebat. Noctu ciuitatis plateas obibat, si quem mortuum reperisset, lotum, & linteis inuolutum humabat: interdum pro amore cum eo ipso loquebatur, quem sepulturæ mandabat, ipseque mortuus (rem mirabilē, illisque dignam & moribus, & temporibus) gratias suo vispilloni agebat Martiano, quem complectens, valeteque iubens, iterum mortis somno sopitus, ruebat in terram. Apud quendam argentarium noctu permutabat autū, vt leuioribus, minutioribusque monetulis hæc misericordiæ negotia transigeret, & ad illa coemenda, q- quotidianus vsus efflagitat, pecunia ex ære suppeteret. Ad argentarios nocte venientem Martianum, & popularem plausum fugientem, pondere, ac precio fraudabant, neque minoris monetæ tantum reddebant, quantum aurea numismata Martiani valerent. Martianum fraus non latuit, sed scire dissimulans, permutare perseuerabat, & in cadauerum sepulturas monetam ab improbo argentario, inæquali pondere acceptam liberaliter expendebat. At nummularius Martiani per certum hominem nocturna illa benefacta explorans, sic est animo compūctus, vt venia petita, quicquid doloso furto subripuit, Martiano Dei cæconomo cumulatè persolueret; Dei enim amantium hic mos est, vt expectando potius, quàm exigēdo, ablata repetant, perditaq; recuperēt. Meretrices ab illo quæstu miserrimo abductas, ad vitam meliorē reuocabat. Si festus ageretur dies, ille præsertim, cuius ob Christi, matrisuè memoriam, maxima sanctitas esset, atque religio, venales has mulierculas, vti se continerent, rogabat, multoque plus illis donabat, quàm quod ipsæ ex detestabili, nefarioque flagitio comparare potuissent. Ex his plurimas è lupi faucibus in perpetuū eripuit, ex quibus aliæ in monasteria se includebant, alias Hierosolymā peregrinantes Martianus viatico prosequebatur. Multæ eo sanctitatis ascenderant, vt morbos ex hominum corporibus oratione depellerent,

& dæ-

& dæmones, quibus aliquando seruierant, vt minimè mirandum sit, in illo templo Virginem Deiparam, tam beneficam, & salutarē fuisse, quę & sua sponte misericors est, & ad fabricæ interdum respexit authorem.

§. 68.

Vilhel. Abbas S. Theo. in vita sancti Bernar. lib. 1. cap 12.

Gratia.

VVilhelmus Abbas sancti Theodorici in vita sancti Bernardi li. 1. c. 12. Bernardo doctori, confessoriq́ue præclaro, ipsisq́ue hæreticis admirando, sic olim molesta pituita fuit, vt perēni distillatione, morti putaretur esse vicinus, ipsecq́; pænè deficiente spiritu, ante Dei tribunal sibi visus est sisti. Aderat mēdacissimus accusator diabolus, qui tamen Bernardo, pro se in maxima corona causam dicēte, fractus, & abiectus obmutuit. Rursus in illo quasi mortis, & vitæ cōfinio, ad littus maris, non corporis passibus, sed peregrinæ, & attonitæ mentis gressibus iuit, vbi nauem, qua transuehi posset, sibi visus est expectare; quæ ad littus applicita, in aquas regressa est: simulatque Bernardus pedem parauit inferre, iterum, ac tertio ad littus maris appulsa, introeunte Bernardo, retrocessit, & conscendere parantem ludificauit. Demum, relicto Bernardo, nauis ire visa est, & nunquam remigrare; ex quo viso diuinus Doctor intellexit suæ nauigationis tempus nondum aduenisse: cumq́; dolor in dies augeretur, eoq́; plus afferret molestiæ, quo minor ex superiore visione Bernardi exitus ostendebatur spes, & fratribus dè more ad salutarem lectionem adeuntibus, duo tantum remanerent, vt in valetudinario iacenti Bernardo præsto essent, dolore faces admouente, atque ægroti vires superāte; vnum exillis duobus precatum iussit abire, se indignum profitentem, ac vitæ maculas accusantem, obedientiæ iure compellit, quę imperandi grauissima auctoritas est: iuit ergo, & ad terna sacelli preces fundit altaria, primum Deiparæ, alterum Diui Laurentij martyris, tertium sancti Benedicti, qui occidentales terras, monasterijs, ideſt, cælestibus plantarijs, omniū primus ornauit. Nec mora, Bernardo misericordiæ mater adest; Laurentio, & Benedicto comitibus Reginam, Reginæque administros vel primo aspectu Bernardus agnouit: ea quippe se figura ostenderunt, quæ digito monstrari posset, nulloq́; negotio dignosceretur. Porro suis quemque nominibus appellare cupienti, affectam dolore partem manibus, leuissimè, atque indulgentissimè Regina, & aulici tractauerūt, morbumq́; omnino depulerunt. Itaque pestilens ille riuus exaruit, secutaque felicitas, & ex siccitate sanitas.

§. 69.

Laur. Sur. de vita Sāctor. Septemb.

Gratia.

LAurentius Surius de vitis Sanctorum mensis Septembris In ea ara, quam Gerardus ad honorem beatissimæ nostri Seruatoris Matris excitarat, thuribulum argenteum collocauit, duosque prouectæ ætatis homines adhibuit, qui perpetuò vigilarent, darentque operam, ne vnquam thymiama, odoramentumque deficeret: ad hanc eandem Virginis aram Gerardus singulis sabbathis cum nouem lectionibus, vt in celeberrimis solemnijs fieri solet, magnisque laudum præconijs, suæ pietatis explebat officium, & amorem, quo erga cæli Reginam esset affectus, ostendebat. Cæteris autem diebus, matutino penso absoluto, in eundem locum cum sacra pompa veniebat: quam eandem supplicationem, pompamque, post vespertinas preces, quotidie repetebat. Nihil vnquam denegauit, quod Diuæ Mariæ nomine peteretur, adeo vt si quis reus ab Episcopi familiaribus edoctus, errāti veniam sacrosanctę Virginis interposito nomine postularet, nulla intercedente mora, concederet, sontemque impunitum abire sineret, suumque filium

filium fore diceret, modo sanctissimam Virginem Dei esse matrem sincera fide fateretur; quę vna ex illis est rebus, quā, si non imitabimur, tamen laudabimus, admirantes. Virgini gratificantur, qui scelera pœnis debitis vlciscuntur; Gerardo tamen indulgentia, ex Virginei nominis reuerētia, benè vertebat; quod in omnes Episcopos conuenire non potest. Hoc ipso Gerardo authore, Deipara à Pannonibus, Domina est semper appellata: qui vero de intemerata Virgine loquens, Dominæ nomen tacuisset, ei ex Gerardi lege, genua illico flectenda erant, & corpus humi prosternēdum. Iure igitur, ac meritò vniuersa Pannonia à sancto suo Rege Stephano, Gerardi, qui eius æqualis, amicissimo, familia sanctę Mariæ dicta est, appellataque semper. Cæterum Gerardo decursu temporis, ab impio quodam tyranno, qui Pannoniā, post Stephani obitum occupauit, pro Christi nomine illata mors est, quò Episcopi dignitatem, cum martyrij honore coniungeret. In quo illud memorabile fuit, quòd primus Pannonū martyr, prothomartyris Stephani imitatorē se præbuit. Cum enim lapidibus opprimeretur, flexis in terra genibus, contenta voce clamabat, Domine Iesu, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt, quid faciunt. Hæc precatus, hastæ percussu, obdormiuit in Domino.

§. 70.

De varijs apparitionibus beatæ Mariæ Virginis.

PRimum tempus est à nobis explicandum, cum iam pestis Pauli Samosatheni erumperet ex inferis, vt humanum genus, si fieri posset, omnino inquinaret: actum Virgo sanctissima, vnà cum Ioanne Apostolo, Gregorio illi Thaumaturgo, cuius sanctimoniam, doctrinamq; simul tota antiquitas est venerata, apparuit, & quænam catholica veritas esset, edocuit; quod Gregorius Nyssenus in eius vita scribit, formulamque fidei, qua confutatur & Arrij scelesta opinio, affinis Samosatheni, litteris commendat. Quocirca & adfuisse tantum virum Concilio Antiocheno, tempore Aureliani Imperatoris, testatur Eusebius. Hæc autem formula per Deiparam, Ioannemq; Apostolum Gregorio tradita mirificè iuuit omnes Orientales aduersus Arrij impietatem. Hinc Basilius epistolis ad Neocæsarienses tanti viri authoritatem sæpe in medium profert, & epistol. 75. ac libro de Spiritu sancto, magnumque sæpe illum vocat. Huius mirandi viri meminit etiam Nicephorus Callixtus. *Greg. Nysse. Hist. lib. 7. cap. 22. Epist. 62. & 64. Nicephorus lib. 6. cap. 17.*

Quòd si in hac parte fidem non abrogamus ei, qui vitam Basilij scripsit, & nomine Amphilochij circumfertur; secundum tempus erit, cum Iulianus Ecclesię ruinam meditaretur simul, ac moliretur; quo tempore Basilius precibus intentus, vidit Deiparam, quæ Mercurio martyri iussit, vt hasta Iulianum transfigeret. sed quicunque ille fuerit, qui vitam Basilij scripserit, haud curandum nobis: visum namque illud verissimum fuisse multis testimonijs Nicephorus confirmat. *Niceph. lib. 10 cap. 35.*

Neque verò ad Ecclesiæ totius pacē componendam minus profuit illud tertio loco, quod de Nicæta idem tradit: nam, cum dissentirent inter se orientales, & occidentales Episcopi ob electū Ioannem Chrysostomum, maximumq; ob id esset in Ecclesia dissidium, alijs alios excommunicantibus; Cyrillusque in primis patriarcha Alexandrinus Chrysostomo infensus esset, in somnis admonitus à Maria, resipuit, & pax inter omnes Catholicos conciliata, finisque implacabili, & maximæ discordiæ datus. *lib. 14. c. 28. Gratia.*

Quartum sit illud. Procopius, & Agathias multis laudibus extollunt Narsetem is Gothos Arrianos multis à se prę- *Procopius Agathias.*

lijs fusos, ac domitos, in seruitutem, liberata *Gratia.*

berata Italia, redegit; monitis autem Virginis sanctissimæ, cuius ille erat studiosissimus cultor, cunctas victorias reportauit: nihil namque arduum aggrediebatur, neque signa cum hostibus cōferebat, nisi de consilio illius, quod Nicephorus idē memoriæ prodidit. Quòd igitur è tyrannide Gothorum fuerit erepta Italia, quòd Arriani hæretici ex illa expulsi, Deiparæ debetur.

lib. 17. c. 13.

Gratia, & Vindicta.

Quintum sit, cum propter ignauiam Phocæ tyranni, crudelitatemq; in suos, Persæ cunctas Asiæ regiones vsque ad Chalcedonem cepissent, neque illæ reipublicæ ruenti opem ferret, Heraclius in Chosroam bellum mouit, & accepta Virginis imagine, à Stephano metropolita Cyziceno, ipsum vicit. Deinde rursus imaginem Christi haud manufactā secum deferens, Persas, qui non Asiam modo, sed & Syriam, Aegyptum, Lybiamque, & Carthaginem ceperant, debellauit, in suamque potestatem abduxit, præsidio duarum imaginum Deiparæ, & Christi: hæc omnia fœlicissimè, rebus iam desperatis, ad exitum perducens, vt Paulus Diaconus, qui fuit his temporibus, scribit.

Paul. diaco.

Sextum; cum Copronymus omnium flagitiosissimus Imperator, ac post illum, Leo Armenus, bellum sanctis omnibus indixissent, eorum reliquias omnes exterminarent, Catholicos ferro, & igni persequerentur, Virginis interuentu aperto contigit, vt Copronymus quidem cœlesti igne fuerit arreptus, dumq; illo miserabiliter excruciatus, comburetur, exclamarit, se viuentem flammis inferis addictum, precarique, vt Maria, meritis laudibus, quibus sibi placaretur irata, ornaretur, sed paulò post, impius decessit, vt author Miscellæ tradit. Rursus, cum Leo Armenus vestigijs Copronymi insisteret, mater eius vidit in somnis Deiparam, quasi in æde sibi in Balchernis Constantinopoli dicata, iubere, vt ei propinaretur è vase pleno cruoris, Ecclesiæ pauimentum cooperientis; quod cum auersaretur illa, Regina cæli dixit: Atqui tuus filius haud finem facit effundendi sanguinis eorū, qui me venerantur, ideoque haud cessat in se Deum, filiumq; meum prouocare. Hoc visum narrat Zonaras, neque multo post Leo Armenus est interfectus.

Copron. Imperat.

Leo Armen.

Vindicta.

Author. Miscella.

Zonaras.

Septimum tempus est, cum Fridericus secundus in occidente nihil non ageret, vt potestatem Pontificiam funditus euerteret, ferroque, & igni cuncta misceret, Oriens autem totus à nobis esset abalienatus, Saladinus in Syria nostros profligasset; tunc enim vidit sanctissimus vir Dominicus iratum generi humano Christum, quasi fulmina in terras missurum: Mariæ verò precibus mitigatum, destitisse à proposito consilio, quod in eius vita notatur. Et sanè tranquillitas maxima ex illo tempore subsecuta, hæretici Albigenses, cæteriq; innumeri, Europam polluētes, extincti, Prussia, Liuonia, Lithuania, cæteræq; his finitimæ Regiones, & in his, quędā Tartarorum, vt signo de fidei propagatione est explicatum, Christiano cultui sunt adiectæ. Mahometani ex Hispania tota depulsi: plurimæ in Africa Vrbes, & Insulæ, vsque ad æquinoctialem circulum nobis acquisitæ.

Gratia, & Vindicta.

Dominico.

Octauum tempus est nostrum, quod videtur omnium maximè turbulentū, & quo potissima pars Septentrionis ab Ecclesiæ obedientia recessit. Oriens, Africæque plurimum, & Græcia in potestate est Mahometanorum; atque hoc in primis contigit, vt maxima miracula per imaginem Mariæ in Indijs occidentalibus efficerentur, quibus latè Christiana religio propagaretur. Insula Cuba est è maioribus, quas Oceanus in ijs oris circundat; in hac regulus quidam victorias multas est consecutus aduersus finitimos populos, nō alia ratione, quàm quòd vsus est Christiano quodam duce copiarum suarum. Is autem pergebat in hostes, gestans in pectore imaginem Virginis, ac protinus illos in fugam

Gratia.

versos superabat. Cumque, dissensione orta inter Indos, praestantior ne foret imago Mariæ, an verò Indicorum Deorum, idcirco ad arma veniretur; contenere, vt in lata quadam planitie duo iuuenes hinc inde brachijs ad terga ligarentur arctissimè, & duo quidem nomine Mariæ ab aduersaria parte vinculis obstringerentur, duo verò Indicorum deorum nomine similiter ab alia parte ligarentur; quorum autem manus sponte soluerentur, ij victores essent, ac pro veritate crederentur pugnare. Res ita acta, & continuò innumeris videntibus, inclamante Regulo: Aue Maria: adstitit matrona mirabili maiestate, quæ ad suos appropinquans, & virga manus tangens, illos exoluit, vinculaque se ad alios duos ex aduerso positos deuinciendos continuò contulerunt. Quo peracto, visum est idem certamen renouari, ac rursus idem mirabiliter euenit. Hoc passim diuulgatum, plurimos ad Christum traduxit, atque hoc satis, quantum ad Indias Orientales.

Quantum porrò ad Occidentales, illud certum, anno millesimo quadringẽtesimo nonagesimo septimo, Vasquiũ Gemam ab Emmanuele Rege missum detexisse Indias Occidentales, aditumque ad illas aperuisse auspicijs Deiparæ. Quocirca Emmanuel Rex in ora littoris Olysiponensis templum Virgini excitauit, vt Petrus Maffæius lib. 2. historiæ Indicæ, & Osorius primo tradunt. Illud præterea in Africæ locis ad promontorium bonæ spei contigit, vt Rex Benopotamæ potentissimus Christo se dederit hoc occasione, quòd in somnis sæpè viderit matronam quandam secum loquentem, cuius cum mox imaginem depictam conspicatus esset, illa autem Virginis erat; cum plurimis est baptizatus, vt retulimus signo de miraculis in fidei propagatione editis. Atque ex his omnibus constat, visis, monitis, & ope Virginis Mariæ, adiutam semper in maximis necessitatibus Ecclesiam Dei, cõseruatumque, & amplificatum Christi cultum. Quod cum non contigerit Græcis, ex quo se à nobis alienarunt, neque populis alijs, certissimò colligitur; nos esse ex Ecclesia Dei, neque verò hæc spectra, falsa dici possunt, è spectris enim falsis, Christi cultus haud dilatatur, neque illa dæmon effingeret, è quibus cognosceret sibi, & suis vires minui, Christo autem, & sectatoribus eius augeri.

Petr. Maffe. lib. 2. histor. Indic. Osor. 1.

Gratia.

§. 71.

EX liturgia, quam sexta Synodus generalis, habita Trullis, agnoscit, vt constat ex cano Iacobus de consecrat. dist. 1. Hãc historiam Proclus grauis author obseruat, ac suspicit. Apostoli, quos ipsemet Christus noster Dominus erudiuit, Apostolorumq; discipuli, colendæ Mariæ Virginis, amandæq; rationem, cum ipso nutricis lacte suxerunt. Hinc ignitus Ignatius Virginis amore flagrauit, ad primum Mariæ Dei matris aspectum Areopagita Dionysius obstupuit, Lucas vnam, & alteram diuæ matris expressit effigiem; vtq; Marię lineamenta, qui eam de facie non norant, viderent, diuini huius pictoris diligentia, charitasque perfecit. Sanctus quoque Iacobus, Christo moribus, faciecq; simillimus, in sua illa liturgia, & sacrificandi Christiana forma, Mariam excellentissimis nominibus appellare non desinit. Vocat preciosiorem Cherubim, gloriosiorẽ Seraphim, & eorum donorum cumulum, quæ à Deo Virgo mater accepit, superlata quadã voce, significat: id enim sibi vult, superbenedictæ nomen, quo Dei mater à Iacobo primo Hierosolymæ Episcopo compellatur. quin & hortatur populum, vt cum presbytero sacra faciente, non modo reminiscatur Deiparam, sed imploret etiam, atque inuocet, id quod verba illa demõstrant: *Commemoremus sanctissimam, gloriosissimam, immaculatam, benedictam Dominã nostram Dei matrem, & sempiternam Virgini-*

Sexta Syno. gener.

Proclus.

tate.

tate præditam Mariam, sanctorumque omnium memores simus, vt eorum precibus, atq; intercessione misericordiam cõsequamur. Post illa verba sacerdotis precantis Deum, vt sanctorum suorum rationem habere dignetur, sed præcipue Virginis super omnes, ac præ omnibus benedictæ: chorus illa subjicit, atque respondet: *Dignum est, vt te verè beatam dicamus Deiparam, culpæ prorsus expertem, in quam reprehensio non cadit, Dei nostri matrem, honorabiliorem Cherubim, gloriosiorem Seraphim, quæ Deum verbum incorrupta peperisti. Te proinde verissimè colludamus, & magnificis verbis extollimus. Tibi, ô plena gratia, rerum vniuersitas gratulatur, Angelorum cœtus, & hominum genus applaudit, templum sanctitatis, paradisus mundissimæ volaptatis, quasi spiritus ipse reficitur, & animus recreatur, gloria Virginum, ex qua Deus corpus assumpsit, & puer factus est, qui ab omni æternitate sua, vi, & potestate coherens, idem, & semper est vnus. Tum ille vterum suum, thronum fecit, cælisque ipsis reddidit ampliorem. Tibi, ô gratia plena, mundus acclamat, gloria tibi. Hæc in Iacobi formula; etsi nos non omnia iisdem verbis reddidimus, sententia continentur.* Ex hoc fonte suarum liturgiarum hortos Basilius, Chrysostomus, Ambrosius interrogarunt. Mariam enim tertio quoque verbo compellant, nominant, laudant, inuocant, comprecantur. Quæ Cyrillus Hierosolymitanus in suis mystagogicis ponit; ab hoc eodem Domini fratre desumpsit: *Sursum corda*, ab hoc habe Apostolo: quæ de immensa Dei gloria Cyrillus idem præfatur, ante sacra mysteria, huc referri debent. Et illud: *Orate pro viuis, & defunctis.* Quodque diaconus inclamabat, ante Eucharistiæ perceptionem: *Osculamini inuicem in osculo sancto*; accepturis illud intonabat: *Sancta sanctis*: inter sumendum, illud ex Dauidis hymno repetebat: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Syrij Apostolorum primi discipuli in sacro sacrorum, quam missam dicimus, salutationem Gabrielis adhibent, & ea salutari inuocatione concludunt: *Pax tibi, Maria, gratia plena, Dominus noster tecum, benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus, qui est in vtero tuo, Iesus Christus Sancta Maria Mater Dei dulcissima, ora pro nobis, pro nobis* (inquam) *peccatoribus. Amen.* Extat Aethiopum missa peruetusta, vbi hæc est inserta precatio: *Ora pro nobis apud Iesum Christum, vt misereatur animæ nostræ, ora pro nobis in conspectu throni filij tui Iesu Christi; lætare immaculata, verè Regina, lætare gloria nostrorum parentum, quia peperisti nobis Emanuelem. O verè internuncia, atque sequestra ante Dominum nostrum Iesum Christum; te supplices exoramus, vt memor sis nostri, ora pro nobis, vt deleantur iniquitates nostræ.*

Cyrill. Hierosolym.

Psal. 33. vide sancti Seuer. patriar. Alex. precationes nuper latine conuersas.

§. 72.

IVlianus Pomerius Ecclesiæ Toletanæ præsul, Rodericus eiusdem Vrbis Antistes, Ioannes Mariana libro 6. de rebus Hispaniæ cap. 10. eisdem verbis erant preces illæ de Virgine: expectationem partus dicimus. Ex Gallia, Gothica, Pelagius quidam, & Helladius profecti veteris Heluidici insaniæ scintillas in Hispania exsuscitare inceperunt, Mariam Virginem negantes, perpetuò Virginitatem retinuisse. Horum furorem ne patientia confirmaret, audacia, aut mora, crescceret, malum sibi Ildephonsus impugnandum sumpsit, cominus disputando, eminus libro euulgato, in quo perpetuæ Virginitatis patrocinium suscepit. Ea diligẽtia, erroris semina dissipata, compressiq; nefarij eorum imposterum conatus; operæ nauatæ merces, vestis à cælo allata fuit. Cum enim, ad nocturnas preces persoluendas mense Decembri ipsa nocte, quæ festum Annunciationis diẽ, nuper à parentibus institutum, præcedebat, templum maximum visum est maiore fulgore micare, quàm, vt oculi mortales ferrent. Tunc cæteris, aliò, atq;

Iulian. Pom. Eccl. Tolet. Præsul. Rodericus. Ioan. Maria. Pelag.

aliò delapsis præ terrore, ad aram ipse progressus, cū nixus de more genibus, preces funderet, in cathedra, vnde is ad populum concionari erat solitus, astantem beatam Virginē in angustiori, quā pro humano habitu specie, his eum verbis compellan ē auditi: cultæ in tuo corpore Virginitatis, cum mentis puritate, fideique ardore coniunctæ, Virginitatis defensæ præmium erit, ex cęlesti thesauro, nostroq; munus allatum. inter hæc verba, vestem suis manibus capiti inseruit; hac (inquiens) filij mei mea, quę toto animo festa recurrunt, celebrato: comites, receptis à pauore animis, cum ad Præsulem accurrissent, toto iam spectaculo ex oculis sublato, fermè exanimatū inuenerunt. Tum metus, tum admiratio vocem intercluserat, oculi tantum in lachrymas soluebantur, quòd neque pares beneficio gratias agere posset, neque Virginem alloquio morari. Sic nimirū, susceptas pro pietate actiones, consueuit diuinum numen munerari. Cixilla Ildephonsi successor hæc omnia memoria propagauit, ex ore Vrbani Archiepiscopi, atque Euantij archidiaconi accepta; quibus per ætatem licuit rei gestæ miraculo interesse. Lapis, vbi B. Virgo vestigio constitit, in ipso templi Toletani aditu, mōstratur cratibus ferreis inclusus, rei tantæ monimentum.

Cixilla. Accidit præterea eodem anno, vt Cixilla sentire visus est, aut (vt alij malūt) proximo 9. Decemb. die, qui dies Virginis Leocadiæ memoriæ sacer est, vt ad ipsum Leocadiæ tumulū, Rege præsente, atque Præsule sanctissimo sacris operante, sepulchri lapide, quo tegebatur, & quem vix triginta valētissimi homines loco mouere potuissent, sponte sublato, tumulo egresso, Leocadia manum Ildephonsi tangeret, atque in hęc verba prorumperet; Ildephonse per te vicit domina mea, tum vniuerso populo metu exanimato, Ildephonsus in Leocadiæ Virginis laudes effusus, vrbis ei, atq; Regis patrocinium commendauit, cupiduscq; rei tantæ ad posteritatem certo testimonio propagandæ, gladiolo, quem ex vagina detractum Rex ea de causa obtulit, veli partem, quo Virginis caput tegebat, priusquam se reciperet in sepulchrū, abscidit. Ea veli pars cum gladio ad hanc diem in sacro Toletani templi ærario conseruatur, & visitur.

§. 73.

ZOnorasin Copronymo, Nicephorus li 22. rerum Romanarū, & reperitur in scriptis S. Ioānis Damasceni, bonorū, quibus in vita fruimur, fons est nascendi principium, quod habent à Virgine sacra permulti, quorū ducem esse volumus Stephanum illum minorem, qui martyrium passus est tēpore Constantini Copronymi propter sanctarum imaginum honorem, & cultum. Hīstoria vera est, & grauius vertit è Græco in latinum sermonem Iacobus Bilius Pruneus sancti Michaelis in heremo abbas doctissimus. Habetur inter scripta sancti Ioannis Damasceni copiosiora post tres de imaginibus orationes, nec dubito, quin aliquis Damasceno non dissimilis hæc ipsa conscripserit. Sanctus Stephanus Constantinopolitanus ciuis Anastasij pestiferi Imperatoris natus est tempore, qui alio nomine dicebatur Arthemius. Porro Stephani parentes pij fuerunt, atque religiosi, benigniq; miserrimis. Diuina ijdē templa crebro visebant, donisque, & muneribus sine intermissione cumulabant; nam, etsi duarum parentes erant filiarum, tamen, quòd virili prole carerent, fœcunditatem illā orbitatis instar esse arbitrabantur. Quare ab immortali Deo, rerūq; omnium largitore poscebant, vt marem tandem aliquando procrearent. Idque tum potissimum faciebant, cum in Blachernio, Deiparæque templo versabantur. Cum autem, illo augustissimo die, qui patienti Christo sacer est, pernigilium inibi de more celebrarent, Anna

Zonoras in Capron. Nicephorus lib. 22.

Gratia.

Iacob. Bil.

inclyti

inclyti Samuelis, antiquæ illi parenti, nomine, votoque persimilis: *Cùm* (vt Scripturæ verbis vtar) *Deum flens largiter orauisset, & coram Domino preces multiplicasset.* Et cum Dei Genitricis imagine, in qua tamen venerabatur, agnoscebatque Deiparam, tanquam cum viua disseruisset, seque, si quod optabat, consequeretur, quem peperisset, Iesu Christo ipsius filio deuoturam promisisse; sub precandi finem, somno abrepta, matronam, incredibili quadam forma, fulgoreque præditam cernit, quæ ipsius pedem vellicans, abi (inquit) in pace, muliercula, erit tibi in vtero filius, quemadmodum postulasti: hæc vbi est locuta, discessit, Anna surgit, admirans, & eorum memor quæ audierat, intima voluptate perfunditur. Edito tandem in lucem partu, veluti quodam pacti, promissiq; præludio, ad Blachernense templum cũ marito profecta, filium ei, quem acceperat, obtulit: cape (inquiens) Dei mater hunc carissimum filium, quem tuo beneficio concepi, peperique nono post mense, accipe, quem tibi, & vnigenæ filio tuo, vel ante ipsam conceptionem dedicaui. Hęc cùm dixisset, coniugemque manu prehendisset, digito in Virginis imaginem intento, hæc, ait, vir suauissime, vt desideratum nostrum Stephanum parerem præstitit; vt mascula nobis proles esset, hæc ipsa perfecit. huic ergo postulatum meum credens, atque committens, voti compos euasi. Agnoscebat Deiparę donum ipsius imaginem venerata. Igitur gratijs beneficentissimæ Dei nostri parenti habitis, actisque domum redierunt. Puer autem, vbi primum ad eam peruenit ætatem (libet explicare historiam, vt Virginis qualia sunt dona, noscamus) quæ studiorum capax esset, deductus est ad ludimagistros, apud quos quantum profecerit, res facile declarauit; nam ad egregiam naturam, librorum, & diligentiæ quasi pennas adiungebat, & ad doctrinæ perceptionem duplicis alæ subsidio celerrimè conuolabat, ac velut generosus equus per planitiem cursu incitatissimo ferebatur. Illud quidem sedulò agebat, vt non modò litteras, sed virtutem etiam sibi vno, & eodem tempore compararet; illis mentem vt excoleret, hac mores, & vitam ornaret. In sacris ædibus, dum Scriptura legebatur, rectus stabat, totusque eorum, quæ dicebantur, auditione defixus hærebat. Diui Chrysostomi libros studiosissimè lectitabat, cuius amore incredibili tenebatur. Hac igitur ratione mores suos ita conformauit, vt os à iureiurando purum seruaret, inanem sermonem neque ipse proferret, neque alijs excidere pateretur: à suspicionibus, & earum filijs, detractione, maledictioneque vehementer abhorruit, delicias, diuitias, falsam gloriam, iactationem fortissimè, constantissimeque reiecit, atque ita se in omnibus gessit, vt Virginis donum, mirabileque munus possemus agnoscere. Cùm autem ferocissimi Leonis Isaurici impia tyrannis omnia perturbaret, Stephanique parentes, promissi memores, filium adolescentem in Byzantinis monasterijs, Deo militare haud quaquam vtile esse iudicarent, ad Auxentianum montem, præclarum monasticæ vitæ gymnasium, filium deferre statuerunt: ibi detonsus, ac Christo, & eius matri ex sponsione deuotus, magno esse cœpit exemplo, atque omnium, Abbatisque præcipuè viri sanctissimi virtutes imitabatur. Eo mortuo, Abbas est creatus noster Stephanus, quod munus sanctissimè gessit, multosque celebres discipulos educauit. Leoni mortuo, ad inferosque detruso, filius Copronymus, longè peior, immaniorque succedit, qui & sacras imagines ex templis, ac vasis sacris erasit, & monachis nefarium bellum indixit. Hoc tempore ad Stephanum se conferebant multi fideles, vt consolatorem in tantis malis inuenirent: nam insigne illud Blachernis templum Deiparæ impius Copronymus sa-

1. Reg. 2.

Hoc facinus imaginum ostendarum alij Theophilo assignant.

cris picturis, imaginibusque priuauit. Erat in hac æde magnifica, eximio, præclaroque artificio depicta Christi natiuitas, & venerandorum mysteriorum diuina miracula, descensus ad inferos, & gloriosa Seruatoris anastasis inexplicabili expressa decore fulgebat. Quibus omnibus horrendum in modum abrasis, atque deletis pestis illa, ac furia arborum figuras, atq; auium formas priorum loco substituit; & cùm turpissimus Imperator cum Patriarcha sui simili Stephanum in suam sententiam pertrahere conaretur, eum per Callixtum impium, & nefarium hominem sollicitauit. Legatus, vel leno potius operam in deliniendo Stephano perdidit, cui Cæsaris nomine, dona blandissimis verbis obtulerat. Offensus ea repulsa Callixtus, quendam ex Stephani discipulis, nomine Sergium, ad proditionem sui præceptoris allexit, qui pecunijs corruptus, Aulicalamo, improbissimo homine socio, sanctissimi Stephani mores, vitamque edito libello famoso, proscindit. Stephanum Imperatoris memoriam execrari, eum hæreticum dicere, ac dijs deuouere, Syrium, ac Vitellium appellare, aduersus Regis sui maiestatem nouas artes, consiliaque moliri; denique cum quadam fœmina, cui Anna fuit nomen, eamque Stephanus ipse sanctimonialem fecerat, stupri habere consuetudinem. ad hoc tam impudens, tamque scelestum mendacium corroborandum, Annę ancillulam pecunia corrumpunt, eiq; tum libertatem, tum aulici cuiusdā nobile connubium polliciti, vt aduersus heram, sanctumq; Stephanum consentanea dicat, persuadent. Ergo ad Imperatorem captiua perducitur, sed coram eo obiectum stupri crimen facillimè confutauit, & Stephano mirę sanctitatis constans, & fidele testimonium dedit, quæ in tenebrosum inclusa carcerem, ac verberibus acerrimè cruciata, vt mentiatur, adduci non potest. Vbi hæc ars irrita cecidit, Stephanum Copronymus cum multis Hereśiarchis committi iubet, quos omnes disputando conuicit. quare in Hellespontum relegatur, vbi, cùm desertissima quæq; insulæ loca peragrasset, in speluncam deuenit, in qua Christi Iesu auiæ D. Annæ templū inuenit. Hunc locum non sine diuino nutu reperisse se ratus, in eo domicilium collocauit, & herbarum inibi nascentium radicibus victitabat. Per idem tempus discipuli ab Auxentiano monte repulsi, suum pastorem, præceptoremque indagantes, cùm in Proconesum Hellespontiacam insulam venissent, felici sorte, quem quærebant, inueniunt, & cum suo se Patre, duob⁹ duntaxat fugitiuis exceptis, placidè & amicè coniungunt. Quin & mater Stephani eodem cum filia confugit, & monasticum ibidem institutum amplexa, secundo filij Stephani exilij anno, socia filia Theodora, migrat è vita. Innumerabilia sunt, quæ supra naturæ vires, diuina agente virtute, in illo Hellespontiaco secessu patrauit Stephanus: ex quibus illud taceri non patiar, quòd ad hanc Virginalem historiam maximè facit. Quidam miles, nomine Stephanus, genere Armenus, qui dimidia sui parte contabuerat, & præ morbi grauitate, totus ad terram se inclinabat, miraculorum Stephani fama promotus, ad eum venit, ad pedesq; Abbatis accedens, ea postulauit, quæ accipere vehementer aptabat. Stephanus fidei plenus, & charitatis, cùm ei, qui ægrotabat, Christi & Deiparæ imaginum adorationem, & Christianam reuerentiam imperasset, idq; Stephanus æger effecisset, eum sanum prorsus, & valentem reddidit. Cùm ad castra redeuntem Stephanum admirati commilitones, qua ratione conualuisset, interrogarent, ille à monacho Stephano Proconesi incola duas imagines, vnam Christi, alteram Deiparæ venerari iussum, statim vt obediuit, se valuisse, respondent. his auditis, impij, conscelerati que socij, manibus horrore complosis, væ tibi exclamant,

Vindicta.

Gratia.

mant, qui in idololatriam incidisti. itaque rem deferunt ad Thraciæ præfectũ, qui habita quæstione, ad Imperatorem, magni loco muneris, ex morboso sanum mittit Stephanum. Copronymus, miraculo sanitatis parum attentè animaduerso, militem rogat, num colat imagines? Idola se execrari respondentem, & Christicolarum aduersus sanctas imagines, religionem hoc conuitio hæretico deformantem, Centurionem creat, impietatemque hominis, & ingratissimi, & inconstantissimi, militari illo honore remunerat. Vltrix tamen Dei iustitia ab iniquissimo desertore pœnas illico repetiuit. dum enim ab Imperatoris aula reuersus, in equum parat ascendere, ille subito exiliens, nefarium apostatam ad terram afflictum ruina contriuit, neque ante calcibus, ac pedibus tundere destitit, quàm ingratam, perfidiosamq; animam sceleratissimus transfuga vomuit. Tyrannus hoc facto, ira excandescens, Stephanum ad se Proconeso iubet adduci; illud iterans, quod ne exilio quidem mulctatus, sibi temperaret. at Stephanus, cùm ad Imperatoris tribunal raperetur, Pio quodam & Catholico nummum petijt, & in cucullum furtim inclusit. Vt eum tyrannus vidit, exclamare cœpit, se ab vno homuncione contemni, imperatoriam maiestatem à terræ filio derideri. Stephanus attentione captata, de imaginum sacrarum veneratione cum Imperatore grauiter, sapienterque disceptat, sacræ Scripturæ loca colligit, Patrum testimonia, & Ecclesiæ citat Concilia. Deinde Copronymi & insipientiam, & impietatem grauissima oratione cruentat; qui Christi imaginem, non secus atque Apollinis statuam, & Deiparæ effigiem, perinde atque Dianæ simulachrum & voce, & pedibus violasset. Negante Imperatore, ab eo, qui conculcet Christi imaginem, Christum ipsum continuò pessundari, Stephanus illorum more, qui bellica laude præstant, aduersarium proprio telo ferire statuit, & in cuculium porrecta manu, nummoque, cui impius ille insculptus erat, extracto, Christi verbis vsus; cuiusnam (inquit) hæc est imago, & superscriptio? mirante Copronymo, & respondente; quemnam alium, quàm Imperatorem figura ista refert? quid (instat Stephanus) refert, si quispiam eam in terram proiectam pedibus terat, pœnas ne aliquas luat? quid ni? dixerunt qui astabant, cùm Imperatoriani proculcet effigiem? Hic vir sanctus grauem quendam ex imo pectore gemitum trahens, & magno animi dolore conquestus; ô immanem cæcitatem exclamat. Si pro mortalis Imperatoris effigie, grauissimas pœnas irrogandas esse ducitis, quas tandem eum subiturum putatis, qui filij Dei, ac matris ipsius calcarit effigiem, ignique tradere non dubitauerit? hæc vbi dixit, nummum illum pede, & calce pessundedit, atque identidem conculcauit. Attamen, qui aderant, Imperatoris partim amici, partim administri, ferarum more inuadentes Stephanum, in mare vicinum deijcere conabantur, quos Imperator, simulataque patientia coh buit, Stephanumque ligato collo, & reuinctis post terga manibus, ad publicum Prætorij carcerem amandauit, vt propter violatam Cæsaris effigiem, pœnas lueret, à lege constitutas. Matth. 22.

In carcere Stephanus, vbi vsque ad necis diem prædixerat se esse mansurum, monachos trecentos quadraginta duos inuenit, quorum alij præcisas nares, alij exsectas aures, quidam auulsos oculos, nonnulli truncatas manus habebant; quòd scripta pro sacris Imaginibus edidissent. Itaque ex prætorio monasterium factum esse videbatur. Hoc tempore Catholica mulier, & benè in sacras imagines animata, tres Stephano picturas ostendit, vnam Dei Genitricis, vlnis filium amplexantis, duas Petri & Pauli Apostolorũ, quas, cũ religio-

religiosè suspexisset, atq; adorasset, Stephano dedit; accipe (inquiens) vt hinc tibi mei, id est, mulieris peccatis obstrictæ, memoria refricetur. Quin etiam singulis, & sabbathis, & Dominicis, panis vncias sex, & aquam, quæ ter potanti sufficeret, Stephano, eadem mulier afferebat; hæc enim cibi, potusque dimensio Dei famulo Stephano fuit vnaquaque hebdomada per nouem menses, & dies aliquot. etsi enim menses vndecim exegit in vinculis, tamen morte appropinquante voluit esse ieiunus. suos custodiæ socios Stephanus, Petri, & Ioannis, duorum recens martyrum, exempla recitabat. Ille Blacherius coniectus in vincula, cùm inspectante Imperatore, pro Christi defensa, cultaque imagine, neruis atrocissimè cæderetur, nullum ignaui, ac timidi animi specimen dedit in horribili cruciatu; imò verò Imperatorem liberè increpans, Iulianum apostatam appellare nō timuit, inque tormentis, Deo gratijs feruidè actis, expirauit. Hic, cum nullo terrore, nullisq; minis adduci potuisset, vt Christi, eiusque matris imagines iniuriosè haberet, eiusdem Imperatoris iussu, sacco insutus, & immanis saxi pondere oppressus, in mare deijcitur. Cùm verò Stephanus martyrij diem præuidisset, quadragesimo ante mortem die, præclaram illam, hospitalemque mulierem, & eorum, qui vnà in custodiam dati erant, fidelem administram, misericordemq; fautricem his verbis alloquitur: Tuæ erga me pietatis, & benignitatis fructum, velim tibi cum fœnore Christus rependat, deinceps, ô benefica mulier, ad quadraginta dies mecum ipse versari, ac memet diligentius excutere cupio. peto igitur abs te, vt panem, & aquam deportare iam desinas, quippè, cùm sciam vitæ finem imminere, monasticæ exercitationis arcum multò vehementius oportet intendere. ergo dies, noctesque vir sanctus Patres illos, quos custodiæ participes habebat, monere, hortatiq; ne non destitit, & quas nocturno tempore sacer ille chorus Dei laudes frequentabat, morti vicinus Stephanus multò dulcius, multoque alacrius modulabatur. Cines nonnulli, qui sanctioris vitæ colebant studium, vilibus indu-ti pannis, clam ad Stephanum veniebant, eiusque doctrina, & colloquio, magna animorum voluptate, fruebantur. In his studijs, & occupationibus pænè efflu-xerant dies illi quadraginta, iamq; octauus, & trigesimus incohabat, cùm Stephanus suam illam beneficam, & liberalem hospitam, rursus accersitam, coram Monachis, & Fratribus ita cœpit affari: Deus, qui misericordibus, & benignis plus centuplo se redditurum promisit, clementibus te oculis aspiciat, & pro tuo erga me officio longè copiosiorem mercedem referat. deinde sacris prolatis imaginibus, accipe (inquit) præclarum hoc tuum depositum, quod tibi, & in præsenti vita aduersus omne malum præsidio sit, & in ea, quam expectamus, tuæ erga Deum charitatis, & orthodoxæ fidei pignus existat: crastina luce ad alium Mundum, aliumque Imperatorem proficiscar. Hic mulier, cùm amarum quendam gemitum edidisset, extremamque Stephano salutem dixisset, receptasque eas, quas dederat, imagines linteo quodam obuoluisset, domum reuersa est. Interim Deo inuisus Imperator, Bacchique cultor, qui cum dæmonibus pactum inierat, & se in omnium flagitiosarum voluptatum cœno volutauerat, certior fit à suis de prætoriano carcere in Monasterium Stephano auctore conuerso; itaque inflammatus, atque insano furore debacchans, Stephanum capitali supplicio condemnauit. Irrumpunt in carcerē sceleris administri, vltrò se prodentem Stephanum calcibus, saxis, fustibusque contundunt; inde ad templum S. Theodori martyris Stephanus, nedum quidem pietatis immemor, sancti memoriam humi fixus honorauit; cùm quidam ex

sangui-

sanguinarijs, qui Philomatius appellatur, Copronymi dictorum, factorumq; sectator, monachos ingluuios, ebriososque semper appellans, præcipiti furore actus, & arreptus exclamat: Cernitis, vt nefandus iste Martyrum mortem exoptet? inter obloquendum, ligno quodam haud paruo, sancti viri quàm vehementissimè cerebri membranam ferit, quo vulnere occisus Stephanus, ad Cœlū aduolauit, sed omnipotentis Dei vis illa vltrix apparuit; non.n. vt plerumq; solet, morā interposuit: nā simul atq; Dei vis illa vltrix apparuit, seruum carnifex ille percussit, ipse quoq; plaga, nescio qua, ictus humi corruit, dentibusque horrendum stridens, atque ore spumam eiectans, per terram voluebatur, graueque hoc Dei flagellum ad extremum vsque spiritum, nefarium concussit parricidam. Hoc est martyrio perfunctus Christi hic pugil egregius, primique Stephani, re, & nomine mirabilis imitator, tertio & quinquagesimo ætatis suæ anno, Nouembris octauo, & vigesimo die, ac ne pestilens quidem ancilla, quæ & S. Stephanum, & heram suam falsò, vt diximus, accusauerat, iustum Dei iudicium effugit. eam Auricalamus, vt promissa præstaret, metu magis quàm fide cuidam eorum, qui colligend.s Bithyniç tributis præerant, in matrimonium collocauit: prægnans, gemellos enixa est. Cæterùm sub mediam noctem repentè infantulis arreptis, insolito furore maternis mammillis, horribiliterque comestis, eam protinus necauerunt: Deinde viperini illi fœtus pariter extincti perierunt. Verbosiores in hac explicanda historia fuimus, vt virginale donum Deiparæ dignum monstraremus: nec aberratum fuit; quandoquidem in hac narratione multa erant de Virgine proferenda, cuius imaginem coli docuimus.

***

§. 74.

CAEsarius lib. 7. cap. 8. hæc narrat his verbis, Canonicus quidam S. Cuniberti in Colonia, nomine Henricus, vita satis sæcularis: cùm die quadam solus equitaret, nubecula lucida viam ipsam, eo introeunte, transuolauit, vocemque clarissimam de ipsa nube audiuit, dicentem: Fiat voluntas tua: sicut in Cœlo, & in terra; eratque vox illa tantæ dulcedinis, vt quotiescunque postea illius recordaretur, lachrymis infunderetur. Cùm tamen tunc vocem hanc cœlitus demissam minus attenderet, vel potius non intelligeret, nocte quadam per visum se stare vidit in cappella domus suæ ante altare coram imagine Beatæ Dei Genitricis Mariæ, quam cum verbis Angelicis solito salutaret; respondit illa: Vt quid me salutas? homo perditus es, & nisi vitam tuam emendaueris, citius peribis; ego enim, & sanctus Benedictus intercessimus pro te, qui cùm secundam hanc admonitionem, dulcedine vitæ sæcularis abstractus negligeret, circa tempus sex hebdomadarum tam graui infirmitate correptus est, vt inungeretur, nec vlla esset spes vitæ eius: tunc demum ad cor reuersus, & quid audierit, quidue viderit, recordatus, fratribus quibusdam Bergensibus Ordinis Cistercienſis ad se vocatis se reddidit, qui in proximo Pascha monachus factus est, meritisque & precibus B. Virginis Mariæ se illuminatum vsq; hodie gloriatur. Apollonius. cuius fuit vxor illa facta de nube, & quis sensus eius? Cæsarius. quantum ex iam dictis colligitur, Beatissimæ Mariæ, & S. Benedicti: orabant enim Christum, vt sicut voluntas eius est in Cœlo, id est, in iusto, ita & eius voluntas, quæ semper bona est, fieret in terra, hoc est, in illo iuuene tunc peccatore: nec mirari debes, si peccatores per eam illuminantur, quia sicut nomen eius, ita & laus eius in fines terræ: Maria enim inter-

Cæsarius li. 7. ca. 8.

Gratia.

Matth. 6.

pretatur, Stella maris; siue illuminatrix; quod verò desperati, & contra omnem gratiam indurati, per ipsam ad confessionem, & veniam reparentur, præsto sunt exempla nonnulla.

§. 75.

Idem Cæsar. eod lib. IDem Cæsarius eodem lib. Simile beneficium consecuti sunt duo pauperes Parisijs à B. Virgine Maria, sicut mihi retulit Lambertus Monachus, qui eodem tempore ibidem dicit se studuisse. Cùm enim collecti fuissent in hospitali, quod situm est ante eius oratorium in paradiso, viro cuidam religioso eiusdem hospitalis ministro ipsa Virgo benignissima, cui cura est de omnibus, apparere dignata est, dicens: bone pater, vide vt diligentia ac custodia adhibeatur illis duobus pauperibus, quia in periculoso statu sunt; & dæmones cum multa sollicitudine circumeunt, quomodo eis noceant: quod cùm indicasset sacerdoti, & ille eos ad emundationem conscientiæ hortaretur semel, ac secundo, nec proficeret, tandem se subiunxit: miseri, ego noui vos esse in peccatis grauissimis, citoque moriemini, & nisi confessi fueritis, intrabitis gehennam, pœnis æternalibus cruciandi. Illi verò territi, & quod credibilius est, precibus B. Dei Genitricis Mariæ illuminati, peccata sua confessi sunt, moreque Christiano decedentes, dæmonibus luctum, & sanctis Angelis gaudium fecerunt in Cœlo. *Apollonius.* Apollonius: valdè lætificant ista. *Cæsarius.* Cæsarius: non solùm peccatores fidem sine operibus habentes, per ipsam (vt probatum est) illuminantur, imò etiam apostatæ à fide, quod signum est maioris misericordiæ, per eã Christo reconciliantur. De hoc habes manifestè exemplum in distinctione secunda, ca. 42. de iuuene, qui iuxta Florentiam Christum abnegans, & diabolo se reddens, eius precibus peruenit ad indulgentiam. Simile legitur de Theophilio Alexandrino. Apollonius: quia iam fermè sermo satis protractus est de beneficijs eius circa peccatores, precor, vt exemplis mihi ostendas; quantis, & qualibus per eam iusti reuelationibus consolentur. Cæsarius: quam mirificè iustos sibi seruientes sancta Dei Genitrix Virgo Maria consoletur, ex paucis, quæ sub iciam cognoscere poteris exemplis.

Gratia.

Lambert. Monach.

§. 76.

Idem Cæsar. eodem libr. IDem Cæsarius eodem li Monachus quidam (sicut frequẽter contingit) cum nocte quadam dormire nõ posset, diceretque orationes suas; contemplatus est in dormitorio fœminam miti decoris, quæ dum dormientium lectos circumiret, singulis benedixit, vno tantum monacho neglecto, quem non respicere curauit hunc vigilans, diligentius notans, cùm visio ei fuisset intimata manè, confessus est, quod eadem nocte inordinatè iacuisset, aliquid sibi de rigore ordinis relaxando. non mihi dicere potuit magister meus, vtrum cingulum deposuerit, vel caligas demiserit, siue tunicam denudauerit. Apollonius: Si pro culpa tam modica, monachus iste gratia benedictionis priuatus est, puto eum dignum esse pœna, qui inordinatè & impudicè iacere dormiens consueuit. Cæsarius: de hoc terribile satis habes exemplum in distinct. 5 capit. 35 de quodam conuerso, quem diabolus impudicè dormientem, in forma monialis deosculabatur, qui mox infirmatus, infra triduum mortuus est; dormientes enim & peccare possumus, & mereri (intelligẽ denominatione sumpta ab actu præterito in vigilia) quæ enim vigilando cogitamus, siue ad quæ mouemur, siue bona sint, siue mala, eadem nobis sæpè per somnia occurrunt; sicut catena, dum trahitur & iactatur, pulsus pulsum impellit, ita in dormiente præcedens cogitatio, motus siue consensus, opus bonũ,

Gratia.

Apollonius.

vel

vel malum inducit. Apollonius: placet, quod dicis: procede nunc de consolationibus iustorum.

§. 77.

Idem Cæsar. eodem lib.

Gratia.

IDem. In Arnsburg domo, Ordinis Cistercienſis fuit quidam Frater deuotiſsimus erga Beatam Virginem Dei Genitricem Mariam. hic dum aliquantum temporis in eius domo ſeruitium peregiſſet, æſtu cordis incredibili cœpit anxiari, aliquam ſibi ſpecialem viſitationem à matre miſericordiæ cupiens impetriri. Igitur quadam intempeſtę noctis hora, dum in ſtrato ſe ad requieſcendum collocaſſet, oculis ſomnum non capientibus, toto cordis affectu fiducialiter inuitare cœpit B. Virginem, vt de alta polorum ſede deſcenderet ad ſe inuiſendum. Tum repentè è lecto proſilit, & pomarium quoddam dormitorio contiguum ingreditur; in quo aliquantum reſedit; oculis cordis, & corporis ſurſum erectis: tum ecce Virgo pulcherrima ingreditur, his eum verbis alloquens: Nunquid non deſiderabis audire cantum meum? quo reſpondente: deſidero; tam dulciter modulata eſt, vt vix aures humanæ ſufferre poſſent; melodia autem illa terminata, vale dicens Virgo, abijt: & poſt puſillum, vidit aliam virginem ingredientem ad inſtar prioris nimio fulgore micantem, quæ etiam dulce melos cecinit, & receſsit: quas intellexit fuiſſe B. Catharinam & Agnetem. & poſt paruum interuallum, ecce glorioſiſsima mater miſericordiæ Maria, per ſemetipſam viſitare dignata eſt deuotum ſibi famulum; quæ etiam omnes ſibi in veritate ſeruientes, neque hic, neque in futuro ſua gratia deſtituet. Venit ergo circumuallata agminibus Angelorum, omnem tetræ noctis horrorem vultus claritate ac ſplendore lampadarum fugans; propiusque accedens, blanda voce eum compellare cœpit: ô frater chariſsime, ſi placuerit, qualitercumque recompenſabo deuotiſsimum famulatum tuum dulci melodia. Beata itaque Virgine melos præcinente, Frater ille, quaſi in extaſi factus, in faciem corruit, & omnis illa viſio diſparuit. Interim Fratres ex more ad matutinalem ſurgunt ſynaxim, prædicti Fratris abſentiam vehementer admirantes, quia nunquam diuinis officijs ſe ſubtrahere ſolitus erat, niſi graui infirmitate depreſſus, vel quolibet vtili negotio occupatus. quapropter, quia reuerendus omnibus habebatur, officinas totius Monaſterij perluſtrantes, tandem in prædicto pomario repererunt, vultum habentem in terram demiſſum; quem leuantes, & in lectum deponentes, omnem diligentiam adhibuerunt, qui ſoſpitati redditus, per præceptum Abbatis ſui coactus, omnem rei ordinem pandere cœpit; qui poſtea non ingratus beneficijs ſibi collatis, reliquum tempus vitæ feruentius in Dei ſeruitio, atque eius piiſſimę Genitricis perfecit: tandemque fine beato requieuit. Hęc mihi relata ſunt à religioſa vidua ſorore eiuſdem Fratris; quæ omnia teſtata eſt ſe veraciter intellexiſſe.

§. 78.

Idem Cæsar. ibidem.

Gratia.

IDem Cæſarius ibidem cap. 24. Ante hos annos, cùm Catholici contra Albienſes hæreticos fuiſſent ſignati, & iam non modicum ab iiſdem eſſent iidem hæretici exacerbati; duo honeſti Clerici per terram illorum tranſeuntes, cùm Eccleſiam vidiſſent in via deſolatam, ait vnus alteri: Sabbathum eſt, intremus Eccleſiam hanc, & dicamus Miſſam in honorem Dominæ noſtræ: portabant enim ſecum librum, Calicem, & indumenta Sacerdotalia. antequam eſſet miſſa completa, hæreticis proditi ſunt, qui armata manu intrantes, & Sacerdotem de Eccleſia trahentes, linguam eius radicitus abſciderunt; quem ſocius cum multo labore Cluniacum

cum deducens, Monachis commendauit. Illi verò sicut viri Catholici, & religiosi Sacerdotem Catholicum, & notum propter fidem Christi, & Genitricis eius Mariæ honorem, tam crudeliter mutilatum, deuotè suscipientes, omnem ei humanitatem exhibuerunt. In nocte verò Epiphaniæ, cùm solemnes decantarentur vigiliæ, baculo parietem pulsans, ministros adiocauit, qui cùm quærerent quid vellet; & ille se in oratoriū deportari signaret, volentes ei parcere, non acquieuerunt. Tandem importunitate eius tædiati, in Ecclesiam eum ducentes, ante altare quoddam deposuerunt; qui cùm matrem misericordiæ tota mentis deuotione inuocasset, illa ei apparens, & carnem, linguæ formam habentem, in manu tenens, respondit oranti: quia propter fidem Filij mei, & honorem mihi exhibitum, lingua tua priuatus es, ecce nouam tibi restituo. aperi ergo os tuum; quod cùm feciſſet, digitis ori eius immissis, radici linguæ præcisæ eandem carnem coniunxit, & vniuit, sicque di paruit. Qui mox cum Angelo in vocem laudationis erumpēs clara voce clamauit: Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum, vsq; ad finem; quam salutationem cùm crebrius repeteret, stupentes, accurrere ministri, accurrerunt & de choro monachi, de tam puro & tam iucundo miraculo Deum, eiusque Genitricem glorificantes. non immemor collati sui beneficij clericus in eodem cœnobio factus est monachus. Cùm Ioannes Scholasticus Xantensis circa idem tempus esset in prouincia Albiensium cum exercitu Domini, audiens de tanto miraculo, in reditu Cluniacum venit, iam dictum monachum sibi ostendi petiuit, & obtinuit; linguā vidit, ab eius ore, quæ dicta sunt, audiens. Sicut nobis retulit idem Ioannes reliqua carne candidior est, in loco præcisionis seruans cicatricem. Huius miraculi testis est, vniuersus Cluniacensium Conuentus vsque hodie.

§. 79.

IDem Cæsarius ibidem ca. 25 Adam sacerdos, & monachus in Lucka, cuius supra memini capit. 17. considerans, me in huiusmodi miraculis delectari, ex multa charitate mihi de seipso retulit, quod dicturus sum. Cùm (inquit) essem puer, ita caput habebam scabiosum, vt præ fœtore putredinis eius, mecum sedere vel legere scholares recusarent: prima oratio, quam didici salutatio erat Angelica, adhuc puerulus satis eam frequentans. Cùm apud Monasterium Vuestphaliæ positus fu ssem ad litteras, & eundo ad scholas, siue ad matutinas quotidie transirem per quandam Ecclesiam conventualem, ex necessitate viæ sine intermissione, ante oratorium in honore Dei Genitricis Mariæ dedicatum, cum tribus venijs totidem feci salutationes: nocte quadam putans ad matutinas fuisse compulsatum, surrexi tremens, & cùm veniſſem ad iam dictum monasterium, esseque oratorium clausum, tribus vicibus secundùm consuetudinem genuflectendo, Dominam nostram Angelico versiculo salutaui. surgens verò inueni ostium apertum, & tanta erat in Ecclesia claritas, vt fulgori meridiano assimilaretur; quam cùm stupidus intrassem, vidi ante maius altare septem matronas pulcherrimas residentes, vnam in medio, quæ ceteris clarior erat; & sex hinc inde, id est, tres à dextris, & tres à sinistris: media verò me vocans, cùm propius accessissem, ait: bone puer, quare non adhibetur cura capiti tuo? respondente me: Domina, satis circa me laborauerunt amici mei, sed nihil profecerunt; subiunxit illa: nosti, quæ sim? cui cùm dicerem: non; Domina respondit: ego sum mater Christi, & Domina huius oratorij: qui mei memoriā solitus es habere, ego tibi curā adhibebo: accipe fructus ligni fusilis, & fac tibi hodie ex eo lauari caput trib⁹ vicib⁹ ante missam, in nomine Patris,

Idem auth. ibidem.

Gratiā.

Patris,& Filij, & Spiritus sancti, statimque curaberis: ad me accede Adā, quod & feci:flectente me coram ea genua, manum super caput meum ponens, ait: ab hac hora vsque ad diem mortis tuæ non dolebis capite. Mane vero cuidam Fratri,qui me nutriuit, omnia retuli, qui in vallem proximam descendens,& ostensos fructus colligens, prædicto modo caput meum lauit, statimque conualui; dolorem verò capitis nunquam ab illa hora passus sum, cum tamen hoc in ordine satis sit miraculosum.

§. 80.

Cæsar ibid. cap.27.

Gratia.

IDem Cæsarius ibidem cap.27.Inclusa quædam (sicut mihi retulit Superior noster, qui illam nouit) diu à dæmone sub specie Angeli illudebatur. non ei data fuerat discretio spirituum. diabolus sæpius falsa quadam circumfusus claritate, illi apparuit, & fœminam simplicem familiarius alloquens, de quadam in huiusmodi verba prorupit: Nunc venio remunerare te: requisita eodem tempore à cōfessore suo, quomodo haberet, cum ei responderet: optimè:Sacerdos,sicut vir prudens, fiduciam responsionis eius considerans,causam inquisiuit, cui cum cōfiteretur, quod ab Angelo Domini crebrius visitaretur, sciens ille, docente Apostolo, Angelum tenebrarum se transfigurare in Angelum lucis; respondit, quando Angelus denuò visitabit te, dices:rogo, Domine mi, vt Dominam meam sanctam Mariam mihi ostendas:quod,si fecerit, visa ea, genua flectes, & dices: Aue Maria gratia plena,&c. & si tunc substiterit, fictio non est; sin autem, scias, tibi à diabolo illudi: quæ, cum feciſſet, sicut fuerat edocta, ait diabolus: vt quid desideras videre illam? bene tibi sufficere debet præsentia mea; illa fortiter instante, opere diabolico,virgo miræ pulchritudinis se oculis eius obiecit, qua visa, mox ad pedes eius inclusa se prouoluit, & contra phantasma angelicam salutationem proferendo, in turbinem, illud resoluit; quam tamen inimicus euanescens in tantum terruit, vt amens facta, vix post annum dimidium, multorum precibus adiuta, sensum reciperet. Vides nunc, quanti sit ponderis nomen Mariæ:Appollonius.bene video,& non sine admiratione tam ex præsenti, quam ex prædictis exemplis virtutem eius considero. Cæsarius. Inuocatio huius nominis, non solum corruptores mentium, idest, dæmones, sed & corruptores corporum,scilicet,malos,ac libidinosos homines eneruat,vt infra patebit.

§. 81.

Cæsar.ibid. cap.38.

Gratia.

IDem Cæsarius ibidem ca.38.In Longobardia,in quadam domo Ordinis nostri, quæ, Carixtus, dicitur; ante paucos annos Monachus quidam extitit, nomine Bertramus. iste,tam feruenti motu charitatis, Dominam nostram sanctam Dei genitricem amabat,vt non sine magno cordis cruciatu audire posset, si fortè dubitatiuè quis diceret, vel legeret de corporali illius Assumptione. Cum iam exegisset in ordine quindecim annos,adhuc iuuenis ætate in vigilia Assumptionis eiusdem gloriosæ Virginis rogauit Abbatem, vt sibi liceret ire ad vicinam grangiam, dicens: se non posse audire neq; sermones Hieronymi in choro, neque sermonem in capitulo,timens, quod prædictum est:erat enim grangiarius: Abbas sanctitatem eius turbare timens. annuit eius petitioni, cumque venisset iuxta grangiam, Angelus Domini mirabili modo illum rapuit, & ad spatium vnius dietæ iuxta paruam quandam Ecclesiam vicinam satis castro fratris sui carnalis, viri nobilis, deponens, disparuit. Equus verò, cui insederat, & seruus iuxta grangiam dimissi sunt. Erat autem fluuius, qui sine naui transuadari non potuit, inter

De Assumptione BVM.

castrum,& cappellam. qui, cum sederet, admirans,vbi nam esset, vel qualiter ad illum locum deuenisset, iuuenis quidam splendidus de Ecclesia exiuit, & quia Domina nostra ipsi ocyus Ecclesiam ingredi mandaret, voce clara nunciauit. Ingressus Ecclesiam, vidit sanctam Dei genitricem Virginem Mariā in corpore glorificato, in sede miri decoris residentem. Sedebant circa illam diuersi ordines Sanctorum, Patriarchæ videlicet, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, Viduæ, & Cōiugati; erat autem hora nona:quem Virgo beatissima salutans, familiarius ait: Bertrame, meliores sermonib⁹ Hieronymi hic audies sermones: dicta nona, à circumsedētibus per intervalla dictæ sunt & reliquiæ horæ,vesperæ videlicet, completorium, matutinæ, laudes, prima, tertia, & sexta; eratque psalmorum,siue reliquorum cantuum melodia tam suauissima,& vocum tanta concordia, vt sermo nullus exprimere posset. Deinde,vultum iucundissimum ei exhibens, voce hilari, ac dulci sic ait: Bene scio,Bertrame, quare nunc egressus sis de claustro. noueris pro certo, me in vtraq; substantia,id est,corpore, & anima glorificatā,& die quadragesimo à mortuis resuscitatam. Apollonius: His verbis concordat visio Dominæ Elisabeh hę de Schonauia, in qua legitur, sub eisdem verbis Domina nostra ei resurrectionem suam reuelasse. Cæsarius: tanto amplius fides adhibenda est huic visioni. Mox vt beata Virgo verba prædicta protulit, conuentus ille cælestis disparuit, & monachus in loco suæ sessionis se solū inuenit. Nutu diuino germanus eius, de quo supra dictū est, aduenies, cum solum illum ibidem reperisset, & quid ibi solus sederet, vel vnde veniret, interrogasset; omnia, quæ circa se gesta erant, ne laicum scandalizaret, per ordinem recitauit. tunc ille: expectate hic, frater, donec equum vobis adducā mirares,festinante illo ad castrū, Angelus Domini in momento, in locum, de quo tulerat, illum reposuit. reuersus miles, cum non inuenisset, quem dimiserat,apostatam, siue eiectum,illum æstimans, ad Monasterium cursitauit,ad quod dicto completorio veniens, Abbatem vocauit, & vbinam frater suus esset, requisiuit. Cui cum Abbas signaret, vt expectaret vsque mane, & ille respondere: scio, quia eiecistis eum, minareturque monasterio, rupto silentio, respondit Abbas:per licentiam meam ad proximā grangiam equitauit, non dubito quin ibi sit; ierunt simul, & in cappella conuersorum orantem inuenerunt, & cognouerunt ex testimonio illorum, quia eadem hora, qua miles eum iuxta castrum reliquerat, eandem grangiam intrauerit. Appollonius: In his, quæ dicta sunt, parem hunc iudico virum duobus antiquis Prophetis, Ezechieli scilicet, & Habacuc,ex quibus vnus mirabiliter vidit quæ agebātur in Ierusalem; alter vero de Iudæa subito translatus est in Babylonem. Cæsarius: Aliquid amplius in isto considero: magis miraculosum videtur, corpus glorificatum, siue cęlestes ordines oculis corporeis posse videre, quam in spiritu; qualem visionem se Ezechiel vidisse testatur. Appollonius: consentio. Cæsarius: maiorem iudico visionem, quæ sequitur: Die quadam Angelus Domini ex parte Abbatis signum ei fecit, vt ad portam veniret, secutus est ille præcedentem, & cum ad portam non inuenisset Abbatem, eodem signo Angelus eum traxit in campum, qui cum miraretur, quò nā esset iturus, & ille signis ex parte Abbatis sequenti nimis esset importunus, venerunt ad quosdam mōtes sublimes,quibus transmissis, locum ingressi sunt amęnissimū, arboribus, & diuersi generis floribus nimis deliciosū: erat enim Paradysus terrestris: inter cætera, quæ ibidem vidit, duos senes splendidos, Enoch videlicet, & Eliam aspexit,& agnouit: tenebantq; in manibus librum maximum litteris aureis

aureis scriptum, vno tantum folio vacuo; & dixit ei Angelus Domini: iste est liber prædestinationis, continẽs omnia nomina electorum, qui ab initio Mundi vsque ad diem hanc nati sunt. Cum autem folium, quod vacuũ cernis, perfectum fuerit, mundus cõsummabitur; & ostendit ei nomen suum, quod cũ legisset lætus, adiecit: nunquam delebitur nomen tuum de libro hoc: iste est liber, de quo Dauid dicit in Psalmo: *Et in libro tuo omnes scribentur*: & Dominus in Euangelio: *Gaudete, & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in Cælo.* Appollonius: Si in libro soli electi scribuntur, quid est, quod idem Propheta de reprobis dicit: *Deleantur de libro viuentium.* Cæsarius: Psalmista hic alloquitur secundum spem illorum, qui de sua præsumentes iustitia, putant, se ibi esse scriptos. Quòd autem nullus reproborum in eo scribatur, mox ostendit, cum subiungit: *& cum iustis non scribantur.* Appollonius: Placet, quod dicis: sed rogo, vt si quid adhuc nosti de hoc beato viro, dicere mihi non differas. Cæsarius: tẽpore quodam, cum esset in oratione, Beatam Genitricem Dei ex oppositio sui supra cespitem virentem stare conspexit: & ecce fons aurei coloris è regione cum impetu erumpens, riuulum suum ad pedes eius dirigebat: cuius lapilli lapides erant pretiosi, smaragdi videlicet, carbunculi, topatij, sapphiri, & hyacinthi. Cumque de visione miraretur, ait illi Domina nostra: nosti Bertrame, quid ista significẽt? dicente illo: non Domina; respondit: fons iste aurei coloris, ordo Cisterciensis est, qui, sicut aurum reliqua metalla, ita cæteros ordines tam dignitate, quàm sanctitate præcellit: illis iam ex magna parte fluentibus à me, iste speciali quadã prærogatiua dilectionis, nõ cessat fluere ad me. lapilli pretiosi, quos vides riuulo manare, speciales amici mei sunt, in ordine, & in obsequio meo, plus cæteris feruentiores. Sicq; disparuit visio in oculis eius. Omnia hæc recitata sunt

Psal. 137.

Abbatibus tempore Capituli generalis. Multa alia vir iste beatus vidit, & egit digna relatu, quæ mihi non sunt recitata Appollonius: miror, quare non sit aliquas vir tam sanctus in ordine passus tentationes? Cæsarius: In principio conuersionis suæ, vt audiui, de cibis regularibus plurimum tẽtabatur, sicut vir nobilis, & delicatus. hoc cum dixisset Abbati, intelligens ille ex munditia conscientiæ eius, Spiritum sanctum esse in eo, respondit: roga Deum, quod vis, & non negabit tibi: orauit ille, & exauditus est. ab illo tempore in tantum delectabatur cibis regularibus, vt de licentia maioris abstinentiæ Abbati foret importunus. Appollonius: beati sunt claustrales, qui ad tantam familiaritatem Dei genitricis admittuntur. Cæsarius: non solum claustrales, immo etiam, & personas sæculares se diligentes, mater pulchræ dilectionis diligit, & honorat, ex quibus occurrit, beatæ memoriæ, Vualterus de Birbach, cuius supra in diuersis locis memini; quem non solum inferioris ordinis homines, sed & Reges, & Principes, nobilesq; venerabantur, audientes beneficia à matre misericordiæ illi concessa. Appollonius: cuius fuerit professionis vir iste, ex superioribus noui, sed quis fuerit, vel qualem duxerit vitam ante conuersionem, siue cõuersus in ordine, scire desidero. Cæsarius: quicquid de illius actibus memoria dignum noui, fida tibi pandam relatione.

§. 82.

IDem Cæsarius ibidem cap. 39. Vualterus de Birbach villa oriundus, extitit vir diues, ac potens, & nobilis valde, cõsanguineus Henrici Ducis Louanij, qui cum esset militiæ sæculari, adhuc ætate florens, deditus, & in ea strenuus satis, atque nominatus, Dominam nostram sanctam Dei genitricem, semperq; Virginem Mariam ab ipsa pueritia cœpit inuocare, & ex intimo cordis affectu

Cæsar. cap. 39. plures Gratiæ.

affectu diligere, atque ieiunijs, eleemosynis, & missarum celebrationibus honorare; licet enim corpore deditus esset, vt dictum est, torneamentis, corde tamē totus erat in obsequio Beatæ Virginis: tempore quodam, cum properaret ad quoddam torneamētum, milites habens in comitatu, venissetque ad Ecclesiam quandam, illos, vt missam audire vellent, hortabatur: quod cum recusarent, moram tantam sibi periculosam esse prætendentes, illis recedentibus, ipse mansit, missam de S. Maria sibi cātari fecit, & obtulit, sicq; socios insecutus est. Cui cum aliqui de torneamento occurrerent, & hoc ex responsione illorum cognouisset, subiunxit: est ne adhuc inceptum? dicentibus illis: etiam; respondit: quis fortius ibi agit? Dominus Vualterus (inquiunt) de Birbach, ipse in ore omnium est, omnibus præfertur, & ab omnibus laudatur: alijs verò occurrentibus, & similia dicētibus; stupens admirabatur: quidnam hoc portēderet. actum est ineffabili pietate Beatissimæ Virginis, vt militem deuotum in obsequio suo, tardantem interim torneamento honoraret, eiusque absentiam mirabili quadam virtute suppleret. Veniens tamen ad locum, armauit se, & intrauit, sed nihil magni illic egit: ludo verò expleto, quidam ex militibus, hospitium eius intrauerūt, & vt secum mitius agere dignaretur, deprecabantur: quibus cum diceret: quæ est causa petitionis vestræ? responderunt: hodie cepistis nos, & rogamus, vt bene nos tractetis. Vualtero neganti, ac dicenti: Ego vos non cepi, responderunt: In rei veritate nos hodie dextras vobis dedimus, nos signa vestra militaria ibi vidimus, nos vocem vestram ibi audiuimus: & cognouit statim hoc actum fuisse gratia Beatæ Virginis, quam honorauerat in missa. Appollonius. Cum sit mortale peccatum ire, & exercere torneamenta, quomodo Beatæ Virgini placere potuerunt oratio, & oblatio Vualteri. Cæsarius. duo ibi committūtur peccata mortalia, superbia scilicet, & inobedientia: superbia, quia fit intuitu laudis humanæ, & inobedientia, quia fit contra prohibitionem Ecclesiæ: vnde in torneamētis occisi, extra cœmeteria fidelium sepeliuntur. Cum autem obsequium prædictæ missæ Vualtero potuisset esse meritorium vitæ æternæ, si factum fuisset in charitate, nunc transiuit in mercedē temporalem; opera enim bona, id est, de genere bonorum, temporalibus remunerantur. Homo etiam per illa, vt quidam ex scripturis probant, habilem se reddit ad gratiam suscipiendam. Hoc verum esse, sequens probat exemplum. Cum alio quodam tempore, nundinas illas execrabiles quæreret, & inter multos stans, missam audiret, sacerdos, vt in canone, calicem leuauit, crucem aureā sub eius pedē conspexit, cui annexa fuit chartula hæc continens verba. Crucem hanc defer ex parte mea, Mariæ scilicet matris Christi, amico meo Vualtero militi prope Birbach, quā cum sacerdos legisset, post completionem missæ pulpitum ascendit, & clamauit: est ne aliquis hic miles, qui vocetur Vualterus de Birbach? respondentibus quibusdam: ecce iste est; sacerdos eum seorsum duxit, crucem porrexit, & vbi illam inuenerit, vel qui miserit, intimauit, quam lætus suscipiens, in Hemmenrode conuersus eam Abbati resignauit, postea comitissa Hollandiæ, missis honestis nuncijs, eandem crucem sibi dari petiuit, & tali modo obtinuit. Cum conuentus nuncijs responderet: non possumus eam dare, nisi sit voluntas fratris Vualteri, sperantes, quòd non annueret, requisitus de hoc respōdit: ego nihil proprietatis habeo, penes Abbatem est, sicq; e dolentes illam miserunt. Cuius aurum tanti fulgoris est, vt omne aurum in eius pallescat comparatione; quam Comitissa inter reliquias suas reposuit, ea vti nō audens. Considerans Vualterus adhuc in sæculo positus tanta circa se beatæ Dei geni-

genitricis beneficia, in tantum in illius amore accensus est, vt in quadam paupere Ecclesia in eius honore dedicata, cõscio sacerdote, fune collo suo iniecto, seruum glebę se illi superaltare offerret, soluens singulis annis censum de capite suo, qualem serui ordinarij soluere cõsueuerunt: & quia, propter honorem Reginæ cælestis se tam valde humiliauit, ipsa suum dilectum etiam glorificauit. Solitus erat in vigilijs omnium solemnitatum Beatæ Virginis ieiunare in pane, & aqua, & sæpe etiam in sextis ferijs ob reuerentiam sabbati: die quadam seruus ieiunanti vas paruulum fictile cum aqua obtulit, quam in eius manibus diuina virtus in vinum optimum conuertit, qui cum gustasset aquam vinum factam, seruum secretè vocauit, & arguit, dicens, sibi vinum pro aqua ministratum; quod cum ille negasset, asserens, se hausisse aquam de situla, vas recipit, & effudit, sicq; aqua purissima impleta, vt securus esset, præg stauit, & obtulit, de quo, dum gustasset, sicut prius vinum inuenit, & mox seruo iratus, sic ait: vt quid mihi illudis, en secundo vinũ pro aqua afferendo? ad quod verbũ stupens seruus, cum iuramentis maximis negauit. Tunc primum intelligens ex multa misericordia Dei genitricis, hoc miraculum circa se gestum, eundem seruum adiurauit, ne illud vnquam alicui homini, quoad viueret, manifestaret; ex quo colligitur, quòd non cupidus erat inanis gloriæ. Seruus verò tanti particeps miraculi, frater est Arnoldus, qui cum eo venit ad ordinem, vir sanctus, & multũ ordinatus, & in monte Strombergh sepultus. Antequam moreretur, idem miraculum ad Dei gloriam publicauit, timens, de thesauro occulto post mortem reddere rationem. Audiens sæpè dictus Vualterus, ordinem Cisterciensem Beatæ Virgini dedicatum, omnia, quæ sunt huius mundi, diuitias videlicet, honores, & amicos ob illius amorem reliquit, & in claustro, quod alio nomine Hemmerode dicitur, cuius fama tunc temporis, sicut & hodie, clarissima fuit, habitum regularem suscepit, in quo cœnobio quàm humiliter sit conuersatus, quàm feruens fuerit, & obediens, & in obsequio Beatæ Virginis deuotus, testes sunt omnes monachi eiusdem monasterij. Psalterium verò, hymnos, cantica, & alias de Domina nostra orationes plurimas in probatione didicerat, quæ omnia studiosissimè frequentauit missæ quotidianæ Dominæ nostræ semper interesse voluit, quicquid pænè loquebatur, ædificatorium fuit: quia non solum verbis, & aspectu, immo etiam odore famæ eius multi ædificabantur: magister hospitum creatus est. Tempore quodam ductus est ad monasterium spe curationis, quidam obsessus, & in hospitio receptus: erat enim rusticus diues satis, ac notus, qui cum nullo remedio posset sanari, non reliquijs sanctorum, neque orationibus monachorũ; sępè dictus Vualterus authoritate officij frequenter eum visitãs, orationes, & rhythmos, quos habebat de Domina nostra cõscriptos, super caput hominis legit, sacras picturas ostendit: per quæ omnia dæmon vt exiret, adiurauit. Die quadam, cum psalterium super obsessi caput posuisset, obsidens clamans, & furens, intantum hominem, à quo exire cogebatur, turbauit, & allisit, vt cadens in terram, mortuus diceretur: post horam ad se reuersus surrexit, à diabolo se liberatum clamitans. Conuersus vero, qui curationi huic interfuit, & rusticum furentem seruauit, ista mihi recitauit. Vadens ille sanus in domum suam, post aliquãtulum temporis rediit, gratias agẽs B. Virgini, eiusq; seruo, suo curatori, hoc verbũ audiente conuentu, adijciens, si nihil esset amplius reliquiarij à monasterio isto, præter hũc sanctum virũ, cuius meritis curatus sum, toti loco sufficere deberet. Appollonius. Magna sunt, quę dicis: Cęsarius. non solum dæmones, sed & bruta

animalia illius sanctitati obediebant. Erat in monasterio poledrus pulcherrimus, & tanti valoris, vt tam Episcopus Treuerensis, quàm Dux Lotharingiæ, quadraginta, vt puto, marchas argenti offerrent pro illo. Species enim optimi dextrarij in eodem erat poledro: timens conuentus alterum offendere, si vni venderetur per dominum Vualterum, duobus adhibitis conuersis, eundem equum comiti Hollandiæ gratis transmisit. Venientibus eis in quendam saltum, poledrus equaritiã, id est, gregem equarũ de longe pascere conspexit, qui statim hinniens, atq; lasciuiens, ex ducentium manibus se excussit; & cursu velocissimo ad equaritiam properauit, quem cum conuersi sequerentur, equaritia fugiẽte, magis poledrus ab eis elongabatur, quibus frustrato labore reuersis, ait Vualterus, procedamus; equus iste perditus est, nisi sancta Maria illum nobis reducat. vix, ad duo milliaria processerant, & ecce poledrus velociter recurrens, qui nondum satis domitus fuit, velut ouis mansueta, ductoribus suis colla subiecit, quia notus erat nobilibus terræ, & ab eis, tum propter sanguinis nobilitatem, tum propter vitę sanctitatem venerabatur. Sæpe pro monasterij necessitatibus contra voluntatem suam emittebatur. Tempore quodam, descendens cum naue domus, quæ vinum portabat, cum in Zelandiam veniisset, orta tempestas maxima omnes terruit, & nauẽ inclinauit. accessit periculum periculo: prædones namque ad eos remigantes, nauim deprędari conati sunt; & ecce iusto Dei iudicio duo vasa vi ventorum eiecta, nauiculam subuerterunt, ipsosque prædones in profundum demerserũt: acta sunt hæc in vigilia sancti Nicolai post mediam noctem: singuli vitæ suæ timẽtes, Deo supplicabant. ipse verò vir beatus de gurgustio nauis egrediens, seruo suo deorsum ducto confessionem fecit, & intrauit. Deinde, imagine Dei genitricis eburnea, quam semper penes se habebat, coram se posita, ante illam se prostrauit, & orauit, atq; in illa oratione leuiter obdormiuit; statimq; visum est, quòd Dominum Arnoldum in claustro virum sanctum, & probatæ vitæ, tempore psalmodiæ citharizare audiret, sicque ex ipsa dulcedine vocis expergefactus est. Erat enim tempus matutinarum. Intelligens protinus, quòd vir iustus eadẽ hora pro ipsis oraret, lætus exiuit, omnesq; consolans his verbis, ait: nolite timere: nullum vobis periculum nocere poterit Dominum Arnoldum de sancto Leuerino monachum nostrũ audiui citharizantem, mox virtute diuina, & meritis B. Virginis, quam inuocauerat, & iã dicti Arnoldi, tempestas sedata est. Hæc cum relata fuissent Domino Hermanno Priori, nunc Abbati loci sanctæ Mariæ, statim Dominum Arnoldum, horum prorsus insciũm vocauit, & quid in nocte Sancti Nicolai infra matutinas cogitauerit, vel quid ibi egerit, interrogauit. Cui ille respondit: credite mihi: ego citharizaui ibi: quali modo, inquit, & ille: quando non possum habere deuotionẽ, sub cuculla, digitos, ad similitudinẽ citharizãtis, moueo, & cordas cordis tango, sicq; mentis torporem ad deuotionẽ excito. Et miratus est Prior nimis, audiens hæc, quia vir litteratus est, putãs exemplo Hæliśei hoc eum facere, in quo ad vocem psalterij excitatus est spiritus prophetię. Vt enim taceam de fratribus, tantę fuit cõpassionis circa pauperes, vt in viam directus, petentes preueniret ex nummis, sibi ad expẽsas datis illis porrigẽs. Cũ quadã die scholaris nudipes illi occurreret, & frigus esset, stare eum fecit, & descendit, calceosq; extractos illi tribuit, & nouis, quos in sacco habebat, reinductis, equum ascendit, & abijt. hæc, me prędsente, facta sunt; discordantes cõcordabat, inobedientes exorabat, iracũdos, & impatientes ad cor sæpius reuocauit; tentatos exemplis plurimis, quæ semper ad manum habebat, alleuiauit. Hinc est, quòd tempore quodã, cum de

aliquo

aliquo verba cōferrem cum illo, in partem me traxit, & ait: & ego magnas carnis meę patior tentationes: vt alijs posset mederi, proprias infirmitates illis non erubuit cōfiteri. Requisitus die quadā à prædicto priore (sicut ipse mihi retulit) quid in mensa cogitaret, eò quòd non intelligeret lectionē, respondit: ego habeo ibi lectionē meam, quando manducare incipio, retracto mente, qualiter pro me Dei Filius sit ab Angelo nunciatus, & in vtero Virginis de Spiritu sācto conceptus, sicq; primum foliū verto: deinde cogito, quomodo, Angelis concinentibus, sit natus, & pānis vilibus inuolutus, in præsepio reclinatus; & ecce perlectū est folium secundū. in hunc modū transcurro Circumcisionem, aduentum Magorū, oblationē eius in tēplo, baptismū, ieiunium, Passionē, & Resurrectionem, Ascēsionem, & sancti Spiritus aduētum: extremumq; iudiciū: talis est lectio mea quotidiana, cui⁹ finis, finis est prandij, quòd in tali libro comedens legeret, testabātur lachrymæ, quas in mēsa fundebat: plus enim delectabatur in sanctis meditationibus, quā in genuflexionibus, per quas spiritus contēplantis impeditur. Nō multas (vt dixi) in oratione venias petiuit, sed stās, vel supra genua iacens, erecto vultu Cælos respicere consueuit. Antequā Deus eum vocaret de hoc mundo, cuidam monacho mirifica quædam visio relata est de illo. Existente eo Vuilre, quæ domus est Ordinis Cisterciēsis, cum Abbate suo Domino Eustachio, cū dies esset Dominica, totum Conuentum idem Abbas post cenam conuocari fecit: quod cū factum fuisset, & ipse diceret; sunt ne fratres nostri hic omnes? respōsum est ei: omnes, domine, exceptis duobus iuuenibus, qui de Francia hospites huc missi sunt, qui studiosi sunt valde circa silentium, maximè diebus, quibus communicant. Secundò verò ex parte eius vocati, cū venissent, & eis Abbas moram impropera-ret, humiliter se excusantes consederūt. Sequenti die Conuētus à labore rediēs, & ante portam facto signo primo nonæ, secundum expectans, senior ex eis, cum stans super fossorium suum se reclinaret, & nonā de Domina nostra diceret, sic stando leuiter obdormiuit: & ecce ipsam Dei genitricē diuersorū ordinum personis stipatam, in mira claritate inter se, & portā transire conspexit, à qua, cū minimè, quasi ignotus, respiceretur, neq; vocaretur, tristis ait intra se: hei mihi misero, quare me non vocat? quæ, cum paululum processisset, misertā illius, monachum familiarius sibi adhęrentem remisit, dicens: Voca monachū illum, quē, cum reuersus vocaret, & diceret: Veni, Domina nostra vocat te, præ gaudio expergefactus est; intrans & dominum Vualterum considerans, dicebat intra se: Simillimus est monachus iste monacho per quem hodie Domina nostra in somnis vocauit me, nisi quòd cuculla illius grisea, huius autem alba est, & recitauit visionē socio suo. Sequēti die, cum Dominus Abbas, & Vualterus essent recessuri, & ab eis prædicti iuuenes ad portā vocati, Vualterusque in sua grisea cuculla staret, alba, quæ sibi fuerat accommodata, deposita, ait monachus socio: Reuera, iste est monachus, qui vocauit me, vestem cognosco, de persona non dubito: post dies paucos idem Vualterus cœpit infirmari, qui fide, & charitate plenus, confessus, atque contritus, B. Dei genitrice se vocante, de tenebris transiit ad lucem, de fide ad speciem, de labore ad requiem, de merito ad præmium, de mundo ad Patriam, ad quam nos perducat Dei Filius Dominus noster Iesus Christus ex Maria Virgine natus, qui est via in exēplo, veritas in promisso, vita in præmio. Amē. Monachus vero Vuilarēsis, & ipse vocat⁹, sicut fuerat ei præostensū, interpositis paucis dieb⁹, migrauit ad Dominū. Hęc mihi relata sū à prędicto Abbate Eustachio. Vt aūt ostēderet Dominus, quanti apud ipsum esset meriti Matris

sue dilectus, signis post mortem ipsum glorificauit. eodē tēpore Vuimemarus de Alendorp. miles diues, & honestus, lecto totus paralyticus decubuit. audiēs hominē Dei vnice sibi dilectū ad Dominū migrasse, mox nuncium ad claustrum misit, per quem sibi defuncti cothurnos transmitti supplicauit: missi sunt ei noui & mox emissi. eo quod intellexisset, eos D. Vualteri non fuisse: mox per eundē nuncium boni viri Dei satis veteres mittuntur, quos infirmus cum fide, ac deuotione suscipiens, statim vt manus præmortuas imposuit, beneficium ex eis sensit: simile actum est in pedibus. ab illa enim hora cœpit manus leuare, & pedes erigere, & totius corporis vires, sensim tamen recipere. eadem vero calceamenta ob amorem beati viri, & concessum sibi per illa beneficium, inrantū venerabatur, vt in castro suo cappellam ædificaret, atq; eosdem cothurnos eius altari ligneo, Abbate nostro præsente, includeret. Alius quidem miles periculosum habens apostema in pectore, audiēs per prędictos calceos tantam in Vuimemaro virtutem factam, vnum sibi transmitti petiuit, per quē mox, vt vlceris locum tetigit, plene conualuit. Apollonius: Satis mihi iam fateor probatum, quòd B. Maria diligentes se, diligat, & honoret. Cæsarius: Non solum suos dilectores, ac dilectos ad vitam dirigit æternam, immo frequenter illos etiam ad honores prouehit temporales.

§. 83.

Cæsar. ibid. cap. 46.

Gratia.

CAesarius ibidem ca. 46. In prędicto Castro matrona quędam habitat honesta, nomine Iutta: hæc est illa, cui B. Virgo verba probrosa in suam Iconā prolata, cōquesta est, & merito: summo enim honore eandem imaginē venerabatur, salutationes, orationes, multasq; venias coram illa faciens. Tempore quodam, cum filiam paruulā in villam proximam nutriendam tradidisset, & infantula iā triennis in area luderet, lupus ludentē, quibus dā aspicientibus, illā per gulam rapuit, raptamq; in dorsum suum mittēs, syluas vicinas petiuit; quem aliqui cum clamore insecuti sine ereptione puellulæ, tristes sunt reuersi: ex quibus vnus in castrum cucurrit, & matri in mensa sedenti, raptum filiæ nuncians, ait: Domina, lupus comedit filiam vestrā; cui illa, turbata nimis, respondit: Certe lupus non comedit filiam meā. mox tamen, mēsa amota, surrexit, & in multa cordis amaritudine cappellam intrās, imaginem Saluatoris de sinu matris euulsit, stansq; contra illam, cum multis lacrymis in hæc verba prorupit: Domina, nunquam rehabebitis puerum vestrum, nisi mihi incolumem restituatis puellā meam. mira humilitas Reginę Cęli, quasi timeret carere filio suo, si mulier nō rehaberet filiā, lupo protinus imperauit, & ille puellam dimisit. Insecuti sunt plures de villa lupi vestigia, cū puellę reliquias ad tumulandū quærerent, iuxta quoddam frutetum illā deambulantem repererunt, cui cum dicerent: Vnde venis bona filia? respondit illa: mūmart momordit me: vestigia enim dentiū lupi in gutture eius, cuti superficie tenus incisa apparuerunt, in testimonium rāti miraculi ad hoc reseruata: tunc filiam ad matrē ducentes, mox, vt illam vidit sanam, effecta lætissima, cum gratiarum actione ad imaginem sacram cucurrit, & perum suum ei restituens, ait: Quia restituisti filiam meā mihi, en tibi restituo filiū tuū. Hæc mihi relata sunt à supradicto Hermāno Abbate loci S. Mariæ, qui puellā vidit, & à matris ore, quæ dicta sunt, audiuit. Cum adhuc Prior esset in Hemmērode, & firmum haberet propositū resignandi Prioratus officium, prędicta Matrona ab Abbate eius, domino Eustachio, quem hospitio receperat, vt sibi eum transmitteret, petiuit, & obtinuit: quem ante imaginem Dei genitricis ducens, ne officium suum resignaret, admonuit; Deo (inquit) non placet, si resignaretis,

cui

cui cùm ille diceret: vnde hoc noſtis? reſpondit illa: nemo mihi hoc reuelauit, niſi Domina iſta, digito imaginem oſtendens. Multa ſiquidem eidem deuotæ fœminæ per ſacram illam imaginem reuelantur, plurimaque per illam beneficia conſequitur. Apollonius: Neſciui hactenus, tantas eſſe conſolationes in imaginibus Sanctorum. Cæſarius: Multas ſancti in ſuis, & per ſuas imagines virtutes operantur, maximè in illis locis, vbi venerantur. nunquid non recordaris iuuenis apoſtatæ iuxta Elorentiam, qui per imaginem Beatæ Virginis Mariæ conſecutus eſt indulgentiam? Similiter & ſanctimonialis, quæ ab eius imagine alapa ſuſcepta, periculoſam euaſit tentationem? Apollonius: Vtriuſque benè memini: primi videlicet miraculi in diſtin. 2. cap. 12. & ſecundi in diſtin. præſenti cap. 3. & ſtupor inuadit me, cùm in lignis audio vocem ad loquendum, manus ad feriendum, corporis incuruationem, erectionem, ſeſſionem, & reliquos motus vitales. magis hæc admiror, quàm loquelam aſinę contra Balaam: illa enim animam habebat motabilem: in lignis, lapidibus, ſiue metallis nullus ſpiritus eſt. Cæſarius: Diuinus ſpiritus in creatura eſt per eſſentiam, & per potentiam, cui nihil impoſsibile eſt, & nihil miraculoſum, qui ad honorem ſanctorum ſuorum hęc & his ſimilia quotidie operatur. De imagine verò Beatæ Virginis referam tibi quandam viſionem, quæ ante hoc triennium facta eſt.

§. 84.

Cæſarius. Gratia.

IDem Cæſarius ibidem cap. 84: Fuit in ordine noſtro quidam phyſicus magis habitu, quàm actu monachus, occaſione medicinæ per prouincias diſcurrens, & vix vnquam, niſi in præcipuis feſtiuitatibus ad monaſterium reuertens. In quadam ſanctæ Dei Genitricis ſolemnitate cùm nocte ſtaret cum aliis ad pſallendum, ipſa Virgo beatiſsima multa claritate circumfuſa chorum, ipſo vidente intrauit, pſallentes circumiuit, & de pyxide, quam in manu portabat, electuarium per cochlear hauriens ſingulis in os mittebat; ad ipſum verò veniens cùm pertranſiret & diceret: tu de meo electuario non indiges, quia medicus es, & plurimas tibi impendis conſolationes, ille triſtis tranſeuntem oculis ſequebatur, culpam recognoſcēs. Ab illo tempore nonniſi per obedientiam coactus, de monaſterio egredi cōſenſit, & omnes corporales conſolationes ſibi temperauit. In proxima ſua ſolemnitate Domina noſtra prędicto modo famulos ſuos viſitans, poſtquam ad medicum venit, gradum fixit, & ait: quia te emendaſti, tuis medicamentis mea præferens, ecce, de meo electuario, ſicut cæteris tibi impertior; de quo, vt guſtauit, mox tantum dulcedinis, ac deuotionis concepit, vt deinceps ſtabilis in congregatione māneret, & omnia carnis commoda tanquam ſtercora reputaret. Electuarium iſtud, gratia deuotionis intelligitur, cuius virtute pſallentes confortantur, cuius dulcedine labor vigiliarum vertitur in delicias: huius ſpecies aromaticæ ſunt: memoria compunctiua Dominicę Conceptionis, Natiuitatis, & reliquorum ſacramentorum Chriſti, quæ omnia melliflua ſpe futuræ retributionis condiuntur, & meritis B. Mariæ Virginis pſallentibus infunduntur. Apollonius: placet, quod dicis. Cæſarius: quòd apud B. Dei Genitricem vnguenta ſint ſanatiua, teſtatur ſponſus in Canticis dicens: *Meliora ſunt vbera tua vino, odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata; & in alio loco in perſona illius ait: Sicut cynnamomum, & balſamum aromatizans, odorem dedi, &c.* Quantæ virtutis, & gratiæ eadem ſint vnguenta, ſequens declarabit exemplum. Cant. 2. Eccl. 24.

* * *

§. 85.

Cæsarius. *Gratia.*

IDem Cæsarius ibidem cap. 50. Iuxta Ecclesiam sancti Seuerini in Colonia incluſus quidam habitabat, Marsilius nomine, in Tuscia ad sanctum Sebastianum quandoq; Episcopus, & tempore schismatis, quod fuit inter Alexandrum, & Paschalem, ab ipso Alexandro depositus: hunc cùm matronæ ciuitatis frequentarent, & vna confessa fuisset, quòd Dominæ nostræ nomen dicere non posset sine quadam mira dulcedine: de causa tantæ gratiæ requisita respondit: singulis diebus in honore eius quinquaginta Aue Maria, cùm totidem venijs dicere consueui, per quę tantam dulcedinem merui, vt omnis oris mei saliua orationis tempore in mel videatur conuersa. Quod cùm audisset iam dictus incluſus, exemplo deuotæ fœminæ vix per sex hebdomadas Angelicam salutationem præfato modo, & numero compleuerat, & ecce tantam dulcedinem sentire cœpit in illius dulcissimę salutationis prolatione in ore & gutture, vt mellis dulcedinem longè transcēderet ipsa dulcedo. Eandem dulcedinem meruit de ordine nostro quidā monachus exemplo illius prouocatus. Hæc mihi relata sunt ab eodem incluſo. Ecce, his tribus exemplis satis ostensum est, nomen eius esse super mel dulce, & quòd hæreditas eius sit super mel, & fauum.

§. 86.

Cæsarius. *Gratia.*

CAEsarius ibidem capite 60. Monachus quidam Ordinis nostri Dominam nostram plurimum diligens, ante paucos annos mente excedens, ad contemplationem glorię cœlestis deductus est: ibi, cùm diuersos Ecclesiæ triumphantis ordines videret, Angelorum videlicet, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrū, Confessorum, & eosdem certis characteribus distinctos. Item canonicos regulares, Præmonstratenses, siue Cluniacenses, de suo ordine sollicitus cùm staret & circumspiceret, nec aliquam de illo personam in illa gloria reperiret, ad Beatam Dei Genitricem cum gemitu respiciens, ait: Quid est, sanctissima Domina, quòd de ordine Cistercienſi neminem hic video? quare famuli tui tibi tam deuotè seruientes à consortio tantæ beatitudinis excluduntur? videns eum turbatum Regina Cœli, respondit: ita mihi dilecti, ac familiares sunt hi, qui de ordine Cistercienſi sunt: vt eos etiam sub vlnis meis foueam, aperiensque pallium suum, quo amicta videbatur, quod miræ erat latitudinis, innumerabilem multitudinem Monachorū conuersorum, & sanctimonialium illi ostendit: qui nimis exultans, & gratias referens, ad corpus redijt, & quid viderit, quidve audierit, Abbati suo narrauit. Ille verò in sequenti capitulo hæc referens Abbatibus, omnes lætificauit, ad ampliorem sanctæ Dei Genitricis amorem illos accendēs. Igitur, quia Virginem beatam, imò speculum virginitatis, cui⁹ merita & gloria omnem sanctorum multitudinem transcendunt, laudare non sufficio, quasi imperitus orator, illam laudando deficio. Ipsam ergo tuis adiutus orationibus deprecor, vt defectum meum ipsa suppleat, & quæ scripta vel scribenda sunt, fructuosa faciat. Amen.

§. 87.

Abraham Bzouius. *Gratia.*

ABraham Bzouius Ordinis Prædicatorum panegyrico 3. de Assumpt. Virginis, hæc refert ex Hercule Vincemala li. 3. de mirac. Virginis c. 20. In sylua Tridento proxima, tam efferus latro latebat, vt viatores omnes rebus omnibus spoliaret; ac renitentes crudeliter occideret. Fortè illac iter habebat Diui Dominici religiosus, quem quia benè instructum existimabat,

bat, mortis metum inferens, vt recta per syluam sequeretur, impulit. Dum iter per deuia loca haberent, religiosus quæsiuit de latrone, cuius conditionis esset. Is nomen, studia, ac vitæ genus diligenter aperuit: quem religiosus accusare instituit, quod iam in sceleribus consenescens, nondum resipiscendi, vel ad se redeundi consilium caperet: non aliter se de ea re cogitare, respondit latro, ac si bellua esset expers rationis. occasionem nactus pater reducendi latronem ad frugem meliorem, cœpit in anteactam vitam ipsius inquirere: ille ingenuè fatebatur, se à teneris vnguiculis aleæ deditum fuisse, simultatibus, odijs, criminationibus assueuisse: mox cum ætate omne genus flagitij secum creuisse, vt omnium facinorosorum palmam præhaberet. num (requisiuit pater) te cogitatio vnquam percussit perennis cruciatus inferni qui remanet? pensi (ait latro) nihil habeo, cùm sciam animæ meæ iam me naufragium fecisse. Cæterùm, si tibi, infert pater, spes aliqua affulgeret salutis, resipisceres? facerem, subiungit ille: tunc pater: spondeo tibi illam proximè affore, si te veterum delictorum pœnitudo habeat, quæ vbi lachrymis contritionis elueris, & sacra exomologesi expunxeris, adque virtutum cultura te contuleris, patronam tibi apud Deum delige sanctissimam Dei matrem, in eius honorem sabbathinum ieiunium, & vacationem pijs operibus consecrabis. Commissa à patre lubens latro exequi curauit. Mox autem à Magistratu captus, morti damnatus, patrocinio Virginis, illam effugere aliquoties potuit: nam ob præclaras eius corporis dotes, exilio mortem commutare volebat iudex: plexus capite, cum extra ciuitatem homo obrutus iaceret, excubitores circa fossam de Cœlo accensa lumina viderunt: vbi propius videndi desiderio accessissent, quinq; matronas aspectu venerabiles conspexerunt: quatuor illarum capite mirificè truncò cõiuncto, molliq́ue feretro frondibus contexto cadauer extulerunt: quinta aliarũ pulcherrima, & ipsa lumine accenso funus curabat, ac sequebatur, donec illud ante portam ciuitatis collocarent. Monuit interim vigiles attonitos, Episcopo vt significarent, qui delatum cadauer auferret, inque loco honorifico sepeliri iuberet. Incredibilia hæc videntur: tamen Reginæ Cœlorum possibilia. Dicamus ei cum Bernardo: Iam te, Mater misericordiæ, per ipsum sincerissimę mortis tuæ affectum, tuis iacens prouoluta pedibus luna, mediatricem sibi apud solem iustitiæ constitutam deuotis supplicationibus interpellat: Vt in lumine tuo videant lumen, Solis gratiam tuo mereantur obtentu, quam verè amauit præ omnibus & ornauit, stola gloriæ induens, & omnium pulchritudinis ponens in capite tuo: plena es gratiarum, plena rore cœlesti, innixa super dilectum, delicijs affluens; ciba hodie pauperes tuos, Domina, ipsi quoque catelli edant de micis; nec puto, Abrahæ tantum, sed & camelis potum tribuas de superfluenti hydria tua, quia tu verè puella es prælecta, & præparata, & præcoronata ab Altissimi Filio, qui est super omnia benedictus in sæcula sæculorum. Amen. *D. Bernard.*

§. 88.

LEander in vita B. Iordani, secundi General. Ordin. Prædicatorum. Puella quædam nobilitate, formaq́ue præstans, à patruo, cui erat à parentibus iam morituris, testamento commissa, incesto violata concubitu, bisq́ue ab eo grauida, bis partum medicamentis abegit, illo ipso, qui pudicitiam eripuerat, suasore; tertio prægnans facta, scelus agnouit, nefariiq́ue conscientia facinoris, cùm neque fœtum necare, neque se cuiquam indicare auderet, ad voluntariam necem confugere statuit, dumq́ue vnam necem reformidat, duas *Leander in vita B. Iordani.* *Gratia.*

duas execrabili consilio machinatur. itaque gladium in ventre ita volenter infixit, medium vt scinderet, dirisimoque vulnere sauciata, matrem misericordiæ inuocat, ac voce supplici comprecatur, vt sibi solita benignitate succurrat. adest illico Dei mater, & corporis immanissimo vulneri sanitate tributa, vt Iordanis propediem venturi consilijs obtemperaret, admonuit. Id ipsa studiosissimè executa, Cistercienſi familiæ se dedicauit. Erat Ioannes studiosus Virginis Mariæ cultor. quamobrem in ferijs Beatissimæ matris, Christum Filium ad templum deferentis, in matutinarum precum exordio quod est: ecce venit ad templum; Sanctissimam Deiparam cum Filio venientem Iordanis aspexit; quę cùm ad maximam aram processisset, & in throno, qui altari imminebat, consedisset, visa est, fratres ad aram conuersos, & ad Gloria Patri, demore caput inclinantes, apprehensa Filij dextera signare, & choro vniuerso, cruce confirmata, salutem impertire. Benedic etiam & nobis, ô benedicta, ex quo à die illa faustissima vigesimaquinta, quo oliua specioſa florusti, benedicere, & benefacere cœpisti. Amen.

§. 89.

Lypſ. in B. Virg. Halle.

LYpſ. in D. Virginis Halle cap. 29. art. 1443. Comes Fani S. Pauli in Gallia ibat ad Delphinum (Regis Galliarum primogenitum ita appellāt) qui Compendij agebat: præmiserat ante se famulos, vt parata omnia in diuersorio reperiret: at illi leuiter progressi, hostium aliquam manum vident: ad septuaginta erant, qui in subiectis pratis pecudes rapiebant, agebantque & si quid aliud in agris esset: Remeant igitur trepidi, Domino nunciaturi, & hostes, &c. ad arma clamant. Comes, vir magni animi erat, nec talium expers, inuocat suos, arma, & equos expedirent, sequerentur, si quis fidem, & se amaret. simul ipse in equum abit, assequitur, & vnà cum ipso fidus famulorū Ioannes Gertrudanus nomine, qui semiermis, vt festinatio erat, comitabatur: idem aliquot alij, singuli, aut bini aduenientes, qui omnes tamen iuncti via, octoginta, nec ab armis instructi satis erant. At hostes, qui in subsidio fuerant iam conspicui, & primis illis iuncti, facilè ad 1500. accedebant. Ioannes, quem dixi, aduertit, & Dominum iræ properum, & animi nimium abire, & sibi consulere hortatur. Nos interim (inquit) vilior manus propugnabimus, & tutum tibi receptum reddemus. non mouetur Dominus; pugnat, sed ante eum Ioannes, cui statim duplici sagitta baliſtaria brachium trajcitur, & herum cùm respicit, iterum moniturus, tertia collum ei transit. Tūc denique, Domine, (inquit) ô amor, ô fides, consule vitæ tuæ, nam de me quidem est actum, & cum dicto ex equo delabitur. Comes, atque alij in vicinum oppidulum fuga delati seruantur, sed Comitem mœror tetigit, amisso, vt putabat, tam fido ministerio; sed quē Dei, & Diua benignitas incolumem, præter opinionem, & pænè fidem reddidit: nā, dum, vbi iacet inter viros, equosque D. Virgo Hallensis ei in mente, atque in ore est æquè tam multis quotidie auxilium esse, vt sibi in hoc discrimine precatur: auditus est, & simul manibus, genibusque nixus, prorepsit in viam proximam, ac viribus defectus, ibi hæsit: nondum finis; mala accumulantur, vt remedia crescant, & discrimina iterantur, vt salutaris illa vis magis inclaresçat: tres ex hostibus seorsim aduenium, scrutari omnia, & prædam (vt fit) quærentes, miserum hunc vident, accedunt, pecuniam, annulos, vestemque tollunt, sublatis gladio exerto, vnus caput illi findit, nec sic quidem moritur, sed Mariam identidem ingeminat, & in eius, ac Diuæ Barbaræ honorem, vt sibi sit peccata apud Sacerdotem expiandi, precatur. tangit etiam duros animos, diua

Gratia.

fauen-

fauente pietas; permittunt, imò & operam promittunt, atq; etiam rusticanum sacerdotem per viam fortè euntem vident, aduocant, & homini admouent. Expectant vt finiat, & tum illi dent quoque suum finem: nam occidere nihilo secius hominem destinatum erat. Sacerdote igitur etiam astante, vnus eorum mucronem gladij (vt censebat) in guttur eius defigit, Diua auertit, & subuculam eius modo scindit: Sacerdos interea deprecari, & mitigare exorat, randem & recedunt, atque ipse sic saucium in proximum quoddam horreum partim ducit, partim trahit, & vulnera eius, vt copia erat, obligat. At ecce noua hostium manus, inter quos duces ipsi, & honestiores militum erant. eorum metu sacerdos Ioannes, conspectis ijs, veniam, vitamque petere, & facilè impetrat ab animis nobilioribus, & quos honor, & humanitas non prorsus reliquissent: sed enim discessu istorum tres illi sicarij immani sæuitia iterum redeunt, & cùm viuere vident, gladium vnus strictum viribus in caput librat, sed Diua, quam inclamabat ictum moderante, humerum modo attigit, & leuiter etiam strinxit. Consilium deinde capiunt, in flumen cadauer (pro tali habebant) abijciendi, quod faciunt, & sanguine manantem ferociter eò trahunt: quo tempore visa illi palam astare diua Virgo, quæ solatium & iuuamen benignè promitteret, consilium etiam daret, vt mortuum se gereret & simularet; paret; illi autem de ripa in flumen deuoluunt, atque vnus etiam hasta petit, vt si quid fortè reliqui spiritus aut vitæ essnt, educeret. Sed Diua & hunc ictum irritum facit, & clientem suum in insulam modicam peruehit limosam, & leuiter flumine extantem, ibi confectus nouem plagis grandioribus, aquis refrigeratus, ad horas ferè tres iacet, erigere aut mouere se impotens: cùm sacerdos, apud quem culpas fassus erat, miseratione impulsus redit, & eum quærit, atque sanguinis vestigia secutus, ad flumen denique venit. Ibi non reperto perterritur, & mortuum omninò censet; cùm ecce oculos longius & intentius mittens, videre in limo illo insulæ visus est effigiem hominis: neque certus tamen homo, an ludibrium genij esset, cruce se signat, & altè inclamat: Adiuro te, si homo & Christianus es, signum aut voce ede. Ioannes audit & manum attollit, sacerdos audacter in aquam insilit, & collo tenus madidatus, ad eum peruadit, erigit & in siccum, quantum potest, perducit: cursum inde in oppidulum propinquum fertur; vehiculum & homines adducit misero huic subleuando; qui inibi curatus, post paucas etiam septimanas Hallas venit Diuæ præco, & omnibus narrabat, quæ vix ipse, nisi sibi credidisset, nisi Virgo protexisset: tam est potens namque sacrosancta mater, vt quem suo vmbone operuerit, hunc ne ipsa quidem mors iaculo suo possit confodere.

§. 90.

LYpsius in D. Virg. Halle. cap. 24. artic. 1440. Molitor erat Ioannes Massardus iuxta Albatiam Lobiensem in Hannonia, cui vxor erat Catharina nomine, eaque fœtu grauida, & mensibus vtero legitimis ferè iam exactis. Molitor iste idem faber lignarius erat. itaque per eam causam fortè egressus, molam & domum vxori commendat. Vxor sedulò officium factura, rotam moralem censet tardiusculè volui, atque aquæ inopem esse. Venit igitur repagulum ligneum leuatura, & flumen vberius admissura, sed dum conatur, tabula siue ponticulus, cui insistit, frangitur, atque in aquam ea, & sub ipsam rotam lapsa hæret. Nam rota liberam volutionem non habere, & ipsam identidem sub rota premi, atque ita, tum aquis mergi, tum pondere simul cum fœtu suo allidi. Semi horam amplius sic

Lypsius.

Gratia.

iacet, sed initio lapsus diuam Virginem Mariam Hallensem in mente habet, atque inuocat, quæ palam à duplici periculo, & mersionis, & oppressionis seruat: nam maritus tandem superuenit, & miratus, molam sistere, nec circumagi, vxorem etiam requirit: cum ecce eam sub mola afflictam videt, & consternatus, opem, opem clamat. Accurrunt vicini, inter eos Prætor, & religiosi etiam aliquot Lobienses; mulierum ægrè subtrahunt, certò, non arbitrario mortuã, vt censebant: at illa viuam, & sanam se exhibet, sanctam Mariam in ore ingeminans, eiusque præsidio tutam se coram omnibus testata est. Post dies etiam aliquot pulchrum puerum parit, qui dies duodecim superuixit; quod omnes iure mirabantur, tanto illo rotæ pondere, ne fœtum quidem non dicam elisum, sed neque læsum.

§. 91.

Pomer. ser. de B. Virg.

Gratia.

POmeria sermonum de beata Virgine, hæc notanda prodigia refert lib. 12. in hæc verba. Vincentius in speculo historiali lib. 8. cap. 96. quòd cuidam Parochiæ præerat presbyter dives scilicet, vitijs plenus, qui in sua parochia habebat quendam nobilem diuitem, & etiam quandam pauperculam viduam. Contigit simul ambos infirmari, & morti proximari: vocatur ergo sacerdos ad diuitem illum pro confessione, & communione, & veniens, vidit multos astare diuiti, solatia ei præbendo; qui attentus plus ad temporalia, quàm spiritualia, confessione qualicunque facta, cœpit adulationis verba diuiti dare, coram circumstantibus, vitam æternam promittendo, & de conscientiæ examinatione, ac peccatorum salubri pœnitentia, & satisfactione alienorum minus dispositum, diuitem reliquit. Interim venit quædam mulier ex parte viduæ, quæ dixit, eam in extremis agere, & sacramenta postulare: & cum sacerdos nil curaret, ait eidem cappellanus: grande periculum nobis instat, si illa mulier ante cõfessionem, & Eucharistiæ perceptionem ex nostra negligẽtia decesserit. Iratus sacerdos ait: ô parum sani capitis consilium, pro vili vidua nobilem relinquere patronum, à quo in testamento plurima leganda tẽporalia expecto; ait cappellanus: ego, si permittis, infirmam viduam visitabo cum sacramento: fauente presbytero, cum ingrederetur pauperculæ viduæ habitaculum, vidit viduam super nudam humum sub paruo stramine stratam iacere: hæc vidua, erat Dei famula, plena bonis operibus, & erga beatam Virginem Mariam præcipuam gesserat deuotionem: introspicienſq; cappellanus, vidit huic viduæ assistere beatam Mariam cum magna militia Angelorũ, & choro beatarum Virginum, & tenere linteolum, quo tergebat vultum ægrotantis viduæ, & omne pietatis beneficium impendens, satagebat circa frequens ministerium. Cappellanus hæc videns, obstupuit, & pertimuit. Regina autem cæli, data fiducia viro Dei, vt intraret, imperauit, & Maria sedem parante, ac ne timeret hortante, sedit, & confessionem viduæ audiuit. Tandem cum eidem viduæ vellet corpus Christi dare, & de pyxide excepisset, mox beata Maria Virgo cum cælesti curia tota inibi existente, se prostrauerunt humiliter, & Corpus Christi adorauerunt. Tandem communicata vidua, & Ecclesiasticis sacramentis peractis, cappellanus cœpit psalmos legere, & sic obitum viduæ præmunire. Sicque beata Virgine astante, & consolante egredientem animam fœlicem, in cælum cum tota illa glorioſa comitiua in iubilo deduxit. Denique hæc videns, & Deum glorificans cappellanus, cum gaudio redijt ad domum diuitis, vbi erat Plebanus; venienſque ad limen ostij, vidit cattos nigros circumuallantes lectum diuitis; quos miser ille sentiens infestos dæmo-

nes

nes fore, rugiebat, clamans, & dicens: tollite cattos, tollite, misero subuenite. Et post aliquantulum vidit Aethyopē magnum voce minaci, vultu terribili, vncum, quem manibus gestabat, faucibus, & gutturi diuitis peccatoris immergere, & furibundè animam eius infœlicem extrahere; illeque dives in his doloribus dās vocem horribilem, tradidit infœlicem spiritum, & ecce, cæteri complices dęmones irruentes, miseram animam illam flagris, ac verberibus afficientes, immerserunt in locum tenebrarum Cappellanus igitur hæc videns, nimio timore correptus cecidit; factoque in excessu mentis, mox beata Maria gloriæ Regina sibi apparuit, dicens: ne timeas charissime, non tibi nocebit malignitas diabolica, quia tibi deuotè seruienti parata est beatitudo cælestis, sicqúr recreatus rediit, & gratias, ac laudes Deo agens, tandem in bono, & deuotione beatæ Virginis profecit. Ad idem facit etiam miraculum de quodam clerico, qui quotiens pertransibat ante Ecclesiam, vel imaginem beatæ Virginis, genu flexo eam semper salutabat, & quomodo in sua infirmitate est consolatus.

Pulchra. §. 92.

Idem auth. eod. lib. cap. 60.

Gratia.

IDem eodem lib. cap. 60. Sexta vtilitas, quòd beata Maria suos dilectos honorat, legitur vbi supra, quòd quidam nobilis intrauit religionem Cistercien sem, qui, dum rudis ingenij à magistro sibi dato non poterat litteras addiscere, post se humiliauit, cogitans, Deo melius seruire in humilitate, vt conuersorum eligeret habitum: nec potuit plus addiscere, quàm Aue Maria, & quia hanc deuotissimè dicebat quotidiè, & frequentissimè accidit, vt moreretur, ac tandem fossa eius à quodam visitaretur. Et ecce de capite fossæ eius lilium excreuerat pulcherrimum, scriptum intus, & foris, & conuocando Abbatem, & Episcopum, dum fodissent, inuenerunt lilij radicem de corde per os procedentem, & ad extra excrescentem, in cuius folijs scriptum erat, Aue Maria, atque hæc videntes, laudauerunt Beatam Virginem suos honorantem.

§. 93.

Idem auth. eod. lib. cap. 60.

Gratia.

IDem auctor eodem lib. ca. 60. & recitat idem Anselmus in epistola ad Coanglicanos Episcopos, dicens; quòd temporibus Caroli Regis Francorum quidam germanus Regis Hūgariæ fuit, qui sic erat deditus deuotioni beatę Mariæ Virginis, vt quotidiè, antequam comederet, diceret horas eius: cum autem infirmitate grauatus vouisset beatę Virgini, quòd si eum curaret, castitatem seruaret, statim vidit cameram luce repletam, & se curatum reperit, atque sanum. Tandem moritur Rex Hungariæ absque altero hærede, & is à Regni baronibus inducitur ad contrahēdum, ne careret Regnum successore; electa quoque sibi sponsa, ducuntur ad Ecclesiam pro benedictione nuptiarum. Tūc iuuenis recordatus est, quòd illa die nō dixerat horas beatæ Virginis, moxque cœpit dicere cum deuotione; & cum perorando, diceret illam antiphonam, *Quàm pulchra es, & quàm decora, charissima, &c.* ecce splendida Virgo apparuit ante altare, duobus Angelis adstantibus, & ait iuueni: si pulchra sum, & decora, vt dicis, cur, me dimittens, aliam spōsam accepisti? tunc iste ait; ô Domina, quid me iubes facere? at illa: si sponsam carnalem meo amore dimittis, me in sponsam cælesti in Regno habebis, & si festum Conceptionis meæ celebraueris annuatim, mecum in Regno, vnigeniti mei laureatus eris. His auditis, adolescens, clam fugiens ab Vrbe, & Regno, venit Aquileiam, & super rupem, heremiticam vitam duxit. Tandem fama prodeunte veridica sanctitatis,

tatis, electus est, & factus Patriarcha Aquileiæ, & publicè prædicauit, & instituit fieri festum Conceptionis immaculatæ Beatæ Mariæ deuotè celebrandum.

Intercalis tomis pro Peccatoribus B.V.M. illi §. 94. Iemien.

Idem eodem lib cap. 7. Promptuar. exemplor. Ioan Gritbs Ord. Minor.

IDem eodem libro capite 7. Septima vtilitas; quòd Beata Maria peccatores filio potenter reconciliat. scribitur in libro, qui dicitur: Promptuarium exemplorum Beatæ Virginis, & refert clarius, & melius magister Ioannes Griths Ordinis Minorum: quòd quidam miles fuit rapax, prædatius, nec Deum timens, sed omni spurcitia vitiorum plenus, habebat tamen vxorem deuotam, quę cum induxerat, vt ad honorem Virginis Mariæ diem sabbathi ieiunaret; & Aue Maria, cùm procederet, quoque diceret coram imagine Beatæ Virginis. Cumque semel iret ad peccandum, Ecclesiam, quam præteribat, casu ingressus: vidit imaginem Virginis cum suo puero in sinu, & cùm cœpisset Virginem salutare per Aue Maria, vidit puerum Christum vulneratum, & eius sanguinem fluere in gremium matris; quo viso obstupefactus, dixit: ô Domina, quis fecit hoc? & Virgo respondit: tu, & alij peccatores, qui amplius crucifigitis filium meum, quàm Iudæi: volebatque Virgo sanguinem filij tergere & restringere, nec poterat. Tunc peccator ille compunctus ad Virginē dixit: ô mater misericordiæ intercede pro me. At illa: vos peccatores vocatis me matrem misericordiæ, qui non cessatis me facere matrem miseriæ, atque tristitiæ: at ille: non domina clementissima loquere sic: sed memento te esse aduocatam peccatorum, & intercede pro me. Tunc ait mater ad filium: ô pijssime fili, amore mei, miserere huic peccatori mihi supplicanti, & filius, noli mater grauari quod te non audio, quia & ego rogaui patrem meum, vt sibi possibile foret, scilicet, alio modo redimere genus humanum, transferret calicem passionis à me; & noluit me audire; tunc mater ait: ô fili, memento, quòd materno amore te visceribus meis alui, & condona huic peccatori, & filius ait: Ex iustitia tibi ostendo, quòd te exaudire non teneor, & mater ait: non secundùm iustitiam causemur, sed secundùm misericordiam; quia ego sum mater misericordiæ; ergo propter me miserere peccatoris: & filius; & ego secundo rogaui Patrem transferre calicem; & nondum audiuit me. tunc mater iterum dixit: ô fili, memento omnium laborum nostrorum & dolorum quos sustinui, & dona mihi hunc peccatorem, & filius: ô mater, noli grauari, sed memento, quia ego tertio rogaui Patrem, & non audiuit me. Statim autem mater deposuit filium suum ad altare, volens procidere ad pedes eius genu flexo: quod videns filius dixit: ô mater, quid sic vis facere? at illa: tamdiu ante pedes illos genu flexo prouoluta stabo, quousque ei veniam concedes: & filius ait: absit hoc à me: quia à lege diuina sancitum est, vt filius honoret matrem, & cùm sim filius tuus, te honorare volo. tunc ait: peccatori isti propter te, ô mater, indulgeo, & in signum pacis, accedat ille peccator, & osculetur vulnera mea; quòd cùm ille feciſſet, ecce, osculando, omnia sanabantur vulnera, & sic cognouit, misericordiam se promeruisse, & maximas gratias agens Deo, & matri eius, abscessit, & domum rediens, malè ablata restituit, & mundum deserens, cùm sancta vxore Religionem intrantes, communi consensu ad sua monasteria, ibi fefelici fine quieue runt.

Gratia.

§. 95.

Idem auth. eod. lib. ca. 8.

IDem eodem libro capite 8 Legitur in libro qui dicitur scala cœli, & in Mariali magno, quod fuit quidam nobilis, qui deuotus & pius ad Beatam Virginem quandam orationē ad ipsius Virginis, nec non Diui Ioannis Euangelistæ honorem editam, quæ incipit: ô intemerata, &c. qualibet die dicebat cū magna deuotione: cui inuidens diabolus in assumpto corpore damnati hominis cuiusdam, se præsentauit ad seruiendum attentè, quem nobilis, cùm pronum ad omnia, & industrium in seruitijs agnouisset, posuit ipsum in quodam hospitali, quod ipse ædicauerat (scilicet nobilis) sumptibus proprijs. Vtque ibidem seruiret attentè infirmis, & pauperibus deputauit prouidendo. Ipse verò diligenter, & mirabili charitate secundùm apparentiam exequebatur mandatum Domini, seruiendo infirmis & pauperibus. itaque omnes existentes in hospitali mirabiles laudes de eo dicebant. Accidit vt semel venisset ad Dominum suum, petendo pisces pro aliquibus infirmis in hospitali, qui (vt dicebat) alia comedere non valebant; & Dominus misit ad forum, nec ibi pisces repererunt. Vnde iste Dominus cum ipso seruitore, qui scilicet ignorabatur fore diabolus, ascendit nauem ad piscādum, & cùm essent in profundo fluminis, nitebatur diabolus submergere ipsum Dominum sed ecce, fune candidissimo nauem cingente & firmante, de cœlo descendente moueri non potuit. Tandem reuersi, altera quadam die, iterum à Domino venationes pro infirmis postulat, dicens; quòd aliter viuere plurimi non valebant eorum. Tunc Dominus manè surgens cum eo, acceptis laqueis, iaculis, canibusque, & auibus, nemus maximum intrauerunt, &, cùm Dominus insequeretur prædam: iste diabolus in specie seruitoris exiens, nitebatur eum occidere, iacula mittendo contra eum, quasi mitterentur contra venandam feram: sed statim pannus pulcherrimus interponebat se inter iaculatorem & militem, neque eidem poterat in aliquo nocere; vnde venerunt cum præda. Quadam die iste nobilis, cùm inuitasset quendam Episcopum, rogat eum, vt suum hospitale visitet, qui vna cum nobili accedendo, & videns illum seruitorem, ac requirens ab infirmis, mirabiles commendationes de ipso audiuit; & mox, reuelante Deo, cognouit quod esset dæmon. præcepit ergo eidem coram omnibus in virtute Iesu Christi, vt quis esset, diceret, & ad quid venisset, aut cur illic maneret, causam aperiret. Mox ille deprehensus hostis, fugiens terribiliter, ait: dæmon sum, principis tenebrarum socius; & cogor dicere veritatem: veni nempè huc primò, vt infirmantes in hoc hospitali priuare quæterem confessione, & sacramentorum perceptione. Secundò veni, vt perimerem istum militem diuitem, qui est contrarius nostris operibus, & seruit matri Iesu, sed nunc vtroque priuatus sum; volui quippè ipsum submergere & non potui, quia chorda serica de cœlo demissa nauem firmauit. iaculari etiam volui, & nequiui; quia è cœlo delapsus pannus aureus se interponebat, & sagittas suscipiebat: infirmis etiam nocere non potui, quia virtus matris Dei me reprimebat propter vnam orationem, quam iste miles de facto dicebat quolibet die. His quoque dictis, dæmon confusus cum terrore, & fœtore relicto disparuit, & omnes in laudem Dei, & Beatæ Virginis prorumpunt. Tunc interrogat Episcopus, quæ esset illa oratio? cui miles: ô Beata, & intemerata, &c.

* * *

§. 96.

Idem auth.

Gratia.

IDem eodem libro ca. 10. Ad idem legitur in quodam miraculo, quod accepi ex libro notabilis cuiusdam prædicatoris Ordinis Minorum, quòd in comitatu Tholosano duo fratres erant magni prædones residentes in quodam castro: vnus eorum licet prædaretur, tamen præcauebat ne homines occideret. hic diuino nutu, pœnitentia ductus intrauit ordinem fratrum Minorum, & quotidie exorabat Deum pro suo fratre prædone, vt conuerteretur ad pœnitentiam. Accidit autem quòd ille suus frater prædo infirmaretur, cui cùm consanguinei consulerent pœnitẽtiam & confessionem, dixit, quòd nulli alteri vellet confiteri, nisi isti suo germano facto fratri minori presbytero, eò (inquit) quòd ille quondam fuit socius operum meorum. misso itaque nuncio pro eodem, interim iste grauatus infirmitate, mortuus extitit: ille quoque aduenies, reperit hunc suum fratrem defunctum portari ad tumulãdum. Vnde flens proiecit se in orationẽ, & benedictam Virginem cœpit rogare pro suo fratre totis visceribus deuotionis; & ecce subitò mortuus ille exclamauit, fortiter dicendo: væ mihi: & iterato recidens, quieuit. Post aliquantulum, cùm ille frater minor non cessaret ab oratione, iterum erexit se mortuus, & clamauit tam fortiter, vt circumstantes territi fugere cœperint; & iterum recidens, siluit. Tertio denique cùm orationis prolixitas in cubiculo à fratre distenderetur, ecce ille mortuus erexit se & exilijt, dicens: gratias ago Deo & benedictæ Virgini Mariæ. Omnes igitur stupentes interrogauerunt eundem & respondit: egressa (inquit) anima mea, rapta est ab innumeris dæmonibus, qui omnia peccata mea mihi obijciebant, & ad tormenta deducere nitebantur, vidique quasi fornacem ignis ardentis sulphurei horribilis; quò cùm proijcere me vellent, statim fortissimè clamaui, primam illam vocem quam audistis, proferendo videlicet: væ mihi: ecce autem vidi supra me in altissimis stantem Iudicem, qui sententiam contra me ferre volebat, vt ignibus traderer, propter quod perterritus, secundo clamaui fortius: mox quoq; apparuit homo similis fratri meo germano in habitu Ordinis Minorum, procidens coram Beata Maria Virgine, & propter eius preces Beata Virgo Maria intercessit coram Iudice, & sic eius meritis & intercessione delata est à Iudice sententia diebus aliquot, & interim anima corpori meo restituta pro agenda pœnitentia, & sic gratias omnipotenti Deo & Beatæ Mariæ ago, atque tibi, ô frater charissime: festinemus igitur & satisfaciamus damnificatis: quibus perfectis, cappam induit Ordinis Minorum, & lachrymans cunctis diebus, ac confessus, die octauo quieuit in bono.

§. 97.

Pomer. li. 7. de B. Virg. cap. 13.

POmerium li. 7. sermonum Beatæ Virginis ca. 13. hæc scribit: Fuit quædam nobilis domina, habens vnicum filium, & erat deuota Virgini benedictæ. Cùm autem filius eius creuisset, & vellet eum ponere in curiam cuiusdam principis, cuius famulus fuerat pater eius, dum deberet iuuenis ille recedere, mater postulauit vnum donũ à filio, vt illud cum fidelitate compleret: cui cùm annuisset filius & promisisset se completurum, quod illa iuberet, tunc ait mater: rogo fili charissime, vt ad honorem B. Virginis quolibet die salutationem Angelicam ei dicas, & in fine sic concludas: Virgo benedicta esto mihi adiutrix in hora mortis. recessit iuuenis & optimè complecuit promissum, sed corruptus à mala societate, deterior omnium in curia est effectus, qui cùm frequenter à principe corriperetur, nec emendaretur, vituperabiliter de curia eijci-

eijcitur, sed suam ille confusionem ferre non valens, factus est Princeps latronum: dum autem permoratus in illo malo fuisset captus, audita sententia suę mortis, & præmeditando in carcere, quanta mala fecerit, & quantam confusionem suo generi induxerit, & dolorem quantum compatienti matri generauerit, ex his cœpit nimium flere; & ecce affuit eidem iuuenis splendidissimus, qui sibi promisit liberationem, si tamen acquiesceret suis votis, qui annuens, ait: ego ille sum dæmon missus à nostro principe, si ergo feceris quod dicam, eris solutus, videlicet, quod abneges Christum, & omnia beneficia Ecclesiæ: at ille dixit: renuncio, iterum dæmon ait: renuncia omni beneficio & adiutorio atque honōri Beatæ Mariæ; hoc ille audito, facere noluit: recordatus, quod mater sibi hoc mandauerit, vt Beatam Virginem quotidie honoraret, & eius adiutorium inuocaret: sed ait: imò ego recommendo me Beatæ Mariæ & sibi meipsum dono, quod dæmon ferre non valens, statim euanuit. Tunc ille reuersus ad se, & cognito, quòd Christum & omnia Ecclesię sacramenta negauerit, cum mirabili fletu & suspirijs, cor ad Beatam Virginem leuauit; quam negare tunc noluit, & in vita frequenter salutauit, & ipsam rogare cœpit multis verbis, dicens: ô Virgo benedicta, attende me vilissimum peccatorem: non peto corporis liberationem, sed tantummodo delictorum meorum & criminum remissionem, &, vt in puncto mortis, sicut semper rogaui, nūc peto subuentionem: adiuua me ô misericordiæ mater, & miserere mei in hoc periculo. Hæc & plura talia orans cum maximis lachrymis, noctem totam duxit insomnem. Mane facto, requisito confessore, diligentissimè est confessus, & dum traheretur ad patibulum, continuoq; in via rogaret B. Mariæ Virg. adiutorium in tali puncto motis, dum coram oratorio B. Virginis pertransiret, visa eius imagine, cœpit lachrymabilius clamare, dicens: Aduocatrix peccatorū adiuua me. Et ecce mox imago illa Virginis coram omni populo inclinauit se eidem & salutauit, omnisq; populus admirans dum staret, iste miser supplicauit, vt concederetur sibi hoc donum, vt videlicet posset osculari pedes imaginis: qui concesserunt, & dum coniunxisset se imagini, ecce ipsa imago extendit manum, & apprehendit eius brachiū post tergum colligatum: accesserunt illi, vt remouerent, nec potuerunt, cùm pluries attentassent, quousq; indulserunt sibi mortem, & coram cunctis narrauit, quomodo à matre instructus, B. Virginē salutauerit quotidie, & vt iuuaret in hora mortis, concludendo salutationem ipsam B. Mariam inuocauerit: & mox omnis populus dedit laudem Deo, & eius sanctissimæ matri Mariæ, illeq; rediens ad patriam, quamdiu vixit deuotissimè seruiuit glorioſæ Virgini Mariæ.

§. 98.

BOnifacius de vita B. Virginis lib. 2. cap. 1. narrat ex cathalogo gloriæ mundi, quod sequitur. In Vrbe Galliæ Carnoto ait, ædificatum esse templum in honorem parituræ Virginis: author est Cassaneus, idemq; affirmat, apud Heduos Gallorū item populos miræ antiquitatis inuentum esse sepulchrum: in eo Christi fuisse imaginē, nati in diuersorio ex puerpera Virg. quē & bos, & asinus circumstarent, hominēque ad eiusdē pueri Christi pedes dolatū ex lapide flexis genibus manibusq; coniunctis, quē litteræ ambirent huius sententiæ: Credo in Iesum, inter animalia ex Virg. nasciturū. huic ego narrationi non assentirer inuitus, si Cassaneus scriptores non illos quidem primæ classis, sed vel tertiæ quartæve citasset; quędam .n. eiusmodi sunt, vt vno authore contenta esse nō queant. Minimè tamen hęc negligi debet historia, illarum cognata, quas

Bonifacius de vita B. Virg.

Cassaneus.

Gratia.

quas à viris & doctis, & grauibus scimus esse conscriptas, ædem illam Carnotensem, si Cassaneo damus, Carmelitarum templum, cuius paulò ante meminimus, illorum primum esse non potest, quæ pietas fidelium Beatæ Virginis consecrauit. Sed restant prælia maiora in hac primi templi quæstione: de qua re tum dicemus, cùm quæ de Christi ortu noua sunt, Cassanei non contemnendis scriptoris admonitu fuerint absoluta.

Cassaneus.

Plato.

Narrat enim in sepulchro Platonis auream laminam esse repertam, ipsius pectori Platonis hærentem, in qua erat sculptum: Credo in Christum nasciturum de Virgine, passurum pro humano genere, die tandem tertio resurrecturum. Hæc Cassæanus credat qui volet; mihi enim Plato mortuus idem videtur fuisse, qui viuus, cuius in scriptis negat

D. Augusti.

Augustinus se vnquam legisse: *Et Verbum caro factum est.* etsi quædam in hoc magno philosopho inueniuntur, quæ de Christo Cælius Rodiginius grauis

Cælius Rodiginius.

auctor, censet esse prædicta. Ex quo efficitur, vt hæc Cassanei videnda historia non sit: multò illa minus de aureo circulo pulcherrimam quandam Virginem lactantemque puerum obeunte, in quem cùm suspexisset Cæsar Augustus, cœlitus auditam esse vocem; hæc est ara Cœli, eiusque prodigij fœminam interpretem fuisse, monuisseque Augustum, vt puerum illum, se longè maiorem adoraret. In cuius rei memoriam à Christianis multò post ædem esse constructam, quæ sancta Maria de ara Cœli vulgo nominatur, quam tenent monachi Franciscani. Hoc mirabile portentum ex Innocentio hoc nomine tertio,

Innoc. III.

litteris mandauit Antoninus. Fama

S. Antonin. Flor. antiſt.

quoque vulgauit, cùm aulam Romulus ædificasset, sibique de substructione placuisset, ita se locutum: domus hæc nostra non corruet, nisi Virgo aliquando pepererit, quod quia fieri posse nō credebat, perennitatem operis verbis illis sibi ipse promisit. Veruntamen vaticinium illud fuisse, rei probauit euentus. nam qua nocte mūdi conseruator Christus ex purissima natus est Virgine, Romuli palatium illud omninò concidit, eiusque diruti ruinas conspici Petrus Damianus sapiens & sanctus Doctor affirmat. Hanc de partu Virginis, inquam, nostra libens deflexit oratio non ingratam historiam, probatissima narratio definiet de templo non manu facto, quale quisque modo se purum ab omni labe conseruet, sine vllis pecuniæ sumptibus valebit extruere. De Margarita illa, cui à Castello Italiæ vrbe cognomen erat, quæ fuit eius germana patria, complura præclarè gesta memorantur. Sed illud in ea maximè insigne, quod frequenter admodum felicissimum Iesu Christi ortum ex Maria illibata Virgine contemplari solebat; & cùm post obitum huius Dei famulæ, balsamo corpus esset vngendum, extaque de more chirurgus extraheret, simulatque cor Margaritæ ab ea qua pendebat est parte diuulsum, vnio inusitatę magnitudinis, & admirandæ pulchritudinis inde prosiluit: in quo Christi nascentis imago videbatur. Apparebat quoque Beatæ huius Virginis Margaritæ figura flexis genibus ante Christi præsepe sacrosanctum. Nempè, tam pretiosa Margarita, templum Dei fuit, eiusque diuinæ parentis, non quidem ex his lapidibus, in quos passim offendimus, sed ex gemma exstructum, vbi sanctissimæ Mariæ Virginis mite puerperium videretur. Hanc gemmam in sacrario ædis Sancti Dominici, cuius Margarita institutum complexa erat, hodie & seruari, & conspici Ludouicus Granatensis affirmat, cuius hæc est omnis historia.

Petr. Damia-

D. Ludou. Granat conc. 3. nat Domini sect. 3.

* * *

§. 99.

Ioan. monachus Euiratus.

IOannes Monachus Euiratus in suo prato verè florido capi. 45. Septima synodus hanc historiam & approbauit, & mirata est. Quidam solitudinis incola Christi Iesu pugil insignis in oliuarum monte illo sacrosancto, quem nostri Seruatoris sudor sanguineus colorauit, tabernaculum degendæ vitæ constituit, vbi ne ad multam quidem ætatem prouecto, per malum dæmonē esse licebat otioso; quotidie enim cum communi aduersario, de mentis castitate, deque corporis cordisque munditia decertabat. Cumque dæmon libidinis admouendis facibus esset infestus, instanti inimico sic aliquādo locutus est: quousque tandem pudenda est hæc peruentura contentio? cur spurcissime Sathana senili huic non parcis ætati? in quam obscœna ista quadrant, quæ tu mihi suggerere perseueras? sine me, sine me, sine (inquam) ab inhonesto certamine respirare. dæmon ea sumpta forma, quæ videri poterat quærenti expostulantique monacho, promitte, inquit, iureiurando nemini enunciaturum te esse, quę dicam, & te desinam agitare, iurat solitarius se fore taciturū: tum diabolus, noli istam imaginem ampliusvenerari, & ego Veneris ignem subdere, atq; ad meretrices te impellere, atq; instigare desistam; habebat enim senex almæ matris imaginem, cui debitum cultum adhibebat. Monachus quietæ castitatis conditionem illam nō accepit, deliberandiq; spatium postulauit. Cumq; dubitationem expedire per se ipse non posset, die postero Abbati Theodoro viro permagno rem exposuit, à quo hoc responsum accepit: iurando peccauisti, tamen enunciādo & patefaciendo Christianum officium præstitisti. Illud autē persuauissimum tibi esse debebit, leuioris esse flagitij in quodlibet Vrbis lupanar intrare, quàm Deo eiusq; matri debitum cultum, & religiosum honorem denegare. Etsi enim libidinis & scortationis execrabile scelus sit & pœnis ęternis vindicandum, impietas tamen quæ à vera religione nos auocat, quæq; Deū & Dei matrem, alterum altero adorationis genere venerari nos prohibet, multò est libidine lapsa deterior, atque detestabilior. Illud, mihi crede, dæmon astutus agebat, vt in casto tuo corpore animus religionis ac fidei desertor habitaret. Quod peccandi genus fornicationem, si fortè nescis, sæpissimè scriptura compellat, quam vt à te posset impetrare, castum te esse corpore permittebat, & à mulierculis quæ se peruulgāt, continentem. Plura in hanc sententiam, quæ breuitatis causa tacet historicus, à Theodoro credimus esse disputata, vt monachi titubantis animum in religione, necessariæq; venerationis proposito confirmaret; nosq; in his enarrandis exemplis non serui, sed liberi sumus interpretes, & quę scriptor omisit implemus. Non enim committendum est, vt ex nimia nostra fidelitate lectori, aut quæ sunt scitu necessaria, ignorandi pariatur occasio. dæmon reuersus ad monachum, violati iurisiurādi perfidiam exprobrauit, seq; minatus est ante summi Iudicis tribunal accusaturum esse periurum: monachus (quippè Theologus iam ex schola Theodori) iurasse, inquit, temerè atque indefinitè me pœnitet: rem ad Theodorum retulisse me nunquam pigebit. quod autem ad Virginis cultū attinet, sic habeto: me constantem, ac mei similem esse mansurum, Deumque & Dei matrem in vtrisque imaginibus adoraturum. Neq; verò iurisiurandi religione impedior, cuius tum irrita promissio est, cùm illa præstamus, quæ bonis moribus, nedum sanctitatibus auersantur. Monachum fortem inimicum dæmon ipse per se ab adoratione imaginis auertere conabatur, qui Imperatorem Leonem Isauricū per duos Iudæos fugitiuos, ac profugos in fraudem induxit, & ab imaginum sacrarum cultu

Gratia.

& veneratione suffocauit: quibus dæmonis interpretibus ac nunciis, cùm faciles aures præbuisset, sacras figuras vbiunque essent tollendas, euertendasque curauit, sed tabe dissenteriaque consumptus, ad inferorum raptus est æternos cruciatus. Hunc imitati Coprony mus, Leones IV. & V. Michael Traulius, Theophili pater & filius, vitam miserrimo interitu finierunt. sed de supplicijs reorum læsæ Maiestatis nostræ Mariæ, Virginis potentissimæ sanctissimæque Reginæ, libro huius operis quinto dicemus.

§. 100.

Idem auth. ibidem c. 80

Gratia.

IDem author ibidem ca. 80. Heremita Ioannes, vir maximi nominis, & raræ sanctitatis in spelunca vitam egit, quam speluncam sacræ ciuitatis Hierosolymę vicinitas fortunabat. Erat Ioanni Diuæ Mariæ integerrimæ Virginis & fœcundæ matris, Deum filium gestantis, in gremioque fouentis, imago charisima, solitudinis socia, adiutrix itinerum, religionis incitamentum: nam quotiescunque vel voti, vel sanctitatis causa Ioanni peregrinandum esset, id, quod non minus studiosè quàm frequenter agebat, ad sacræ huius aram imaginis cereum accendebat, emissisque precibus & se, & iter suum clementissimæ Virgini, quam domestici illius simulachri modesta, eademque serena facies adumbrabat, ex animo commendare solebat. Sanctissima humani generis & mater, & domina (hęc erant verba precantis Ioannis) quandoquidem mihi via paratur & anceps, & longa, diesque plurimos abesse me oportet: hęc tibi sit candela curæ, cuius lumen opto esse perpetuum. Tu igitur lucidam, inflammamque conserua, perficeque vt eam, talem redux inueniam, qualem relinquo nunc tibi: da hoc mihi pro tua in homines charitate, proq; illa potestate, quam tibi tuus vnigena filius tam larga manu permittit. Hæc cum Virgine, in eius intuens imaginem, collocutus, se se alacer dabat in viam; confectoque itinere ad speluncam reuersus, alias trimestri, aliàs semestri exacto spatio, ardentē cereum semper inuenit. Deo per matrem, cui nihil negare solet, prodigiū illud, miraculumq; patrante, piamq; S. monachi & viam, & fiduciam factis admirabilibus prosequente.

§. 101.

Carol. Sigo lib. 1. de regno Italiæ.

Gratia.

CArolus Sigonius libro 1. de Regno Italiæ eisdem ferè verbis. Romæ furente in dies acrius pestilentia, Vrbs assiduis funeribus exhauriebatur; itaque mœstum vbique silentium, tristisq; luctus passim vniuersam ciuitatem tenebant, prementium malorum magnitudine iam animum despondentem. quare animaduersa, Gregorius 4. Kalend. Septembr. populum ad concionem in basilicam S. Sabinę vocauit, & diuino repletus spiritu, ad flagella flagellis auertenda plebem incitauit: in fine hæc adiecit: *E singulis autem ædibus in hunc modum egressi, in ædem B. Mariæ semper Virginis Matris Iesu Christi Domini nostri conueniamus, ac longis ibi fletibus & gemitibus Domino supplicantes, peccatorum nostrorum veniā imploremus.* Et paulò post: interim in dies magis pestilentia sæuiebat; ad cæteros autem casus, quibus homines fœdè passim absumebantur, hoc etiam mali accesserat, quod multi, cùm sternutarent, alij cùm oscitarentur, tepentè spiritum emittebant: quod cùm sæpius eueniret, cōsuetudo inducta fuit, quæ nunc etiam obseruatur, vt sternutantibus salutem precando, oscitantibus signum crucis ori admouendo, precidiū quærerent. quibus rebus permotus Gregorius, ad cætera cœlestis iræ piacula, postero anno, qui fuit quingentesimus nonagesimus primus, religiosam in die Resurrectionis supplicationē instituit, atq; solemni in pompa sanctę Dei genitricis

tricis imaginem extulit Hæc ex ore eius Lucæ Euangelistę manu affabrefacta ad viuum expressa iam tum in æde Diuæ Mariæ ad præsepe in exquilijs sita eximia populi religione conseruabatur Factum est autem, vt imaginē ipsam, quocunque ferretur, terra pestilentis cœli grauitate cedente, optata salubritas sequeretur: qua de re, gratulantibus omnibus, ecce Angelus sanctam Virginem his vocibus de cœlo alloquens, est auditus: *Regina cœli lætare alleluia, quia quem meruisti portare alleluia, resurrexit, sicut dixit, alleluia.* Quam orationem vbi Gregorius auribus excepit, statim diuino instructus spiritu, in hunc modum expleuit: *Ora pro nobis Deum alleluia.* Exinde, antiphona solemnis Ecclesiæ paschalis argumento lætitiæ mansit: neque ita multò post Angelus super Adriani molem astans, ac strictum mucronem vagina recondens, conspectus est, quo viso Gregorius exhilaratus, conuerso ad populum ore: Bono omnes (inquit) animo estote, nam optatus diuinæ iræ, ac furentis iam pridem pestilentiæ finis, Deo ipso annuente ostenditur; atq; ita, vt ille præsenſit, ipse deinde morbus elanguit. Ab hac re moli, sancti Angeli nomen est inditum. Hæc ita, vt in rituali bus scripta sunt, retuli; Sigpnis, ait, cuius hucusque verba protulimus. Et hæc quidem beatissimæ Dei genitricis effigies ex templo, vbi erat ad sancti Sixti, translata est, & à Diuo Dominico, multò Cardinalium, & mirabundi populi comitatu, nudis deportata pedibus, quā sacræ sorores, quæ sub eiusdem Dominici vexillo militabant, nudis itidem pedibus expectarunt; seque beatissimas putauerunt, quòd eam imaginem, quæ humani generis hospitam ad viuum exprimeret, annuente Christi Vicario possiderent. Diuum porrò Gregorium Virginis peramantem fuisse, & hæc, quàm modo exposuimus, monstrat historia, & litteræ ad Petrum subdiaconum missæ declarant. Siquidem Beatæ Mariæ oratorium dicaturus, ad conuiuium illud, quod Agapen veteres Christiani dicebant, illa parari iubet his verbis: *Sed quia cellæ ipsius tenuitas exigit, debere nos in ipsa diei festiuitate concurrere, propterea volumus, vt ad celebrandam dedicationem, dare debeas ad erogandum paupe ibus in auro solidos decem, vini anphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei orcas duas, verueces duodecim, gallinas centum, quæ tuis possint rationibus postmodum imputari.* Nouerat Gregorius liberalem se esse debere, sacellum Dei matri dicantem, cui & est, & fuit semper pergrata benignitas.

§. 102.

TIlmannus Bredenbachius libr. 3. cap. 19. in Embrensi vrbe, mulier quædam Odilia nomine à prima ætate clauda atque impos gradiendi, cùm ad sanctæ Aldegundis templum, vel manibus alienis delata, vel pedetentim ipsa peruenisset, & coram Deiparæ Virginis imagine prouoluta, preces, fidei, speique plena, ex intimo cordis sinu fudisset, neq; multò post è terra surrexisset à colloquio illo, congressuque Virginis, sanitatem membrorum reportauit, benignissimæque Mariæ Dei Matri gratias egit, quanta maxima potuit animi pietate. Sequuta mox populi lætitia, & campanæ ob miraculi gloriam lætissimè sonuerunt. Hæc Tilmannus ex probatissimæ mulieris ore cognouisse se ait, quæ Anna dicebatur, cui Odilia cognita erat, & in illa debilitate mēbrorum, claudicandique molestia, & cum beatissimæ Virgini beneficio, rectis iam & solutis pedibus incedebat, complures que alios, quibus habenda fides fuisset, hoc ipsum sanctæ Odiliæ miraculum iurando confirmasse. Eadem Anna vidisse se aiebat hanc Deiparæ imaginem, vim lachrymarum profundentem, ijsdemque religiosi cuiusdam manu, adhibito linteolo, absterſis, *Tilmannus Bredenbach. Gratia.*

nouas defluxisse, imaginisque pectus præ lachrymarum abundantia madui-sse, cymbalaque hoc ipso nomine alacriter esse pulsata. Agebatur annus 27. supra sesquimillesimum, quo videlicet tẽpore deprauatæ religionis, & Lutheranæ perfidiæ venena proruperunt, miserumque Belgium infecerunt: quas ipsas clades mitissima Dei mater & lamẽtari, & prædicere videbatur. Et cùm finitimę gentes fœdis tumultibus agitentur, vicinaque ditio miserabiliter perturbata, bellorum tempestate quatiatur. Embrica tamen, beneficio Virginis seditionum, & motuum quasi quidam limes, & terminus in tanta rerum offensione, vt idem Tilmannus scribit, inconcussa perseuerat.

§. 103.

Franc. Beuc. *Gratid.*

FRanciscus Bencius in Annalibus societatis de historia prouinciæ Austriæ eisdem verbis. Quidam in inimicum ardebat odio ita implacabili, vt subtraheret aures sermonibus, hunc conuenit vnus è nostris, orat, vt quãdoquidem aures habeat obstructas, oculos tamen sibi clausos esse ne patiatur: in templum nostrum concedat, dũ defixo obtutu in Beatæ Virginis imaginem, eam deprecatur. Dictu mirabile, sed verum, perculit is visus derepente hominem, vt exclamauit, do veniam libens, obliuiscor iniuriæ; condona tu mihi Deus, condona peccata mea, quæ etiam statim adhibita confessione, sacraque communione expiarit; vir quidam genere nobilior quam fide, vxoris instinctu Valdensem sectam ingressus, è templo, quòd habebat, sanctorum eiecit simulachra, illa præfatione vsus, quod videndi, audiendi, loquendi sensu carerent. Non diu dilata numinis vltio, qui videre noluit in æde mutas, vt dicebat, & surdas imagines, in ædibus mutos, surdosque liberos, quos identidem patiebat vxor, perferre cogebatur. Res erat in ore multorum. Miser parens venienti ad eum vni ex nostris infelicem sobolem ostendit: quærit noster, qua ratione miserandæ illæ animæ adduci possent ad fidem. Ostensa, inquit ille, crucifixi effigie, aliisque mysterijs, per signa quibus mentes oculorum nuncio mouentur: hac vna via vtor quotidie ad meos erudiendos: quod cùm audisset noster culpam homini obiectauit, quam luebant filij immerentes, & res ipsa, quę apparebat, de sacrarum imaginum adrudes docendos vtilitate, confessionem veritatis extorsit.

§. 104.

Idem: Gratid.

IDem Bencius in Annalibus de collegio Bracharensi in Lusitan. ijsdem verbis. Collegium de cœlo tactum diuina ope stetit, natali Christi die horis antemeridianis, cum pluuia, grandine crebescente cœlum stuperet, inter ingentes fragores conflictu nubium illisus ignis turrim quinq; tabulatorum, editissimum vrbis ædificium grauiter vulnerauit. Primum decusso, euersoque fastigio, æra campanæ loco mouit, nec fregit. Fornices tamen campanarum saxaque inusitatæ magnitudinis quoquo versus latè disiecit, deinde fœda ruentium lapidum strage, intra quidem patefecit, comminuitque contignationes vbi aliqui de nostris habitabant; extrinsecus verò murũ turris, à pinnis ad fundamentum vsque horribili sulco aperuit, labefactata etiam portæ Vrbanæ quæ suberat, concameratione. In omnes partes volantium lapidum fragmenta, flammæque ac præcipuè in collegium cubiculorum, tectis fœde dissipatis subierunt. Quo minus verò nostri, aut fulminati, aut certè saxis obtriti, miserabiliter interierint, misericors prouidit Deus. Sacerdotes in templo procurandæ rei diuinæ, confessionibus excipiendis, reliqui socij in sacello ad cunas Christi orationi vacabant. Vterque locus

cus à turri procul abest. Illa etiam res accidit digna litteris: in ædificata turri est tecta ambulatio, qua è collegio patet transitus in gymnasium. In altero ambulationis pariete est fornix cinctus columnis: ibi in strato è tabulis visitur perelegans Virginis Deiparæ simulacrum, quod eo die vestibus auro, gemmisque intextis splendebat: in hanc maximè partem, saxorum, fulminisq; vis incubuit. Maior ambulationis pars lapidum pondere flammisque ad terram afflicta. Stratum è tabulis minutatim discerptum: columnę ambustæ, comminutęque ingentes lapides amplius quindecim ad pedes Virginis ceciderunt: inter ruinas, ac flammas perstitit incolume simulacrum, ita vt ne vestibus quidem minima ignis, alteriusue rei nota fuerit inusta. Exterrita fragoribus vrbs, & quorsum flammę euaderent, sollicita, accurrit in collegium ad ferendam perditis rebus opē: præter spem socios saluos, & incolumes, integrum Virginis simulacrum videret; tunc vero, obortis lacrymis, edere clamores, lætitiæ indices, beneficam in nos mirari numinis prouidentiam, veneranda, intuendaque Virginis effigie, animum oculosque explere. Hæc ita Bencius, sed de sacra Deiparæ imagine & antea diximus, & sæpè alias dicemus: vbilibet enim Virginalis figuræ mentio in hac nostra occurret historia.

§. 105.

Ioā. Vualtr. Gratia.

IOannes Vualtrinus in suis annalibus 1582. ijsdem verbis. Ciuitas Lugdunensis anno superiore, valde vexata pestilentia est, neque morbus remisit, priusquam ciuitas votum beatę Mariæ Lauretanæ publicè fecit: cuius damnata voti, vnum è nostris misit, qui illud dissolueret. Multa in eo loco supra naturæ vires quotidie fiunt, quæ præsentem loci diuinitatem ostendunt. Vni enim loquendi facultas diuinitus reddita est, alteri cum tres annos oculis fuisset captus visus restitutus Halæ (quæ ciuitas est in superiore Germania) vnus capitis damnatus, licet pridie esset confessus, tamen cum sibi non factum esse satis videretur, cum nostro sacerdote confessionem iterum peregit: is postea cum ad supplicium duceretur, repente in carcerem, nescio quam ob causam reductus, paulo post votis beatæ Virgini nuncupatis, liber dimittitur, factaque generali confessione, ad votum soluendum profectus est. At ne illud quidem tacebo de Iulienſi domicilio Peruanæ prouinciæ, eodem scriptore Vualtrino, cuius verba subdentur: Mulier quædam factis illa quidem erga res spirituales effecta, cum in nescio quod peccatum esset prolapsa, ita mœstitia & pudore opprimi se passa est, vt id nunquam cōfiteri auderet: tandem ex ęgritudine desperatione concepta suspēdio molestias finire constituit. Hæc igitur meditanti, & laqueum, vnde se suspenderet apparanti, beata Virgo apparuit, quæ mulierem filiæ etiam nomine primum compellans, mollius accusauit, quòd pr filinæ erga se, filiumque suum pietatis oblita, in exitium rueret voluntarium: deinde grauiter increpauit, de peccato illo in confessione occultato: neque enim aliter in ipsam eam dæmonem potestatē fuisse habiturum: denique laqueo è collo detracto, iussit cuidam de nostris sacerdoti, quem nominatim designauit, peccata omnia confiteri. Mulier beatæ Virginis beneficium agnoscens, statim ad confessionem venit, atq; in vita laudabili perseuerat.

Deuotio in B. V. M. multùm iuuat.

§. 106.

Franc. Benc. Gratia.

FRanciscus Bencius in annalibus de hist. sedis Iulienſis prouinciæ Peruanæ num. 22. his verbis. Aegrotis duobus visa species sanctissimæ Virginis, vni post tertium, alteri post decimum diem mortem prædicentis. In

oppido Capacabani imago est beatissimæ Virginis, pluribus illustrata miraculis, de qua inter cætera illud narratur. Laborabat quidam inflatione tibiarū, ac debilitate pedū, impedito prorsus incessu. Cum ad templum, vbi est imago, se ferret, apparuit ei Virgo (vigilāti ne, an dormiēti, neutrum ad me perscriptum. vtrumque in medio relinquam) docuitque populari lingua de Christo patiente, ac resurgente canticum, quale ne suspicari quidem Indorum ingenia potuissent: deinde etiam sanitatem restituit. Quod proximè subijcietur, excedit omnem hominum admirationem, sed non Christianorum fidē. equidem, quæ trāscribo, nihil demere ausim de eorū narratione, & idem legimus in historijs antiquæ veritatis. Indus pecudes, camelorū similes custodiebat in monte, Christianus quidem, sed initiamentorum ita negligens, vt præter Christianorum nomen nihil haberet, aut sciret, is hoc miraculo excitatus ad discēdum. Muta pecus, ex illo grege quotidiè mane precationum formulā articulatè recitans coarguere videbatur insciti hominis, & sciendi negligentiam. Narrauit hec ipse, & verum fuisse miraculum moribus, & vita ostendit. Idem Bencius cum de Iulienſi sede, cuius supra meminimus, alibi loqueretur, ita memorat. Ego actū non agam, nisi quod reponam hymnū, quem beata Virgo docuit hominem, quem liberauit inflatione tibiarum: dudum verba ipsa nō acceperam, nunc accepta reddo eodem ferè numero, atque ordine quo descripta sunt Indica lingua. Sunt enim talia, vt propter breuitatem metri ferant anapestum; & seruaui quātum potui, simplicem illam dictionem, remotam ab omni lenocinio. Vtinam conatus euentui respondeat: sunt autem de Christo patiente.

Pater en noster, genitor noster
Rigidis clauis in cruce fixus;
Cor transfixum cuspide amoris
Cruore toto corpore manans
Omnes circum polluit artus.
Cernis ne caput, deciine caput,
Caput hoc flauæ simile aristæ.
Viden' vt cingunt spinea serta,
Vsque ad tenebrum fixa cerebrum?
Patris heu nostri cerne capillum
Sparsum, incomptum, sanguine fœdum.
O vultus tristes, lumina mœsta
Roseas lachrymas largè effundunt
Fluxisse putes molle corallum.
Etiamne manus, atrisne manus
Ferro affixæ, sanguine rorant?
Os mellifluum patris nostri
Pro me misero iam conticuit,
Extra Solymæ mœnia terræ
Crucis exiuit mole grauatus,
Et pro scelerum mole meorum
Extra Solymam crucifixus obit.

Et filo ipso videtur longior fuisse hymnus, sed hominem rusticum cœpit obliuio reliquorum. Templum porro illud Deiparæ sacrum, tamquam multis, & magnis inclytum miraculis, visitur in celeberrimo olim fano ethnicorum superstitionis, & quotidianis pænè prodigijs auget Christianorum numerum, firmatque sobolem crescentem.

§. 107.

Auctor Pomerij.

AVctor Pomerij sermonū de beata Virgine lib. 10. par. 4. art. 3. hęc ait. Fertur de beato Thoma Archiepiscopo Cantuariensi, quòd, cū ipse frequenter, & singulis diebus salutaret beatam Virginem, per septem eius gaudia, quæ habuit, in terris posita, primum videlicet in filij Dei conceptione. Secūdum in eius portatione in suo vtero nouem mensibus, & Elisabeth visitatione. Tertium in eius natiuitate. Quartum in Magorum adoratione. Quintum in inuentione post triduum in templo Sextū in Filij resurrectione, & ascensione. Septimum in beatæ Virginis assumptione in cælum. Quadam itaque vice de prædictis, eam salutanti per Aue Maria, ecce apparuit beata Virgo cum claritate magna,

Gratia.

gna, & ait: *Charissime* (inquit) *deuotionem tuam gratanter accepto: quia de meis gaudijs, quæ in vita ista habui, frequenter commemorando, me salutas. Attamen vellem insuper, vt & illa mea gaudia, quæ in cælo nunc gloriosa habeo, recoleres, & consimiliter de his quotidie me reuerenter salutares. Quod si feceris tu, vel quicunque alius fidelis ob mei deuotionem hoc fecerit: en promitto, quod in tempore obitus sui, ego eius animam protegam, & liberabo, & in conspectu filij mei pro ipsa astabo, & intercedam, ac consolabor eam.* Tunc ipse beatus Thomas, adorando eam, & gratias agendo dixit: *O gloriosa cælorum Regina, & superbenedicta Domina mea. Dic quæso mihi, quæ sunt istæ tua gaudia in cælo, de quibus te salutare debeo.* At ipsa beata Virgo septem ei gaudia enarrauit, quæ subscribuntur, de quibus ipse sanctus Thomas Cantuariē sis pulchras laudes edidit: quas etiam in certis Ecclesijs solent quidā pro sequentiarum loco decātare in hæc verba: *Gaude flore Virginali, quæ honore speciali transcendis splendiferum Angelorum principatum, & sanctorum decoratum dignitate numerum.* Ecce primum: *Gaude sponsa chara Dei, nam vt clara lux diei, Solis datur lumine: Sic facis orbem vere, tuæ pacis resplendere, lucis plenitudine.* Ecce secundum: *Gaude splendens vas virtutum, cuius pendens est ad nutum: tota cæli curia te benignam, & fœlicem; Iesu dignam genitricem, venerans in gloria* Ecce tertium gaudium: *Gaude nexu voluntatis, & amplexu charitatis, quod iuncta sis altissimo, vt ad votum consequaris, quidquid Virgo postularis à Iesu dulcissimo:* Ecce quartum: *Gaude Virgo Mater Christi, quia sola meruisti, ô Virgo pijssima, esse tantæ dignitatis, quòd sis sanctæ Trinitati, sectione proxima.* Ecce quintum: *Gaude mater miserorum, quia pater sæculorum dabit te colentibus, congruentem hic mercedem, & fœlicis poli sedem regnis in cælestibus.* Ecce sextum: *Gaude Virgo mater pura: certa manens, & secura, quia tua gaudia non cessabunt, nec decrescent, sed durabunt, & florescēt per æterna sæcula.* Ecce septimum, & post singulos versus, Gaude, addunt deuotè salutationem perorando Aue Maria.

§. 108.

IDem Pomerius ibidem refert. Legitur in legenda communi natiuitatis beatæ Virginis, quòd erat quidam fur, qui sæpe latrocinia exercebat; sed tamen beatam Mariā plurimum in deuotione habebat, & eam crebrius salutabat. Quadam ergo vice furtim rapiens aliqua, tunc capitur deprehensus & suspendio iudicatur. Cum ergo suspenderetur, continuo beata Virgo eidem affuit, & suspensum tribus diebus, vt sibi videbatur suis manibus sustentauit, ita quòd nullam lesionem persensit. Illi verò, qui eum suspenderant, die quarta casu inde transeuntes, eum viuentem vultu alacri reperetunt, & arbitrantes, quòd non bene fuerit laqueo astrictus, gladio ipsum iugulare volebant. Sed beata Maria ferientium gladijs manum opponebat, & illi sibi nocere nihil poterant. Cognoscentes ergo, illo referente, quòd beata Maria sic eum iuuaret, mirando, eum deposuerūt, & amore Virginis abire liberum demiserunt: qui abiens, monasterium intrauit, & quoadusque vixit, in seruitio Dei genitricis permansit. Ecce patet, quia beata Virgo in se sperantes, ac ad ipsam confugientes, non derelinquit, ipsamque laudantes, & ei deote seruientes, à periculis, & hostibus saluabit. *Idem.* *Gratia.*

§. 109.

TIlmannus Brodemb. lib. 3 diuin. insinuat cap. 20. Solemne S. Gertrudi fuit quidquid gratum, suaueque accideret: (quod amantiū est proprium) ad præpotentem illum Deum, quem amabat, charumque habebat, sine mora referre, & illi attribuere, à quo omnia laudabilia, velut ex fonte fluxissent. Quamobrem quotiescunque aliquid vel legi, vel dici videbatur in beatissimæ Dei parentis sanctorumve gloriam, *Til. Brodēb.* *Gratia.*

riam,& laudem eiusmodi, quo mouere posset affectus, statim ipsi regi regum, & dominorum Domino, quem toto animo diligebat,& supra res omnes amabat, dulcissimè adhaerebat, cuius multo ei erat recordatio iucundior, quam cælitum, quos festorum dierum celebritate, & laudum præconio mater Ecclesia recoleret. Ergo in festis Angeli, sacrosanctæ Virgini nostræ salutis, & liberationis mysteria nunciantis, cum beatissima Virgo, nullo non tempore à concionatore laudaretur, neque de saluberrimo assumptæ à Christo humanæ carnis,& naturæ opere,ac beneficio, sermo vllus esset,ac mentio, oratoris non quidem pietatem, sed diligentiam Gertrudis requisiuit, & rei maximæ obliuionem verbis modestissimis accusauit. Cumq; in reditu sacellum quoddam ingressa, ad altare Virginis salutationem Angelicam recitasset,verbisque illis: Aue Maria, gratia plena, citius decursis, ad Iesum benedictum ventris fructum properaret, in ijsque inhæreret, insisteret, & quasi de pleno fonte dulcedinem hauriens,multo diutius moraretur, vereri cœpit, ne in Matris indignationem incurreret. Timenti,atque hæsitanti benignissimus animarum consolator illis verbis occurrit. Ne timeas, charissima: ea namque vel salutatio, vel laus, qua me dulcius, quàm meam Matrem, amplecteris,appellas, affaris, Deiparæ iucundissima est, quæ me semper vult esse præclarum: moneo tamen vt vtraque suauissima tibi res sit: quod, cum mihi pergratum est, tibi debet esse iucundum: sunt autem gratissimi quicunque meæ matris memoriam dulcissimè prosequuntur. Docet hæc historia, prudentes Virginis cultores,qui, Deum mente complexi, secundas Mariæ tribuunt, diuinæque matris recordatione, quæ talē nobis filium peperit, suauissimè recreātur. Quæ verò, Mariæ audito nomine,in hominum sensibus innascitur iucunditas,Dei ingens donum est,beneficiumq; præclarum.

Siluanus Razzias monachus Camaldulensis, quem ex Italo Latinum fecit Hercules Vincemola de mir. S. Virg. li. 3. cap. 15 Vir nobilissimus,cuius vxor in Virginis fidem, & clientelam sese dederat cum nullos haberet liberos, Deum suppliciter obtestatus, vt prolis dulcia præmia nosse sibi liceret, voti campos, filium ad Christianam disciplinam, & pios mores erudiuit. Iam infans esse desierat, cum ab alijs pueris floribus,& rosis serta contexi, idem ipse facere, illisq; cum magna pietate Virginei cuiusdam simulachri frontem exornare: neq; vnquam vllam diem intermittere. Natu grandiorem, parentes matrimonij vinculis impedire cupiebant. At ipse, qui Deo, eiusque matri Virginitatem sanā tectam, quod aiunt, integram seruaturū se voto promiserat, in cœnobium migrauit eorum,qui S. Brunonem sequuntur authorem. Ibi quotidie magis, magisque proficiens, firmiora in dies sanctitatis fundamenta iaciebat: quòd vero neque in illam vitæ rationem conueniens esset, neq; flores, & rosas hyems dura propigneret, institutum coronandæ imaginis intermitti oportuit:alio tamē pro re, ac tempore consilio sui moderatoris remedium iniuit: qui, vt alij scribunt,tacente Siluano, huic adhuc nouitio, quòd rosæ in promptu non essent, paranti recessum, desperantique Virginis caput à se redimiri iam posse, saluti fuit,monens,vt pro rosis quinquagenas salutationes offerret Angelicas, ac denis quibusque Dominicam subijceret precationem:eam coronam Deiparæ fore gratiorem. paret,obtemperatq; nouitius, manendi iam certus, ac florum vice, ex Christi oratione, & Angeli Gabrielis alloquio,rosea, floridaq; serta Virgineo capiti quotidie componebat.Progrediente cum ipso tempore huius religiosi virtute, factus est cuiusdam illius familiæ præfectus,ac rector, pro muneris autem necessitate commissi, faciendum iter aliquando fuit, eundumq; peregre

Gratia.

segre satis. Ex obliuione tamen obruentibus animum curis, piam illam quinquagies, vt Siluanus scribit, salutandæ Virginis consuetudinem, diem vnum intermisit, cumque in vastam syluam ingressus, suæ memor iniuriæ, ad salutandam de more Virginem, à socijs disiunctus, secessisset, repẽte latro erumpit è latebris, qui precanti monacho manibus iniectis, equum, resque omnes ademit, vitam etiam hausturus, nisi Virginis misericordia, imminens periculum depulisset. Iam latro telũ intenderat, vt inermem occideret, cum puer formosus interuenit, qui ex monachi ore prodeũtes centum rosas collegit, ex quibus cõtextã coronã cũ suo capiti imposuisset, in cælum reuolauit: id vbi latro animaduertit, & homicida nefarius ad prefecti pedes se abiecit, & ijs, quæ puer ille cælestis egisset, singillatim expositis veniam postulauit: quin & excussor ipse eidem se, & instituto cœnobio libenter addixit, & reliquam vitæ partem cum sanctitate traduxit. Hæc ita Siluanus. Vincemala Mediolanensi Causidico interprete. Sed si Dominicanis quibusdã Rosarij scriptoribus credimus, nõ vnus tantum latro fuit, sed multi, & meliores facinoris, & miraculi testes. Neque Carthusiano huic Priori manus allata, adẽptumue aliquid, procul venientem, quod est credibilius, explorauerunt, secedentem à socijs obseruarunt: vbi precari genibus inflexis cœpisset, formosissimam astitisse matronam, quæ ex monachi psallentis ore tot albas rosas educeret, quot ille salutationes recitaret Angelicas, candidam ex denis quamque rubicunda vna sequente, quæ Dominicæ precationis index esset. Ex vtrisque ab illa pulcherrima Virgine coronam esse contextam, vbi capiti imposuisset, subito esse dilapsam; latrones viso exterritos ad Priorem supplices adijsse, de Virgine illa percontantibus, nihil se scire dixisse: tum à latronibus expositam ex ordine visionis historiam, infudisseque in omnium animis, Deiparam fuisse cœlestem, quæ suum viatorem defendere voluisset. Illo ex tempore Rosarium latronibus cordi esse cœpisse, rapere, & occidere desijsse, plebique vniuersæ promulgatam: duo grauissimi huius sceleris accusati sunt, causaq; cognita, capitis ex lege damnantur. Martinus, qui legis suasor fuerat, vir præclarus, & animarum salutis percupidus, è suo cœnobio egressus, ad custodiam vadit, & sontibus capitali supplicio sine vlla spe veniæ addictis, auctor est Rosarij recitandi, Virginem eorum, qui se inuocant, opportunam esse adiutricem, perneces sario tempore subuenire solitam, nulli, quamuis indigno, opem suam denegare. Consilium alter ex damnatis accepit, alter obsurduit, cumque educti è carcere, vt Hispanorum mos est, asellis ad patibulum traherentur, ecce, quæ Rosarij amatorẽ bestia portabat, ex media turba se proripit tanto impetu, vt nemo apparitor, nemo miles, nemo iudicis administer currentem asinum inhibere posset. Ille ad D. Dominici monasterium (rationis impotem dicentes, rectique ignarum consilij) quam velocissimè properabat. Nec ante currere desijt, quã Virginale in cœnobio sacellum, cui à Rosario nomen inditum, fauentibus superis, penetrauit, suumque sessorem ante Virginis altare cõstituit. Accurrit satellitium, & turba insequẽtium, vt sontem à templo abducant, sed eiusdem Martini à sanctis, & Ioannis Victoriani ex eadem familia, valuit auctoritas, quorum hortatu parsum illi est, quem Deipara defendisset. Ipse beneficij memor, & tanto gratus miraculo, in monasterio permansit, quo se tardum illud animal, quasi quid ageret, sentiens detulisset, resque cœnobij domesticas, fratrum laicorum habitu procurauit. Porrò Frederici vxor clarissima tantum admirata prodigium, Rosarij precationem illo ex die præcipua quadam religione percoluit, multaque Rosario-

rum millia coemit, militibusque destribuit, qui se hac pietate aduersus imminentes Gallos armauerunt, à quibus Iulio Brica (Lucronium vulgo diximus) obsidione cincta tenebatur, sed breui secuta victoria est, & Galli profligati.

§. 110.

Hieronym. Faxius.

Gratia.

HIeronymus Faxius in tractatu de Rosario. Cum Barcinone Rosarij sancta societas propè dissoluta esset, & pęnè veniſſet ad nihilum, Dominicani, quibus in ea Vrbe Catalaunorum Principe sancta illa coitio curę fuerat, de rursus erigenda, & quasi humo excitanda laborarunt. Eorum conatibus ita fœliciter Virgo respondit, cuius gloria agebatur, vt nomina quamplurimi darent, seq; ipsi certatim profiterentur: erat enim illa censio præclara, nec magis corporis, quàm animi rebus opportuna. Inter alios vna quædam mulier tam prompto, & alacri animo societatem iniuit, vt Rosariu quotidiè precaretur. Inter salutandum à cæli Regina nominatim petebat, vt se periculis liberaret, euentu non irrito. Erat huic maritus immitis, & asper, quem inanes suspiciones, ridendiq; timores duriorem difficilioremq; reddiderant. Quo circa de vxore, tum religiosa, tum pudica, male sentire, adulteram putare, somnium, & fictam fabulam perhorrescere, nullis argumentis ad suspicandum pertrahi, sine causa, vel occasione potius perperam opinari, coniugi innocentissimæ minitari quotidiè, & cum omnia secus interpretari non intermitteret, neque tam se melancholicum, id quod res erat, quàm vxorem suam mœcham duceret, nocte quadam nō solis illis imaginibus delusus, sed furijs etiam agitatus, in animū induxit, vxorem occidere, & malorum, vt ipse aiebat, radicem extirpare. Itaque pugionem è vagina eduxit, insōtem fęminam humi deijcit, ferrum vibrat, & brachium ad cædem intendit. Mulier morti violentę vicina, & subitò illo casu turbata, tamen ad clementissimā Virginem, quod per temporis licuit angustias, sese tremebunda conuertit, & hæc illi: O Dei genitrix, & semper Virgo puriſſima, quæ sodalium Rosario coleris, immerenti mihi (scis enim) in hoc tanto discrimine subueni, & tempestiua succurre: præceps hominis iracundia fanatici breuem hanc precatiunculam vix est passa finiri, totoque animi efferati impetu pugionem impressit, eam plagam conatus imponere, quæ negotium sola transigeret, & suam inimicam (hoc enim semper nomine appellabat) de medio tolleret, quam quotidiano sui animi, & cordis tormento suspectaret. Res mira, memoriaque prodenda, vt corpus illud sica attigit castum, atque sincerum, ceræ instar emollita reflectitur, ac retorquetur, vt ne vestem quidem perstringeret, vllaue in parte signaret, & quæ innocenti pepercit, immanis parricidæ pectus effodit, qui gladij hebescentem aciem admiratus, quem vxoris sanguine stillantem se putauerat educturum, immutatus animo, lachrymabundus, & supplex veniam ab inculpata vxore postulauit. Et Deiparę beneficium agnouit, ancillam sibi deuotam liberantis. Igitur die postero Prædicatorum cœnobium vterque coniux inuisit, & in Rosarij sacello, vnde Virgini cognomen erat in Vrbe, Deiparam bene merentem ambo venerantur. Alter se sanum, altera saluam gratulatur. Vixque ipse Rosarij sodalis est factus, cuius se deinceps studiosum præbuit amatorem, precatorémque perpetuum. De miraculo Dominicanos maritus, vxorque verè, ac fideliter edoctos, mirabiliter oblectarunt. Sicam retusam, ac reflexam in sacello Virginali reponunt, atque appendunt, ad rei tantæ, talisque memoriam. Actum hoc est mense Iunio anno 1550.

§. 111.

§. III.

Alan. Rupē. Alber. Vinc. Gratia.

ALanus Rupensis, & Albertus Venetus in vtriusque de Rosario libris. Cū Regulus quidā, ex vxore sua complures liberos suscepisset, atque in ijs filiam procreasset, quò masculam prolem redderet ditiorem, & ad vtile suum genus pinguior hæreditas perueniret, quæ mulier nata esset, in monasterio concluſit, cuius spiritualis fabrica rimas agere videbatur morum sanctiore disciplina senescente, propter commorantium accusabilem socordiam, ac dissolutam viuendi rationem. Nam ostia centum, vnde totidem voces ruerent, colloquijs externorum nugisque patefecerat vitæ licentia sororum. Cum vero sacerdos, qui Virginibus erat à cōfessione, dinastę huic filiæ, quam diximus, licet sociarum moribus deprauatę ingenium, atque indolem perpendisset, flexibilemque naturam, qualis est ferè nobilium, docilemq; animum considerasset, spe alacer, de nouitia quæsiuit, vtrū Rosarium percurrere, & beatissimæ Virgini flores illos offerre consuesset. Nouitia nihil aliud se nosse respondit, quàm quod monasterij sorores raptim docuissent: eis se magistris, quædam neque magna, neq; multa didicisse: Rosarium cuius modo mentionem fecisset, ne de facie quidem sibi esse notum. Atqui pater ait: Magna Rosarij salubritas est, fructus copiosus, dulcedo tanta, quantam qui non senserunt minimè suspicantur. Illius vsum valdè opportunum ad ea, quæ profiteretur explenda. Cum Virgo addubitasset, atque vltra fidem & veritatem illa de Rosario dici existimasset, tamen quæ præciperentur, se recipit esse facturam, experturamque quid esset, neq; tam sui fore inimicam, vt Rosarium omitteret, si morum puritatem, animi requiem, vitæ murationem illo genere precationis inuenerit: quæ tria Sacerdos ille Monachus de Rosario pollicitus, virginis animū excitarat. Inuitat, impellitq; Sacerdos, deq; Rosario eadem illa, quæ prius, affirmare, atq; spondere perseuerat. Rationem vna docet de quindecim illis mysterijs philosophandi, ac Diuæ Matris gaudia, dolores, & gloriam meditandi, præceptis instructa recitat, recitatque Rosarium, neque mores solum, sed pellē propè ipsam virgo mutauit, illa adiutrice, atq; auspice, quæ largè remunerat sibi famulantes. Obita iam tandem professione, malus dæmon per suos satellites, & administros constantem virginis animum vehementer oppugnauit. Cum enim illo in cœnobio, tam nouæ, quàm veteres licentius vagarentur donis, ac litterulis; hæc noua Christi, Christoque nupta, nemine prohibente, sollicitabatur, multiq; adolescentes, quos egregia huius virginis forma commouerat, pretio, & precibus sacram Dei sponsam pellicere tentauerunt. Sed quæ animum haberet multò pulchriorem, quàm corpus, hostiles gladios fortissimè retundebat, & inimicorum telis continentiæ, despicientiæ, silentijque scutum opponebat, se etiā Rosario armat ad pugnam, cuius erat experta subsidium. Generosæ, religiosæq; virginis sanctitatem, à sociarum moribus abhorrentem, & amotorum studijs aduersantem, domesticarum ille grex non tulit caprarum potius, quàm ouiū, quas olidus hircus oblectat, & fœtidus. Adolescentum, quos hæc casta Vestalis spreuerat, turba petulans, atque lasciuia morositatem virginis deridebat, hos dolor, illas cruciabat inuidia. His enim obnoxia telis est perfecti hominis sanctitas, cum improbis habitantis, patitur, qui eiusmodi est, foris pugnas, intus timores, qualia D. Paulus sibi euenisse testatur. Noua Christi ancilla huiusmodi præliorum insolens, & inexperta certaminum, animo vehementer angebatur, remque omnem ad Deiparam referens, Rosarium, non minus confisa, quàm religiosa, & perattenta voluebat. Quo in munere, quodam occupata die, de cælo

cadentem videt epistolã, cuius hæc erat inscriptio. Maria Mater Dei filię Ioannę salutem. Litterarum illa sententia. Filia mihi admodum chara, Rosarium istud meum, vt instituisti, fac recites; semper viros fuge, & eorum omnium consuetudinem vita, qui tibi ad virtutem, & veram animi libertatem capessendã minus prodesse videbuntur. Caueto desidiam, inertiam, atque otium, rerum lautitiam, & ornatum curiosiorem remoueto, & tuum repurga cubiculũ, in quo nonnulla remanent digna, quæ à religiosa muliere repellantur; horum in locũ Christi, & Sãctorum imagines, & sacrarum rerum signa sufficito, quorum te patrocinio, defensioque seruabit. Si me audies, & quæ tibi facienda præscribo, morigero cultu perficies, & gratia apud Filium meum valebis, & ego pro te Deũ omnipotentem in tuis rebus afflictis appellabo. Perlecta epistola, dolorem, timoremq; Christi serua deposuit, atq; ex illis mœroris, & ęgritudinis emersa fluctibus, ad pacis & sanctæ lætitiæ portũ suæ mẽtis nauiculam applicauit. Annus abierat, cum Abbas venit, ad quẽ illius cœnobij cura pertinebat, quæ deciderãt, collapsaq; erant, repositurus, si posset, renouaturusq; nõ monasterij parietes, qui integri stabant, sed mores, quorum splendor absolescebat. fuit inanis conatus, & labor, externis quibusdam pro licentia monialium, libertateque pugnantibus. Redijt, altero euoluto anno, damnis & malis offensus, deque cœnobij illius miseria, & infamia sollicitus: venientem, magno applausu virgines exceperunt, nihilque negotij à potentibus externis, vi quadam diuina prohibitis exhibetur. Nocte quadam, nouo huic Abbati pro monasterij salute, proq; sororibus excubanti, atque Deum bonorum omnium largitorem, expulsoremque malorum exoranti, perspecta lux est, quæ Ioannæ cubiculum vndique collustrabat: media in claritate, Cæli Reginã videt, Angelorum agmine constipatam, quibus Ioanna sociata, precibus insistebat: simul aspexit prope Ioannæ cellulam, dæmonum ingentem multitudinem, sub diuersarum imaginibus bestiarum, quæ Deiparæ iussu relegatæ, ac repulsæ ad fatuarum, virginum cubicula transierunt, aliasque aliæ cellas occuparunt. Hoc viso Abbas pænè exanimatus concidit: vt se collegit, Ioannam accersit, visa narrat, sciscitatur, quæ sint vitę officia, artes, exercitationesque virtutum, ratio comprecandi, quid agat tẽpore matutino, quibus obsequijs talem, ac tantam hospitam demereatur. Ioanna Rosarium se recitare respondit, & ex Virginis prędscripto vitam ordinare. Mirari Abbas vim, potestatemq; rosarum, quæ Virginum Virginem è cælo deuocassent, tantique illius, & honoris, & beneficij originem in Rosario fuisse cognoscens, cuius assiduitas tam multa impetrasset in eam adducitur spem, vt monasterium Rosarij remedio restitui, & quasi decoloratum repingi posse arbitretur. Ergo rosaria quamplurima comparat: ornari ea, & poliri quam pulcherrimè iubet, suum cuique sorori donat, nullo non die recitandum. Id virgines studiose factitant, tum religione ipsa Rosarij virginalis, tum Abbatis commotæ sermonibus, magna, & admirabilia, de vsu illo globorum promittentis. Hæc vna res, patrocinante de cælo Deipara, tantam fecit medicinam, vt monialibus ijs, quæ vagæ ante illud tempus, solutæque fuissent, nihil secretius, nihil esset honestius, loquacitatem perenni silentio, laxitatem, atque licẽtiam, seueriſſimo, arctiſſimoque recessu mutauerunt. Quæ verò meliore erant forma, quàm fama, à castitatis insidijs quàm longissimè refugerunt. Rosæ quidem, quarum beneficio ex morbo multiplici conualuerunt, ad sanitatem quoque tuendam, & adhibitæ sunt, & retentæ, beneque olere monasterium cœpit, quod morum corruptela, quæ fœtidissima est, cloaca putuisset.

§. 112.

Ex Rosario Alani.

EX Rosario Alani Rupensis Sanctæ Theolog. Magist. Quidam eò miseriæ deuenerat, vt Caini, proditorisque Iudæ discipulus, de æterna salute diffideret, atque eiusmodi peccatis irretitum se esse diceret, quibus venia danda non esset. Huius vitæ finem sempiternæ suæ mortis aiebat esse principium. Nihil rectè facta, nil expiamenta prodesse, nihil vnquam profutura diuinæ misericordiæ, iniuriosus ita & viuebat & sentiebat, vt ex inferorum incolis vnus, tartareas pœnas præcepisse videretur. Hac ætate ait Ioan. Bonifacius de hist. virg. libr. 5. viuebat bonus ille Alānus mirus interpres, historicusque Rosarij, vnde nos præclara quędam exempla mutuamur. Qui perditi hominis miseria cognita, ad eum se confert, verbisque à pestifera sententia deducere adortus, nihil orando perfecit; se Alanus & infantem, & qui quod vellet, assequeretur, ratus indignum. Vir planè modestus & sui contemptor admirandus, alios adducit oratores. Vt enim quisque grauissimè affectus est, ita diligentissimè curandus, neque tali in re vno medico, quamuis exercitato & bono contenti esse debemus. Itaque Doctores veniunt, suasoresque grauissimi, sed re infecta, inorataque causa reuertuntur. Dolet Rupensis, feram illam indomitam, efferatamque persistere, canesque contemnere, quos & strenuos & fortes immisisset, neque si momordissent, magnopere bestia laborabat, quæ vim amiserat sentiendi; quid enim concionator magnopere facere possit, vbi se non auribus & oculis modo, sed cætero etiam sensu priuauit auditor? actum de se miser ille, conclamatumque iactabat, & in tam altum diffidentiæ quasi barathrum fundumque se ipse depresserat, vt ad eum ne accuratissima quidem vox, & contentissima peruenire. Proponebatur Rex ille Manasses & cultu Deorum, & cæde infamis prophetarum, cui pœnitenti, ac seipsum retexenti, grauissimorum scelerum veniam misericors noster Dominus condonauit. Magdalena, Matthæus, Paulus, ac latro ille felix, diuinæ clementiæ testes citabantur, quæ tamen frustra esse collecta, miserrimi hominis pertinacia monstrabat. Inferorum sempiterna supplicia, perennes cœli deliciæ, obstinatum hominis animum, & cor lapideum emollire non poterant. Commemorabat idem Alanus multos ex ijs, quos quotidie Christus immutat, quo misero illi recenti testimonio fierent credibiliora, quæ mouebantur, sed nullus in historia, quamuis & noua, & vera profectus. Errat (inquit Alanus) dolor mihi intimus, ex tam misera hominis cæcitate animum ita despondentis, vt omnia omnium medicamenta respueret, neque ardentem orationem ad animum peruenire pateretur. Cumque omnia animo & mente lustrassem, aut nulla, inquam, desperato homini salus iam est, aut illa vna relinquitur, Rosarium vt recitet, cuius in obfirmato homine tentata adhuc medicina non est. Oratur Rosario Christus, fons ipse bonorum omnium, oratur precatione illa, quam ipse discipulis tradidit; salutatur Virgo Deipara Angeli & Elisabethæ verbis, & ad filium conciliandum adhibetur interpres; preces illæ, quarum est Pater noster initium, quo religiosius emittantur, decies Aue Maria repetimus, & fructui illi benedicimus, propter quem fructuosa nostra sunt opera Rosas tales, tamque mirabiles huic ægerrimo libet apponere. Itaque ad hominem adeò, atque me illi ita demum insinuo. Grauiter & iniquo animo ferendum est frater, nullum quod meum, aliorumve consilium accipias, preces repudies, orationemque illam aspernere, quæ ad tuam salutem tota confertur. Nunc ergo, quando te esse Christianum profiteris, & nos ponimus te esse Catholicum, Dei Matem

P. Ioan. Bonif. de hist. virg. lib. 5.

non honorare non potes, atque eius numen agnoscere, & potentiam prędicare. Annuit se credere, quæ mater credat Ecclesia, & Deiparæ non ingratam sibi esse memoriam. ergo illud ne nega mihi, quod est factu facillimum, Virginique gratissimum. Et quid sit, & quale? Vt sis vnus ex sodalibus conscriptis, recitesque Rosarium. Aut enim nullum iam tibi remedium est, aut hoc vnum restat è multis. Equidem non dubito, quin tanti sis morbi leuationem habiturus. Oratus ac propè defatigatus, Rosarium accepit, nonnullaque pietate pensum omne peregit. Non multi menses abierunt, cùm tanta secuta est mutatio, quātam vix crederent, qui hominis pertinaciam cognouissent. Morum, & vitæ sanctitatis ille progressus fuit, vt accepti Rosarij minimè pœniteret. Cumque ad solidam spem, quam animo conceperat, rectè facta non cessaret adiungere, hominis verè Christiani functus est munere: nouæque illius & Beatæ vitæ tenorem seruauit ad finem. Hæc Alanus, cui taurus ille cessit immanis mutatus in agnum: quæ Rosarij cultum augere possunt, & memoriam sacrosanctæ Virginis cùm dulcedine renouare.

§. 113.

Ferd. à Cast. *Gratia.*

EX Chronico Ferdinandi à Castello tomo primo de rebus S. Dominici cap. 34 Parisijs Diuo Dominico alacriter concionante, vir quidam summæ potestatis, & opum maximarum in eadem Vrbe commorabatur, vitijs omnibus, sed maximè libidini deditus, qui morbus ita in hominis animo inueterauerat, vt neque monitis, neque precibus locum relinqueret. Habebat in matrimonio fœminam sanctitatis laude percelebrem, ex Galliæ Regum stirpe generatam: hæc & ex perdita mariti vita, & ex ipsa pellicum naturali insidentia grauem animo capiebat dolorem. Nam Dei offensio ex viri obscœnitate dolori erat, & sibi concubinas esse præfatas ægrè admodum tolerabat: quin & ipsa quod minimè debuit, vltura virum, adulteria vicissim cogitabat. Huic perturbatissimæ matronæ monstrata per visum Inferorum illa supplicia, quæ ob breuem voluptatem, æterna libidinosi patiuntur. Pro mollibus lectis fornaces grauissimis incendijs æstuabant, libidinosis horribiles dracones imminebant, tam arcto complexu, vt se neque defendere, neque expedire possent; ex draconum oculis, auribus, atque ore flammæ erumpebant teterrimi odoris: ardentis sulphuris venas diceres, veneno multiplici, immundoque permixtas. Hac tabe purulenta, corpus omne à capite ad pedes perluebat, & ad viscera vsque fornacis instar ardentia permanabat. Dracones liquefactum æs vndique profundebant ita medicatum, vt perruptis illis partibus, quæ dolorem omnium maximè sentiunt, clamare & vociferari tam intentè cogerentur, vt plangoribus tartara remugirent. Et tamen mori non poterant, cùm id maximè cuperent, scilicet desperato fine tormentorum. Locum quoque viro suo præparatum aspexit, dolori, sempiternæque miseriæ, si ita viuere pergeret, subeundis. Soluta somno, coniugis miseretur, cogitatique pœnitentia flagitij, suoque adhuc zelotypiæ tabescens cruciatu, Diuum Dominicum conuenit pœnæ releuandæ, quæ dies noctesque cruciabat animum. Bonus Pater mulieris hanc ægritudinem sacra illa rosa curauit, quam de manu Virginis accepisset, & salutarium calculorum religioso sodalitio persuaso, animum ab illo mœrore ad lætitiam iucunditatemque traduxit: Quin & suum ipse Rosarium matronæ dedit, ac post quindecim dies, quos in eo peroluendo positura esset, mariti nocte dormientis, vt capiti supponat, admonuit. Hoc accepto munere, domum spe plena reuer-

Ff. Rosary dignius Peccatores damnados salvat.

reuertitur, ac sacri funiculi globulos omnes pie ac religiosè, vt erat iussa, precando percurrit, quo euoluto tempore, sub quiescentis coniugis puluinari locat, remque totam Deo, eiusque Beatissimæ ac beneficentissimæ Matri commendat: qua primum nocte Rosarium suppositum est, vir ille primarius vehementer contremuisse dicitur, & vim magnam lachrymarum profudisse: inque vxoris manibus, & gremio totum se lamentis dedisse, Deum imploraſſe, suæ vxoris se precibus commendasse. Consequenti nocte consopitum vocat ad iudicium Deus, dæmonum turba circumstante, & innumerabilium flagitiorum, quæ opponebantur, vltionem debitam flagitante. Fuit tanta in dormiente anxietas, vt somno obruto, conflictaretur vehementer, veniamque adulteriorum ab vxore peteret, emendatione promissa. Nox tertia, subiecto itidem, quod nesciebat ille Rosario, omnium maximè horribilis fuit, siquidem in somnio tractus ad inferos, pœnas vidit, quibus illic turpis voluptas, & obscœna punitur; neque oculis solùm, sed cætero etiam corpore doluit, eorumque tormentorum, quæ in illis sedibus libidinosi, mulierosique perferunt, partem aliquam dormiens, viuensque præsensit, & in illis cruciatibus, qui corpus vere torquebant, tamdiu perstitit, dum Angelus fautor occurrit, qui cùm hominem ex illis tormentis eripuisset, Rosarium, Rosarijque sodalitatem imperasset, nuncium attulit illa, si faceret, vitæ melioris. Necesse est, inquit, Rosarij te initiare mysterijs, vt per illius sanctæ societatis fratres obtineas, quæ minus per te mereris accipere. Vbi è somno euigilauit, magno cum doloris sensu vxori sincerum amorem fidemque pollicitus coniugalem, promissorum, veritatis atque constantiæ omnia patefacientem testatus est diem. Daturum se operam, vt morum correctione mũdus spectet vniuersus; Vitæ nouitatem auspicatus à confessione, Diuo audiente Dominico, & viuendi leges præscribente in sodalium vti mandarat Angelus, relatus est numerum, tanta cum firmitate, vt Rosarium nunquam è manibus poneret. Bellans cum hoste, domi quietus, in agro, in itinere, cum Rege, Regisque intimis, vbique locorum Rosarij tenax recitator, laudatorque fuit, cuius pietatem maximè promouit in Gallia. Nobilissimę suę vxori quoad vixit, integram fidem conseruauit. Longo demum annorum euoluto spatio, vtrumque coniugem vno tempore mors extinxit, animisque aduolantibus in cœlum, Maria Virgine deducente, amborum corpora Parisiensis primarij templi vna, atque eadem sepultura contexit: est enim hæc rosæ vis, vt ne marcescens quidem suauitatis odorem amittat.

§. 114.

FIoannes Montanus, Diui Dominici comes & assecla, de vita, & miraculis sancti Dominic, & Ferdinandus Castellanus libro primo, tomo primo de rebus S. Dominici c. 43. D. Dominici Cæsarauguſtæ habitę conciones, omnium studijs excitatis, ingentes clamores plaususque commouerant, neque vnquam de Rosario, quod vbique cœlestis ille topiarius serere studebat, fructus laboris in principe quodã viro, qui Petrus dicebatur, maximè constitit, cuius quo erat vita deformior, eo magis correctio, & salus enituit. Erat magna Petri nobilitas, nimia ex fortunis, opibusque potentia, sed vtramque vitæ flagitia dedecorabant, vt nihil tota in vrbe illo miserius, id quod euenire necesse est, vbi in generosis, copiosisque hominibus probitas vitæ requiritur, vnde & genus, & diuitiæ claram lucem mutuantur. Hic Diui Dominici præclara facinora ex ore narrantium admiratus, ita secum tacitus

F. Io. Mont. Ferd. Castel. Gratia.

egit,

egit. Spem equidem salutis abieci, & diuiuæ misericordiæ ianuam aditumque præclusi, vel argilla potius & saxis obturaui, sed eorum tamen spectator, quãuis otiosus ero, & testis oculatus curiositati satiandæ, quæ de hoc concionatore à tam multis prædicantur. Itaque die quodam in templum magno tum clientium, tum famulorum comitatu sola nouitate ductus intrauit. Vidit ex ipso ambone Dominicus miserum dynastem à tot dæmonibus catenatum pertrahi, quot scelerum genera commisisset: fudit pro illo preces ab imo pectore, & hominis sui cognati, quod nonnullæ historiæ commemorant causam, & litem rerum omnium effectori Deo votis ardentissimis commendauit. tum demum concionem exorsus est, quam nondum inchoarat. In ea animorum ex mortifera culpa, perniciem, stragem, interitum, exitum, & quandam quasi carnificinam, verbis atque sententijs diuinus ille orator amplificat: non quales Rhetorum ludus docet, sed quæ in Christi schola traduntur. Terruit quidem Dominici vehemens oratio petram illam, silicemque durissimum, & quasi loco mouit, non tamen emolliuit. Apparebat hominem esse commotum, nullo cum sanitatis & vitæ proposito melioris. Iterum celeberrimis quibusdam ferijs in templum Petrus, ad rem sacram audiendam ingressus, Dominicum concionantem offendit, Rosario manu prætento, quo tanquam Moysis baculo, tot res, tamque mirabiles faciebat Diuus præco, minimè ignarus, auditorem illum, interuentoremque miserrimum sine ingenti miraculo conuerti non posse, ad Petri introitum ita exclamauit: Christe & prædulcis, & præpotens, perfice, vrauditores mei, eius, qui modo in tuam ædem pedem intulit, miseram conditionem, animi statum, periculumque peruideãt. Preces chari Dominici Christus accepit, ac multi ex illis qui aderant, Deo vim suam ostendente, cacodæmones mille viderunt, Petri animam captiuã, ferroque deinctam pertrahentes: ingens hic ortus est clamor, concitatusq; tumultus horribilis, fugientium, vociferantium, perstrepentium, vt ab inuiso immanique monstro sibi quisque caueat hortantium, belluamque trucem auersantium: imminere omnibus tartarum, quem Petrus circumferret: in fuga esse salutem. Ad has vocum incredibiles contentiones terroresque multorum, insçius Petrus obstupuit, & ex vno famulorum tremefacto quæsiuit cur ipse fugeret, alijque palantes, ac dispersi recederent & pauerent attoniti. Ista, inquit famulus, me tua facies & figura conturbat, quæ non meum mihi herum ac dominum, sed Sathanã repræsentat. Te Herebus pro suo habet, vincit, rapit, & raptat manus inferna. Hinc fuga popularis, murmur, terror, & consternatio plurimorum. Ipsa quoque nobilis vxor exclamat simul, atque Dei voluntate, mariti sui miseriam, & tartareos illos vexatores aspexit: ancillæ dæmonum conspecto agmine, gemitus & vlulatus continere non poterant: trium horarum spatio insolens illa forma, formidolosaque species templum omne turbauerat, cùm Petrus iam sui & compos, & similis, ita fari incepit: In extremam mihi videor redactus esse miseriam, quem plebs cuncta, famuli, amicique defugiunt, & quod est admirabilius, coniux ipsa perhorrescit, suiq; mariti, cane peius & angue, vitat aspectũ: ô me perditum, ac planè desperatum, cui vni, post hominum memoriam, accidit, vt notos, ignotos, propinquos, alienos, domesticos, externos suo aspectu, tanquam Cerberus alter, vertat in fugam. Tum Dominicus tempestiua oratione pauentem populum, & crucis signa iterantem, anhelitumque trahentem, à timore recreauit, & Fratrem Bernardum comitem suum ad lamentantem, plorantem, & se sine modo plangentem Petrum cum mandatis, Rosarioq; mittit.

tit. Hæc erant, Bernardo interprete, præcepta Dominici: quacunque gradiaris, quoque te vertas orcus insequitur, populo id quidem spectante, & te, cuius id scire maximè intererat, nesciente. sed tamen de peccatis tuis omnibus confitere, ac pœnas à te ipso quam durissimas repete: cape simul hoc Deiparæ Rosarium, & in eius salubri precatione totus occupare, nisi vis, vt te terra dehiscens absorbeat. Rosarium Petrus accepit, ac tremebundus ita respondit. Meo nomine, frater optime renuncia Dominico, hoc eius munus mihi fuisse gratissimum, & quando meas miserias multò me videt apertius, det operam medicinæ faciendæ: idque à me suppliciter postulari. Inde Rosarium illud coram Dei Genitricis imagine recitauit, mox apud eundem Dominicum totius vitæ scelera posuit. Quibus auditis, Sanctus Pater, Virginem ad sententiam in difficili causa rectè ferendam inuocauit, ac de pœnæ imponendæ modo consuluit. Igitur suasu Virginis, præter alia, quæ tam publicè propter exempli offensionem, quàm priuatim, expiandis occultis sceleribus, tam facienda, tum patienda præscripsit, Rosarium toto vitæ spatio recitare iussit. Peccatis absolutum consolatur, atque confirmat in Dei iustitiam & seueritatem, inquit, incurreras, sed Rosarij beneficio in misericordiæ sinu conquiescis. Ergo quò hæc tibi firma sit, stabilisque possessio, in sodalitium adscribitor, vt aliena merita tibi egentissimo suffragentur. Paret illico Petrus, negati toties Christi dolore contabescens, galliquecantu, id est, Dominici voce correctus, seque ipse propria manu in sodalitatis tabulas refert, & catalogo adscribit sociorum. Denique iudicium æquante Deo, qui prius miserrimam Petri seruitutem aspexerant, teterrimaque spectra timuerant, tribus ornatissimis coronis eiusdem Petri caput cinctum, redimitumq; viderunt. Cumque Rosarium, vt erat iussus, quotidie offerre, & salutationes veluti flores ex illa amœnitate legere, & ore proferre non sineret, dignus fuit, quem Dei mater indulgentissimè habitum, mortis horæ præmoneret. Animam agenti affuit cum sua matre Iesus Christus de Deo Deus, & æterni Patris vnigena filius: & vtriusque tutela defensus, dæmonis artes irrisit, & ad vitam ascendit immortalem.

§. 115.

ALanus Rupensis libro de Rosario. Florentiæ mulier quædam Dominici viuebat ætate, fortuna & forma percelebris, quæ Benedicta dicebatur nomine, factis alieno. Nam parentum socordia in formosæ, diuitisque educatione filiolæ, iucundorumque adultæ frequentia conuiuiorum, lautæque mensæ luxuries, & vitæ licentia paulatim, ac sensim Benedictam, alioquin honoratam, ad lupanar postribulumque traxerunt, dedecus vltimum fœminarum. Illo ipso tempore Dominicus, non vnam ciuitatem, sed cunctã suis concionibus commouebat Italiam. Bedicta dictum tunc præconem vna è multis audiuit verba ad populum facientem. Cuius oratio tam altè in huius meretriculæ pectus, animumq; descendit, vt abeuntem prosequuta, confessionem cum fletu poposcerit. Haud grauatè Dominicus, cui nihil erat cœlesti illa animorum mercatura iucundius. Auditam, admonitam, reprehensam, & sine numero sceleribus absolutam, vt Christo se desponderet, hortatur, Virginemque patronam adoptet, & pœnitentiæ, vitæque austeræ septa præsidijs, pro castitate propugnet, ac cæteras virtutes, nouas hospites tueatur, haustamq; cum nutricis lacte lasciuiam prorsus exterminet. Christianæ scholæ nouitiam malus dæmon inuasit, annumque vnum, Deo sinente, cruciauit. Post annum, precante Dominico, noua Christi disci-

Alanus Rupensis.

Gratia.

pula à diaboli tortura liberatur. Eam Prædicatorum Pater, ne fallatur atque erret, præceptis informat, ad cætera remedia integri Rosarij pietatem adiungit, in quo centum & quinquaginta salutationes Angelicæ insunt, ac Dominicæ quindecim precationes includuntur. Iesu & Maria crebra appellatione, ab illis sordibus mũdum fore animum, quibus se toties inquinasset. Patri dicto audiẽs Benedicta, religiosum illud munus impleuit, sed breui temporis spatio, in idem relapsa cœnum, multò est facta deformior. Vt enim fluuij opposita mole, vehementius valentiusque profundunt, ita Florentina hæc meretrix, quò se diutius casta tenuerat, eò auidius imputissimas voluptates hauriebat. Vt primum ad aures Dominici venit, Benedictam recidisse, eò magis doluit, quò plures illi erant, quos Benedictæ forma capiebat, & captos trudebat ad mortem. Ergo in ædes Benedictæ venit, porcorumque gregem inde depulit, quos Circe illa de mentis statu deiecerat: ad templum adductæ confessionem audit, & lachrymis testatur, quanti mulieris sibi staret interitus: Rosarij rursus arma capere iubet, & in Christiana vigilia permanere. Cùm autem malus dæmon iterum miseram distorqueret, tamen ad duo illa Iesu & Mariæ sacra, augustaque nomina, quæ sine fremitu, ac rabie immanissima bestia audire non poterat nouam hanc Thaidem agitare intermittebat. Post aliquot dies tracta est in viso ad Dei tribunal præpotentis, viuorumque & mortuorum iudicis incorrupti. Proposito libro vitæ, omnia scelera & maleficia legere cogitur, ac multorum videre tormenta, quos ipsa ad æternum interitum permisisset: hoc illo spectaculo vehementer exclamat, se Herebi seminarium, & charybdim adolescẽtiæ compellat. Væ, inquit, parentibus meis, quorum dissoluta negligentia in hoc decidi pelagus vitiorum. Væ autem illis, qui me primis suis blandimentis puellulam deceperunt, ac delinitam deprauarunt. Talia ingemiscenti, Diuum Dominicum adfuisse suadentem, vti ad Deiparæ pedes pudibunda, scelerum pertæsa, & supplex accideret, eiusque illo in iudicio patrocinium lachrymosa & gemens imploraret. Id fecisse confestim flentem & eiulantem, Beatissimæque Virginis personam interponentem, vt pœnitendi tempus, spatiumque daretur, impetrasse. Et hic quidem visionis illius & finis, & fructus. Mox dum sacrum audit, quod idẽ Dominicus faciebat, scelerum recordata quæ legerat, vt ex libro delerentur, inanesque paginas videret, quas scriptas in suum dedecus & probrum aspexerat, vehementer exoptauit. Hæc meditans, subitò arripitur, & à sensibus procul ablata, de manu Virginis quinque sibi rosas dari vidit, quibus peccata litteris signata deleret. In prima rosa hæc verba inerant aureis litteris exarata: Tuorum scelerum, ac diuinæ pariter misericordiæ memento, quæ tam tibi propitia fuit; alterius rosæ illa erat inscriptio: Recole acerbissimam Christi Domini nostri passionem, quæ vnà cum Sanctorum vitis asperrimis, quàm sit peccati fœditas Deo inuisa monstrabit, quando vel innocentissimi sui nece filij hominum scelera luenda, vlciscendaque esse iudicauit. Flos tertius ita erat inscriptus: Adamum, Adamique recordare progeniem: illi vna tantum culpa delitiarum paradisum ademit. Hanc eadem illa culpa fœliciſsimæ conditionis expertem, in hanc compulit malorum miseriarumque congeriem: quin & illa perpende, qualibus supplicijs peccantes affici soleant, quorum profectò magnitudine, quanta sit mortiferæ culpæ deformitas declaratur, teque tanto pluribus obstrictam flagitijs, nullas pœnas tales dependere, quæ longè graviores merebaris. In quarta rosa hæc legebantur: Agnosce Dei beneficium singulare, vt in Christianorum terris nascereris,

rere, tanto ante prouidentis, quo illorum sacris imbuereris, inter quos nata esses ac genita. Quo bono quàm multæ regiones, regna, prouinciæ, quantaq; orbis destituta sit portio, te minimè fugit. Nam mundi incolæ, maxima ex parte à fide viuunt alieni, cùm tibi, quamuis indignæ, veritatis lumen affulserit, & ex interitu ad vitam sis reuocata, tuis te factis accusantibus, supplicium quæ immane poscentibus. Etiam atque etiam cogita, tali ac tanto Dei clementissimi dono, nullam vitæ nec religionem, nec sanctitatem parem esse futuram, tantamque Christi Domini liberalitatem nullis nostris meritis posse adæquari. In quintæ rosæ foliis, atque pagellis hæc monita continebantur. Pœnas memoria teneto, quibus fontes in hac misera vita iudex ille rectissimus punire consueuit. Repete à Caino, sui parricida germani, repete à Cham, sui parentis irrisore. Illos reminiscere, quos ob leue furtum furca suspendit, cùm tibi longè turpiori, supplicium, Dei misericordia, nemo iudex imponat. Considera permultos, qui ob errata leuiora, tamen quia mortifera, æternis, inferorum pœnis cruciantur. Quibus huius vniuersi orbis possessio tanti non esset, dummodo ad has oras vnius horæ reditus concederetur, sceleribus expiandis. Tu interim otio abundas, quod illis denegatur, tempusque tibi suppeditat ad vitam corrigendam. Post visionem hanc, illius philosophiæ interpretem, quæ morum est præclara emendatrix, Benedicta, eiusmodi vitam instituit, quæ omnium admirationem commoueret. Nam & suos Florentinos quam plurimos ad Rosarium inuitauit, cuius medicina tam salutaris extitisset. Alio quodam tempore eidem Benedictæ seruator Christus affulsit, ostensoque superioris libro visionis, qui errata omnis vitæ, sceleraque claudebat, En, inquit, liber ille de rebus tuis, insolitisque flagitijs, ex nigro factus est albus: quippè quem & candida meæ rosa parentis, & tuæ ipsius lachrymæ dealbarint, atrasque tuorum scelerum notas niueo candore mutauerint. Nunc igitur in charta munda, atque alba puritatem vitæ conscribe, quam esse oportet æternam, exaratam patientia: amorem mihi debes albis his paginis, tersisque mandatis. Visa iterum Deipara est, monens, vt ad illa præstanda, quæ Christus imperauit, Rosarij vteretur auxilio. Hæc Alanus Rupensis tum ex diuino oraculo, tum ex libro, quem Thomas à Kempis, Diui Dominici assecla, de Virgine scripsit, se didicisse testatur.

§. 116.

EX ann. Præd. & Chron. Ferdinandi à Castello libro 2. cap. 22. de rebus Diui Dominici. Hermannus in Germania natus, cùm se Dominicanorum instituto à teneris annis dicauisset, Virginis ardens amator, eius & animi, & corporis ornamenta sigillatim contemplari solebat, & ad singulas Deiparæ, quas esset virtutes attentè meditatus, salutationem Angelicam proferebat. Fratris sancta simplicitas, precatioque perennis fratribus non admodum probabatur, Hermannum concionari, & hominibus prodesse sua doctrina volentibus. Ille suorum cognita voluntate, ad Deum bonorum fontem adiuit, quem per Virginem propitiabat assiduè. Itaque sine humano studio Scripturæ sensa percalluit, & tam Latina, quam vernacula lingua concionatus, egregiæ suæ ætatis studiosissimos quosque superauit, exemplo que fuit in Deiparæ scholis, qui bene beateque viuant, breui compendio fieri sapientes. *Ferd. à Castello.* *Gratia.*

(***)

§. 117.

Greg. Naz. orat. 15 Niceph. li. 5. cap. 27.

Gratia.

GRegorius Nazianzenus orat. 15. Niceph. lib. 5. cap. 27. quemadmodum se Iustina virgo à Cypriano Mago defenderit, Mariæque Dei matris opem & auxilium in castitatis atrocissima pugna popoſcerit, suique amatoris, opitulante Deipara, cantiones eluserit. Breu. Rom. Pij V. iussu editum. Inda quædam Virgo, cùm in angusto loco deprehensa esset à viro, qui pudicitiam illi eripere conabatur, cùm semper virginitatem amasset, neque vllum effugiendi locum sibi relictum esse cerneret, pia illa & sacrosancta nomina Iesus Maria, fidenter inuocauit, quibus appellatis, non secus ac fulmine quodam sceleſtus ille ad terram afflictus est. Virgo autem, Deo gratias agens, euasit. epistol. Ind. anno 1582.

§. 118.

Nicol Mon. in vita S. Godefridi. Bonif de B. Virg.

Gratia.

NIcolaus Monachus Suessionensis in vita S. Godefridi, & Bonifacius de B. Virgine. Nobilis fœmina, Viueta nomine, ad Beatissimæ Dei matris Ecclesiam se contulerat, quæ apud Suessiones recens exstructa, propter inaudita innumeraque miracula, toto orbe terrarum celebris habebatur, ibique de Godefridi Abbatis consilio, cui se regendam tractandamque permiserat, sanctimonialium velamen sincera pietate suscepit, tresque filias pariter consecrauit. Viuetam probatæ iam religionis fœminam Ogina, Monasterij Antistita grauissimis de rebus mittit ad Teutones, quorum linguam, patriumque sermonem Viueta colebat. Sed ne Godefridum veterem in Christo Patrē, cuius verba Viuetæ pro oraculis erant, res tanta lateret cum socijs, totoque itineris apparatu Nouigentum venit, nam viæ flexum cum tali mercede compendium esse ducebat. Legatione cum suo Apolline Godefrido communicata, sanctique Abbatis monitis & præceptis instructa, ad Teutones, quò erat missa, festinat. Sed cum in syluam non longè à Godefridi cœnobio, latrocinijs infamē deuenisset, in excursorum & grassatorum manus incidit, qui & religionis & humanitatis immemores, socijs captis viris honestissimis, famulisque ad carcerem arreptis, viatico direpto, Viuetam solam atque desertam, & omni longi itineris & solatio, & instrumento priuatam ac destitutam reliquerunt. Gemens, perfusaque lachrymis Nouigentum remigrauit, subque Godefrido nihil tale verenti, quid sit passa, recenset, clademque suam mœstissimè lamentatur. AEgritudine tabescentem sanctus Abbas consolatur, cibumque defessæ ac defatigatæ iubet apponi. Negat Viueta se quicquam gustaturam, nisi prius ablata recuperet. Tu, inquit, bone Pater, orato Deum, vnaque misericordiæ matrem, loci huius custodem ac præsidem, appellato, B quoque precare Nicolaum, cuius in feriis hæc mihi dicta grauia, perpessu aspera contigerunt. Ad Virginis Mariæ sacratam aram sese gemebundus, tristisque prosternit, idem Viueta facit ad altare disiunctum, vbi Christi erat imago: illis precantibus perseuerantibusque nocte illa carceris & custodiæ fores, Dei, Deiparæque beneficio, vltro patuerunt, Viuetæque & comites, & famuli soluti vinculis, quibus arctissimè tenebantur per condensam syluam, & anfractus viæ, perque superatas aquarum alluuiones, quæ hyeme intumuerant, feliciter elabentes, Nouigentum salui & incolumes Christo duce perueniunt. Captiuorum aduentu inopinato, quæ, & quanta Godefridi, & Viuetæ gaudia fuerint, qualis gratulatio, quam effusa lætitia superuacaneū foret exponere. Godefridus, qui Viuetæ lætitiam solidam, atque integram eiusdem dono Virginis fieri cupiebat, die postero cùm delucesceret, ad latrones abit, eosque grauissimis verbis reprehendit, quodque ademerant

merant Viuetæ sacræ fœminę, vt quam primum reddant Deum scelerum vltorem testatus, imperat. Illi obiurgationis impatientia, recurrunt ad carcerem, vt captiuorum supplicio reprehensionis iram vlciscantur. Sed nemine reperto, vacuoque quod minimè putabant, ergastulo, ad Godefridum alio vultu, alioq; sono vocis reuertuntur. Mox scelerate rapinæ supplices veniam petunt, & ablata restituunt. Equos, captiuorumque stragula, nummos, suppellectilemque vniuersam Godefrido reddunt, nihilq; retinent eorum, quæ eripuerant, vno excepto cultello, quem immemores, atque imprudentes reseruarunt. Viueta suos tam socios, quàm itineris administros iterum, itetumque læta, complectitur, bona recuperat, actisque gratijs immortali Deo, sospitanti viatores, & omnia secundanti, Virgini Dei genitrici, & Diuo Nicolao miracula antiqua repetenti, resalutato insuper, & collaudato Godefrido, incœptum est iter persequuta.

§. 119.

Ex tacito autore lib. Apiarum.

Gratia.

EX scriptore, qui suo nomine, modestiæ causa, tacito, librum moralem, quem scripsit, Apiarium inscribi voluit, & ex varijs exemplis, tanquam ex floribus mel suaue cõstipauit. In ea Belgij parte, quam Brabantiam vulgò appellamus, quædam sacra virgo Cisterciensis familiæ, orta est, Iudæa genere, cuius ad Christum adductę, allectæque historiam ex ipsiusmet ore mulieris, author se audiuisse confirmat, eamque quod non minus vera, quam vtilis esset, litteris, & posteritate dignam iudicauit. Hæc quinquennis adhuc in parentum suorum domo, qui Iudæi erant, & antiquæ legis cultores, educabatur: id ętatis tacita secum puella dubitabat, cur alij Iudæi, alij Christiani dicerentur, diuersaque eorum nomina essent, qui & colore, & lingua consentirent. Quinetiam de sacrosancta Maria Virgine colloquentes sępè Christicolas libenter audiebat, & ijs, quæ de sancta Dei genitrice ferebantur, præcipuam quandam attentionem, alacritatemque præstabat, eamq; à nostris ad rem quamlibet obtinendam patronam, atq; adiutricem adhiberi haud incallidè considerabat. quare in puellulæ pectus cælestes igniculos Deiparæ commemoratio illa iaciebat, quę de suis clientibus benè mereri consueuisset, eratque Mariæ nominis vsurpatio, recordatioque suauis. ergo vt talem, tantamq; Reginam demereri posset, ex paterna mensa, quod poterat suffurabatur, vt mendicis ostiatim, Deiparæ nomine, stipem corrogãtibus, subueniret. Per idẽ tempus puellæ tam bene moratæ, animaræque parentibus, ex vrbe Colonia, vbi erant, Louanium [ignotum qua de causa] migrandum fuit: eo vt venere, & domicilium quæsiere, puella Sacerdotis, cui nomen Rainerio fuit, dum vrbem curiosa perlustrat, foribus appropinquat. Erat Rainerius Louanienſium puerorũ strenuus Catechista: eum vbi nostrę legis, & fidei rudimenta prima docentem audiuit, eandem illa domum cum gaudio, & voluptate reuisere, ad scholam ventitare, & vitæ Christianæ sancta illa regustare præcepta. Id cum bonus ille Magister animaduerteret, ex mansuetula puellula quærit, quę causa esset toties veniendi: quo nomine appellaretur, vnde genus & patria. Haud est cunctata muliercula, se Iudæam, Iudæisque natam esse parentibus, Rachelem se nominari, Christianæque legis discendæ, colendæq; percupidam, Christianum frequentasse gymnasium. Rainerius gaudij plenus, admissam puellam, & cęteris aggregatam, diligenter instituit. Illa annum agens sesquisextum, quæ à Magistro tradebantur, tam celeriter accipiebat, vt retractare opus non esset, quod semel catechista docuisset. Satiari audiendo puella non poterat, nullumque

discendi finem faciebat: erat discipulæ ipsa ætas. oportuit à Rainerio, quam parentes Iudæi cum æqualibus ludere arbitrati, vbi esset, vnde veniret non magnopere laborabant. Iam sesqui annum in Christiano illo ludo posuerat, cum ad baptismum anhelabat, cum parentes tādem rem aliquando odorati, quæ possunt impedimenta, moliuntur, & re cū suæ gentis, sectæque hominibus communicata, præclaram illam catechumenam trans Rhenum amandare constituunt, & sponsalium vinculis irretire. Nam latuit parentū machinatio Rachelem, sibique metuens clam nuncium ad Rainerium mittit, si saluam suam discipulam velit, det operam, vt nocte insequenti ex parentum ædibus abducatur, baptismumque suscipiat. Renunciat secreto Rainerius, vti summo manè tacita exeat, ad se veniat curatum cætera. Rebus ita cum Christiano suo Doctore transactis, cum matre agit, vt solam nocte illa dormire sinat: negat parens, suspicata, quod erat: instat filiola, blandeque contendit, roganti, atque vrgenti dat mater, vt ad pedes iaceat, inque lecti parte ima quiescat. Orto iam sole, quam ab Rainerio monita præuenire debuisset Rachellula, somno victa, prudentius obdormiscit, sed tamen opportunæ visionis admonita (creditum Dei matris, cui se casta puella deuouerat) à somno excita, vocem audiuit: Catharina surge, & quod habes iter arripito. Præ timore Rachel è lecto excussa, humi se sternit, & matrem expergefecit strepitu. Sed Dei beneficio rursus cōsopita, filiola clandestinum exitum expediuit: vadit ergo ad Rainerium pulchra illa Rachel: eam ille in monasterium Cisterciē se produxit, quod pratum Virginum dicebatur, quinq; milliarijs Louanio disiunctum, ibi baptizata est, & cælestis admonitu vocis, quam diximus, Catharina nuncupata, Diuiq; Bernardi initiata mysterijs, de suis & parē tibus, & cognatis læta triumphat; sed Catharina diuturna non fuit, patris, ac matris inuidia, qui, quòd gratiosi, pecuniosique essent, contra Magistrum Rainerium, & discipulam Catharinam muneribus, & largitione oppugnabant. Cum q; viri primarij intercurrissēt, quorum & fidem, & potentiam puellæ pater appellarat, & à Brabantiæ Regulo, & ab Archiepiscopo Leodiensi, vt ad annum vsque ætatis duodecimum filia libera relinqueretur, obtinuit: quæ ætas ad deligendum vitæ genus, & legitima est, & tempestiua? Quid? quòd ab Honorio summo Pontifice datæ ad Archiepiscopum litteræ sunt (adeo rem vrgebat turbulentus ille Iudæus) ne qua vis fieret Christianis moribus, & Pontificum aduersa decretis, redderetur proinde parentibus, filiæ factum se probaturos affirmantibus, si modo ad annum ætatis duodecimum in proposito permaneret, quę quidem callidè, & astute à perfidis excogitata esse Iudæis haud serus monstrauit euentus, quin & puella paternorum promissorum commenta præuidit, quibus id erat propositi, vt medio illo temporis spatio puellare pectus emollirent. Ergo Catharina de iudicio conqueritur, magistrum alloquitur, parentum, quo spectent consilia, demonstrat, artes artibus eludi oportere, & iudiciū iudicio corrigere. Causam de integro se velle agitare, ac iudicum subire conspectum, Deiparam fore aduocatam, cuius auspicijs ex Iudaicæ superstitionis tenebris, & vmbris emersisset, pedemque ex laqueis explicasset, parentum machinationes nihil contra veritatem valituras. Quare cum suo pædagogo Rainerio Leodium progressa, stat ante tribunal Antistitis: adsunt viri ex vtroq; foro facilè principes, suam ipsa causam agit puella, sexcentis reuocari priorem sententiam, rescindique acta illa debere demonstrat: esse periniquum, vt tenerrima puella patri reddatur infideli, morosо, astuto, cui vel Christiani gratificari studeant propter hominis opes, atque

que fortunas, nummorumq; respectum, quos Iudæi nullo diuinæ vltionis metu fœnerari consuessent: præstare, in cœnobio liberam relinqui, dum annus duodecimus criticus impleatur. Et quidem, si de prudentia illa certamen est, quę verum à falso, & honestum secernit à turpi, rationis iam ipsa sum compos, & ante annos iudicium, sensusq; maturauit, sed si firmitatis ergò, annorum ille expectandus est numerus, non patitur æquitas, vt ante litis finem causam litigator pater obtineat. Quid enim non possit in filia, qui alienos, qui potentes, qui diuersæ legis, ac sectæ viros ad suam traxit voluntatem Duplices mihi tendentur insidiæ nuptiarum, & sectæ paternæ: vtraque res contagionis plena. Mea flexibilis ætas, cognationis magna est vis, hinc patris minas, hinc matris blandimenta reformido: quandiu in dubio res est, suum vtrique litigatori saluum ius esse oportet. Pater si me iam habet, non expectare iubetur, sed optato potiri. Quærendum est tertium: mihi si creditur, Monasterij fidelis est, & tuta custodia. Depositum tecta illa seruabunt, & Christo, cuius agitur causa, restituent: illic sancte Pontifex tuo permissu de re tanta deliberabo securius, si fortè ea sum, quę inter siniſtram, & dexteram, nondum per ætatem dijudicare queam. Peroranti applausum est ab vniuerso consensu, & in cœnobium, vnde exierat, retrudi iubetur ad annos pubertatis, quibus expletis, cum de religionis, religiosæque vitæ in Cistercienſi familia à sententia dimoueri non posset, parentes desperata victoria, tamen nouas artes adhuc machinantur. Iudęus adolescens, & pulcher, & diues, ad Virgineum cœnobium vadit, petitq; baptismũ, idq; eo animo, vt Antistita neophitum cum Catharina loqui sinat, admissusq; decipiat, restituatque parentibus, quorum agebat instinctu. Hoc vsus cõmento, baptizari se finit, seque puellæ consanguineum mentitus, conuenien-dæ Catharinæ veniam sibi dari poscebat. Sed virgo doli præsaga, fictum illum Christianum, vt alloquatur, adduci non potest: ille repulsus fidem abiurat, larvaque posita, se retulit ad Iudæos, quos nunquam ex mente posuisset. Egomet vidi (inquit historicus, homo, vt appareat, minimè leuis) & sæpè sum cum hac Catharina locutus, nihilq; ea me admirabilius nouisse commemini. Magna erat vitæ integritas, & sincera religio, quo tempore cæteræ virgines, quæ in illud se Monasterium abdiderant, cum parentibus, aut propinquis familiares sermones in locutionis podio conferebãt, & à quotidianis operibus, Abbatissæ permissu, tantisper respirabant, nostra hæc nouitia ad Deiparæ itabat imaginem, & cum illa tanquam viua esset, loquebatur, non quia viuam putaret, sed quòd in huius pectore Virginis sanctæ Matris memoria viueret, quam aspectus imaginis maximè renouabat, atque illa suauiter: Diuina parens, sorores, suorum colloquijs recreantur, ego ad te venio curas releuatura: tu mihi instar es omnium, tu meum solatium, & dulcedo. in te vna conquiesco. Nec dubium, quin Dei Mater Catharinæ mentem expleret, eiusque inopiæ, solitudinique prospiceret.

§. 120.

TIlm. Bredenb. lib. 3 sacr. coll. cap. 25. Puella decẽ annorum grauissimo, acerbissimoq; genere morbi tenebatur, cuius matertera, quam Tilmannus non contemnendus scriptor, quo hæc litteris tempore mandauit, affirmat fuisse superstitẽ, in templũ, quod loci incolæ Nouum appellant, ingressa, ad dolorum sacratissimæ Virginis imaginẽ, quæ gladijs transfixa depingitur, & illic religiosè visebatur, accessit, & post fusas ex animo preces, tantum se frumenti daturam vouit, quãtum ęgrotantis puellæ pondus esset; corpore ad libram

Tilman. Bredenb.

Gratia.

libram reuocato, & publica statera dimenso, voto hoc reddito, atque extrutinæ iudicio corpoream puellæ grauitatem, æqua lance ponderantis, promisso tritico persoluto, puella pristinæ restituitur sanitati. Et verò imago illa Virginea tantam præseferebat antiquitatem, carie pænè, & carrosa esset, atque consumpta, exesoque capiti nouum sufficere necesse fuit, ipsumq; brachium nimia vetustate diuulsum, vno dumtaxat clauiculo tenebatur. Hanc eamdem imaginem furiosi nouatores toto Belgico grassantes anno millesimo quingentesimo sexagesimosexto, audaciter inuaserunt, iniectisque funibus ab illo sacro abstractam, per vniuersam ciuitatē, perque aspera, & confragosa loca ad suā libidinem raptauerunt. ô rem miram: erat vetusta ipsa fragillima, cuius alterū bracchium pænè disiunctum, neque tamen rabida iactatione, & asperrimo lapidum attritu lædi vnquam, frangiue potuit; Deo & pro suæ parentis imagine propugnante, & eiusdem matris oratu, insanos ad sanitatem inuitāte. Quin & Catholicorum confirmatus est animus, qui, vetere religione retenta, noua commenta despiciunt. Id enim annosa monstrauit effigies, quæ se tam benè defendit: id quoque testatus est clauus inter tot firmus iniurias, cui viuæ fidei appensa lucerna est, quæ non extinguetur in nocte. *Prouerb. 30.*

§. 121.

In hist. vitæ S. Franc. IN historia vitæ Sancti Patris nostri hæc narrantur à Bernardino Senensi adhuc puero ad materteram suam Dianam viduam, cui à defunctis iam parentibus erat commissus; se in Vrbe Senensi iuuenculam quamdam amare, ineffabili speciositate fulgentem, cuius gratiosum aspectum nisi quotidiè videret, sibi crederet præ mœrore moriendum, mentem suam referens ad eam, quam totam pulchram canit Ecclesia. *Gratia.* Nutrix, directrixque ipsius Diana, mulier spiritualis, suspicata, ne forte alicuius puellæ carnali amore foret vulneratus, eum increpans, sic inquit: Quid est, fili mi, quòd te impudice loquentem audio? an ignoras, quòd mulier formosa decliuem animum facit ad vitia? aspectus eius ignis est exardescens, affectus robur ingenij prosternit, intellectum elidit. Defere, fili, hanc vanitatem, & de corde tuo omnem cogitatum illius propulsa. Sic illa: atque attentius obseruatum Dei deprehendit aperto capite, nudis nixum genibus, dilectam suam, B. inquam, Mariam Virginem, quæ supra portam in effigie stabat, deuotissimè salutantem, sicque salua res fuit. Bernardinus autem in tantum, tamquam sanctum virum euasit, vt à Nicolao V. Pōt. in Sanctorum numerum sit relatus.

§. 122.

ANtonius Bonfinius refert lib. 3. rerum Hungaricarum decade 3. anno Domini 1415. post pugnam à nostris contra Turcas, & Valachos in Hūgaria commissam in campo, vbi magnus restabat cęsorum corporum cumulus, fortè à viatoribus auditas voces, Iesu & Mariæ, cumque propius se admouissent, caput loquax ita locutum. Quid hic attatis stupentes? Christianus sum, & Dei Matri addictus, sine confessione facta occubui ante biennium: Maria Dei Mater, cui in vita deuotus extiti, linguā hactenus mihi seruauit, quò confiteri possem. Quare rogo, vocate Sacerdotem: vocarunt, confessus est, & absolutione percepta, illico conticuit. *Anton. Bonfinius.*

§. 123.

CVspinianus in Chronico suo. Tritē. horo de Monasterio Hirsangiensi. Henrico Imp. morum ipsa perfectio sancti cognomen dedit: nam virginitatis florem integrum, atq; inuio- *Cuspinian. Tritem. Gratia.*

inuiolatum Marię Virginis ope conſeruauit, cuius tā ſedulus cultor fuit, vt in medijs itineribus, quæ & multa, & longa confecit, ſi quando in vibem aliquā eſſet ingreſſus, noctem primam illa in ę-de precando conſumeret, quam beatiſſimæ Virgini dicatam reperiſſet. Hanc eandem immaculatam Virginem calice immēſę magnitudinis honorauit. Quod verò templum in eiuſdem Dei matris honorem magnificētia imperatoria digniſſimum apud Spirenſes inchoarat, neq; mortis interuentu perfecerat, Conradus Cæſar abſoluit. Porrò Monaſterium almę Virgini inſcriptum, & ſacratum, in Argentinenſiq; ditione ſitum, quod vetuſtas propè conſumpſerat, ita refecit, ac repoſuit Henricus, vt magis nouum feciſſe, quàm vetus reparaſſe diceretur. Vxorem religioſiſſimam fęminā eiuſdem virginalis propoſiti ſociam habuit, atque participem. Cumq; ob deuotam immortali Domino continentiam, ſpe prolis ſe ſponte priuaſſent, Deum ſobolis, & poſteritatis auctorem, bonorum ſuorum hæredem aſſumpſerunt. Ex quo factum eſt, vt Eccleſias Henricus (ſi Gotfrido Viterbienſi, qui Conradi Regis nobilis ſcriba fuit, amanuenſiſq; præclarus, habenda fides eſt) propè mille fundauerit. Et quamuis tēpla conſtruendi, & anniuerſarijs pecunijs locupletandi, & quaſi ſponſas dotādi finem nullū Henricus faceret, totuſq; in eo eſſet, vt Dei cultum, religionemq; proueheret, talem ſe tamen in imperio adminiſtrando præſtitit, vt de ſolis armis egiſſe videatur. Itaque Germanici fines imperij quam longiſſimè protulit, Bohemiam ſubdidit, Burgundiam in ditionem recepit, cūctam Germaniam, totam Galliam, vniuerſamque Italiam in officio continuit. Et harum trium bellicoſarum nationum pacem fecit eſſe diuturnam. Iam verò Pannoniæ impietatem deponentis, & ſe ad Eccleſiam aggregantis ſalus, etſi Stephano Regi maxima ex parte tribuitur, tamen Chriſtiani huius incrementi ex Hungaris ad Chriſtum conuerſis, laus cōmunicanda cum Henrico eſt, cuius ſoror Siſela, verę religionis amantiſſima fœmina, & fratri ſimillima, Hungariæ Regi Stephano deſponſa, ad coniugis baptiſmum, fratre Henrico non modo adhortante, ſed etiam inſtigante, felicem aditum patefecit. Et quia ad ſui Regis exemplum ſe ferè regna conformant, facer ille Stephani baptiſmi fōs vniuerſam in ſe Pannoniam deriuauit: quàm autem Regum pietas, ad proſperam regni fortunam valeat, exemplo ſit hic idem Henricus, quem religionis ſtudioſiſſimum beneficentiſſimumq; fautorem Deus immortalis tam multis, tamque inſignibus triumphis decorauit, virgineiſq; cultor ſingularis: inque cælitum relatus numerum, illud Salomonis vſurpat: Venerūt mihi omnia bona cum illa. iam prælia tam multa cum hoſtibus non armis tectus Vulcanijs, ſed fide, ſpe, & charitate confecit, id quod multo ante Theodoſio contigerat, qui contra rabuſtiſſimum Eugenij Tyrāni exercitum magis orando (vt Auguſtini verbis vtar) quam feriendo pugnauit.

Sap. 7.

Obijt anno 1024. eius feſtum dies pridie Idus Iulij.

Gotfridus. Vide Sigeb. Gemblacen. de viris illuſtrib. c. 139. & Adoboldem Epiſc. Vltraiectēn. qui Henrici vitā ſcripſit.

§. 124.

SVrius de vitis Sanct. Annonis Archiepiſcopi Coloniē. ea fuit in Dei matrem charitas, vt in ipſius honorem monaſterium Canonicorum religioſè viuentium ab ipſis fundamentis excitarit, omniq; ornatu, apparatuq; complerit. In hoc loco ſibi ipſi ſepulchrum deſignauit: ibidē fletu, & lachrymis ſua, ſuorumq; peccata diluens, frequenter pernoctabat, ſomnoq; illo contentus, quem ſub lucis aduentum, vigilijs fractus, ac defatigatus paucę temporis ipſe cœpiſſet, res negociaque gerebat, neque aliter laborabat, quàm ſi horas noctis complures, quę euiſſet, humilibus ſe præbebat affabilem, potentibus grauem, & ſeuerum. Authoritate tanta

Surius de vita Sanctorum.

Gratia.

fuit, vt nemo sacerdos, nemo diues, nemo Episcopus, nemo regia dignitate conspicuus, Annone procul viso, non tremeret, seque à risu, & ioco ad seueritatem, modestiam, taciturnitatemque conuerteret. Nam simul atque apparuisset, Dynastæ, Præsules, Rex denique ipse vestem aptabat, vultum ad verecundiam componebat, nugari, ludere, vociferari, cachinnari, & gestire desinebat. Sunt enim honore dignissimi, qui se totos in honoranda cæli Regina collocarunt.

§. 125.

Tob. 12. 13. ANdreas Coppenstein. li. 2. de fraternitate Rosarij hæc de B. Alano Ordinis Prædicatorum, & Virgini familiarissimo scribit: Primo, Iudith. 8. 21. Alanus igitur: *Quia acceptus erat Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret eum*, sicut sanctum Tobiam; & sicut tentati sunt Patres nostri, vt probarentur, si verè colerent Deum suum: idque nostra, non Dei causa, vt qui probati sunt, manifesti fiant 1. Cor. 11. 19. in nobis. Itaque arcano suo consilio diuina bonitas permisit virum talem à maligno spiritu diùtè tentari, diuque tribulari. Etenim immissus in eum spiritus Mundi, ipsum sæpissimè respicere retrò, & indignum Christo reddere moliebatur. Accessit, datus ei stimulus carnis suæ, Angelus Sathanæ, vt eum colaphizaret, sicut Paulum, Gregorium Magnum, D. Hieronymum, & similes. Ipsissimus denique Sathan truculētus in eum 2 Cor. 12. 7. Iob. c. 12. arietauit, ac pulsauit, vt Iobum, nō quidem, tangens cuncta, quæ possidebat: iam olim namque, dimiserat omnia, & Mat. 10. 28. sequutus erat Christū, nudus nudum, ac pauperem: sed tangēs os eius, & carnem Iob 2. 7. percussit eum, non vlcere, sed verbere Posthumus Alani lib. de dignit. Psal. BMV c. 4 & c. 51. pessimo. Quare ipse de sese Alanus ista testatur, ac prodit: *Antequam ad Rosarij admirandam prædicationis gratiam peruenit, assiduè cantabat hoc canticum Mariæ, cupiens liberari à malis diaboli, carnis, & mundi. Et quidem à quibusdam est liberatus, sed alijs maioribus pugnis est impugnatus: septem enim annis continuò à diabolo fuit crudelissimè tentatus, percussus, & flagellatus.* Id quod & in Antonios, Macharios, Paulos, similesque complures ei permissum accepimus. Adeoque fuerunt sæua hæc verbera, vt sæpius ei vitam extorsissent, & ipse in desperationem corruisset, nisi Maria Virgo eum adiuuisset. Secundo: *Quinimo sæpius tam vehementer agitabatur à spiritu desperationis, vt sæpè ipsi vitam extorsisset, & signanter semel, nisi visibilissimè in Ecclesia orandis eiusdem, Maria eum liberasset, subitò tentationem profugando. Manus enim illius heu trahebatur ad ferrum, & ipso nolente flectebatur, brachium cum ferro ipso ad guttur proprium, tam validè, vt tunc se iugulasset, nisi: vt Angelus Abrahami, ita* Gen. 22. 12 *brachium eius Regina pietatis tenuisset, alapa eum feriendo: dicens. Quid ô miser, quid agis? si me debitè imaginasses, vt dudum solitus es, nequaquam in tantum periculum incurrisses:* dixit, & disparuit: *Sed & paulò post grauissima, & incurabilis infirmitas eum arripuit, vt omnis, hanc sciens, indubiè iudicasset, hunc mortis vicinæ fuisse filium.* Alanus in eo se articulo colligens, è templo ad cellæ stratum perreptat. *Cum igitur dæmonibus* (pergit ipse) *vndique agitatus, turbatus conscientia, infirmitate grauatus miserabiliter iaceret, vehementissimis suspirijs ad Virginem Mariam ita ferè clamabat: Heu me miserum mortis filium, heu quid faciam? Cœlestia mihi repugnant. Speraui, me habere tuam, ô Maria, gratiam, & ecce grauiorem decidi in maledictionem. Heu cur natus sum? Cur religionem hanc intraui? quo mihi valuit seruitium Dei tam durum? Vbi veritas dicentis: Iugum meum suaue est? Et quòd non permittat tentari vltra, quod possumus? Verè, salua Dei reuerentia, vellem potius non esse, aut lapidem me esse, quàm sic dies meos decurrere. Ita ille, cum Iob, & Ieremia clamans, deficiebat.* Tertio: *Cum ecce subito post decimam noctis horam, resplenduit claritas Dei in cella, apparuitq; beatissima Virgo Maria, quæ suauissimè salutato, & colloquijs multis lassa-*

Mat. 11. 30. 1. Ioan. 5. 3. Ier. 20. 14. Iob. 3. 3.

to, lo-

to, lethalia dæmonum vulnera rigauit, & mox sana reddidit: simul eum sibi, Domino Iesu Christo præsente, & multis sanctis, realissime desponsauit. Cætera ex eodem breuissimè sic Bonifacius: *Et mandauit, vt Rosarij sodalitates rursus aggregaret. Quò autem ad id munera promptior, & pronior redderetur, concionibus adiutricem se fore Virgo promisit, edituramque miracula. Quorum vnum Rosarij ipsi in collum iniecit, & alterum Annuli fuit, quem ex digito Virginali detractum, Alano dedit induendum. Quo ille dono erectus, & recreatus, annos quindecim, Rosarij concionator fuit, diuinosq; flores varijs mundi locis sparsit, qui odorem suauissimum exhalarunt.* In eadem apparitione misericordiæ Mater nouellum suum sponsum, & alumnum quindecim gratiarum monilibus donauit, pro meritò cultus sui tam diuturni, & constantis, quem Deiparæ tot annis retrò, tantas inter tentationū molestias, præstiterat. Ista breuissimè recenseo ex ipso Alano: sic enim apud ipsum alma Dei genitrix loquitur. Primo, impetraui tibi omnium peccatorum remissionem, nec morieris in reatu peccati mortalis: sed si offenderis, in mundo punieris. Secundo, do tibi, vt lucem quandam habeas semper præsentem, in qua me habebis, & videbis semper præsentem, & adiuuantem, longè clarius, & verius, quàm si me videres, aut tangeres oculis, vel sensibus corporeis. Tertio, do tibi gratiam impetrandi omnia à Deo postulata, quæ oraueris. Quarto, do tibi sentire influentiam cælestem: hoc est, lucem in membris subintrantem, teq; pertrahentem ad conformitatem voluntatis diuinæ. Quinto, do tibi, vt præsentialissimè sit Dominus tecum, non visione oculorum, sed fidei, & sub lumine alacriori, quàm sit lumen scientiæ. Sexto, do tibi, vt videas in te totam sanctorum curiam cælestem, & cum aliquo sensu, & luce illuminante sentias. Septimo, do, vt audias loquelam meam, & sanctorum. Nec vox ista est corporea, nec phantastica; sed quædam alta, clara, distincta, mentem afficiens, & erudiens. Octauo, do tibi scientiam non humano ingenio acquisitam. Et factum est maximè in scientijs diuinis, moralibus, & humanis: nec docendo, aut prædicando libris indigebat. Nono, do tibi, vt mulieres nunquam tibi noceant ad luxuriam, quantumcunq; pulchræ. Decimo, do tibi benedictionem in sermone tuo, vt sentias in te Christū loquentem ea, quæ debes loqui. Et factum est signanter post Eucharistiam, vt homo imbibitus sit quasi omnia, faciens iuxta illud; non vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri loquitur in vobis. Vndecimo, do, vt sentias in corde tuo totius filij mei vitam. Et sensit in se lucem conformantem ad omne bonum, pellentem omnem acediam, & passionem. Quando hęc lux discessit, sæpius erat impotens ad omne bonum. Alia quatuor Alanus nō scripsit: quæ sit causa, nescitur: sed creditur, quòd adeo secreta essent, vt noluerit ea manifestare. Hæc Alanus Posthumus collector. Atque ea ad instar erant dotis sponsalium, ex quibus omnis deinceps vita illius, & actionum perfunctio conformis ducebatur. Inde, Deiparæ quasi familiaris, multa, & mira ex ipsa condidicit, quæ de Rosario ad populum prædicauit, miraculorum sequentibus signis. Quinto, quin & ipse Seruator Christus ad aram facienti manifestus in iam transubstantiata apparens hostia, sub pœna præsentissimæ mortis, illi, vt prædicando euulgaret Rosarij vsum, mandauit. Quod idem aliquando negotium dedit videnti, vigilantique assistens ipsi, S. P. N. Dominicus, vt suo exemplo psalterium B. V. Mariæ prædicaret; atque inquiebat: vides, quomodo profeci per Virginem Mariam in sermone isto? id ergo facias etiam tu, & omnes Mariæ amatores, vt sic trahatis populos ad veram scientiam omnium virtutum, & morum per psalterium Mariæ Virginis. Iamq; eū ante monue-

Idem ibidē, & c 7 reuelat. 57. a.

Boni. in virginali lib. 2. c 25. exemplo 2.

Alan eod. lib. c 5.

Idem c. 13.

rat istis: Tu prædicas, sed tibi caueas, ne potius laudem humanam quæras, quàm
Sed lib. c. 4. animarum fructum. Itaque longè, lateque hoc deuotissimum psalterium, ad diuini cultus augmentum, & populi ignari salutem, copiosius propalauit. Per quod, Dei gratia cooperante, vix dicibilia miracula sunt peracta, præsertim circa prædictum fratrem.

§. 126.

Chron. Carthus. LEgitur in chron. Priorum domus Carthusiæ, quod tempore Guidonis V. Prioris dictæ domus creditur euenisse, Cõuersus quidam Carthusianus humilis genere, ætate iuuenis,
Gratia. moribus tamen generosus, ac vitæ sanctitate prouectus, toto studio obediẽtiæ, humilitati, mortificationi omnẽ, quam poterat, operam adhibens, mundum sibi, seque mundo crucifixerat. Amori diuino, & memoriæ Matris Domini ita se totum denouerat, vt ab ijs, qui vitam eius nossent, nihil scire iudicaretur, nisi Iesum Christum crucifixum, eiusque genitricem. Nocte quadam iacebat in cella, cum ecce multo iam processu noctis eidem vigilanti, & cœlestia meditanti, dæmonum turba in specie porcorum agrestium apparuit, & per totam cellam discursu insano, rictu horrendo, dentibus longissimis, ac veluti in necem eius exactis, pauefactum, & trementem hominem circumstabant: sudabat ille præ timore, & quasi iam, iamque à bestijs discerpendus, nil nisi mortem vltimam præpostulabat. Inter hæc quemdam, humana specie enormis magnitudinis Dæmonum principem, cellam cõspicit intrantem, ac porcos, quòd illum non discerpsissent, desidiæ arguentem. At, inquiunt porci, magno conatu id facere tentantes, nihil potuimus: ego, inquit ille, iam faciam, quod vos segnes minimè facere potuistis, & vncum ferreum, longis, ac recuruis vngulis terribilem, minaci manu prætendẽs ad virum Dei discerpendum adaptat, eumque nimio timore pænè mente excedere coegit. Sed Deus, cui vir ille bonus sæpè dicebat: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, tentationem tam duram non est passus vltra procedere, sed sua infinita misericordia liberauit eum à malo. Mox enim, vt nequam ille vncum ferreum ad eum discerpendum extendit, statim beatissima Dei genitrix, misericordiæ Mater, in qua ille totam spem suam post Deum posuerat, visibiliter affuit, & virga leui manu prætensa: quomodo, inquit, huc detestandi venire ausi fuistis? Non est hic vester, nec iam in aliquo contra eum poteritis prævalere. Dixit hoc, & dicto velocius totus ille nefandus cætus, vt fumus euanuit. post dæmonum fugam, hominem adhuc trementem his consolata est verbis: placet, quod facis, tuique animi deuotionem Deo, mihique gratam noueris: fac ergo, quod facis, & de his ad meliora perseueranter proficere stude: & vt tibi aliquid singulare in mandatis tradam, stude vilibus escis: operi manuum deuotus insiste: amplectere abiectas vestes. His ergo B. Virgo animatum hominem relinquẽs, cælum repetijt. Ille autem, vt à Virgine iussus fuerat, mandata eius adimplere totis viribus vsque ad mortem nitebatur; hæc ferè ad verbum apud Petrum venerabilem Abbatem Cluniacensem lib. 2. miraculorum cap. 29. quod idem extat apud Vincentium Beluacensem li. 7. spec. hist. cap. 112. & in specul. exemplorum dist 9. num. 113.

§. 127.

EX chron. Seraphici nostri Patris S. Francisci 3. par. c. 36. & 37. hæc quæ sequuntur lego: Frater Iacobus de Coronis Deiparæ, cuius admodum studiosus erat, multas quotidiè coronas recitare, atque offerre, alioſque omnes, quibus cum agebat, etiam Epi-
Ex chron. Seraphici nostri Patris S. Francisci 3. par. c. 36. & 37. *Gratia.*

scopos,

scopos & Cardinales, ad coronam recitandam hortari consueuerat, vt vel ex eo adeptus sit cognomen de coronis, post spiritum prophetiæ, quo claruit, & miraculorum virtutem sibi à Deo Deiparæque deprecatione concessam, in coronæ recitandæ pietate persistens, effæta iam ætate, perceptis iam Ecclesiæ sacramentis, in Burgo sancti Sepulchri demoratus est: cumq; ad exequias (quæ eius erat sanctitatis opinio) vniuersus planè populus accurrisset, quidam vidit in oratione in spiritu, eius animam è monasterio prodeuntem, deducentibus Angelis, in sublime ferri, cœlique Beatissima Regna conscendere. Beatus Bernardinus à Feltre pro suggestu publicè dicere solebat, fratrem quendam Veronæ in oratorio Porcariæ ex Prouincia S. Antonij, cùm ob coronam Deiparæ recitandam post aram, remotis arbitris recessisset, deprehensum tamen in ea deuotione ab altero fuisse; qui quidem obseruauit, quoties is inter recitandam coronam, Aue Maria pronunciaret, Angelos, qui coram Virgine astabant, auream, quam manu gerebant, coronam in Reginæ nostræ caput imponere, mox de capite deponere, & ad singulas salutationes Angelicas rursus apponere, alios verò Angelos ad singulas salutationes Angelicas eidem Deiparæ rosam, aut lilium offerre. Narrabat idem Beatus Bernardinus in eadem Prouincia, fratrem Antonium de Robes, Deiparæ pietati addictissimum, cùm vrbem Vicentiam abiret aliquando, repentina quidem, ac assidua pluuia fuisse deprehensum: cumque nullum, quo se reciperet, inueniret locum, vt se se à pluuia defenderet, arreptam è globulis coronam in capite ponens suo: O Angelorum, inquit, Regina in necessitatibus amicorum patrocinia dignoscuntur: ora te, vt recorderis clientis tui. Res dictu mirabilis, ijs vix prolatis verbis, ad vrbem vsque progressus est, ne leui quidem pluuiæ gutta respersus: eius verò socius, qui eques iter præuerterat, ad pluuiam declinandam, alijq; tanto obstupefacti miraculo, gratias Deiparæ egerunt, qui studiosos semper tuetur ac seruat. Cùm matrona nobilis illa quidem suos assuefeciset filios ad coronam flexis genibus, iunctisque manibus singulis diebus, primo quoque manè, antequam in ludum litterarum abirent, Deiparæ recitandam; accidit quodam die, vt dum iret in gymnasium quidam ex ijs, è ponte in subiectum cadere: flumē: re cognita mater, non iam ad fluminis aquam, sed ad Deiparæ opem statim occurrit, eique filiorum salutem impensè commendauit, ac salutatione Angelica recitata, præceps concedit ad fluuium: illic reperit multos, qui filium ex aquarum fundo extrahere moliebantur. Verùm vix ea peruenerat ad pontem, cùm filius aquas supernatans existit, matrem appellat incolumis. Tunc omnes extrahunt puerum, & periculo eripiunt, ad matrem adducunt: ea lætabunda, Deiparæ acceptum retulit filium, qui insuper affirmauit, se se ab ea Domina, ante cuius imaginem quotidie primo mane coronam recitare solebat, à præsenti discrimine liberatum. Ex quo multi ad coronæ pietatem suscipiendam sunt excitati.

§. 128.

NArrat Euagrius suo tempore gestum, & toti orbi notum libr. 4. cap. 35. de puero Iudæo, qui licet Virginem sanctissimam non inuocasset, per eam tamen ab incendio est seruatus: Mennæ, inquit, temporibus miraculum editum fuit planè memorabile. Vetus fuit consuetudo Constantinopoli, vt si quando multæ admodum particulę puri & immaculati corporis Christi supereſſent, pueri impuberes, qui scholas frequentabant, accerserentur, easque manducarent. Quod cùm factum fuit, cuiusdam hominis Hebræi quidem *Euagrius.* *Gratia.*

opinione, arte autem vitrarij filius, vna cum pueris versatus est: qui quidem parentibus percontantibus ab eo causam moræ, respondit, vti res se habuit, seque cum alijs pueris pariter comedisse. Hebræus bile, furore & iracundia inflammatus, in clibanum ardentem, in quo vitrum formare solebat, puerum conijcit. Postquam verò mater puerum quæritans reperire non potuit, passim per totam ibat Vrbem, Deum gemitu obtestans, & flebilibus lamentis se dedens. Triduo autem post, ad ostium officinæ viri sui consistens, luctu miserabiliter diuexata, nomine puerum compellat. Puer matris vocem vt agnouit, è clibano respondit dat: Mater effractis foribus introrumpit, viditque puerum in medijs carbonibus candentibus, consistentem, illæsum ab ignis incendio, qui cùm rogaretur, quo pacto illæsus mansisset: Mulier, inquit, veste amicta purpurea, crebrò ad me venit, porrexit aquam, qua carbonum flammas corpus ambientes extinguerem, cibum denique dedit, quoties esuriebam. Qua re ad Iustinianū perlata, puerum cùm matre lauacro regenerationis tingendos decreuit: patrem autem pueri, qui recusauit in numerum Christianorum asscribi, in Syricis cruci suffigendum curauit. Hæc Euagrius. Eandem historiam confirmat Gregorius Turonensis, qui paucis post annis, eodem tamen seculo vixit in lib. de glor. a Martyrum capite 10. Vbi aliquanto explicatius illud de beata Virgine tradit. Cùm enim, inquit, infantulum Christiani interrogarent, quale ei inter ignem fuisset vmbraculum, ait: Mulier, quæ in Basilica illa, vbi de mensa panem accepi, in cathedra paruulum in sinu gestat infantem: hæc me pallio suo, ne ignis voraret, operuit. Vnde indubitatum est beatam ei Mariam apparuisse. Hæc Gregorius Turonensis, additque multos Iudæorum exemplo hoc in Vrbe illa saluatos. eandem historiam memorat Glycas quarta parte Annalium. Paschalis Primus Pontifex Maximus in litteris suis Apostolicis, quas recitat Baronius tom. 9. ad annum Christi 821 Cùm enim idem Paschalis Sanctę Cæciliæ templum, quod vetustate ruinam minabatur, magno studio in meliorem formam construere cœpisset, & fama esset, corpus eiusdem sanctæ Cæciliæ ab Astulpho Longobardorum Rege, hostiliter Romam obsidente, furto esse per eius homines sublatum; Sancta Cæcilia virginali aspectu & habitu decora, Paschali ante confessionem S. Petri, matutinali lucescente Dominica, dum psallentium harmoniam obseruat, sopore grauato apparuit, eumque hortata est, vt suum corpus requireret, & in templo quod reparauerat, reconderet. Cumque Pontifex obijceret, eius corpus à Longobardis sublatum: illa in hæc verba respondit: veritas est, quòd Longobardi me multum desiderauerunt, & quæsierunt, sed gratia Dominæ meæ, semperque Virginis Dei Genitricis Mariæ effecit, quòd nec me inuenire, nec me deportare sicut voluerant, hinc longius potuerunt: hæc illa. Quod ipsum Anastasius Bibliothecarius illorum tēporum scriptor testatum reliquit in codice quodam è Cauensi monasterio accepto apud Baronium loco citato: quod si Deipara hoc erga corpus Sanctæ Cæciliæ præstitit, mirum videri non debet, si corpus latronis egregia erga se pietate addicti, honorificè tumulandum curauerit.

Paschal. Primus Pontif.

Anastas. Bibliothecar. Baronius.

§. 129.

SVrius tomo 2. in vita S. Adelelini die 22. Aprilis hæc narrat. S. Opportuna Virgo, & Monialium Abbatissa cum graui corporis ægritudine teneretur, exacta quadam nocte, vidit B. Cæciliam, & S. Luciam causa visitationis ad se venire, quas cùm vidisset, blando sermone ita salutauit: auete sorores Cæcilia & Lucia, quid præcepit ancillæ

Surius.

Gratia.

Glycas.

ancillæ ſuæ glorioſa Virgo Maria cœleſtis Regina, & omnium Virginum Domina? Reſpondentes ſacræ Virgines Cæcilia & Lucia dixerunt: O ſplendidiſſima ſponſa Chriſti Opportuna, expectat aduentum tuum intacta Virgo Maria, vt filio eius coniungaris in Cœlo, quem totis viſceribus dilexiſti in mundo: ornata corona gloriæ tuæ, & accenſa lampade, debes ire obuiam ſponſo, & ſponſæ. Poſt lætitiam autem tam præclaræ viſionis & viſitationis, dum clerus in exitu ſanctæ illius animæ, & aſtantes ſanctimoniales pſalmos decantarent, & ipſa cum eis decantaret, reſpiciens ad oſtium domus, dixit his qui pſalmos decantabant: Ecce aduenit Domina mea beata Virgo Maria, cui vos commendo, quos in hoc ſeculo amplius non videbo. Extendente autem ea brachia, quaſi Matrem Dei vellet amplexari, ſancta eius anima carne eſt ſoluta, & viuit cum Chriſto per æterna ſæcula. Surius in vita S. Ricchardi Epiſcopi Ciceſtrenſis die 2. Aprilis: Cùm S. Richardus Epiſcopus Ciceſtrenſis morbo eſſet prægrauatus & confectus, illam Pſalmiſtæ vocem: in manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, crebrò iterabat. Ad beatiſſimam quoque Matrem Chriſti, ſemperque Virginem Mariam ſubinde corde ſimul & voce ſe conuertens, aiebat:

Mariæ mater gratia,
Mater miſericordiæ,
Tu nos ab hoſte protege,
Et in hora mortis ſuſcipe.

Mandauitque ſuis cappellanis, vt ea verba ad eius aures pronunciare non ceſſarent, atque ita inter ſuſpiria piæ deuotionis, & verba ſacræ orationis adſtantibus religioſis presbyteris & clericis, laicis quoque fidelibus, B. Richardus animam deinceps in illa beatiſſima ciuitũ ſupernorum victuram ſocietate reddidit creatori. S. Antoninus 3. part. hiſtoriali tit. 23. ca. 14. In hora tranſitus S. Patris Dominici Ordinis Prædicatorum inſtitutoris, adfuit beatiſſima Virgo cũ filio, prout reuelatum fuit cuidam deuoto Priori conuentus Brixienſis, qui dicebatur frater Cicala Longobardus, qui poſtea Brixiæ Epiſcopus fuit: hic enim eadem die & hora, qua S. Pater migrauit è ſæculo, anno ætatis ſuæ quinquageſimo primo, ſcilicet feria ſexta, hora ſexta, leui depreſſus ſomno, poſt orationem vidit interioribus oculis quãdam aperturam in Cœlo, per quam ſubmittebantur candidiſſimæ duæ ſcalæ: ſummitatem vnius ſcalę tenebat in manu B. Virgo Maria, alterius ſummitatem filius eius Ieſus Chriſtus tenebat, Angeli verò diſcurrebant per eas aſcendendo & deſcendendo, & in fine vtriuſque ſcalæ ſedes poſita erat, & vnus ſuper eam ſedens, qui ſimilis erat fratri prædicatori, habens faciem velatam, eunti verſus Ieruſalem cœleſtem: ſcalas autem illas rurſus trahebant Dominus Ieſus cum matre paulatim, & ducebatur ſurſum ſimul cum illis ſcalis ſedes pariter cum ſedente, comitantibus Angelis. Denique receptis in cœlum ſcalis, & ſede cum ſedente, apertura illa clauſa eſt, viſioq; diſparuit. Quapropter ſubitò dictus frater perrexit Bononiam & reperit, quòd illo die, & hora Pater è mundo in cœlum tranſierat.

§. Antonin.

§. 130.

CArdinalis Iacobus de Vitriaco in vita B. Mariæ Oegniacenſis li. 2. ca. 3. apud Surium to. 3 17. Iunij. Religioſa quædam vidua, quæ in S. viduitate diu ſeruierat Domino, & filias ſuas in ſancta virginitate ſponſo cœleſti integras ſeruabat, in Villembroc propè Niuellam in extremis laborabat. Vidit autem hæc noſtra Maria de Oegnes B. Virginem ſanctæ viduæ aſſiſtentem, & quaſi flabellò quodam, caloris æſtum, quo torquebatur, humaniſsimè temperantem. Cùm autem animã illius iam eſſet egreſſura à corpore, turba dæmo-

Iacobus de Vitriaco.

Gratia.

Deuoti
B.V.M.

dæmonum insidiantium, nulli orationum instantiæ cedere voluit, donec clauiger æthereus crucifixi vexillo eos turpiter pudefactos prælio garet. Postquam autem defuncta est, vidit Christi ancilla beatissimam Virginem cum multitudine cœlestium puellarum psallentium, & Deum laudantium, & velut in duos choros distributarum, circa eius corpus versari. Cumque sacerdos pro more exequias celebraret, summus Sacerdos Christus cum sanctorum frequentia officium (vt videbatur) etiam complebat, & mirandum in modum Ecclesia triumphans militanti respondebat. Surius tomo 3. ex Thoma Cantipratensi hęc narrat de Innocentio III. in libro 2. vitæ beatæ Lutgardis Virginis. Dominus Innocentius Papa III. post celebratum Lateranense Concilium ab hac vita migrauit, moxque apparuit visibiliter Lutgardi. Illa autem, vt vidit eum ingenti flamma cinctum, quisnam sit, perconctatur. Respondit, se esse Innocentium Papam. Et illa cum gemitu: quid hoc est, inquit, communem omnium nostrum Patrem tam dirè cruciari? Respõdit ille: tres ob causas ita crucior, quæ etiam æternis supplicijs me iustissimè addixissent, nisi per intercessionem pijssimæ matris Dei, cui monasterium condidi, in extremis me pœnituisset, & æternam quidem mortem euasi, sed pœnis atrocissimis vsque ad iudicij diem cruciabor. Quod autem ad te, suffragia petiturus, venire potui, mihi à suo filio Mater misericordiæ impetrauit. His dictis confestim disparuit. Hactenus ibi.

§. 131.

Auth. Pom. lib. 12. part. vlt. c 4. miracul. 2.

AVctor Pomerij libro 12. part. vlt. cap. 4. miracul 2. hæc his verbis narrat. Quidam miles diues, & in bellis famosus, totus erat deditus corruptionibus fœminarum. Et quia torneamentum debebat fieri in Verona, ad illud pergens cum magno apparatu, in quodam castello vnam pulchram iuuenculam aspiciens, eam concupiuit. Vnde vocato famulo, pecunias magnas illi tradidit, cum quibus parentes iuuenculæ, & ipsam virginem ad illicitum actum induceret. Tunc parentes excæcati manere, filiam inuitam tradiderunt stuprandam. Et quia sabbathum erat, illa Virgo corde deuoto se B. Virgini commendabat. Cumque ploraret, illam miles de nomine interrogauit. At illa ait, quòd vocaretur Maria. Intulit miles: cur ploras? Respondit illa: melius esset mihi mori, quàm turpiter viuere. Nam virginitatem meam Deo & beatæ Mariæ voueram. Tunc Spiritus sanctus tetigit mentem mox militis, & extinxit in eo omnem libidinem, & ait puellæ: quia hodie est sabbathum, dies videlicet Mariæ deputatus, & nomen tuum est ei conforme; nũc te integrè offero sibi, & teste Deo, ad meas sponsas in monasterium Monialium te introducam. Illaque gratias Deo egit, & miles se per omnia continuit ab ipsa, atque in monasterium eam tradidit & collocauit, promittendo Abbatissę multas diuitias, postquam regressus fuerit, se oblaturũ; sed accidit, vt moreretur miles in ipso torneamento. Tunc Abbatissa cœpit puellæ huic improperare ipsius militis fallax promissum: insuper vitium corruptelæ sibi imponere minabatur. Et quia nullum solatium humanum poterat habere, ad beatam Virginem confugit, lachrymabiliter assiduè subsidiũ exorando: cui apparens beata Virgo sic ait: Noli flere filia dilecta; nam miles ille, qui tibi tantam exhibuit gratiam, in fine compunctus, saluatus est, & corpus suum, quia in torneamento mortuum est, in loco non sacro sepultum est. Vade ergo, & dic Abbatissæ, vt ipsum eius corpus ad vestrum cœmeterium sacrum, siue monasterium sepeliendi causa deferri faciat. Et in signũ quòd locuta sim tibi, cùm nunc sit valida hye-

Gratia.

da hyems, rosa pulcherrima reperietur super tumulum eius, cuius radix protenditur vsque ad cor eiusdem militis, eo quòd scilicet ob mei amorem castitati tuæ pepercit. Cumque hæc retulissem, & Abbatissa adhuc credere nollet, reuelato sibi quodam peccato occulto per puellam de mandato B. Virginis Mariæ, tunc contrita, & confessa cum processione illuc pergendo, signum dictum inuenit, & corpus ad cœmeterium transtulit. Sicque Pater, quoniam ipsa gloriosa Virgo Mater ad se confugientibus castitatem illibatam conseruat, & ad ipsam sectandam inducit, honorantibus puritatem finem bonum largitur. Hæc ibi.

§. 132.

Auth. Pome. lib. 12 par. 2. art. 1.

Gratia.

AVthor Pomer. li. 12. par. 2. art. 1. mirabile quoddam exemplum in hunc modum refert. Quoniã manus Domini non est abbreuiata, his etiam nostris temporibus certè acciderunt miracula ad id fidem facientia. Nimirum fide dignis viris qui affuerunt, & viderunt referentibus, didici, quòd, cùm ad partes Transalpinas Imperator Sigismundus bellando accessisset, contigit inibi quendam militem cecidisse. Primus multos ante annos cùm idem Imperator partes ad illas cum exercitu accessisset: ecce omnibus audientibus, vox quasi fletus ac lugubris sibilationibus cœpit insonare. Cumq; cuncti quidnam foret mirarentur, de mandato Imperatoris cœperunt inquirere intra vepres, siluasque, & lucos circumadiacentes. Et ecce reperiunt quoddam cadauer, iacere in quodam rubo putrefactum, adeò quod increscentes iunci, & spinæ veprium, ipsum pertranseundo penetrauerant, & ex illo cadauere sonus ille flebilis audiebatur resonare. Vnde clara voce astantibus, & quid foret conquirentibus, dicit: habetisne presbyterum, cui confitear? afferte mihi, Domini: ego enim iam ante annos principalis in bello Sigismundi Imperatoris miles affui, & in hoc loco pugnæ corrui. Sed quoniam B. Mariæ in vita mea semper deuotè seruiui: ideò eius meritis fauentibus, id mihi à Deo concessum est & donatum misericorditer, ne anima mea à corpore isto iam pænè consumpto & tabefacto dissolueretur, vt damnationem omninò euaderem. Vnde tota anima mea in me tenetur, nec mori possum, donec plenè confitear, quia habeo damnabilia crimina, quæ commiseram: & pro veritate huius confirmanda, mox vt confessus fuero, à flebili sibilo hoc meũ cadauer cessabit: anima dissoluta, quæ vsque modo miraculosè est per Virginem B. retenta. Tunc obtulerunt ei Sacerdotem, & facta confessione & absolutione, mox resoluta anima, vocis illius sonus cessauit, & tunc tam Imperator, quàm omnes qui aderant, Deum & B. Virginem laudauerunt.

§. 133.

Segala.

Gratia.

SEgala Ordinis Minorum in arte mirabili seruiendi Beatæ Virgini, priuilegio quinto commemorat, quòd in Prouincia Burgundiæ erat vir quidam valde nobilis, filiam habens pulchram, quæ deuotioni Deiparæ Virginis addictissima erat, eique suam deuouerat virginitatem. Accidit autem, quòd, cùm quidam ex nobilioribus eius seruis lasciuo caperetur amore, illius Virginis Patre longè absente, ingressus est ad eam sollicitandam, & quamuis illam ante imaginem Deiparæ orantem inuenisset; Veneris flammis exæstuans, à detestabili suo proposito minimè destitit; sed Virginem castissimam multifariam, multisque modis ad sibi consentiendum persuadere curabat: at Virgo audaciam hominis exhorrescens, asperrimis verbis illum à se abiecit, quibus ille ira percitus, minatur Virginem interfecturum, nisi sibi commisceretur. Illa autem plusquam virili ani-

mo eius minas spernens, dixit, se potius mortem subiturum, quàm suam virginitatem violari permissuram; quo audito, ita ille in furorem versus est, vt continuò euaginato gladio, virginem iugularet: ad se autem postea reuersus, enorme quod patrauerat scelus, stupefactus, ne in manus iudicis veniret, ad auunculum suum, qui cuidam Ecclesiæ parochialis Præpositus erat, continuò adijt: inuenit eum sacris vestibus indutum, vt Missam maiorem celebraret, qui lugubri casu audito, monuit eum, vt in tuto loco se collocaret, donec Missam perficeret. Dum hæc autem agerentur, imperio Deiparæ, Angelus caput illius Virginis cum eius corpore copulauit; & ad vitam reuocata, mansit in eius collo signum quoddam, instar aurei fili, totum collum vndique cingēs, & protinus, ab ea audito vltimo pulsu campanæ ad audiendam Missam, vt de more habebat, perrexit. Presbytero verò, vt fieri consueuit, ad Populum conuerso, vt acciperet ab eo oblata, inter alias fœminas virgo illa accessit ad faciendam suam oblationem, quam ille aspiciens, perterritus, phantasma se videre putabat, aut dæmonem sibi velle illudere: finita autem Missa continuò se sacris vestibus expolians, venit in locū, vbi aderat Virgo illa, & ab ea sciscitatus, quomodo res sibi narrata se habuisset, illa totam negocij seriem ad vnguem enarrauit: eam autem deprecante presbytero, vt nepoti suo parceret; illa respondit, quod ad me attinet parco; Deus autem & B. Virgo, quam sibi placuerit, satisfactionem ab eo accipient. tunc reus vocatus fuit, & ad Virginis aspectum in genua procumbens, veniam ab ea postulabat; cui illa dixit, si tu non ingressus fueris Religionem aliquam, vbi de atrocissimis hisce peccatis pœnitentiam agas, prædico tibi ex parte Dei, & B. Virginis, cœlitus in te venturam vindictam experieris. at illo dicente: Ecce adsum paratus Religionem sumere, quā me monueris: ingredere, inquit illa, Ordinem Minorum: ingressus fuit, & honestam vitam in Religione peragens, tandem obdormiuit in Domino.

§. 134.

IN reuelatione Sanctæ Brigittæ lib. 6. capit. 97. narratur de quodam viro illustri, qui grauiter ægrotans sacerdoti confiteri nolebat, pro cuius animæ salute Sancta Brigitta preces ad Christum fundebat, & ad ægrotum, Christi iussa, semel atque iterum suum Confessarium, qui eum ad confessionem inuitaret, misit; sed frustra: Tertio tandem rediit, & Christi nomine ad pœnitentiam hortatus, quòd Christus paratus esset ei ignoscere; tum ægrotus cum insolitis lachrymis diuinitus sibi concessis dicebat, se iam sexagenarium multis sceleribus irretitum Diabolo, qui sæpè ei locutus erat, homagium fecisse, & nunquam sua peccata Sacerdoti confessum, nec sanctissimam Eucharistiam sumpsisse, & iam de salute sua desperasse; sed in spem veniæ ex dictis Sacerdotis verbis, & interiori motione Christi adductus, quater eo die confessus, & sequenti die post confessionem communicauit, & sexto die obijt, de quo Christus Sanctæ Brigittæ dixit, eum ad Purgatorium iuisse propter contritionem, quam illi ex sua benignitate dederat: & propter meritum, inquit, Matris meæ; nam licet homo iste non dilexit eam corde: tamen quia consuetudo sua fuit compati eius dolori, quoties eam considerabat, & audiebat nominare; ideò compendium salutis suæ inuenit, & saluatus erit. hæc in illa reuelatione. Ex quo collige, tenue erga Virginem obsequium, quantum boni præstet hominibus.

In reuelat. S. Brigittæ.

Gratia.

§. 139.

§. 135.

Dionys. Carthus.

Gratia.

NEc silentio inuoluendum est exemplum quoddã Dionysij Carthusiani in serm. 2. de Assumpt. in quo Deiparæ benignitas erga defunctorum animas, in Purgatorio cruciatas, perspicuè cernitur. Duo, inquit, socij erant se inuicem diligentes, quorum vnus circa festum omnium Sanctorum defunctus est; alius verò continuis fletibus se affligens, nihil pro defuncto orauit; cui post festum Natiuitatis Christi, defunctus apparuit, dicens: nihil mihi profeciſti solùm plorando, & quasi improperans ei fletum: Ecce, inquit, Beatissima Virgo Maria singulis annis in festo Natiuitatis Christi, ad Purgatorij loca, cum multitudine Angelorum descendit, & multas inde animas eripit, quoniam in nocte solemnitatis illius, Christum Regem gloriæ peperit: cumque in proxima Natiuitatis Christi solemnitate descenderet, & multas eriperet animas; sperabam, quòd precibus tuis fuisset me etiam eductura, sed non fecit. Verùm quoniam proxima nocte Dominicæ Resurrectionis solet descendere ad Purgatorium pro eductione animarum, eo quòd Christus nocte illa Sanctos de limbo eduxit; rogo, ne cesses pro me cum lachrymis exorare, vt me illa nocte dignetur eripere; & in hoc scies te exauditum, si tibi vltra non apparuero: & quia defunctus ille ad viuẽtem non redijt, creditur per Virginem Gloriosam nocte illa ereptus. Ex hoc quoq; exemplo docentur fideles pro amicis suis defunctis magis orare, quàm flere, nisi pro illorum liberatione fleant, orando. Hæc Carthusianus.

§. 136.

Spinellus.

Gratia.

EX varijs Authoribus refert, quæ sequuntur, Spinellus de Maria Deipara ca. 16. Quo tempore Henricus Imperator, eius nominis IV. ab anno millesimo centesimo vndecimo, in Paschalem secundum Summum Pontificem, propter inuestituras Episcoporum, quas vi ab eo extorquere conatus est, arma suscepit; magnæ clades Orbi, præsertim Germaniæ, Longobardiæ, Populisque Imperio subiectis, qui magna ex parte Imperatori consentiebant, diuinitus sunt illatæ, quas per singulos annos Sigibertus, & is, qui ab anno 1013. eius historiam est prosequutus, commemorant: eas nos breuissimè indicabimus, vt opportunum Deiparæ auxilium magis eniteat. Anno, inquit, 1112. Deo peccatis hominum offenso, multa eueniunt. In Monte Castri loco Ecclesia S. Valdetrudis cum toto pænè oppido arsit, Ecclesia S. Michaelis de periculo maris fulgurata diuinitus arsit, cum ædificijs appendentibus sibi; ita Sigibertus. Sigibertus.

Sed Nauclerus vberius: Tertio, inquit, nonas Ianuarij anno 1112. tantus terræ motus suboritur ante inauditus; nam multæ Ecclesiæ & Ciuitates inde subuersæ sunt. Leodium aquarum vi immensam cladem est passa: visæ sunt sanguineæ nubes, magnum incutientes hominibus terrorem: eodem anno die 3. Ianuarij terræ motus oppidum Rotemburgense, super Neccarum in Suetia, totaliter destructum est, Anno Domini 1113. in pago Bracatensi circa Tornacum nix tanta cecidit 9. Kalend. Maij, vt etiam syluas fregerit. Apud Rauennam, & Parmam in agris, & intra mœnia sanguis etiam cecidit Iunio mense. anno 1117. 3. Idus Decembris ad mediam noctem lucentibus stellis, cœlo sereno, 14. Lunæ eclipsis facta est, & contracto Orbe multis coloribus, sed maximè sanguineo pænè integra hora suffusa est: 13. Kal. Ian. prima hora noctis igneæ acies à Septentrione in Orientem in cœlo apparuerunt, deinde per totum cœlum sparsæ, plurima noctis parte, videntibus, miraculo & stupori fuerunt. Hæc Nauclerus. vbi illud adnotandum, eclipsim hanc, præter omnem naturæ ordinem Nauclerus.

eueniſſe, cùm nonniſi 15. die ex Aſtrologorum demonſtrationibus contingere poſſit. Baronius verò tomo 12. Annalium ad annum 1117. ex Rogerio in Annalibus Anglicanis ſic habet: Apud Lõgobardiam, magno terræ motu facto, & vt teſtati ſunt, qui nouere 40. dierum ſpatio durante, plurima domorum ædificia corruerunt, & quod viſu dictuque conſtat mirabile, villa quædam prægrãdis mota eſt repentè de ſtatu proprio, iamq; ab omnibus in loco longè remoto conſiſtere cernitur. Mediolani viri patritiæ dignitatis, dum de Republica tractantes, ſub vna reſiderent turri, auribus omnium vox foris inſonuit, vnũ ex illis nomine vocans, & feſtinato exire rogans: quo tardante, perſona quædam apparuit, quæ vocatum virum, vt egrederetur, prece obtinuit. Exeunte illo, turris repentè cecidit, & omnes qui ibidem erant, caſu miſerabili oppreſſit. Hæc Rogerius. Cæterùm in tot, tantiſque cladibus in tãta prodigiorum multitudine ac varietate, quæ ingentem, proximamq; Dei vltionem ac Mundi finem adeſſe minitabantur, piiſſima ac beniguiſſima Dei Genitrix, peccatorum Aduocata apud Chriſtum ſummum iudicem, multorumque ſcelerum, quæ in Mundo tunc graſſabatur, iuſtum vindicem ſua interceſsione, ſe veluti murum firmiſsimum oppoſuit: quod quidem grandi miraculo Deus mundo teſtatum eſſe voluit, Authore Dodechino Germano, qui circa hæc tempora vixit, cuius hæc ſunt verba: [Anno 1117. in octaua Sancti Ioannis Euangeliſtæ terræ motus bis inter diem, & noctem tam terribilis per totum Orbem terrarum factus eſt, vt multa ædificia corruerent, & homines vix effugerent: ſed maximè in Italia, vbi tam periculoſus & horribilis fuit, vt manifeſtum Dei iudicium ſuper ſe homines expectarent, cùm per diuerſa loca Italiæ, ciuitates, caſtella, villæ cum hominibus, inibi commorantibus, ſubito hiatu terræ deperirent. Nam & montes ſciſsi ſunt & flumina, terra deglutiente exſiccata ſunt, vt qui vellent, pedibus tranſire poſſent. Nec non fluuius Padus de alueo ſuo ſe erigens, in modum fornicis, in altum ſe extulit, vt via pateret inter aquam & terram, & apertè daretur intelligi, quòd elatis fluctibus mundo exitium minaretur, cum ſic diutius aqua penderet: tandem in ſemetipſam tanto ſonitu demittitur, vt murmur illius per milliaria audiretur. His tam mirandis, tanquam tremendis ſigñis circumquaque diuulgatis, & tribus diebus in ieiunijs & orationibus peractis, apud Cremonam quidam infantulus, in cunis iacens, pannis obſtrictus, in primam loquendi vocem contra naturam os aperuit, matremque ſuam eſcas parantem fratri ſuo maiori, qui plorando panem petiuerat, à corporis curis compeſcuit, aſſerens, ſibi viſam Dei Genitricem Mariam, ante tribunal Chriſti ſtantem, inſtantiſsimisq; precibus pro iudicio, quod mundo propter peccata ſua dare intenderat, ipſi ſupplicantem. ac poſt hæc depoſuit eloquium, vſque ad tempus humanæ conditioni congruum. Hæc autem tanta & tam horribilia mirabilia hi, qui viderunt pericula mortis, vix euaſerunt, & non ſunt compuncti, nec gratias egerunt Deo pro euaſione ſua: qui verò audierunt tam ſtupendum ſignum, non glorificauerunt Deum, ſed indurati in malitijs ſuis maiora peccata prioribus addiderunt. Nam hoc eodem anno multa perpetrata mala, coniurationes iniuſtæ, incendia, homicidia, concremationes Eccleſiarum, & abſtractiones bonorum inibi Deo ſeruientium, ſed maximè in partibus Galliæ, vbi ciues contra ciues conſurgunt, & ſibi non conſentientes capiunt ciuitates, caſtella, domos, villas deſtruunt, incendunt, homines non humano, ſed pecudum more dilaniant atque interimunt. Bis etiam hoc anno eclipſis lunæ facta eſt, ſcilicet 16. Kal.

Baronius. Rogerius.

Dodechin.

Kal. Iulij, & tertio Idus Decembris. Mirabile quoque signum decimo septimo Kal. Ianuarij in cælo apparuit, varijs coloribus permixtum. Hæc ille. Quæ omnia Thomas Bozius de signis Ecclesiæ lib. 24. cap. 5. non minus piè, quàm eruditè persequitur. Cum autem illius ætatis homines minimè resipiscerent, (nam inter alias Henricus IV. anno 1118. Burdinum Antipapam, Gregorium VIII. vocatum, contra Gelasium Secundum Paschalis successorem verum Pontificē erexit) nouis cladibus sunt afflicti, vt videre est in appendice ad Sigebertum; siquidem præter terræmotus, fulmina, & procellas, quæ anno 1118. sæuierunt, Mosa fluuius iuxta Abbatiam, quæ dicitur Sustula, quasi pendens in aere, fundū suum visus est deseruisse. Hæc ibi. Cæterum infantem eo anno locutum memorat etiam Sigonius lib. 10. de Regno Italię ad annum 1117. his verbis: [Tertio nonas Ianuarias, Italia inaudito ante multa sæcula terræmotu concussa est, quippe eius impetu mœnia, templa, turresq; Vrbium passim cum ingenti mortalium strage procubuerunt, fontes turbati, templorum lampades, nullo impellente ventorum flatu, per aerem latæ; præcipuè Parmæ noua Basilica, Veronæ ædificiorum pars maxima corruit. Hiatus item terræ in illis partibus ingentes apparuerunt, & arbores radicitus euulsę sunt. Infans locutus tristia, ac portentosa quædam enunciauit, quin etiam 3. Kal. Februarias tremenda tonitrua, ac fulgura, quæ nulla hominum memineratætas, creberrima immissa grandine, mortalium auribus, oculisque obiecta, rem in eam religionem adduxerunt, vt diræ aliquid calamitatis impendere homines suspensis mentibus pertimescerent; quodq; pauorem animis maiorem incutiebat, eadē prodigia, ac multo tristiora ex Germania nunciabantur. Hæc Sigonius. Atque hæc de visione Deiparæ pro mundo obsecrantis anno 1117. dicta sint. nunc ad reliquas transeamus.

Thomas Bozius.

Gelasius II. Pont.

Sigonius.

§ 137.

CAesarius Ordinis Cistercienſis, qui anno Domini 1222. insigne opus de miraculis conscribebat in lib. 7. cap. 2. narrat in quadam Ecclesia suæ Prouinciæ suo tempore dum populus sacrosanctæ missæ sacrificio interesset, Dei genitricis imaginem tam vehementer sudasse, vt omnes mirarentur, & sudoris guttę matronarum peplis extergerentur: qua de re interrogatus quidam à dęmone obsessus, hoc respondit. Quid statis, inquit, mirātes? filius Mariæ manum extenderat ad feriendum, quam si ipsa non tenuisset, mundus iam minimè subsisteret: ecce hæc est causa sudoris. & audientes omnes territi sunt. Hæc ibi. Idem Cæsarius lib 12. miraculorum cap. 58. scribit, accepisse se ab Abbatibus Cistercienſibus, ex Capitulo generali reuertentibus eodem anno, quo hæc scribebat, Vuilhelmum quemdam Monachum Ordinis Cistercienſis, in Claraualle (cui multa diuinitus reuelabantur) dum oraret, raptum in mentis excessu ad Christi tribunal, ad cuius dexteram Angelus cum tuba stabat, qui iussus est à Christo clangere, eiusq; sonitu mundus totus non secus, ac folium in arbore contremuit, cumque secundo clangere iuberetur, Mater misericordiæ Deipara, sciens, si secundo tuba Angelus insonaret, Mundum consummandum, cæteris Sanctis tacentibus, surgēs, ad Christi pedes accidit, & vt sentētiam differret, ac Mundo parceret, enixius orabat. At Christus Dominus, Mundum adeò in maligno positum dicebat, vt & laici, & Ecclesiastici, tum Clerici, tum Monachi suis peccatis eum irritatent; ideoque sententiam differendam non esse. At Virgo Mater sanctissima instabat, vt parceret saltem propter Cistercienses suos deuotos. hæc Cæsarius. His consonat visio illa, quæ per quietem obiecta est cuidam nouitio ex Ordine Prædicatorum Spoleti, quam refert S. Antoni-

Cæsarium.

Idem.

S. Antonin.

nus 3. par. histor. tit. 23. cap. 5. §. 3. Videbatur enim sibi videre Christum tanquam iratum, in maiestate sedentem, in alia verò sede collocatam Virginē gloriosam, quibus innumerabilis Angelorum, & Sanctorum multitudo aderat: cumque Christus præcepisset legi bona Mundi, quæ quidem inuenta sunt pauca, similiter & legi mala, quæ præ nimia multitudine audire fastidiuit; subito (inquit Sanctus Antoninus) totum Mundum, tanquam pallam vnam, Christus furiosè arripuit, eumq; inferius cum impetu magno proijciens, dixit: Cum iudicatur, exeat condemnatus. Quod cum prædictus nouitius tremebundus aspiceret, voce magna exclamauit, dicens: Sancta Maria succurre miseris. Ad cuius voces protinus pia Virgo Maria surrexit, & proiectum Mundum, propria manu recollegit, & dixit: Sine fili Mundum, quem proprio sanguine redemisti, adhuc iudicare, quia iam misi Prædicatores meos, vt Mundum ad te reuocarent. Hæc S. Antoninus, qui etiam addit, ad vocem illius nouitij terræ motum subsecutum fuisse in ea Vrbe, ita vt plurima ædificia corruerint, & homines, & mulieres ea nocte de ciuitate exierint, & Fratres ad vocem illius accurrentes, eum penitus quasi insensibilem, inuenerunt: quam visionem magistro suo in hora mortis narrauit, & in ipso nouitiatu in magno spiritus feruore, animam Deo reddidit. Hæc ex S. Antonino.

§. 138.

Idem S. Antoninus.

IDem S. Antoninus 4. par. summę tit. 15. c. 2. refert admirabilem quandam Deiparę apparitionem, qua Orbi terrarum periclitanti, ac summopere laboranti subuenisse se perspicuè declarauit: cum enim anno Domini 1399. Christus Dominus, propter hominum scelera, vniuersum terrarum Orbem, in tres partes dissectum, quasi delere in animum induxisset, in cuius rei signum iusserat quendam rusticum tres panes, quos habebat, in fontem immergere, Virgo sanctissima in speciem venerabilis cuiusdā matronæ ei se ostendit ad fontem illum, prohibuitque quo minus eos immergeret. verum ille iterum, ac tertiò redijt ad Christum, à quo demergere illos iubebatur: tandem vno in aquam demerso, reliquos, iussu Virginis, reseruauit, quæ nimirum suis precibus, filium à suscepto consilio, sententiaq; dimouerat: mox rei totius significationem, rustico aperuit, eiq; mandauit, vt ad filij iram mitigandam, vbique supplicationes instituerentur ab hominibus, candidis lineis indutis, & vt omnes è peccatorum cęno per pœnitentiam emergerent, atque ad bonam se frugem reciperent. quod cum ille vbique euulgasset, tantus animorum consecutus est motus, tanta morum, vitæque mutatio, vt idem S. Antoninus 3 par. hist. tit. 22. cap. 3. §. 32. fusè illam referat: narrat enim omnes mares, & fœminas, laicos, clericos, & Religiosos huiusmodi supplicationes instituisse, ieiunijs, & precibus, per eos dies vacasse, dissidentium animos reconciliatos, sacræ Confessionis, & Eucharistiæ sacramenta crebrius vsurpata, & similia pietatis signa edita; additque rem fuisse prorsus mirandam, & quasi incredibilem: Nisi (inquit) oculis nostris vidissemus. Verā porrò fuisse hanc visionem fructus animorum ex illa cōsecutus, quo homines ad imminentem mortem præparārētur, declarauit: anno enim sequenti, qui fuit 1400. pestis vbique grassata, tertiam ferè hominum partem absumpsisse dicitur. Hæc S. Antoninus.

Gratia.

§. 139.

Cæsarius.

CAesarius Monachus in valle S. Petri. Beatissimam Virginē Mariam tātopere dilexit Engelbertus Colonienſis, Archiepiscopus vt ad eius laudem quartis quibusque ferijs ie-

Gratia.

iuna-

iunaret, & cum iam esset electus Antistes, negotijs impediri non potuit, quominus ædem Virgini sacram in sublimi rupe sitam (Amatoris saxum vulgus appellabat) amoris diuini flammis incensus inuiseret. Religiosis hominibus tantum honorem habebat, vt longè apparentibus, quamuis ignotis, assurgeret, quos ipsos ita alloquebatur verecundè, vt eorum famulus esse videretur. Sacerdotes egenos de sua scutella sorbere, de patina edere, deque poculo bibere vel repugnantes, inuitosque cogebat. Qui enim Beatissimæ Virginis verus, & perfectus est cultor, in eo humilitatem excelsam inuenire necesse est, prægrandemque virtutem, cuius fuit magistra Deipara.

§. 140.

Iacobus Vitriac. Card. Episc.

IAcobus Vitriacus Cardinalis Episcopus multæ doctrinę, de vita huius Mariæ refert. Maria Virginis templum, ad duo milliaria dissitum Oegniacensis Maria nudis pedibus, sæuissima rigente hyeme, quotānis inuisebat. Quod iter flexuosum, ac difficile, sibique ignotum, vna ancilla comite, sine vllo errore, præuio diuino lumine, fecisse dicitur. Et quidem illo peregrinationis die, nihil cibi degustabat: vbi peruenisset eò, totā noctem in ęde Virginis vigil & precās exigebat. Die postero ad vesperam ieiuna perstabat. Reuertebatur domum, nullo neque incommodo corporis, neque itineris de via deflexit, reducentibus eam Angelis, quod credere par est, ac dextra, læuaque cingentibus. Quod si fortè pluuia impenderet, vestisque nulla suppeteret, quæ imbres posset excipere, in cælum suspiciens, stellas quasdam videbat, quasi morigeras, quibus pluuiam auertentibus, inter effusos imbres, siccis vestibus, & pluuia intactis, ad proprias ædes remigrabat: intra lucis, tenebrarumque decursum, quo naturalis diei spatium, orbisque conficitur millies, & centies genua inflectens, Virginem salutabat. Deinde psalterium totum stans perlegebat, & ad singulos psalmos, plicatis genibus, Beatissimę Virgini salutationem Angelicam offerebat. Religiosę cuidam viduę ægrotanti, Beatissimam Dei Matrem assidentem vidit, & quasi flabello, caloris æstum, quo fatigabatur, humanissimè refrigerantem. Cumque ex huius ipsius viduę infirmissimo corpore anima felix exisset, eandem Dei Matrem vidit, stipatam virginibus, quæ in choros diuisos psallebant, & corpus circumitabant, exequias celebrantem, mortalique presbytero, viduæ funus faciente, summum quoque sacerdotem Christum, cum cæleſtium comitatu, eidem viduæ parentantem aspexit, militanti huic nostræ Ecclesiæ consonante illa, quæ gloriosa in cælo triumphat. Quidam sacerdos, à medicis desperatus, ad Oegniacensis Mariæ preces confugerat, ipsaque nocte in somnis videre sibi visus est presbyter ille Dei Matrem ad se venientem, qua recedente, conualuit. Pro quodam concionatore, quem in tanto, talique munere perfectum esse cupiebat, Deum, Beatissimamque Virginem aliquot diebus precabatur, illoque ipso, verba ad populum faciente, Dei hæc ancilla, domi suę, centenas salutationes dicebat Angelicas. Morti vicina triduum, clara, contētaq; voce cantare non intermisit, atque Deiparæ, Angelorum, & cælitum cæterorum laudes, cygnea voce modulari. Quin & sancta sensa Scripturæ cum numero, & metro canebat, neque, dum sententia occurreret, carmenve metrica lege concluderet, expectabat. Omnia tum composita, tum disposita in mentem veniebant, optimorumq; versuum ingentem numerum fundebat ex tempore. Fuitque triduanus hic cantus, neque diebus, neque noctibus interruptus, perpetuæ in cælo modulationis initium.

Gratia.

§. 141.

Surius.

Gratia.

SVr. de vitis SS. Mensis Maij. Annũ gerens ætatis suæ tertium, matrem Bernardinus amisit: cũ pater Tollus, & Diana matertera, pro ætatulæ illius captu, bonis moribus informabant, inque tenerrimi pueri animo, sacrosanctę Virginis pietatem, & religionem inserere conabantur. Cum vero triennio post & ipse pater obijsset, Diana vtriusque parentis curam munusque supplenit, orbumque puerum religiosissimis præceptis, ac monitis erudiuit, vtq; sanctissimam Dei matrem intimo amore diligeret, totisque viribus honoraret, ac coleret, hortari nõ destitit. Monita Bernardinus haud surdis accepit auribus, & Virginem sacratissimam religione coluit singulari. Cuius imaginem, quæ extra Senensis vrbis portam nomine Camolliã insigni pictura fulgebat, diebus singulis inuisens, beatissimæ Angelorum Reginæ feruentissimis se precibus cõmendabat. Eius amore se captum dicebat, in ea proximè, & secundum prępotentem Deum spem omnem, atque fiduciam collocabat, illam se quærere, optare, expetere, & quam in terris videre non posset, desiderij leniendi causa, eius effigiem frequenter visitare. Huius historiæ scriptor Bernardinus apud Suriũ de cõcionante Bernardino narrat se audiuisse, cum diceret: Ego Bernardinus beatissimę Virgini me totum ab ineunte ætate deuoui, in eius natalitijs ferijs natus, baptizatus sum: illo ipso recurrente die monasticum habitũ, completis annis legitimæ ætatis, indui, ac me anno post solemni diui Francisci instituti professione deuinxi, in ijsdem nascentis Virginis ferijs immaculati agni hostiam ad altare sacrificij incruenti primitijs immolaui: multis igitur nominibus, sedulum Virginis me oportet esse cultorem. Negat hic idem Bernardinus Bernardini historicus, quendam se audiuisse, qui de beata Virgine, ac Dei parente, libentius, alacrius, ardentius, copiosius, eruditius, ac sæpius pro concione differeret: castitatis diligentissima, custodia declarauit, cuius tuendæ causa matronę restitit in abdito, ac secreto loco vehementer instanti, & ni pareat, vociferaturam, vimque sibi ab eo parari clamaturam, minitanti, sed auxilio tamen, subsidioque Virginis, ita se Bernardinus gessit, vt & laqueo pedem solueret, & insidianti, insanientique fœminæ, seque turpiter venditanti, mederetur.

§. 142.

PEtrus Ribad. lib. 3. cap. 17. de vita huius Iacobi. Cum in sacro Tridẽtino Concilio quęsitio illa grauissima de originali peccato, cuius expers fuit Virgo sanctissima, agitari cœpta esset, Iacobus Lainus Soc. Iesu Antistes, seu Præpositus generalis, & ex Romani Pontificis doctoribus vnus sententiam rogatus, quòd eum quartana febris grauiter angeret, pro argumenti dignitate loqui se posse negat, sed tamen suam vtcumque dicturum esse sententiam pollicetur, & quã breuissimè propter morbi molestiam loquuturum. Itaq; in suggestum ascendit, sed pręter spem, & opinionem firmis lateribus agit, tresque integras horas in Virginis defensione cõsumit, quam ab omni originis vitiatæ labe puram fuisse exquisitis testimonijs rationibusque disseruit: in ipso autem orationis suæ fine robustiorem se sensit, quam cum exorsus esset dicere. Eam ille in tanta morbi grauitate fortitudinem clementissimæ Dei matri referebat acceptam, pro cuius immunitate pugnauisset. Quamobrem sancta Synodus, facerque ille orbis terrę senatus, persuadente potissimum Laino, honorifica illa, de Virgine concepta decreuit, & Sixti IV. constitutionem confirmauit.

Petrus Rib. lib. 3. cap. 17. de vita huius Iacobi.

Gratia.

§. 143.

§. 143.

Greg. Turo. Gratia. GReg. Tur. Episcop. lib. in honorem plurimorum martyrum. Famæ, & inopiæ prouidet Deipara, atque huius vitæ bona suppeditat, Hierosolymis monasterium fuit beatissimæ Virginis nomini, tutelæque denotum, &c. Imperatorum liberalitate clarum. Sed rerum tamen, ac temporum mutatione factum est, vt monachis non modo hospitibus, & peregrinis necessaria deessent; id cum semel atque iterum accidisset cœnobitæ sunt facti tristiores. nam penuria mœrorem, mœror querimoniam querimonia vociferationem peperit, religiosis moribus alienam: ergo ad Abbatem cucurritur ab eo cibos exigunt tumultuosius, quàm deceret, & famem extremamque exuriem vultu, & voce testantur: aut prouide, inquiunt, aut si non potes, quemque nostrum egredi sinito, vt alius alibi ad vitam alendam cibaria perquirat. Minas admonitionibus iungunt, ac se, ni fores laxet, Abbate inconsulto, recessuros denunciant: necessitatis imminentis, vt priora, sic etiam potiora esse iura debere labenti naturæ in primis esse occurrendum, frustra disciplinam requiri, vbi discrimen est vitæ. Desperantibus, atque ex famis rabie, quæ malorum extremum est, insanientibus, bonus Abbas, ita respondet: oremus, precemurque charissimi, & dominator ille summus accurret; neque enim fieri poterit, vt nos triticum in eius monasterio deficiat, quæ mundo pereunte vitale granum ex vtero protulit virginali. Vigilantibus ex præscripto Abbatis, ac tota nocte psallentibus, mane horrea monasterij vsque adeo tritico redundarunt, vix vt ostium aperiri granarij posset. Longè post tempore cum eiusdem cœnobij incolas similiter cibus defecisset, preces, & vigilias Abbas indixit, cūque in templi Virginei pauimento strato, noctem in precibus, hymnis, & canticis exegissent, post matutinas precationes, & religiosas excubias fessi fatigatique dormissent, ecce ibi Dei Angelus vim auri ingentem super altare constituit, templi foribus obseratis. Cum autē Abbas ad sacrificium celebrandum cum suis omnibus surrexisset, aurumq; vidisset, num quis esset ingressus è ianitore quæsiuit: negat ianitor templum cuiquā externo patuisse: quo audito, creditoque (erat custos ipse liminis sacri fide dignissimus) Abbas stupore detētus est, & monachi vehementer admirati, cælestequè munus, & in extrema inopia tale subsidium agnoscentes, Deo, ac Deiparę ingentes gratias agunt, habēt maiores, seq; perbeatos arbitrantur, quibus monasterij patrona talis obtigisset.

§. 144.

Surius de vita Sancto. Gratia. SVrius de vita Sanct. Quinque, & viginti annos Albertus Cuspiniensis cœnobij monachus in sua cella permansit, ex quibus viginti duos sine pane traduxit, herbis, radicibusque cōtentus, viginti nullum omnino potum degustauit. Reijciendi panis occasio hęc fuit. Ex perpetuis imbribus tanta aliquando, tamq; metuenda tempestas intumuit, vt in cellula Albertus velut obsessus teneretur, cumque ad eum alendū pascendumq; continentibus pluuijs penetrare nemo posset, Alberti animus dupliciter angebatur, & quòd panis deesset vitæ alimentum, & quòd rem diuinam audire non posset, & panem de cælo missum adorare nequiret. Quamobrem beatissimam, sempiternamq; Virginem Mariam nocte quadam anxius, & mœstus appellauit, vtque sibi in tantum adducto discrimen subueniret, supplex, humiq; stratus orauit. Dumque fusis animo precibus fessus, ac tristis obdormisset, ecce per visū adest benefica mater cū Virginibus pulcherrimis, quas tamen cęli Regina, & forma, & proceritate vincebat. Fœminas vt vidit, humana

erudelitate ductus: Si vos, inquit, præsensissem, ex monasterio repulissem: indignantem, & quòd introgredi ausæ essent, acriter obiurgantem, diuina mater interpellat: desine frustrà moueri, ego sum Dei genitrix, quam tam amanter inuocasti, quid me igitur vis? cui ille: succurre mater in his, quibus me vides egere. Hoc audito, misericordiæ, & benignitatis fons, ex fonte Christo, Deipara, panē in os Alberti porrexit, quo ita recreatus, refectusque est, vt domesticum hunc panem, quo viuimus, nunquam deinceps requisierit, illa etiam de sacris non auditis, quæ animum angebat, consolante Virgine, cura consedit. Rei diuinæ diebus festis audiendæ necessitatem tēporibus metiendam, & casibus eam tolli repentinis: qui si incidant curandum esse, vt vitæ sanctitas quoddam sit altaris ac missæ supplementum. Albertum ita viuere debere, vt eius actiones quædam esse sacra videantur. Virginis & ante, & post hoc beneficium studiosus venerator Albertus centenis genuflexionibus diebus singulis vtebatur. Quoties autem genua curuabat, toties salutationem Angelicam vultu ad pietatem, religionemque composito proferebat.

§. 145.

Greg. presb. GRegorius presbyter in vita, quā de suo magistro Theodoro scripsit, narrat. Mirabilem Theodorum, Archimādritam (idest eorum præfectum monachorum, qui in speluncis habitabant) quo mundus erat indignus, perditissimi quidam veneno perimere statuerunt: quo ille imprudenter epoto, triduum sine sensu iacuit, ita vt de eius morte rumor increbresceret, quæ inimicis lætitię, amicis numero pluribus, sententia melioribus, mœroris ingētis causam erat allatura. Extremo die tertio, exanimi Theodoro Beatissima Dei mater apparuit, quæ sceleratissimis, insidiosissimisq; parricidis exitium comminata, Theodoro à mortis faucibus ad vitam reuocato, & morbi causam, & veneni authores patefecit, vt eos vel vitaret, si nocere persisterent, vel resipiscentes, flagitijque pertæsos, ad saniora consilia traduceret; quin etiam terna Theodoro aduersus toxicum medicamenta porrexit, quibus quasi pilulis affectam bilem perpurgaret, concedè, inquiens, & nihil mali residebit in venis, quod te magnopere turbare queat. Theodorus mortifero somno solutus grates egit seruatori Christo, atque eius parenti funestæ ægritudinis curatrici. Amicis, qui gratulatum deinde venerant, deliquij causam, morbique detexit. Venenī tamen spargendi artifices nequaquam nominauit, quos vt vlciscereturtantum abfuit, vt eorum potius salutem assiduis precibus immortali Deo commendarit. Tales enim vel esse, vel fieri necesse est, quibus se Dei benignissima Mater ostendit; quam Theodorus & ante, & post hanc mirabilem sanitatem summis colebat honoribus, in eiusque vel monasterio, vel oratorio, quantum poterat, morabatur quos autem curasset, vel curaturus esset, in Mariæ Virginis sacello preces fundere iubebat, & gratulabundos permanere: & cum aliquando quadragesimam in Deiparæ monasterio suo more traduceret, Monachus nomine Dionysius horrei custos ad eum venit mœstus, quod triticum defecisset, cui Theodorus, farinæ inquit reliquias in vasculum coniectas, atque collectas affer ad me: facit extemplo. Tum Theodorus, animaduersa ciborum paucitate, precatus est Deum, vt & monachis, & hospitibus, qui plurimi conuenire solebant, (agebantur ramorum feriæ, quas externi frequentabant) præbere dignaretur annonam. Deinde ad Dionysium conuersus, farinæ, inquit, vasculum super altare sanctissimæ Virginis ponito, Deus nobis (remitte istam curam de pectore) suppeditabit alimenta. Postridie.

die quàm hæc Theodorus prædixerat, triginta Cypreæ naues onustæ frumento ad monasterium appulerunt. Eidem Sozopolitanam Mariæ Virginis ædem ingressuro, vbi diuino munere oleum ex sanctissimæ Dei parentis manabat imagine, dæmon ex energumeni paralytici ore conuitia querelis mista iactabat Ille, dæmone obiurgato, paralyticum in ipso templi aditu, & signo crucis, & oratione sanauit. Post in celeberrimam Christi matris ædem intrauit, olei fluentis fama pernobilem: ibi manibus in crucis figuram expãsis, suas sacrosanctæ Virgini preces suppliciter offerebat, & in salutari, atq; oliuifera Dei Matris imagine oculorum aciem defigebat, cum repente oleum effernescens, in Theodori oculos iaculando resiluit, orantisque faciem, luminaque conspersit, ijs, qui viderant, acclamantibus, magnum Dei esse seruum Theodorum.

§. 146.

Pratum spirituale c 27.

Gratia.

PRatum spirituale cap. 27. Alexandrinus quidam ciuis priscis illis temporibus vixit, qui pietate erga Deum, beneficentia aduersus egentes, maximè præstitit. Idem monachos hospitio accipiebat, benigneque tractabat. Erat huic vxor cum alijs virtutibus, tum vel maximè Christiana modestia, & quotidiano clara ieiunio. Habebat filiam sexennem dulce pignus amborum, communeque vinculum Et cum Constantinopolim negotiandi causa marito necessarium iter instaret, quo expeditior esset, domi vxorem relinquit, & filiam, ijs tamen seruum adhibuit, qui domestico famulatu suæ dominæ solitudinem redderet leuiorem. Conscensa iã naue, discedentem maritum vxor blande compellans: Cui nos, inquit, amice commendas, Dominę nostræ, excipit ille, Deiparæque sanctissimæ te, & filiam tuam supplex, gemensq; commisi, secura esto, nihil mali patiere. Interim non longo interuallo, cum die quadam pia coniux de more quieta sederet, & manibus laboraret, ipsaque adesset matri puellula, nequã ille seruus, dęmone subdẽte, faces in animum induxit matrem, & filiam pernecare, compilataq; domo, aufugere. igitur, sumpto ex culina cultro, se ad matris, & filiæ secretũ conclaue proripuit. Vt autẽ ianuam eius cubiculi, vbi erat hera, subijt, subita cęcitate impeditur, quominus & in matris, & filię recessum penetret, & ad culinã reuertatur. Cumq; horã perstitisset, ac frustra pedẽ inferre conatus esset, heram vocat, vtq; gradum acceleret, incunctanter exclamat: illa, quòd tandiu in ostio consisteret admirata, cæcitatisq; insscia, tu potius accede, respondet. Miser seruus suũ illud, veni hera, congeminat, & Dominam graui obtestatione compellat, illa se iterum surrecturam pernegat, seruus religiosis obsecrationibus Dominam vti accedat, vrgere persistit, iurat matrona, sui se fore persimilem, insolentia, ac nouitate offensa. Saltem huc mitte puellam: nequaquam, sed ipse veni, si quid fortè opus est, vel ista in insueto otio effutire desinito. Seruus vbi nihil profici videt, cultro se percutit, & cadit vulneratus: exclamat, vociferaturque matrona, facinore exterrita, cuius præsaga non fuerat: accurritur partim à vicinis partim ab ipsis vrbani prætoris ministris. Qui cum de seruo expirante rem omnem comperissent, Deum immortalem summis laudum præconijs extulerunt, qui matrem, & filiam Deiparæ concreditas, atque commissas seruauisset.

§. 147.

Ioã. Euirat.

Gratia.

IOannes Euiratus in prato spirituali, cap. 62. Monachorum pater Leontius, sanctæ Dei genitricis obsequio deditissimus, annos quadraginta ab eius nunquam templo recessit, constantiam, & pietatem remune-

rante Deipara: fuit enim miræ grauitatis,& sui custodia persistens, quas virtutes mira quædam modestia condiebat. Nam erga egentes misericors, qui & pauper esset, & cæcus ei eleemosynam porrigebat: sin autem,qui egebat,oculis captus non esset, stipem in loco ponebat, vnde inops acciperet, visamque desumeret, videlicet, aut in scamno, aut in basi ipsa columnæ, aut in sacelli gradibus propalam collocabat. Interrogatus à quodam sene, cur non sua manu esset misericors, respondit non esse, qui daret, sed Virginem templi patronam, egenorumque fautricem: ita gloriæ illius contemptor fuit, quam bene merēdo homines consequuntur,& Virginem honorauit, cui, quod dabatur,attribuit. Etenim Deiparæ laudem quærebat, spectabatque Leontius, à qua virtutibus ornabatur.

§. 148.

Honor. ser. 1. de assump.

Gratia.

HOnorius sermone 1. de assumptione, Petrus Damianus sermone 1. de Natiuitate Virginis. Iustiniano Imperante, Theophilus floruit Ecclesiæ œconomus, vel vt alij, Archidiaconus Adonæ vrbis in Sicilia, cuius tāta erat vel gratia, vel sāctitas, vt mortuo vrbis illius Episcopo, populi vniuersi consensu ad Pontificatū sit Theophilus postulatus, quod tamen ille munus constantissimè repudiauit, negans eum se esse, qui Ecclesiam gubernare posset, & gregi commisso cōmodè prouidere: & quoniam virtutis, & quæ virtutē, velut vmbra corpus, sequitur glorię comes, solet esse inuidia, Theophilus ab inimicis, & aduersarijs iniustè accusatus, & falsis criminibus circumuentus, de illo est œconomię deiectus officio, quē dignum Episcopatu paulo ante populus iudicasset. Theophilus nō tulit iniuriā, quā Christi, & sanctorum exemplo ferre debuisset, in eamq; efferati animi rabiē, impotentiamq; deuenit, vt hortante quodā Iudæo magiæ dedito, à Christo, eiusq; Matre purissima, syngrapha data, defecerit,& sacrosanctæ fidei Catholicæ desertorem publicum egerit, ac se totū imperio Sathanæ deuouerit, quem Sathanam oculis vidit perfidiosis, quem diximus Iudæi artibus excitum,& nefarijs cantionibus euocatum. quid agat miser Theophilus, quōdam tam fortis, & abstinens, thiaræq; pontificiæ contēptor, nūc in imum miseriæ fundum, barathrumq; deiectus? æstuat, furit, insanit, nullo in loco consistit: in tantis angoribus, tantaque animi perturbatione nubilo cælo conserenante, paulisper ad Dei Matrem confugere statuit, quæ desperatissimis quibusque morbis, ac malis mederi cōsueuit. Vbi in templū Mariæ perpetuę virgini sacrum intrauit, ieiunijs corpus attriuit, misericordiæque parenti preces obtulit, animo cœpit esse meliore. Verba hęc fecere Theophili deplorantis, flagitium agnoscētis, & Virginem appellantis: Domina mea, solatiū meum, spes vnica mea, cui Angelus benedixit, humani tutela generis, & omniū, quotquot ad te confugiunt, portus, & anchora, fave, succurre subueni, meq; omnium, quos terra tulit longè deterrimum miserare: scio equidem, quanto me facinore obstrinxerim, qualem & tibi,& ex te genito filio iniuriam intulerim, grauissimi, deterrimiq; sceleris reum me esse confiteor, sed intimo animi sensu dolentem, gementem, perfidiā execrantem Deipara suscipe, tuo me filio siste, vbi conseruatoris mei Christi iratum animum ad beneuolentiam, lenitatemque deduxeris, qui nunquam finit se à tua matre frustra exorari: miserrimi Theophili preces exaudi, quē veterator premit antiquus, tenet captiuū. Flet eiulatque detestandi fœderis recordatione Theophilus, querelis omnia compler, atque suspirijs, faciem verberat, humi cubat,& in virginei templi ieiunus hæret pauimento, ad Dei parentis conuersus effigiem, te, inquit, mater alma,

alma, quam ista nobis proponit imago, te proximè, & secundum Deum adiutricem & aduocatam, qui peccauimus, habemus, ad te aspiciens intacta illa seruabo atque integra, quæ tibi vota nuncupo: neque enim post Deum remedium quæri potest aliundè, nisi à te, quæ sola restas, vt nobis sis saluti, quos angit sceleris conscientia grauissimi. In hac Virginis æde sanctissimæ dies Theophilus quadraginta permansit, nullumq; orandi, lamentandi, patrocinium quæ Mariæ Virginis implorandi finem faciebat. Tandem verberum, precationis, ieiunij perseuerantisque fiduciæ fructus apparuit. Nam Theophili lachrymosæ preces, ita Virginem exorarunt, vt nefarium illud chirographum, quod sua manu Theophilus exararat, sigillo consignarat, dæmoniq; tradiderat, de manu deceptoris extortum, Virgine adiuuante receperit, metumque posuerit: tabellis namque, vt aiunt, obsignatis cum Theophilo agere, & eum chirographo conuincere tenebricosus iam ille non poterat; posteaquam ad Theophilum scheda rediuit, in qua fidei horribilis, nefariaq; inficiatio legebatur. Cumque animi verè pœnitentis documenta dedisset, & per Episcopum reconciliatus esset Ecclesiæ, eo sanctitatis, celsitudinisque peruenit, vt in Sanctorum numerũ relatus adscriptusque sit.

§. 149.

Tho. Camp. Gratia.

THom. Campensis libro de vita Luberti huius. Cùm pestilentia in Belgio quàm plurimos strauisset Dei permissu, etiam Lubertum virum doctum & pium Deiparæ Virginis amatorem vulnerauit: ille qua erat pietate & religione se se comparat ad bene & beate moriendum, litterasque ad amicos dat hortans, vt ad expiatorium ignem gurgantesque illas flammas proficiscenti, sibi subueniant: sacrificia, precesque pro mortuis & priuata orandi, placandique Dei officia popposcit, nihilque omittit ex ijs, quæ iter illud facientibus salutaria esse & opportuna solent. Fratres suos & conuictores domesticos aduocauit, quibus astantibus, proerratorum venia in genua procumbens, supplicauit, si quid offendisset, sibi ab eo, qui læsus aut esset, aut sibi videretur offensus, remitti postulauit: à publica scelerum & confessione, & enumeratione, quæ videlicet, antequam se in religiosam disciplinam dedit, in libero mundo & perfidæ ætatis æstu commiserat, minimè temperauit, fratresq; suos ad fletus & lachrymas tanto, tamque insolito demissionis exemplo permouit. Florentio suo in Christo patri, & veræ magistro philosophiæ, qui tum forte aberat, se per litteras commendauit, quas sui accusationibus, criminationibus, conuitijsque compleuit. Quid ego membrorum debilitatem, animi angores, in tam dira luce morbi, cruciamenta, horrores & spectra commemorem? Nam diabolus sub persona cuiusdam fratris & collegæ, qui paulò ante è vita migrarat, in varios errores Lubertum inducere conabatur. At Lubertus in re tali sanctissimam Dei matrem, cui erat deditissimus, frequenter implorabat, Hieronymum etiam, Papamque Gregorium, quos intimis amabat affectibus, quosque inde à pueritia patronos elegerat, sibi adesse petiuit. Instat dæmon terrimus, inque vno Deo spem omnem defigi oportere, Mariam, cæterosq; cœlites inuocari non debere, ad morientis aurem insusurrat, Psalmorumque vocalem vsum, quo se moriens recreabat, Lutheri pater, & mendaciorum architectus dissuadet. Quæ de Virgine Maria, de sanctis, deque Psalmorum interdicto impudentissimè mentitus est dæmon, Lubertus minimè tulit, qualemq; consiliarium nactus esset, ex proteruitate verborum intellexit, veteratoreq; cum conuitijs repulso, à Dauidicorum versuum pronunciatione non destitit. Vir-

ginem Virginum, cuius erat amantissimus, multò inclamauit ardentius: Hieronymum, & Gregorium appellauit alacrius. Tempestatem sequuta tranquillitas est, & beatissimæ Matris, quod expetierat, sensit auxilium, mortisq; posito metu, cupiebat dissolui & esse cum Christo. Cumque hora iam appropinquasset, quam vehementer optauerat, se ipse erexit, nemine fulciente, manusque supplices tendens, illa exclamauit: in gloria, in bonitate tua, in misericordia suscipe: mirabiliaque se vidisse professus (Mariam credo adiutricem, tutoresq; Angelos) coram suis fratribus animam emisit, & in Domino feliciter obdormiuit.

§. 150.

Platus de bono statu religiosi li. 2. cap. 33.

Gratia.

Hieron. Platus de bon. stat. relig. lib. 2. cap. 33. Magnus etiam fuit per ea tempora Hermannus, cognomento contractus, cuius doctrina eo admirabilior fuit, quòd etiam insigni miraculo adeptus est: ita enim scriptum est, hunc in Sueuia ex nobili Comite ortum, ab ineunte ætate omnibus membris captum fuisse, atque ob eam causam nomen illud, quod diximus, contracti accepisse, quare cùm monachus factus esset, multis precibus Beatam Virginem rogare instituit, vt se eo morbo liberaret. Illa verò clara luce sei visendam præbens, optionem obtulit, vtrum è duobus mallet, sanus ne fieri, sed vt erat rudis, & indoctus permanere, an perseuerare in morbo, & in omnibus scientijs insignis euadere. Cùm autem Hermannus, vt debebat, hoc posterius prætulisset, ab eo tempore mirabiles progressus in omni genere litterarum facere cœpit, adeò vt neminem in his superiorem, etiam æqualem habere crederetur, ac nominatim tres linguas, Latinam, Græcam, Hebraicam ita calleret, ac si in eis natus esset. Itaque etiam illud additur, valdè eum semper deuotum fuisse Deiparæ Virgini, eiusque opus esse antiphonam illam, Salue Regina, ita celebrem in omni officio Ecclesiastico decantare.

§. 151.

Tho. Camp.

Gratia.

THom. Campensis lib. de illustribus Florentij discipulis. Beatissimam Virginem Arnoldus Hollandus studiosissime coluit, quam ob causam matutinas Deiparæ preces antelucano tempore recitabat, sonante horologio eandem verbis salutabat Angelicis. Pietatis fructus castitate integra constituit, & petendæ ac retinendæ religionis constantia mirabili. Cum enim suis æqualibus, & religiosæ cuiusdam familiæ, ad quam aspirabat, se se rectori valdè probasset, tamen præfectus explorandę consilio virtutis periclitandæque patientiæ, cùm, qui latinè sciret, quique iuuenes, senesque permultos verbis & factis, à vitæ licentia ad Christi obedientiam traduxisset apud Ludimagistrum formare litteras iubet, versarique cum pueris. Arnoldus boni patris obsequutus imperio, scribendi artem, quasi nihil omninò sciret, denuò cœpit addiscere. Dum quietæ vitæ petitor est, & religionis candidatus, omnia Christianæ pietatis præstat officia. Nam quotidianæ vel lectioni, vel scriptioni in schola futuræ puerili orationem præmittebat, quodque opus precationem inchoarat, precatione claudebat, aut ante & post quotidianum illud scribendi pensum in ædem sacram oraturus intrabat, nihilque quamuis minimum, scienter omittebat. Ergo Deo charus & hominibus, annique tentatus & exercitatus spatio, annuente Rectore Florentio viro sancto in Dauentriense collegium, vitæ perfectæ illa tempestate domicilium admittitur. Quo optato impetrato, Arnoldus quasi denuò conuersus, longè in Dei obsequio processit: illud idem velle ac nolle semper est visus,

sus, quod Rector ipse vellet, aut nollet. Florentij sui moderatoris omnia & dicta, & facta meminerat, mirabatur, obseruabat. Senex, prouectæque ætatis, pueri, cui flexibilis est animus, cum facilitate, tum maximè simplicitate pollebat. Suspiciones iudiciaque vitabat, nec quæ vitiosa, tetraque vidisset, de illis temerè quidquam statuebat. Infimum locum libentissimè tenuit, terræ imitatione, quæ & in imo residet, & se pessundari, conculcarique sinit: itaque honoribus sic offendebatur, vt alij solent iniurijs irritari. Fratrum amantissimus, eorum molestias, laboresque pro sua virili parte releuabat, laborandi & patiendi ita cupidus, vt adeò æger tertio ante mortem die, lectum sibi ipse strauerit, ne ægrotantium adiutori toties negotium exhiberet. Quare sacris omnibus ritè procuratis, nihil perturbatus omnino, sed in Dei acquiescens voluntate, cessit è vita. Non enim illius mors misera esse potest, cuius beata vita fuit, & Mariæ matris cultu gloriandа. Ad hunc locum pertinent miracula & opera stupenda valdè, quæ ad inuocationem Beatissimæ Virginis Mariæ apud Tungros Camberones, & Seruios in Hannonia, ac Dominam gaudiorum in Picardia affulsere ab anno 1081. ad annum 1605. & quinque libris comprehensa Coloniæ sunt edita anno 1607. Huc etiam referri debent beneficia & miracula Diuæ Virginis Hallensis, & Diuæ Virginis Sichimensis à Iusto Lipsio duobus libris descripta: item miracula patrata Laureti in agro Picæno, quæ Horatius Tursellinus eleganter enarrauit.

§. 152.

Ex miraculis B. Virg. apud Tungros.

EX miraculis Beatæ Virginis apud Tungros cap. 21. Anno 1220. Domino Petro Torneſio Abbate Cisonij vita functo, domin' Ioannes Ladhemius vir quà religione, quà vitæ sanctimonia celebris, in demortui locum à Capitulo est electus. Quæ res dominum Theodoricum de Auchy malè habebat, qui nihil non tentabat, omnemq; quod aiunt, lapidem mouebat, tum promissis tum muneribus, vt ad eam dignitatem proueheretur. Etsi verò eam ambitiosè prosecutus est, tamen, quòd neque capax, neque idoneus esset, passus est repulsam. Fugit enim gloria persequentes, qui vmbram duntaxat & speciē virtutis in se conuentur. At cacodæmon, accenso in eius viri animo ambitionis igne, abominabile quid ei suggessit. Proditorie enim hic Theodoricus colludit, cum electi ministro, adscito quoq; alio nebulone, secreti conscio, quorum opera de nocte, Ladhemij cubiculum ingreditur, quem dormientem, annexo ad collum laqueo, suspendit è lacunari cubilis, fortiter premit, & strangulat, & mortuum demittit, eumque intra thori lintea recondit, pendente ad collum fune, hinc cum sceleris affinibus recedit: obseratis cubiculi foribus. Porrò bonus hic Antistes, lethales sentiens angustias, se se Deo commendarat, & nostræ Dominæ Tungrensi, quam singulari affectu prosequebatur. Exorta luce proxima, quæ eius benedictioni erat destinata, mirari omnes cœperunt, quòd ad ædem sacram non veniret: ad cubiculum cōcurritur, fores pulsantur, aures attentæ præbentur, & ne hilum responsi quidem accipitur. Quæritur minister peruersus, imo iam homicida maledictus, qui clauī ianuam patefaceret. At ille Tornacum effugerat. Fractum est ostium, mortuus in lecto inuenitur cum fune ad collū alligato. Dominus Theodoricus affirmat eum desperasse, sibique necem conscium esse: pergit ambire dignitatem, asserens Ladhemij electionem à Deo reprobatam, vnde se potius eligendum contendebat. interim cadauer ad locum affertur Capitularem: super lugubrem pannū deponitur, & cooperitur, donec

Gualt.

donec sacrum diuinumque officium foret completum: iuxta corpus manet nouitius quidam frater Petrus à Belliolo, defuncti nepos, 13. annos natus. Nola verò consecrationis corporis Christi præambula sonante, puer in has voces erupit: O domine Ladhemi mi auuncule, placeat Deo, & Virgini Matri animam tuam recipere ô auuncule, auuncule quanto mœrore propter mortem tuam conficior. Quibus dictis, en tibi res stupenda nimis. Mortuus quippe, ceu à grauiore somno excitus; Gaude, inquit, mi nepos, non sum mortuus. His auditis, puer & metu occupatus, & gaudio ebrius, properat ad chorum, & magna voce clamat. Non est mortuus auũculus meus, mihi iam nunc locutus est. Religiosi, quasi amentes, & prorsus attoniti, ad præfatum Capitularem locũ dicto citius aduolant, & prædictũ Ladhemium offendũt, honestè panno contectum, flexis genibus orantem Deum: quem illo ipso schemate ad chorum adducunt, retulitque ijs se Tungris venisse, ibique accepto ad vsum breuiario, & veste pastoris, [qui Magister & Diuus Ioannes Nazaretus dictus est] sacrum fecisse ad altare beatæ Virginis; in cuius rei testificationem se ibidem finem, quo strangulatus fuerat, reliquisse. Quod supereſt, nescisse, an in spiritu tantum, an in spiritu & corpore simul id contigerit. Qui autem aderant iam insolita narratione stupefacti, diligenter in rem totam Tungris inquirunt. Omnia reperiuntur veritati consona. Latrones cõprehensi, conuicti, & commerito supplicio affecti. Diuus Ladhemius, designato loco (stallum vocant) accepta benedictione factus est Abbas Cisonij. Prouinciam illam ad annos vnum & triginta cum laude administrauit. Euolutis à benedictione diebus duodecim venit pari numero Religiosorum comitatus, nudis pedibus, omni cum humilitate gratias acturus beatissimę Virgini. Tungris ad triduum demoratus, prædicari fecit hoc miraculum, & populum alloquens: ego, inquit, is ipse sum, cui tantam gratiam Beatissima Virgo contulit: agamus illi pariter omnes quàm maximas possumus gratias: flectamus reuerenter genua, confitentes nos tantis indignos fauoribus. Tandem Abbatialem mitram, & pedum de sui Conuentus & Capituli consensu nepoti suo iam memorato resignauit. Quo facto, sedem & domicilium Tungris delegit, vbi ad senium vixit, miro semper beatissimę Virginis amore flagrans, in cuius seruitium, & loci decorationem erat propensissimus. *Tungris in Sacello B. Virginis ante altare sepultus anno 12,8.*

§. 153.

IBidem capite 23. Anno 1259. die Aprilis 18. Quidam Petrus Montius, incola pagi Bauffiæ, domum rediẽs sub vesperum, trucidatus fuit grandi malleo per fabrum quẽdam murarium, cui nomen Flaminius Hanninius, natum annos 24. Hæc cædes tam secreto perpetrata est, vt nulli innotuerit: quibusdam tamen iudicijs, & coniecturis verisimilibus imputata est Matthæo Nigro, & Ioanni Cartonio eiusdem pagi incolis, quod paulò ante tres illi inter se se conflixerant iuxta hospitium cerui in foro Cheruiæ, verbis vtrimque minacibus: maximè autem ab istis duobus, qui se a nominato Petro lęsos querebantur. Vnde hoc iniuriarum fundamento, apprehensi fuerant per Prætorem & Senatum Cheruiæ, adeoque acriter habiti in tortura, vt confiterentur se auctores cædis, quo sic vitæ & intolerandis cruciatibus finis imponeretur. Ex hac confessione extorta, capitis damnati sunt, idque sequenti die, qui Iunij erat 12. Cumque è domo ciuica, vbi lata erat in eos mortis sententia, ingrederentur ad carceres, audierunt pulsum campanæ ad Completorium apud Tungros, vnde factum est, vt ex intimis præcordijs cum gemitibus & lachrymis Beatæ Virgini, *Ibidem. Gratia.*

inno-

innocentiæ matri se commendarent, protractis precibus in horam noctis 12. prout audiuerunt, carceris custos, carnifex Montensis & satellites, ijs audiendis mirè delectati. Quo facto dormiunt: in ædicula Tungrensi se esse somniant, Deum precantes coram imagine sanctissimæ & pientissimæ afflictorum patronæ. Somnum & oratio felicem exitum sortita sunt, itavt summo mane sub auroram custos ædis, aperturus portas inuenerit viros duos, ferro catenatos in vestibulo cubantes, graui somno oppressos, apud quos territus clamat, versat, percutit, vt excitet, sed frustra, donec plures alios ad se iuuandum vocasset. AEdituus vehementer percutit, donec tandem experrectos videt: at illi existimantes carnificem esse, veniam petebant. At ædituus, & qui cum eo erant, interrogarunt eos quinam essent, quisve eos ad istum locum adduxisset? At ipsi se se adhuc in carcere esse existimantes, responderunt, se esse miseros illos captiuos, de quibus hodie Cheruiæ supplicium sumendum erat. Cumq; intelligerent se Tungris esse ante fores ædiculæ, miro gaudio, alacritate, & incredibili stupore affecti sunt. Inducuntur in ædiculam B. Mariæ, vbi statim ferrea vincula ex ipsorum pedibus, & manibus exilierunt, idque præsente populo illic congregato, qui nō modicè gauisus est, ac Deo Virginique misericordiæ matri gratias egit. Hoc factum innotuit Cheruię: visitantur carceres, quos vectibus & pessulis obductos inuenīt, sed carceris custodē conijciunt in vincula, quasi qui captiuis carceris fores aperuisset: interim Prætor & Magistratus solicitari, Tūgros veniunt, comitati vxoribus & liberis captiuorum, item propinquis amicis & vicinis, ac liberis vxoris defuncti Petri Montij, magnoque populi comitatu eēs insigne hoc miraculum audiunt, omnesq; vnanimi cōsensu in Dei beateq; Virg. laudes prorumpūt, captiuis declamatis liberis. Quod agnoscentes illorum vxores, tanta lætitia sunt perfusæ, vt quasi extra se se raptę, in terram corruerent, vix vllo in ipsis vitæ indicio superstite; maximè verò vxor Ioannis Nigri, quæ sic per tres horas affecta est, & tanquam mortua delata ad imaginem B. Virginis. Quamobrem maritus eius se se humi prosternit, ac deuotissimæ sacræ Virgini supplicat, vt quemadmodum illi ab imputata cæde innocentes erant, sic miseræ coniugi suæ vitam restituat, & liberationis suæ gaudium duplicet: & ecce illico ad se se sana, & incolumis redijt. Porrò Flaminius, cædis auctor captus, amore cuiusdam puellæ Cherouiensis, cui nomen Anna Boueheria, Nicolai filia 18. annorum, eam 8. Octobris insequentis abduxit, vt eadem luxuriose abuteretur, sublatis clanculū Nicolai pecunijs. quod vt rescijt, eos persecutus est. Cumque puella Ormegnium peruenisset, ad viam, quę Tornacum ducit, partim metu, partim syncresi perculsa, Tungros reuertitur ad cognatam quandam suam, cuius opem puella postea patri suo reconciliata est. at nebulo tabernā cereuisiariam adijt, vbi à Senatu Tungrensi captus, & quæstioni admotus, pecuniam reddidit, confessusque est, se Petrum, de quo supra meminimus, occidisse, sed & aliam cædem patrasse Aldenardi; quo etiam nomine inde exulauerat. Priusquam moreretur ab vxoribus & liberis Petri, ac Matthęi Nigri, & Ioannis Cartonij supplex veniam petere voluit: sic igitur de illo sumptum ibi supplicium.

§. 154.

EX lib. de miraculis B. Mariæ Virginis apud Tungros in Hannonia. Anno 1215. pestis sæuissima Athum oppidum vt & omnia vicina loca inuaserat, eratq; ibi mulier peregrinatrix ad Tungros, nomine Nicolaa, quæ nihil sibi metuebat à pestilentia, quòd B. Virginis bonitate subnixa esset, *Ex lib. de mir. B. Mariæ apud Tungros.* *Gratia*

& inscripta albo sodalitatis eius apud Tungros: quo fiebat, vt vicinos & amicos suos incitaret ad votum peregrinationis Tungrensis. Persuasit hoc quàm plurimis, qui cum suis domesticis à peste immunes extiterunt, & ad Tungrensem ædiculam peregrinatione suscepta, actisque deinde beatissimę Virgini gratijs, se se peregrinorum & sodalium Catalogo inscribi fecerunt. Et hoc rumore, totum per oppidum sparso, ciuium animi pia deuotione ac deuota pietate mirabiliter fuerunt inflammati. Quæ res loci pastorem permouit, vt publicã ac solemnem processionem ab Atho ad ædiculam Tungrensem populo nouis delibuto gaudijs indiceret. Ventum est eò non sine magna pietatis significatione, sacrisque cæremonijs. Auditus est præco ille diuini Verbi Ioannes Regius, modo commemoratus, qui tantam credulæ plebis animis ingenerauit fiduciam de fauore, & auxilio Dei per Beatissimæ Virginis merita obtinendo, si modo seriò ad Dominum conuerterentur, vt inde salutaris admodum successus & lætus euentus prodierit. Ab eo enim tempore vindex Dei manus exarmata est, & horribile Dei flagellum in oppido iam nominato conquieuit, ita vt exinde nullus omninò cuiuscunque demum ætatis fuerit, pestilentiæ morbo sit sublatus: insigne hoc & euidens miraculum nusquam non innotuit, vnde & alibi populi similem veræ conuersionis viam sunt ingressi.

§. 155.

Cyrill. Monach.

Gratia.

CYrillus Monac. in vita Sabę. Procop. li. 5. de ædificijs Iustin. Abbas Sabas ad Iustinianum Imperatorem missus orator quidquid postulauit, obtinuit. Post palæstinis causam dixit, quos Samaritani iniuriosè tractauerant. monasterijs, quę ipse multa fundauerat, propugnacula turresque poposcit; hostium quippè patebant incursibus. Hęreticorum falsa dogmata, primo Imperatorio edicto, dein seuero, si delirare pergerent supplicio puniri, ac vendicari petiuit. Deiparę templũ ab AElia Patriarcha Hierosolymitano ædificari cœptum, vt consummaretur optauit, Cæsari, si rogata faceret, remunerationem ab immortali Deo, qui fandi & nefandi memor est, minimè defuturam. Nec Sabæ non rata prædictio. Nam cùm ei suorum legato Iustinianus non modo acquiesset, sed etiam propè obtemperasset, Palęstinos tributis releuasset, hæreticos funditus eiecisset, præsidijs monasteria firmasset, Deiparæ templum ab AElia inchoatum ita perfecisset atq; exornasset, vt Cyrillo, Procopioq; testibus simile nullum inueniretur, ac proinde, ob singularem, & nunquam alias visam operis artem venustatem, noua quædã ac inaudita diceretur Ecclesia, multasq; præterea toto orbe in laudem eiusdem fœcundæ Virginis, immensi operis basilicas apparasset, vniuersa potitus est Africa, quàm Vuandali Romanis ereptam annos 95 possederant. Et Romam recepit amissam, Romam, inquam, Gothis ademptã, sub ditionem, imperiumque subiunxit, eiusq; claues accepit, simulatq; Petri claues in Papa Vigilio recognouit. Africam verò illius causa petierat. Nam Theodosio Imperatore Arcadij filio, cum Nestorio sacrosanctæ Virginis acerrimo hoste, dissimulante agente eq; remissius (etsi enim Archiepiscopatu priuatus est, tamen in monasterio S. Euprepij libere cum quouis agere, congrediq; permissus, multos infecit) vindictæ diuina. Siquidem & Africam tertiam mũdi portionẽ Vuandali occupauerunt, & Constantinopolitana ciuitas triduano exarsit incendio. Quid enim tam accusabile in principe, non quidem hæretico, dissoluto tamen: quàm vt Nestorius post Concilij damnationem toto quadriennio in monasterio clausus, varijs & multis (quod affirmat Euagrius) muneribus afficeretur,

Deiparae refert gratiam.

Procop. de bello Goth. lib 3.

Euagr. li. 4. cap 23.

Vi. Theatrũ vindictæ diuinæ in loco de libert. Relig. exemp 5.

Marcell. in Chron. Sec.

& pro

Rb.3.ca 38. Matth 10. qui perseu.

& pro carcere delicias inueniret? Attamen Iustinianus vltor hæresis & intactæ Virginis magnus amator recuperauit Africam & quamdiu sanus esse voluit, pietatis fructum tulit vberrimum, imò Dei sancta parens, & Iustinianus Imperator visi sunt quodammodo mutuis officijs decertare. Nam cùm hic aduersus improbissimos Nestorianos Mariæ summum omnium titulum defendisset, quo vera Dei est Mater appellata, vicissim ipsa rependit, vt orbis teneret imperium, quamdiu sanctè vixit & se Catholicum præbuit, prosper fuit, fluxereque res ad voluntatem: vbi verò se extulit, & audiēs dicto Ro. Pontifici esse noluit, ad ima depressus est, & cùm primū perturbare cœpit Ecclesiā, assentiri q; Theodoræ coniugi, seq; mali principis corroborauit audacia, odio esse ijs cœpit, à quibus cùm saperet, laudabatur. itaque repentina est morte sublatus, & vt credit Euagrius, detrusus in inferos. Cùm iunior Iustinus vastari à Persis audiret Imperium, ad conciliandum sibi Dei numen, synagogam, quæ erat Constantinopoli, Iudæis ereptam, acritè expiatā, Dei nostri sanctissimæ Genitricis esse fecit Ecclesiam, fuitq; huius vnius solùm templi auctor, Iustiniano plurimorum architecto longè felicior. Nam cùm morti iam vicinus, mente desiperet, ac prorsus deliraret, resq; Imperij in summum essent adductæ discrimen, misericordiæ mater, iudicij, ac sensus integritatem sanitatemq; restituit. Ergo Tiberium religione ac virtute præstantem, maximo cum Reipublicę bono Imperij, successorem nominauit, & cum eo paternè locutus quid faceret, quid contra defugeret, sapienter salutariterq; præcepit: & cùm Iustinus hic principio bonus, se se contaminasset in fine, pecuniarūq; auidissimus multos, bonis & fortunis euersos perdidisset, vetuit, ne se in auaritia sæuitiaq; prauis adulatorum consilijs abductus sequeretur: illud etiam Tiberium his verbis admonuit: ne sis superbus, & non peccabis. Licuit auxiliante quoq; Deipara, peccata confiteri, & quidquid deliquisset, se audienti aperiti presbytero: ita vnius fabrica templi Catholico, & se quamuis sero corrigenti Iustino felicior fuit, quàm Iustiniano, tam multæ, quas hominis tandem hæretici, & omnia corrumpētis in fine, & constantiæ & puritatis amantissima Virgo non videtur accepisse.

Euagr. li. 1. cap. 7.

Li 4. c. 29. Cedren.

§. 156.

Fulbertus.

Gratia.

FVlbertus in libro de vita, & moribus S. Auberti Cameracensis Episcopi. Galliæ Rex Dagobertus Auberti Cameraci Præsulis fama incitatus regali fastu depositro, ad eum supplex adibat, illiusque sermonibus ac monitis docilem animum, attentasq; aures non sine totius regni administratione præstabat. Episcopi hospes erat assiduus, ex vnius congressu, alloquio, consilijs, & ex illa crucis consignatione Pontificis, quam benedictionem appellamus, incredibilem animo voluptatem capiebat; Aubertiq; manum suo capiti admoueri omnia fausta feliciaque precantis, & trinum vnumque Deum inuocantis, in maximis bonis Rex inclytus numerabat, sanctæq; illius amicitiæ perpetuitatem cunctis anteponebat: idq; agebat, vt à præclaro sanctoq; Antistite quotidie magis amaretur. Et vero quidam Auberti intimus Regem sic affatus est aliquando. Si vis charus esse Pontifici, quod te velle præ te fers, illi Ecclesiæ, quæ Beatissimæ Virgini dedicata est, quam fert Aubertus in oculis, bona, & possessiones augeto: illius templi dona Episcopo cordi esse, non laborare de cęteris. Rex intellecta Episcopi, quem maximè diligebat, voluntate, fratribus, qui duce Auberto, in oratorio, vt vocant, Beatissimæ Virgin. ministrabant, locupletissimum vectigal attribuit ad humanos vsus, & vitæ subsidia. In hoc autem D. Matris domicilio nobilis quidā puer,

Monasterium B. Virginis.

nomine Laudinus, ab ipso Autberto eductus atque educatus, maximam sui expectationem concitarat. Enimuerò astutus ille serpēs eò magis Laudinum, afflatu pestifero inficere instituit quo illum videret esse meliorem. Itaque, exacta pueritia, in qua, custode Pontifice, perfidi hostis effugit insidias, contubernalium & sociorum consuetudine deprauatus, occultaque mali dæmonis machinatione deuictus, à suo & alumno, & præceptore defecit, monasterioque deserto, principio miles, post factus est latro, & is latro, quem nemo teter audacia, nemo sæuitia, nemo rapacitate vinceret aut superaret. Et quoniam metuebat, ne ipso nominis indicio, à suis posset generosis parentibus inueniri, tacito Laudini proprio nomine, Maurosum se voluit appellari. Hæc monstra vbi ad sancti & pædagogi, & magistri Autberti aures venerunt, acerbo est fletu iuuenis prosequutus, diaboliq; & audaciam, & eius matrem inuidentiam detestatur: pro deperdita illa oue bonus pastor assiduè precabatur, non ignarus, orationis quàm arma sint fortia. Et operis quidem fructum consequutus est vberrimum. Nam cum diuitis cuiusdam domum nocte Mauros us deripere statuisset, ad eamq; rem, & furti socios aduocasset, & necessaria instrumenta parauisset, vnus ex furibus, dum scalæ admouentur, ascendit incautius, & mortuus subitò concidit, cuius animam, pœnas horribiles apud inferos patientem, Dei singulari misericordia Laudinus inspexit, & ab Angelo, vt resipisceret, admonitus, quem Angelum Autberti preces & lacrymæ Deo mittente, è cœlo deuocarant, ad sanitatem remigrauit, seq; S. Pontifici Autberto restituit, cui post asperrimum vitæ genus, postquam inundantes lacrymarum fluuios, sic se bonus ille Dismas latro probauit, vt iubente Autberto, monachatū sacerdotio coniunxerit, & se vtroque munere dignum exhibuerit: vt autem superioris vitæ flagitia virtutibus corrigeret, & malefactis beneficia compensaret, in illis ijsdem locis vbi latronum receptacula, latronum ipse dux anteſignanusque constituxerat, religiosorum monasteria fundauit, & quos antea scelerū socios habuerat, eosdem rerum diuinarum atq; cœlestium consortes participesq; delegit. Nec dubium, quin Dei matris optimæ atq; excellentissimæ, in cuius monasterio fuerat educatus, præsidium inuocatioque profuerit. Has enim admirandas morū ac vitæ conuersiones à suo vnigenito Filio Deipara implorata, & simpliciter appellata consequitur. Dagobertus verò etiam ad restituendam Argentinensem Ecclesiam, quę Deiparę Virgini deuota erat ac dedicata, oppidum Rubiacum, totamq; in circuitu ditionem pro sua liberalitate donauit; neq; labori prę-mium defuit. Siquidem mulierosum & parū in castitate constantem hunc Francorum Regem hæc in Virginem & cœlites pietas à purgantis flammæ dirissimis pœnis, vt Regis Ludouici pij testimonio intelligere licet, liberauit. *Canis. de B. Virg lib. 5. cap. 23.*

§. 157.

METaph. in vitis sanct. Nobilibus orta parentibus Oeginæq; insulæ ciuis Athanasia in tenera ætate viro nupsit, quē bellantem Martis vis perculit & ira victoris, alteriq; collata est, qui, Athanasiæ hortatu, ad Monasterium Virginum aspirantis, monasticum vitæ genus elegit, ipsaq; coniugali soluta vinculo, in cœnobio sacrarū Virginū immortali se sponso deuouit, cui non multò post Antistita facta est ob vitæ dignitatem. Cumq; opibus abundaret, tria mirandi artificij templa constituit, vnum gloriosissimæ Deiparæ, alterum Ioanni Baptistæ, tertium Diuo Nicolao, cui ob misericordiam in egentes præcipua quadam religione seruiebat. Nam similis simili gaudet, & quæ hospites, peregrinos, viduas, pupillos, paupe- *Metaphr. Gratia.*

Pauperumque vulgus omne protexerat, misericordis memoriam Nicolai pio cultu prosequebatur. Cum verò necessitas quædam vrgeret, & Constantinopolim concedere necesse esset, septennium in Regiæ vrbis quodã monasterio commorata, ex alem se dicebat, quòd à templo Virginis, quæ Deum pepererat, abesse cogeretur. Hæc lugenti, lamentantique Athanasiæ, virginalis illius templi, quod amabat, ac requirebat, in quodam mentis recessu, extasin Græci dicũt, fores patere sunt visæ, simulque audita vox, quæ illuc iuberet introire. igitur ad se rediens, & visa auditaq; retractans, ex ingrata vrbe migrauit; desideratamque sedem auidissimè repetiuit, vbi post breue tẽpus mortis, vel potius immortalitatis admonita, sese ad obitum summa animi sui lætitia comparabat. Aderat festus dies assumptæ in cælum Deiparę, cum Athanasia suas Virgines monuit, ne quicquam eorum, quæ triumphantis Mariæ ferias decerent, funeris causa relinquerent, sed festæ lucis religione, ac cæremonia in primis procurata, corpusculum, hæc eius fuere verba, terræ mandarent. Nihil sacræ sorores extra præscriptum: & quia cæli Reginam Athanasia viuens, mortuaq; dilexit, & studiosissimè coluit, Regalis ei amictus est datus, corona imposita capiti, gemmatoque sceptro manus honestatæ. Hoc etiam Athanasiæ tribui, duæ ex sacro illo numero Virgines, quadragesimo post suæ Antistæ mortem die, ex diuina quadam visione cognouerunt.

§. 158.

Damascen. Metaphr. Gratia.

DAmasc. orat. de dorm. Virg. Simeon Metap. orat. de ortu educat, & decessu Mariæ, S. Aug. st. Sen. in Troade de Achille, Peliam vulnerante, & sonante. Sur in vita S. Donnoli Episcopi Cænomamensis de vita S. Maij. Vir quidam, opibus, & nobilitate præstans, sua verò sorte non contentus, in villam, Christi Matris cultui dedicatam, atq; deuotam, cui Dannolus præerat, præclarus Antistes, furenter inuaserat, & eam sibi cum summa Ecclesiæ pernicie, ac ciuium offensione vendicarat: sacrilegum hunc Tyrannum Dannolus, vt resipisceret, sibi caueret, & ad frugem se reciperet, admonebat: vt nihil agi videt, ad Deum se conuertit orandum, vtque diuinum suum numen ostẽderet, exorauit, nefariamque hominis audaciam accusat, qui bona, olim ad expiationem animarum Ecclesiæ à fidelibus donata, & tributa, & rapere ausus est, & reddere appellatus, rogatusque renueret. Interim sacrilegus diuina animaduersione febrem patitur, cuius vi, atque æstu, sine vlla intermissione iactatur. Nihilo sanior effectus ablata retinet, neque fertilis villæ possessione cedit. Cumque febris arderet, & lecto affixus teneretur, nocte quadam præpotẽtis Dei Matrem, cuius res, & bona vsurpauerat, irruentẽ vidit, quæ ferreo malleo, quẽ gerebat, pertinacis reguli frontem vulnerauit. Ille nimio terrore concussus, confestim ad S. Episcopum misit, qui rogarent, vt quæcumque ex rebus D. Mariæ, Deo, Sanctisque Gerualio, ac Protasio dicatis, ablata essent, cum fœnore, & incremento reciperent, se reddere velle quam primum. Neque tamen prius conualuit, quàm præsens Dannolus, quæ erepta erant, conduplicata recuperans, prò ægrotante preces effudit, sed vulneris tamen in fronte accepti, ad rei memoriam, eruditionemque multorum, quoad dies ille vixit, impressa vestigia remanserunt.

§. 159.

B. Petrus Damianus lib. 6. epistolarum epist. 32. Gratia, & vindicta.

BEatus Petrus Damianus lib. 6. epistolarum epist. 32. Dicam & aliud, quod in præfato contigit monasterio. Statutum erat, atque iam per triennium ferè seruatum, vt cum horis canonicis

nonicis quotidie B. Mariæ semper Virginis officia dicerentur. Erat autem inter eos Gozo, habitu monachus, reprobę quidem vitæ, sed dicacis, & accuratæ facundiæ: hic cœpit cõqueri satis, superq; sufficere, quod sanctus præcepit Benedictus, nec nouæ adinuentionis pondus debere superponi, nec nos esse antiquis Patribus sanctiores, qui videlicet hæc superstitiosa, ac superuacua iudicantes, psallendi nobis metam, omnemq; viuẽdi regulam præfixerunt. Hac sanè debere nos esse contentos, ne ab illa incautius declinantes, per anfractus, & inuia dueamur erronei: quid plura? Contra Reginam Mundi præliari visus est, & confecit: ad hoc nimirum fratres versuta machinatione pellexit, vt solitas B. Mariæ laudes vlterius nõ offerrent, sed, ô diuinum iudicium, à nostrę prauitatis intuitu nõ dormitans: mox enim aduersus præfatum monasterium tot aduersitatum grãdines, tot vndiq; bellorum, atque conflictuum exortæ sunt tempestates, vt ipsis quotidiè monachis minaces gladij necis exitum intẽtarent: fiunt vndique deprædationes, atque rapinæ, conflagrantur cum segetibus areę familiares, ac serui sancti loci crudeliter trucidantur, & non iam imago mortis, sed mors ipsa grassatur, adeo vt tæderet iam monachos viuere, dum nequaquã possent in procinctu certaminis, amicum quieti suæ professionis officium custodire. Non paruis expensis, ad Teutonũ partes Imperator experitur, pragmaticę sanctiones cum singulis imperialibus aduehuntur, sed tantundem est. In omnibus quippe studijs non fructus, sed labor superuacuus. Vnde, cum ego petitione fratrum sæpè pulsarer, quatenus sequester accederem, &, si possibile esset, pacis inter eos fœdera continuarem; hac rogantibus voce respondi: Christus (inquam) est pax nostra, de quo etiam de Virgine recens nato, angelitus dictum est: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax. Quia ergo matrem veræ pacis de suo monasterio proiecerunt, dignum est, vt inquietis calamitatum tribulationumq; te procellis, atque turbinibus agitentur. Verum, ne lectorẽ diutius protraham, fratres illi hæc, quæ dixeram, non dubijs erũpentibus signis, vera probantes, in arcto siti, tandem ad cor redeunt, pauimento se humiliter sternunt, ac percepta pœnitentia, nunquam se de cętero neglecturos solita Genitricis Dei præconia, vnanimiter pollicentur. mox itaque, vt fatear, ita post coruscos, atque tonitrua, tanta cæli serenitas redijt, vt ex tunc, vsque hodie fratres iucundæ pacis otio perfruantur, ac de scyllæa voragine se delatos ad portum, gubernante filio Virginis, gratulentur. Impletum ergo est, quod per prophetam dicitur: *Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos, dicit Dominus.* Qui ergò facile seniorum suorum statuta conuellunt, ista considerent, & ne diuini furoris super eos gladius veniat, non sine causa formident.

§. 160.

GRegorius Presbyter in vita, quã de suo magistro Theodoro scripsit. Mirabilem Theodorum, quo Mũdus erat indignus, perditissimi quidam veneno perimere statuerant: quo ille imprudenter epotò, triduum sine sensu iacuit, ita vt de eius morte rumor increbresceret: quæ inimicis lætitiæ, amicis numero pluribus, sententia melioribus, mœroris ingentis causam erat allatura, extremo die tertio exanimi Theodoro Beatissima Dei Mater apparuit, quæ sceleratissimis, insidiosissimisque parricidis exitum cõminata, Theodoro à mortis faucibus ad vitam reuocato, & morbi causam, & veneni authores patefecit, vt eos vel euitaret, si nocere persisterent, vel resipiscentes, flagitijq; pertæsus, ad saniora consilia traduceret: quin etiam terna Theodoro aduersus toxicũ medicamẽta porrexit, quibus quasi pillulis,

Greg. presb. in vit. Theodor.

Gratia, & vindicta.

Iulis, affectam bilem perpurgaret; comede (inquiens,) & nihil mali residebit in venis, quod te magnopere turbare queat. Theodorus mortifero somno solutus, grates egit seruatori Christo, atq; eius parenti, funestæ ægritudinis curatrici, amicis, qui gratulatum deinde venerant, deliquij causam, morbiq; detexit, veneni tamen spargēdi artifices nequaquam nominauit, quos, vt vlciscereturtantum abfuit, vt eorum potius salutem assiduis precibus immortali Deo commendaret: tales enim eos vel esse, vel fieri necesse est, quibus se Dei benignissima Mater ostendit, quam Theodorus ante, & post hanc mirabilem sanitatem, summis colebat honoribus, in eiusque vel monasterio, vel oratorio, quantum poterat, morabatur. Quos autem vel curasset, vel curaturus esset, in Mariæ Virginis sacello preces fundere iubebat, & gratulabundos permanere. Et cū aliquando quadragesimam in Deiparæ monasterio, suo more traduceret, monachus, nomine Dionysius, horrei custos, ad eum venit mœstus, quòd triticū defecisset; cui Theodorus: farinæ (inquit) reliquias in vasculum collectas, atque collectas affer ad mè. facit extemplo tum Theodorus, animaduersa ciborum paucitate, precatus est Deum, vt & monachis, & hospitibus, qui plurimi conuenire solebant; (agebantur enim ramorum feriæ, quas externi frequentabant) prębere dignaretur annonam. Deinde ad Dionysium conuersus, farinæ (inquit) vasculum super altare sanctissimæ Virginis ponito; Deus nobis, remitte istam curam de pectore, suppeditabit alimenta. Postridiè, quàm hæc Theodorus prædixerat, triginta Cypriæ naues onustæ frumento ad monasterium appulerunt. Eidem Sozopolitanam Mariæ Virginis ædem ingressuro, vbi diurno munere oleum ex sanctissimę Deiparentis manabat imagine, dæmō ex energumeni paralytici ore conuicia querelis mixta iactabat; ille dæmone obiurgato, paralyticum in ipso templi aditu, & signo crucis, & oratione sanauit. Post in celeberrimam Christi Matris ædem intrauit, olei fluentis fama pernobilis, ibi manibus in Crucis figuram expansis, suas sacrosanctæ Virgini preces supplicitер offerebat, & in salutari, atque oliuifera Dei Matris imagine oculorum aciē defigebat, cum repente oleum efferuescens, in Theodori oculos iaculando resiluit, orantisque faciem, luminaque conspersit, ijs, qui viderant, acclamantibus, magnum Dei esse seruum Theodorum.

§. 161.

NAucherus generatione 34. Et Tritemius in Chronico Hirsaugensis Monasterij, & Canisius l. 5 ca. 20. eius meminit, & fusè in speculo exemplorum dist. 9. num. 175 describitur. Vdo apud Magdeburgum, Parthenopolim etiam dictū, in Saxonia, ingenij, & ad litteras parū idoneus, dū in Ecclesia maiori S. Mauritio eiusq; socijs dicata, prostratus, Deiparæ clemētiam, & S. Mauritij patrocinium ad ingenij acumen obtinendum implorat, aliquantulum obdormiuit. Cui Deipara apparens: Non solum scientiæ, inquit, munus tibi tribuo, sed etiam post huius Episcopi mortem Ecclesiam Principis mei Mauritij tuæ fidelitati commendo: quam si benè rexeris, præmium grande consequeris, sin autem male, in animo, & corpore morieris. Ille euigilans, in omni sciētia peritissimus apparuit, & post biennium in defuncti Archiepiscopi locū cunctorū suffragio delectus, aliquantulum diu benè vixit; post aliquod verò tempus in omne scelus prorupit. nam facultates Ecclesię dilapidabat, mulieres etiam Deo sacratas violabat, cumque multis annis malè vixisset, & quadam nocte cum Abbatissa quadam cubaret, vox ad eū huiusce modi facta est: Cessa de ludo, quia lusisti satis Vdo, quam ille contempsit: sed cum sequenti, & tertia nocte

Naucl. Tritem. Specul. exempl. Gratia, & vindicta.

nocte cum ingenti fragore eadem vox intonuisset, aliquātulum ingemuit: verum minimè resipuit: quare post tres menses, quidam Canonicus Fridericus nomine, nocte orans pro Ecclesia, præsertim Magdeburgensi, vidit Christum in Ecclesia, in aurea cathedra sedentem, & iuxta eum Virginem gloriosam, in alia item cathedra aurea considentem, sanctorum multitudine stipatos: cumq; S. Mauritius de Vdone conquestus esset, Christo iubente, à latere Abbatissæ abstractus, eoq; adductus est, quem S. Mauritius seuerius intuens, hæc ad Christū: Domine, inquit, ecce iste Vdo, non Episcopus, sed lupus, non pastor, sed raptor, maculator, & deuorator est Dominici gregis: adiecitq; Deiparam ei scientiam tribuisse, & Ecclesiam Magdeburgensem commendasse, quin etiam eum tertio monitum vitam suam, nequaquā emendasse. At verò Christus eum decollari præcepit: quare ab Angelo capite truncatus in eodem templo male perijt, sed ante decollationem multis pugnis collum Vdonis validè percussit, & post quemlibet pulsum, hostia polluta per os Episcopi in calicem ab alio paratum decidebat: quas omnes cæli Regina reuerenter accipiens, diligentissimè lauit, & super altare cum calice ponens, recessit. Mane autem facto calicem cum hostijs in altari, & caput Vdonis abscissum, ac truncum corpus, quod in suo sanguine iacebat, inueniunt: pauimentum verò marmoreum, atque candidum adeò sanguine est infectum, vt ei connaturalis videatur. In eo autem loco, vbi est decollatus, noui Episcopi adorationem prosternuntur, vt exemplo Vdonis sibi cauere discant. Canonicus verò Fridericus, qui hæc omnia non in somnis, sed apertis oculis viderat, ea cunctis narrauit. Contigit mors Vdonis anno 985. Othone tertio Imperante.

Fridericus Canonicus.

§. 162.

CEdrenus in compendio narrat. Cum Heraclius Imperator vna cum exercitu in Persidē aduersus Cosrohem Persarum Regem degeret, Hunni occidentales, quos Auares Thraces vocant, à Cosrohe sollicitati anno 625. Constantinopolim Imperatoris præsentia destitutam, magnis copijs terra, marique inuadunt: sed Deiparæ præsidio sunt seruati, de quo Theophanes in annalibus Græcorum in hunc modum scribit. Auares Thraces vbi Constantinopolitanæ appropinquantes, hanc depopulari parant, multis machinis aduersus eam commotis; ijdemque & nauium sculptarum ex Istro flumine multitudine infinita delata, sinū repleuerunt maris. Decem sanè vrbem obsidentes, bellum terra, marique gerētes, Domini virtute pariter, & cooperatione, nec non & intemeratæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ intercessionibus superati sunt: amissis verò terra, marique ingenti numero suis, magno cum dedecore discesserunt. Hęc Theophanes. Verum quanam ratione per Deiparam seruati sint, ita vt & obsessi, & hostes hoc cognouerint, Cedrenus in compēdio narrat his verbis. Tale enim quippiam hostibus accidit. Viderunt Barbari prima luce, cum sol oriretur, mulierem quandam illustrem, eunuchis comitatam, Porta Blachernarum exeuntem (Blachernis autem erat templum Deiparæ celeberrimum, quo Constantinopolitani ad Deiparam confluere solebant,) quam cum Heraclij opinarentur vxorem esse, & ad suum Principem ob mariti absentiam ire, pacis petendæ causa, transitum ei concessserunt, subsequentem ex Vrbe hominū turbam ipsi adorturi. Vt verò fossæ ambitum egressam, non ire ad Regem viderunt, insecuti sunt eam vsque ad locū, cui veteris saxi nomen est: vbi cum ferè eam essent assecuti, illa cum suis ex oculis,

Cedrenus.

Gratia, & vindicta.

Theophan.

lis,& conſpectu eorum euanuit. Ipſi autem,tumultu concitato,inter ſe congreſſi ad veſperam vſque,ſtrages mutuo ediderunt. Mane inſequentis diei Dux inquirens,quòd maiorem ſuorum partem inteſtino conflictu periſſe videret, turpiter domum redijt, ſtatimque claſſis ab obſeſſione receſſit. Quam domum reuertentem, in Euxino mari oborta tempeſtas, ita afflixit, vt perpauci ad ſuos redierint.

§. 163.

Baronius.

Gratia,& vindicta.

BAronius in Monologio tō 9. Annal.ad annum Domini 717.& 718. affert anno Domini 717. qui fuit ſecundus Leonis Iſaurici Imperatoris Conſtantinopolitani,cum nondum ipſe ſanctarum Imaginum cultum impugnaret, Conſtantinopolitana ciuitas trienni Saracenorum obſidione cincta, Deiparæ auxilio eſt liberata: quin etiam duæ Saracenorum claſſes, quarum altera ex Aegypto,ex Africa altera ſoluerat, quibus annona ferebatur, Saracenis vrbem obſidentibus, malè perierunt, miſſis ab Imperatore contra vtranque claſſem igniferis nauibus, de quibus Theophanes. Tunc, inquit, Deo cooperante, & interceſſione intemeratæ Dei Genitricis Mariæ, protinus ſubmerſi ſunt inimici, & aſſumptis ſpolijs, noſtri, & expenſis eorum, annona videlicet,cum gaudio reuerſi ſunt. hæc Theophanes. Erant autem naues igniferæ, quæ igne in claſſem hoſtium coniecto eam comburebant. Theophanes enim & Cedrenus referunt anno quinto Conſtantini Pogonati (qui in annum Domini 672. incidit) adinuentum de nouo ignem, quem Marinum vocabant, eo quòd in mari arderet, ſed ad obſidionem Conſtantinopolitanam redeuntes Saraceni, vrbem obſidentes, deſtituti annona, fame, & peſte perierunt, trucidatis ex illis à Bulgaris viginti duobus millibus.

Theophan.

Beda.

His omnib' atteſtatur Beda in fine libri de ætatibus, & vt verbis vtar Theopha nis : Experimento dedicerunt Saraceni, quia Deus & ſanctiſſima Virgo Dei Mater Maria, hanc muniunt vrbem. Meminit huius liberationis Conſtantinopolitanæ, ope Deiparæ factæ, Gregorius Secundus Pontifex in Epiſtola ad Germanum, qui tempore obſidionis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, erat Patriarcha, quæ electa eſt in ſecunda Synodo Nicæna Actione quarta pro pugnatricis, inquit, *illius ſanctæ, & omnium Chriſtianorum Dominæ miranda facta, quæ in te declarata ſunt, per quæ tu quoque contra hoſtes ſeruatus : non ſunt reticenda. Illi enim cum inſania multa tumultuarentur, tantum inuenerunt in ſe aduerſitatis hoſtilis, quantum eorum cauſa iniuſtitiæ habuit.* Neque hoc tamen mirandum eſt : nam ſi Bethulia per manus Iudith Iſraelitis mulieris ſeruata eſt, cuius opus Holofernis erat ſublatio, & per ea tempora ob id ſalus Iſraelis vocata eſt; quomodo nō oportebat & tuam ſanctitatē, huiuſcemodi propugnatrice vtentem, hoſtibus ciuitatis præualere,ipſamq; victoria coronare? Hæc ille. Et certè cum Gregorius Pontifex de ſacrarum imaginum cultu in ea agat, non ab re exiſtimat Baronius tom.9.annal.ad annum Domini 717. cum verbis illis ſignificaſſe, venerandam Deiparæ imaginem ſupra muros ſolemni ritu circumductam, & hac ratione ab imminenti periculo ciuitatem illam tunc liberatam. De claſſibus verò Saracenorum Theophanes hæc ſubijcit. Ad hæc Saraceni, qui ex obſidione ſuperfuerant cum multa confeſſione, 18. Kal. Auguſti reuerſi ſunt. Cum autem nauigaret claſſis eorum, tempeſtas à Deo per interceſſionē Dei Matris incumbens in illos,hos diſperſit, & alios quidem eorum penes Proponneſſum & reliquas inſulas; alios verò in vertigines,& cæteros demerſit in æquore; ſuper reſiduos verò,cum tranſiſſent Aegeum pelagus, extemplo grando ignea decidens, aquam maris ebullire

Theophan.

Greg.2.

Synod. Nicæna.

Iudith. 30.

fecit, & pice liquefacta, naues simul cũ hominibus inductę sunt in profundum, decem solis ex eis saluis, ad Dei magnalia, quæ in ipsis facta sunt, nobis, & Arabibus annuncianda; quinque enim à nostratibus captæ sunt, quinque verò saluæ in Syriam deductæ. Ita Theophanes. Eadem habet Cedrenus. Quare quotannis pro tanto beneficio, gratiarum actiones solemnes sunt decretæ, quemadmodum in Monologio Basilij Imperatoris die 15 Augusti habetur, vbi etiã additur, Saracenorum Principem petijsse, vt vrbem ingrederetur, eamq; cerneret, pollicitus post hæc inde discedere: quod cum ei concessum esset, & per portam Bosphori equo sedens intrare vellet, alijs suis sine molestia ingredientibus, solus Principis equus intrare nolebat. Respiciẽs verò sursum, vidit supra portam Dei Genitricis imaginem, tunc se nouit hoc passum, quòd eandem auxiliantem ciuibus blasphemasset, desistensque & recedens, cum suis in Aegeo pelago ab ignifera procella consumpti sunt. Hæc à Baronio in Monologio.

Cedrenus.

§. 164.

VIncentius Beluacensis li. 23. spec. hist. cap. 27. his verbis. Sigibertus anno Leonis II. Constantinopolitani, instantia orandi, & constantia præliandi fortiter resistunt Saracenis. Saraceni fame, frigore, bello, pestilentia sine numero pereunt. Fertur autem, eos miraculosè hoc modo perijsse. Apud Constantinopolim in monasterio sanctæ Dei Genitricis iuxta palatium in mari prope S. Sophiam erat imago Beatæ Mariæ, quæ tenebat infantem in brachio, quam depinxit in tabella Sanctus Lucas, cum adhuc viueret Sancta Maria. Hæc imago vocatur Odigitria, idest deductrix: quia duobus cæcis apparuit Sancta Maria & deduxit eos ad suã Ecclesiam, & illuminauit eos. Cum ista imagine faciunt processionem omni die Martis per totam ciuitatem. Cum ergo, vt supradictum est, obsessa esset ciuitas, & ciues ieiunarent, & orarent simul, & pugnarent; quidam ciues admonuit, afferri illam imaginem, & ab omnibus orationem ad illam fieri hoc modo: Sancta Dei genitrix, quæ toties nos liberasti, libera nos modo de inimicis Filij tui, & in mari merge illos. Et cum hoc dixissent, statim procella surrexit, & omnes naues Saracenorum aut mersit, aut fregit, hucusque Vincentius.

Vincentius Beluacensis specul. hist.

Gratia, & vindicta.

§. 165.

COropulastes Græcarum rerum historicus, inquit: In oriente Saracenorum Princeps, qui Tarsi imperabat, cum ad Andream Ducem Basilij Imperatoris Constantinopolitani, qui regnare cœpit anno Domini 867. misisset litteras, superbiæ, & maledictionis plenas, & hæc indicantes: Nunc videbo, an Mariæ Filius, eiusque parens tibi proderit, cum contra te cum meo exercitu progrediar. Quas litteras, conuitij plenas, acceptas, ipsi imagini Dei Genitricis appendit, hæc locutus: Vide, ô Mater Dei, tuque ipsius Filius, & Deus, qualia exprobrauit, & superbè dixit contra tuum superstitem populum barbarus iste arrogans. Quibus dictis, assumptis Romanis copijs contra Tarsum proficiscebatur, & cum ad Podandum peruenisset, ibi cum hostibus congressus, multa cæde fundit, & fugat barbarorum multitudinem, cum prius ibi eorum Dominus occubuisset: pauci verò vix se Tarsum incolumes recipiunt; sepultis autem suis, & hostibus in vnum locum coactis, magnaque erecta ad posterorum memoriam columna, in patriam redijt cum socijs.

Hæc Coropulastes.

Coropulast.

Gratia, & vindicta.

§. 166.

§. 166.

Magist. Alanus de rupe.

MAgister Alanus de Rupe in aureo lib. Rosarij. Tempore, quo beatus Dominicus prædicabat Romæ, maxima cum populorum frequentia, & Dominorum Cardinalium, & aliorum Magistratuũ, omnes, & singulos hortabatur ad hãc fraternitatem, nec quidem inaniter, quia multum profecit Multi autem ad eum accedebant confitendi gratia, quibus cum alia pœnitentia imponebant, vt dicerent psalterium Mariale, non intendens tamen eos obligare ad mortale, si illud dimitterent. Accessit ergo ad eum quædam nobilis matrona Romana, quærens cõfiteri ei; cumque imposuisset cum alijs pœnitentijs peculiaribus, vt per singulos dies vnius anni diceret dictum psalterium, hoc respuit facere, dicens: Pater, habeo de consuetudine facere certas orationes, ieiunia, & eleemosynas, atque peregrinationes, visitando sancta loca huius ciuitatis: non curo de Rosario vestro; non enim possem omnibus intendere, hæc ergo dicebat, & quod grauius est, alios ab hoc sancto proposito reuocabat, dicens, hoc esse vanum, & inutile; & quia erat mulier multum potens, & bonæ existimationis, multi sibi credebant. Cumque in ellexisset vir Dei Dominicus, cœpit fundere preces ad Dei Matrem, vt illuminaret eam. mira res: nam, non multò post subitò rapitur in somnis, & iudicium Dei intuetur horribilissimum, adducturque ante iudicium iudicanda, vbi permaximè fuit reprehensa de inobedientia ad virum Dei Dominicum, & de scandalo alijs dato, quomodo, quantum in se fuerat, à dicta confraternitate reuocauerat, quamuis in alijs satis bona esset; propter quod adiudicata fuit, etsi non ad damnationem, tamẽ ad mirabilem pœnam, per dæmones inferendam per aliquot menses. Cumque incredibilem pœnam pateretur, ad Dei Genitricem se conuertit, dicens: O Virgo virginum, ô mater pietatis Maria, miserere mei pauperrimæ peccatricis, quæ laxaui linguam contra te, & ecce mox adest Virgo sanctissima, quæ leuauit eam de maximis tormentis, dicens ei, ô filia, filia duri cordis fuisti, insuper, & Rosarium meum spreuisti, confidens in alijs operibus tuis bonis. Sed nunc volo tibi ostendere, quanti sit meriti ipsi vacare: quo dicto, apprehensa statera, parte ex vna posuit omnia ieiunia, omnes eleemosynas, omnes orationes, & peregrinationes eius: parte autem ex altera posuit ipsum Rosarium, & mox depressit stateram ex parte sua, & alteram partem leuauit.

Gratia, & vindicta.

Rosarij excellentia & eius alia.

§. 167.

SAnctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus 2. par. tit. 16. cap. 2. sect. 5. Rollone Duce, qui & Robertus est appellatus, profugi quidam pyraticam facientes, Carnotum, nobilem Galliæ vrbem obsederant; at incolæ ab armis imparati, & à multis non benè defensi, Beatæ Mariæ inclusiam Caroli Calui donum ex Constantinopolitana ciuitate quondam allatum, in vrbis propugnaculis pro vexillo ciuitatis indefensæ tutamen, piè, ac fidenter expanderunt. Ridere hostes, sagittasque certatim in virginalem interulam, camisiamque dirigere: non sera numinis vindicta fuit: hostes cæcitate confusos, neque se loco mouentes, Carnoti ciues ad satietatem vsque trucidauerunt. Euasit tamen archipyrata Rollo, quem liberator omnium Christus suæ fidei, ac religioni reseruauit: nam Christiana sacra suscepit, & Northmannos, gentem suam, ad idem consilium, & animorum remedium salutare pertraxit. Illo ex tempore Northmannorum cum Gallis firma pax fuit. Contigit hæc Carnotensium inermium

S. Antonin. Archiepisc. Florentin 2. par. tit. 16. c. 2 sect. 5.

Gratia, & vindicta.

mium miraculosa victoria, si Antonio credimus, cui credere par est, anno à Christo nato, octingentesimo septuagesimo octauo; etsi nos, qui exempla de Virgine selecta colligimus, de chronico non laboramus.

§. 168.

Aug. Mann.

Gratia, & vindicta.

AVgustinus Mannus in historia rerum memorabilium in Ecclesia Dei gestarum ca. 86. Samnitū Prætor, Lauretum petens, Ciuitellam diuerterat. Ibi nefarium hominem deprehendit, assuetum, in Deum ac Virginem Lauretanam impia subinde verba iactare; ergo infensus ira, protinus exēpli prodendi causa, vesanam magniloquentiam, exsecta sacrilegio lingua, vindicauit, neque hoc contentus, eundem in custodiam traditum, asseruari sedulo iubet, quòd ipse Laureto regressus decerneret, an esset pœna grauiore molestandus. itaque miser ille, supplicio sumpto æger, sui ipsius sollicitus, aliquando resipuit, & scelere in cultum verso, dies, noctesque Lauretanam Virginem placare tacitis precibus, votisque instituit, obsecrans, vt infensam sibi Proregis leniret iram, daretque facultatem, animi labes sacra confessione expiandi. Nec ingratæ Virgini, irritæque extiterunt impij hominis resipiscentis preces: haud multo post, species Deiparæ illi in somnis oblata est, iubentis, eum bono animo esse, breui fore, vt custodia emissus, ad Lauretanam ædem pergeret, ibique peccata confiteretur, nouæ linguæ subsidio: prædictionem comprobauit euentus: experrecto quædam quasi lingua renasci cœpit, qua haud sanè ægre sensa expromeret mentis, & Prorex, Laureto reuersus, re cognita, parcendum existimauit, cui Virgo ipsa pepercisset. Confestim igitur eum liberum dimittit, monitum, vt suo posthac periculo saperet, datisque ad pœnitentiarios litteris, miraculi testibus, Lauretum destinat, gaudio gestientem ad vota reddenda, quo vbi venit, haud magis Proregis epistola, quàm res ipsa miraculi fidem omnibus fecit. Quippe patefacto oris hiatu (mira dictu, mirabilior visu res) simul recisam linguam, simul lingulam quandam subnascentem videbant, & tamen vbi vellet ille, quamquam blesо ore, audiebant loquentem: neque hic stetit res, postquam domum reuersus, sacris mysterijs bis teruè perceptis, noua lingua ad iustam magnitudinem nouo excreuit miraculo. Itaque Lauretum denuò ad agendas Deiparæ grates, profectus, ijs ipsis, qui exsectam paulò ante linguam viderant (quorum ex numero Raphael Riera fuit, qui hæc memoriæ prodidit) immortali Beatæ Mariæ dono renatam ostendit, cunctis rei nouitate, atque admiratione attonitis, & tam eximium, tamque illustre miraculum Beatæ Virgini gratulantibus.

Da R. 6 Iunii 6

§. 173.

Ioannes Lopezius.

Gratia, & vindicta.

IOannes Lopezius Ordinis Prædicatorum de Beatissimæ Virginis Rosario lib. 1. c. 15. Victoriam Hispaniæ vrbem à Sancio olim Vascorum Rege Gasterſi pagi mutato nomine, extructam Fedricus à Toleto Albæ regulus anno millesimo quingentesimo duodecimo gubernabat, & eorum castrorum Imperator erat, quæ Nauarræ præsidiū Castellæ Reges in illis locis collocarent. est autem optimo Principi, suggerente patre Martino à sanctis, ex Diui familia Dominici, qui Frederici confessiones audiebat, visum, faciendum, vt qui blasphemus esset, Deoque aut cœlitibus iniuriosus, non alio, nisi mortis supplicio puniretur. Crescebat nimirum, & in dies augebatur impiæ, nefariæque linguæ, vel ex impunitate, vel ex pœnæ leuitate, licentia militaris, quæ etiam in cæterum vulgus mana-

manabat, & pernicioſiſſima contagione ſerpebat. haud multò poſt legem latam, plebiq́ue vniuerſæ promulgatam, duo grauiſſimi huius ſceleris accuſati ſunt; cauſaq́ue cognita, capitis ex lege damnantur. Martinus, qui legis ſuaſor erat, vir præclarus & animarum ſalutis percupidus, è ſuo cœnobio egreſſus, ad cuſtodiam vadit, & ſontibus capitali ſupplicio, ſine vlla ſpe veniæ addictis, author eſt Roſarij recitandi: Virginem eorum, qui ſe inuocant, oportunam eſſe adiutricem, perneceſſario tempore ſubuenire ſolitam, nulli, quamuis indigno, opem ſuam denegare. Conſilium alter ex damnatis accepit, alter obſurduit, cumq́ue educti è carcere, (vt Hiſpanorum mos eſt) à ſellis ad patibulum traherentur, ecce, quæ Roſarij amatorem beſtia portabat, ex media turba ſe proripit tanto impetu, vt nemo apparitor, nemo miles, nemo Iudicis adminiſter currentem aſinum inhibere poſſet, ille ad Diui Dominici monaſterium (rationis compotem diceres, rectiq́ue gnarum conſilij) quàm velociſſimè properabat, nec ante currere deſijt, quàm virginale in cœnobio ſacellum, cui à Roſario nomen inditum, fauentibus ſuperis, penetrauit; ſuumq́ue ſeſſorem ante Virginis altare conſtituit: accurrit ſatellitium, & turba inſequentium, vt ſontem à templo abducant, ſed eiuſdem Martini à ſanctis, & Ioannis Victoriani ex eadem familia valuit auctoritas, quorum hortatu parcitum illi eſt, quē Deipara defendiſſet. Ipſe beneficij memor, & tanto gratus miraculo, in Monaſterio permanſit, quo ſe tardum illud animans, quaſi quid ageret, ſentiens, delituiſſet, resque cœnobij domeſticas fratrum laicorum habitu procurauit. Porrò Fredericivxor clariſſima, tantum admirata prodigium, Roſarij precationem illo ex die præcipua quadam religione percoluit, multaque Roſariorum millia ccemit, militibusque diſtribuit, qui ſe hac pietate aduerſus imminentes Gallos armauerunt, à quibus Iuliobrica (Lucronium vulgò dicimus) obſidione cincta tenebatur, ſed breui ſecuta victoria eſt, & Galli profligati: non multò poſt, in eadem Vrbe victoria Alabenſis Cantabriæ principe, Roſarij ſodales, cùm ſe ad purificationis ferias à cereis imparatos cernerent, candelas triginta duas fingendas curauerunt, & in eum finem ceræ maſſam octilibrem mercati ſunt. hunc cæreorum numerum cùm dediſſet artifex, cæra ſuperfluit ad totidem ferè formandos: itaque ſexaginta perfecit, quorum quiſque libræ quadrantem ponderabat: ſed candelæ tamen vniuerſæ illas octo libras, iunctis & examinatis omnium ponderibus exęquarunt, miraculi fidem appellati Iudices, ſcribæ publici, & teſtium curatorum acta fecerunt, quæ in Victorienſi Diui Dominici monaſterio tabulatis aſſeruantur. Cumque triduo toto cerei arſiſſent, ſingulis q; omnium iudicio, ceræ pars tertia defeciſſe videretur, tamen ad ſtateram reuocati, nouem librarum, & quadrantis pondus retinuerunt. Illud etiam admirationis acceſſit, quod cùm in arca ſodales octo, & quinquaginta cereas faculas duntaxat condidiſſent, vbi ad Iudicem, qui rem exploraturus aduenerat, ab iiſdem ſunt prolatæ ſodalibus, vnus ex ſexaginta repertus eſt numerus, multiplicante Deipara Virgine ceram virginalem.

§. 170.

NIcephorus libro 17. capite 13. Procopius de bello Perſico libro ſexto non ſatis eſſe Virgini, mortales ab hoſte defendere, teſtis eſt Narſes, & fortunatiſsimus, & fortiſſimus Imperator, quem Iuſtinianus Auguſtus copijs, exercituiq́ue præfecit, quod viribus, conſilioque præſtaret, &, quod primum maximumq́ue eſt, pietatem, & religionem cæteris re-

Niceph. li. 17. ca. 13.

Procop. de bell. Perſ. lib. 6.

Narſes Imperator.

Gratia & vindicta.

bus anteferret: Virginis enim tam sedulus cultor erat, tam amicus & socius, vt militares copias tum demum in aciem produceret, cùm Deipara se illi videndam præbuisset. Igitur sacræ Virginis & consilijs, & auxilijs Totilam vicit, Barbaros ex Imperij finibus sæpe numero relegauit, infestissimos religionis hostes vertit in fugam, robustissimos Duces Buselinum & Sinduildum (Bultinum & Sisualdum alium nominant) subiugauit. Etanq; tam multæ, tamq; illustres victoriæ, Angelorum Reginæ, tum potentiæ, tùm clementiæ tribuendæ, quæ apparebat in prælijs & Narsen, quid maximè esset expediens, amanter indicabat, Gothorum classis, quæ tanquã densa nubes, orientem obscurabat, timore Narsetis repente dilabitur. Taranthum abijsdem Gothis captum Romani recuperant, & præter omnium opinionem Deiparæ venerator, Narses, quamuis à Francis & Gothis interesset obstructum, tamen cum exercitu Rauennam peruenit incolumis. Rubiconem ab hostibus custoditum, occiso Gothorum duce, transijt, & in Thuscia occurrentem cum ingenti exercitu Totilam adoritur intrepidus, signis collatis cum eo dimicat, ad extremum interficit, eiusque vniuersum exercitum contrucidat: fact imque est Dei opera, quod ipse confessus est Narses, vt Rex ille bellicosissimus cum potentissimo exercitu, & innumerabilib⁹ claro victorijs, à semiuiro Narsete, (erat enim eunuchus,) qui tamen Mariæ Virginis ope nitebatur, tam feliciter vinceretur: neque enim prius ipse admonitu Virginis cum hoste confligebat, quam prælij committendi signum cœlitus accepisset: precibus enim excita succurrit, quæ (vt canit Ecclesia) terribilis est, vt castrorum acies ordinata. Fuisse Narsetem non modo Beatæ Virginis, sed etiam æqui amantissimum illa demonstrant, quæ de eo Procopius scripsit, nos breuitatis studio silemus. Historia Pauli Diaconi de Narsete Longobardos euocante, vltro conuicium Theodoræ Augustæ, Italiãque prodente reijcitur; eo enim tempore non erat in Italia Narses, sed Constantinopoli morabatur.

Procop.

§. 171.

CAEsarius libro 7. capite 8. Alius quidam ex monachis eiusdem loci, vir tanta gratia dignus, vt nocte quadam Dominam nostram sanctam Mariam, viderit chorum psallentium circumire, & singulorum vultus mox incurrit apostasiam de altero, quid adhuc futurum sit, ignoratur. *Cæsarius eod. lib.* *Gratia, & vindicta.*

§. 172.

IDem Cæsarius ibidem cap. 34. Quædam sanctimonialis Virgo, à quodam clerico verbis luxuriosis stimulata, in tantum flante Behemoth, cuius anhelitus etiam prunas ardere facit, succensa est, vt corde & ore petitioni eius consentiret, promittens, quòd dicto completorio veniret ad locum condictum, erat enim custos Ecclesiæ dicto completorio, cùm Conuentus ascendisset dormitorium, & illa exire vellet de oratorio, in ipso ostio Christum manibus in Cruce expansis stare conspexit: cui cùm egressus non pateret, ad ostium quod erat in opposito, cucurrit. Ita succensa fuerat in amore clerici, vt pænè rationis expers, quid circa se diuinitus ageretur, minus aduerteret. quid plura? omnes ianuas adijt, & crucifixum in omnibus inuenit: tunc ad se reuersa, & territa, dixit fortè voluntas Dei non est, vt vsquam vadas. Solita fuerat eadem Virgo singulis diebus specialem quandam orationem de passione Domini dicere, quam Dominus in tanto periculo remunerauit, visione tam vtili: quæ tremens ante imaginem Dei Genitricis se prostrauit, de peccato suo veniam postulans: à qua cùm imago *Cæsar. ibid. cap. 34.* *Gratia, & vindicta.*

faciem

faciem verteret, & illa obnixius supplicatura proprius accederet, imago maxillam eius percussit, dicens: quò vis ire fatua? vade in dormitorium tuum. Tam fortis erat alapa, vt in terram ruens, sic iaceret, vsque ad tempus matutinale; cumque signa in dormitorio sonarent, & illa in oratorio non pulsaret, putantes, eam esse in oratione, vel pressam sopore intrantes, & in multo defectu illam reponentes, postquam refocillata, loqui potuit, omnia quæ circa se gesta fuerant, ad honorem Dei cõsororibus suis recitauit: licet grauis esset alapa, prorsus tamen à tentatione per illam fuit liberata: durus morbus durã requirit medicinam.

§. 173.

Idem.

Gratia, & vindicta.

AVthor Pomerij ad Beatam Virginem libro duodecimo, parte vltima, capite primo hæc scribit. Primum miraculum de Iuliano Imperatore, qui vt ait Beatus Hieronymus in Chronicis, contra Persas proficiscens, Christianorum sanguinem diis vouerat post victoriam. Scribit enim Ampilocius Episcopus Teonensis, quod ipsi Iuliano proficiscenti obuiauit Sanctus Basilius Episcopus, cui insaniens Iulianus dixit: Cùm Persas subijciens, reuersus fuero ciuitatem tuam desolabo, pro eo quòd Deos Deasque meas non adoratis. Basilius itaque rediens ad ciuitatem, narrauit omni multitudini verba Imperatoris, præcepitque omni clero & populo cum mulieribus & infantibus, vt ascenderent in montem Didymi, in quo erat Templum Genitricis Dei, & tribus diebus ieiunantes, postularunt à Deo dissipari Imperatoris iniqui sensum. Illis ergo orantibus, & flentibus, vidit Basilius in visu multitudinem militiæ cœlestis in monte hinc & inde, & in eorum medio super thronum gloriosum Beatam Mariam, & dicentem ad circumstantes: Vocate mihi Mercurium, & ibit interficere Iulianum, multa blasphemantẽ in Deum, & Filium meum. Itaque Sanctus Mercurius, cum armatura sua venit, & iussus ab ea, velociter abijt. Expergefactus à somno magnus Basilius, venit in Ciuitatem ad Sancti Mercurij sepulchrum, vbi suspensa eius conseruabantur arma, quæ inibi non inuenit: vocauit custodem, & vbi essent arma, quæsiuit, qui asserebat cum Sacramento vesperi ibi ea fuisse. Vnde Basilius visioni credidit, & cunctis reuelauit, omnesque de monte reuersi cum gratiarum actione, ad sepulchrum sancti Mercurij inuenerunt lanceam eius sanguine madidam, omni autem populo festum agente, in laude Beatæ Virginis pro liberatione Ciuitatis. Ecce die quarto venit in Ciuitatem Libanius quæstor Iuliani, dicens: cùm esset Iulianus, secus Eufratem fluuium, vbi & iam in castris eustodiebant eum septem militum excubiæ, ecce nocte quidam miles ignotus cum armis venit, eumque lancea cum valido impetu perfodit, qui subito ascendens, nusquam comparuit. Iulianus verò cœpit blasphemando clamare, dicens: Vicisti Galilęæ vicisti, & sic expirauit.

§. 174.

Idem auctor

Gratia, & vindicta.

IDem author ibidem. Secundum miraculum de responsorio: *Gaude Maria Virgo, &c.* Quidam etiam puer fertur, quod cùm in scholis didicisset istud responsorium: *Gaude Maria Virgo cunctas hæreses sola interemisti, &c.* quod responsorium cantatur in Festo Purificationis Beatę Virginis, & cum pulchra voce per plateas, & ciuium portas hoc decantaret, porrigebantur sibi plurimæ eleemosynæ, & ciborum reliquiæ. Iudæi autem, quia plurimi in illa ciuitate commorabantur, cùm audirent puerum canentem, multum dolebant; eo quòd matrem Iesu laudaret, & Iudæos

per

per responsorium hoc confunderet, dicens: Erubescat ludæus infelix, qui dicit, Christum ex Ioseph semine natum. Stomachatus igitur in vicinatu plateæ, vnus ludæorum, cùm puerum talia canentem audiret pluries, accessit & vocauit, quasi aliquid, puta pomum, vel simile se daturum asserendo, & sic promissionibus, ac xenijs fructuum ipsum in domum suam aduocauit, tanquam si cantum istum abeo velit audire. Puer simplicitate præditus, secutus est promittentem ludæum, & mox iste habita opportunitate, ipsum puerum in gutture cultro cædendo occidit. Cumq; mater eius vidua paupercula diutius quæsitum non inueniret, dictum est, à conuicanijs, quod visus est à plurimis, portas illius ludæi intrasse Sed quid fuerit, vel vtrum sanus inde exierit, nullus testimonium poterat ferre. Mater ergo iudicem adijt, & iudex ludæos coegit, & facta lite, cùm probatio incumberet ipsi matri pueri, eo quòd contra eam ludæi insurrexissent, nec probare quidquam de hac re mater posset, anxia pro filio perdito, in hoc se obligauit, quòd requirerentur omnes domus ludæorum, & si inueniretur apud eos suus filius deperditus: omnes ludæi comburerentur, aut si non mulier ipsa calumniæ conuicta, combureretur. Quod cùm placuisset ludæis, & iudices approbassent: ecce quæstione facta, nullibi compertus est puer occisus, qui tamen sub modio iacebat occultatus in conclaui. Tunc mulier lata sententia ad cremandum ducitur ab omni populo, exultant ludæi, compatiũtur, & dolent noti Christiani ac vicini, scilicet mulieris illius plurimum, plurimum, quoniam plorat ipsa, quia perdito filio, se ipsam etiam amiserit. Cumq; nullum haberet refrigerium: quia insultantibus ludæis, tanquam victoribus ad incendium duci cogebatur. Sic ducendo, cùm propè Ecclesiam B. Virginis peruenisset, atq; recordata de beata Virgine, inuocaret ipsam lacrymabiliter: cœpit audire dulces sonos, ac si filius suus cantaret illud responsorium solitum, scilicet, *Gaude Maria Virgo, &c.* cœpit protendere collum, & populum commonere si audirent, & ecce omnes audientes populi canũ, commoti sunt, & illuc accesserunt, vbi audiebatur vox sonare, & sic compererunt, quia in domo illius ludæi sub modio absconsus fuerat puer occisus. Subleuantes modiũ, viderunt puerum in gutture cruentatũ, cum Angelis pluribus dulciter illud responsorium concinentẽ. Quo viso miraculo, & puero interrogato, ac omnia facta enarrante per ordinem, scil. quomodo per B. Virg. fuerat sanatus in gutture vulnerato, & dulciter inter Angelorum agmina fotus. Ecce omnes in laudem B. Virg. Christiani proruperunt, & ludæos combusserunt, ac puerum sanũ matri restituerunt. Sicq; precibus & meritis B. Virg. saluata est mater, & filius.

§. 175.

FRancis. Bencius in annalibus 1588. de rebus collegij Pacensis in prouincia Peruana. Quidam ad turpem concubinatum Indam fœminam pellexerat, quam cùm aliquando ad infaustum torum vi, minisq; compulisset, prouecta nocte, cœlum tonitru concuti, tremiscere terra, densasque inter tenebras, micare ignes, & per feneſtrarum rimas infundi, vt ferirent oculos animosq; adulterorum. Cadit interea sciſsis nubibus ignis largifluus cum grandi grandine crepitante super tectum. Hic mulier subito pauore correpta, Virgo, inquit, Maria fer opem, tuere me obsecro. At vir ferox & impius mediam cõplexus, tace, sis stulta, scilicet auxilium vllum ferre potest Maria, abscidit extremam vocem: fulmen subitum quod intonuit, & adhuc loquentem auellit ab amplexu mulierculæ, quatuorque aut quinq; passus eiecit extra lectum, & flãma concipit arida nutrimenta: fugit mulier

Franc. Benc.

Gratia, & vindicta.

mulier perterrita, miserum inclamat, excitat, peruellit, nempè metu exanimatum, non exanimem putabat. Trahit digitos pedum, corruunt pedes ipsi, diuelluntur, conantem domū ingredi, & mortuum extrahere, impediebat ignis introrsum repellens: ad extremum vociferata horrendum conciuit vicinos, & ægrè portato informi cadauere, reperiunt hominem mirum dictu, hiante ore, sine vllis dentibus, sine lingua, omnia præterea membra ita soluta & fluxa, vt vel leuiter contrectata, manum sequerentur. Hic finis impuri, impudiciq; hominis fuit: at mulier, alieno malo edocta, quanquam extra periculum, non extra metum, cùm vnde 40. millia passuum confecisset, ad nostrum templum se contulit meliori vitæ instituendæ.

§. 176.

Petr. Dam. *Gratia, & vindicta.*

EPistola ad Thomam Claudiopolensem Episcopum, ex scriptis Petri Damiani, & ex Antonino Florentiæ Archiepiscopo 2. par. tit. 16. cap. 8. sect. 1. In sancti Vincentij monasterio ab eo loco nō longè, cui Petra Pertusa nomen est, fratres vnanimes lege lata sanxerunt, vt cum Pontificijs ex Breuiario, vt vocant, precationibus, horatiæ beatissimæ Deiparæ preces discerentur, cūque id toto triennio sanctè, integreque seruassent, perditi cuiusdam monachi, cui Gazoni nomen fuit, loquacitas impia, vt Virginis ad omnes horas preces tollerentur, euicit, attamen de cœlo vindicta tarda non fuit, rapinas, depræ dationes, incendia, monasterijque tum seruorum, tum administrorum cædes immittens, itum est ad Germaniæ Imperatorem, qui maleficia coerceret, & à facinorosis pœnas repeteret, irrito euentu. Consulitur Petrus Damiani, vir illa ætate, vt sapientissimus, ita doctissimus, qui meri ò illa passos esse respōdit, quòd Imperatricem pacis, vtar illius verbis, abiecissent. Mox in terram nuncij corruentes beatissimæ Virg. matrisq; laudes nunquam se in posterum omissuros receperunt, quibus restitutis sequuta pax est, & monasterij alta visa securitas.

§. 177.

Bencius. *Vindicta.*

BEncius in annali in hist. collegij Hispalensis. Bonif. lib. 5. ca. 1. In sodalitijs deligitur vnus, qui sit particeps, & conscius rerum omnium, quæ decernuntur, easque litteris mandat, ab arcanis dicitur. In congregatione porrò Hispalensi adolescens, qui hoc munere fungebatur, duos ad hanc rem destinauerat calamos scriptorios insigni ornatu, erenim caules detractis plumulis aureo filo, sericoq; distinguebantur inuicem permixtis. Horum alterum subripuit vnus de sodalibus iuuenili furto; cuius etsi sæpè pulsabatur cogitatione animus, vt posthabitis rebus omnibus, se Deo consecraret in aliquo cœnobio, præualente amore in mulierculam quandam aliud agebat: ad eam aliquando cùm instituisset scribere, ac furtiuum calamum sumpsisset manu, sensit sibi verberari os excussissima palma, simulq; vox aures perculit, etiāne sceleste rem mihi dicatam temerare audes impuro ausu? attonitus hac pronunciatione ac verbere, vt se colligit iuuenis, reuertit ad calculos, quos pænè abiecerat, vt amplecteretur habitum Franciscanæ religionis: mansit ad aliquot dies memor nota plagæ acceptę, vt appareret ab alia vi quadam maiore, quàm ab humanam pactam.

§. 178.

Idem B. Petrus lib. 2. epist. 14. *Vindicta.*

IDem Beatus li. 2. epist. 14. Stephanus aliud mihi retulit: audisse (inquit) me memini, quia clericus quidam fatuus erat, nauci friuolus, & ineptus. Huc accedit, quia nullam religionis dotem, nullam canonicæ disciplinæ, grauitatis siue modestiæ videbatur habere

virtutem : inter hos tamen emortuos inutilis vitæ cineres, hic perexigui fomitis tenuis viuebat igniculus, vt ante sacrosanctum altare quotidie B. Dei genitricis accederet, & reuerenter verticē curuans, Angelicum hunc atq; Euangelicum versiculum decantaret: *Aue Maria, gratia plena; Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Cùm itaq; tantæ fatuitatis ineptiam nouus deprehendisset Episcopus, ab inutili persona vtilitatem Ecclesiæ detineri indignum duxit, eique præbendam, quam à nuper elato suo decessore perceperat, abstulit. Sed cū hunc rei familiaris egestas opprimeret, & præter hoc aliud quid, vnde posset viuere, non haberet, nocturno silentio pia Dei genitrix Episcopo, dum dormiret, apparuit, quam scilicet præcedebat vir, in vna manu ardentem faculam, in altera ferulam portans; cui mox B. Virgo præcepit, vt Episcopum delinquentem aliquantis ferulæ, quam gerebat, verberibus castigaret. Cur (inquiens) cappellano meo, qui mihi quotidianas impendebat excubias, stipem Ecclesiæ, quam non ipse contuleras, abstuliſti? moq; sacerdos tremefactus, euigilans, clerico beneficium reddidit, & quem ignotum Deo fortè crediderat, iam quasi propensius honorauit. Si igitur ille vnum duntaxat laudis canendo versiculum, corporei victus alimenta promeruit, quam fideliter æterna sperabunt, qui B. Reginę mundi quotidiana horarum omnium vota persoluunt? Vnde pulcher etiam mos in nonnullis Ecclesijs inoleuit, vt specialiter ad eius honorem per omne sabbatum missarum celebrentur officia, nisi fortè festiuitas, vel feria quadragesimalis obsistat.

§. 179.

Canisi li. 1. de Deipara cap. 20. Vindicta,

CAnisius li. 1. de Deipara cap. 20. hæc habet. Nefarius ille Nestorius cùm hostile bellum aduersus Deiparā instituisset (negabat enim, Virginem esse matrem Dei) non impune tulit tantam audaciam & procacitatem, fuerat enim à toto concilio Ephesino anathemati perpetuo traditus, & ab Imperatore Theodosio in exilium actus, Episcopatu suo Constantinopolitano planè spoliatus, ac demum coactus in exilio vitam absoluere calamitosam: sed & blasphemam eius linguam miri carnifices corrosere vermes, & si non corpus, nefandum nouæ impietatis organum, à terra dehiscente absorptū, certè anima eius ad inferos vsque detrusa, meritas blasphemiæ pœnas luit. Et quoniam Nestorij mentio hic incidit, aliam ex Mosco Euirato narrationem attexā, vt clarius constet, insignem illum Mariæ hostem, etiam post mortem suā viuis, ac superis merito detestandum haberi. Abbas Cyriacus, qui & Lauræ Calomonis presbyter eximius fuit, de se ipso testatus est, quòd aliquando mulierem honesta facie præditam & purpura indutam, per somnum viderit, Dominā nempè nostram sanctam Dei genitricē, duobus viris illam comitantibus, qui & ipsi venerabiles & præclari esse aspectus apparerent, vtpotè Ioannes Baptista, & alter eiusdem nominis Euangelista. Abbas igitur de cellula egressus, orare Deiparā cœpit, vt ad se ingredi dignaretur, ac sæpè hoc ab illa summopere flagitauit, illa tamen semper abnuente, atque hoc demum respondente: Habes intra cellam tuam inimicum meum, & me illuc ingredi cupis. His dictis abscessit illa, & Abbatem valdè sollicitum anxiūque reliquit, vt qui nesciret, de quo inimico sermo hic haberetur, veritus etiam ne quid occulti fortasse criminis ipse in Deiparam commisisset, cùm nullum alium in eadem cella commorantem haberet. Vnde in graui mœrore ac luctu versatus est, quem vt ratione aliqua vel leniret vel depelleret, codicem legendū sumpsit in manus, eumq; à S. Hychio presbytero Hierosolymitano mutuo accepę-

ceperat. Cùm euoluisset codicem, duos impij Nestorij libros in fine vidit adiectos, & statim discussa velut nube, lucem veritatis aspexit, nihil vt dubitaret amplius superiorem sermonem de inimico Deiparæ apud se latitãre, ad hunc ipsum authorem Nestorium pertinere. Abit igitur statim cum libro, eumq; bona fide restituit, ne talem Mariæ inimicũ apud se diutius esse pateretur. Accipe, inquit, frater librum tuum, ex quo plus ego detrimenti quàm vtilitatis percepi. Cùm verò rem omnem exposuisset, herus codicis, zelo sancto succensus, duos illos Nestorij libros ex ipso præscidit volumine, ac flammis vltricibus tradidit, dicens: *Non manebit in cella mea Dominæ nostræ sanctæ Deigenitricis, semperq; Virginis Mariæ inimicum.* Atq; vtinam eodem zelo flagrarent omnes qui hoc æuo in authores & libros similis farinæ incidunt, simulq; curarent, istiusmodi scripta omnia, quæ ad Christi, sanctorumque ignominiam, & bonorum offensionem faciunt omninò explodi ac aboleri. Alter ex grauiter punitis Mariomastigis sit ille, quem iam ante depinximus Imperator Constantinus Copronymus, adeò in Mariam petulans atque contitiosus, vt, sicuti diximus, illius honori publicè detraheret, eamq; tam imbecillem faceret, quæ nulli mortalium posset opitulari. Quid autem illius morte honestius? quid acerbius & violentius? cum iam Deo & hominibus esset inuisus, sub mortem carbunculi pedes eius inuaserant, & ardentissimis febribus vrebatur. quare nullum à medicis remedium poterat excogitari. tum elephantiæ morbus accedebat, & in extremam animi desperationem deuenerat, vt hinc miserabiliter vociferaretur, se viuentem etiam propter Mariam Deiparam igni extinguibili traditum, in eumque coniectum esse. Tot morbi coeuntes, tam diri cruciatus sæuientes velut Mariæ ministri, atque carnifices blasphemum Cæsarem perdiderunt. Sed pergamus, & alios Mariæ hostes accersere, quorum maledicentiam diuina seueritas, non sine miraculo publicè castigauit, nimirum, vt & mali, propositis exemplis, ne quid simile designent, prouide terreantur, & boni in honorandæ Virginis officio magis confirmentur. Cùm Cæsar Mauritius imperaret, Christiani quidam vt fit, in caupona suauiter compotabant, & lepid. scilicet esse non poterãt, nisi inter compotandum, conuitijs in Mariam iactis, impurè certarent. En verò ibi æquum in Mariana causa vindicẽ Deum, qui præcipuè huius nefariæ concertationis authores, vt ne vnus quidem saluus euaserit, potenter arripuit, prostrauit, oppressit, deleuit, rectaq; ad inferos misit, perpetuo excruciandos. Hospes autem & Dominus ædium, in quibus blasphemi conspederant, ab hac diuina punitione vix mansit immunis: præsertim, quòd is conniuentia potius, quàm vt cæteri, ex destinata malitia deliquisset. Cui non multò post nocte dormienti Dei mater astare visa est, illique in memoriam reuocauit, quod blasphemos illos conuiuas in suis ædibus indignè toleraſſet. Tum ille miser supplex illi esse, veniamq; delicti petere: & ne tam cito morte mulctaretur, sed vt tempus ipsi pœnitentiæ relinqueretur, orare. Virgo daturam se hoc ei, neque in præsentia ipsum ita morte pœnas luiturum promittere: vimine autem, quod manu gestare videbatur, genua eius circumcirca velut exarans, circumscribere. Id vbi factum, sacra Virgo quidem non apparuit amplius, sed ille somno discusso, membra ea, quæ vimine notata fuerant, à reliquo corpore disrupta, statim inuenit, & recẽtem inde sanguinem sensit profluere. Igitur in publicum productus miser, fœdo & miserando habitu corporis, non minus quàm oris sui testimonio, veritatẽ publicè confirmauit, hocq; iustum Dei iudicium omnibus promulgauit. Historiam ex Nicephoro mutuati sumus. Cum hoc mira- *Nicephor.*

Moscus. culo planè congruit, quod Moscus Eiuratus in suo Prato Heliopoli, quæ Phænicis est ciuitas, refert accid sse. In hac, inquit, mimus quidam erat Gaianus nomine, qui in theatro Sanctam Dei Genitricem blasphemans, populo spectaculum blasphemiæ præbebat. Apparuit autem illi Sancta Dei Genitrix, dicens. Quid tibi mali feci, quia coram tanta multitudine mihi detrahis, & blasphemas me? Ille verò, surgens non solùm non se correxit, verùm etiam plus blaspemabat. Rursus ergo apparuit illi sancta Dei Genitrix, corripiens eum, ac dicens: Noli quæso, noli ita lædere animā tuam. Ille verò rursum deterius illam blasphemabat. Vnde ipsa tertio apparens, eadem repetebat. Cùm autem se ille non corrigeret, sed plus quoque blasphemijs adijceret, meridie dormienti sibi Virgo apparuit, nihilq; dicens, digito solo signauit eius manus & pedes. Euigilans autem, inuenit se truncatum manibus & pedibus. Atque ita infelix, vt truncus inutilis iacens confitebatur omnibus, cuius rei gratia, & quomodo hoc passus esset, vtque propter blasphemias suas clementer cruciatus fuisset.

Vindicta.

Vincentius Belluacen. His affine est, quod Vincentius Beluacensis adfert, quendam apud Lassentiam vrbem, cùm in taberna luderet tessera, ludumque sibi inauspicato videret cedere, benedicto ventri Gloriosæ Virginis Matris maledixisse, & mox illum eodem loco subita & horrēda morte luisse pœnas, à quibus ad æternum supplicium haud dubiè raperetur. Nunc Euagrium quoque & suffragantem ei Nicephorum audiamus. Tiberius Cæsar, qui proximè ante Mauritium regnauit, Imperialis palatij Præfectum habuit virum in cæteris excellentem, sed Anatolio, in Christum & Matrem eius contumelioso, malè fauentem, vt causam eius defendere videretur. Fassus autem est hic Præfectus, vir minimè vanus, sibi Deiparam apparuisse, & secum grauiter expostulasse, his ferè verbis. Quousque tandem Anatolium propugnas, qui tam impudenter, supraque modum in me & filium meum illudit? Hic enim Anatolius, vt paulò fusius historiam explicemus, cùm Antiochiæ versaretur, nefandis Deorum sacrificijs deditus, & maximis quibusque flagitijs coopertus, neq; minus in diuina mysteria blasphemus fuit: quem idcirco Cæsar in vincula conijci, & ad se Constantinopolim adduci iusserat. Fortè tunc accidit, imaginem sacræ Virginis ex funiculo pendere in carcere, quo concluſus erat idem Anatolius: in hanc igitur ille tot scelerum sibi conscius, oculos conijcere, & coram ea suppliciter orare, veniamque petere, & externo quidem corporis habitu, animi pœnitentiam simulare, sed vt ea hypocrisi, & ficto animo superos fallere minimè posset. Cæterum à Præfecto carceris, alijsque multis, qui in custodia tunc aderant, est animaduersum, Deiparam imagine dicta expressam, velut iratæ mulieris similem auertisse vultum, ac nullum Anatolij precibus tribuisse locum, quasi blasphemum & execrabilē hominem prorsus auersaretur. Sed & eadem imago alijs in vrbe pijs eodem tempore per visum oblata est, multis in eo tandem conspirantibus, vt Anatolij tum in Mariam, tum in Christum ipsum valdè contumelioſi, horrenda impietas publicè vindicaretur. Proinde visum est omnibus hunc facinorosum, ac impium è medio tollere, qui bestijs expositus, ab ijsque deuoratus fuit, lupis etiam inaudita crudelitate in mortuum grassantibus; quoniam rapaces bestiæ cadauer impij detrahere, rapere, atque discerpere voluerunt. Hæc veteres miraculorum loco habuerunt, ac velut diuini iudicij certa testimonia reputarūt, è quibus perspicuè constat, Mariomastigas non impune peccare, honorem verò sacrosanctę Virg. Deo esse curę, vtpote qui eius iniuriam grauissimè vindicet, ac vicissim pios eiusdem cultores,

multis.

multis magnisque muneribus libentissimè prosequatur. Vnde Nicephorus, postquam primum à nobis recitatum exemplum de punitis Mariomastigis produxisset, significanter adiunxit, eodem tempore multos, qui hoc audissent miraculum, laudes Deo decantasse, ac Matrem Domini celebrasse, quæ ita semper Christianorum genus tueretur, quæque nouo quodam modo affectionē erga nos suam, quamuis præter naturam eius sit, vt quenquam puniat, vi quadam adacta, ostenderet, vt scilicet religio nobis stabilis, & firma esset.

§. 180.

Vindicta. QVanto dissimilior Magdeburgēsis Vdo fuit, qui & ipse ad studia plumbeus, cum nihil omninò proficeret, suisq; condiscipulis partim ridendum, partim se præberet admirerandum; hanc eandem benignitatis arcam precibus aperuit, & ingenium, quo carebat, cum lachrymis poposcit à Virgine. gementi, seque afflictanti diuina mater, non solum, quod petebat ingenium, sed suæ etiam vrbis Episcopatum pollicetur, caueret tamen, ne duplicati beneficij immemor, à recto virtutis tramite declinaret; ac flagitiosæ vitæ se dederet: id enim non impunè laturum. Ex hoc tempore tam beneficam puer Vdo Dei matrem expertus est, vt ad magnam ingenij, doctrinæque laudem, non sine sociorum, ciuiumque suorum admiratione peruenerit. Neque solum eruditionem, ac scientiam, sed etiam Pontificiam dignitatem, (vt erat à Virgine promissum, prædictumque) consequitur. Vnde ingenij celebritatem Pontificiam tiaram, ac Deiparæ dona pessum dedit, tantisque muneribus ingratissimus, Episcopalique abusus potestate, contra, quàm Virgo tanto ante monuerat, turpissimis se flagitijs inquinauit. Igitur, cum beatissimæ Virginis, & donorum, & monitorum oblitus, peccandi nullum finem faceret, in grauissimū Dei iudicium incidit, horrendoq; mortis genere turpissimam vitam terminauit. Necis historiam, qua à concubinæ complexu auulsus, in templum, Deo præsidente, multisque cælitum astantibus, tractus, damnatusque & gladio iugulatus esse dicitur, dæmonibusque traditus, qui præda exultantes, sceleratissimi Pōtificis animam in inferos demerserunt, varijsque ludibrijs affecerunt, narrat Bredembachius, alijque scriptores minimè contemnendi. *Bredembac.*

§. 181.

TIlmannus Bredembachius lib. 3. sacrarum collationum, cap. 22. hæc refert. Circa annum Dominicæ Incarnationis 1577 cum passim in toto pēnè Belgio Iconomachi in templa, & imagines irruere cœpissent; contigit in celebri quodam pago, Lokeren appellato, quatuor milliaribus à Gandauo dissito, quēdam Beatæ Virginis Deiparæ statuam inuadere, ac demoliri; cumq; magno labore talem imaginem luxasset, decidens illa, sui ipsius casu vindictam inflixit Iconomacho: nam casus iste imaginis, nutu diuino sic accidit, vt puellus ille Christus Dominus, quem Virgo mater vlnis gestabat, quantumcunque antea blandulus, nunc vltrici manu, (quam arte sculptoris protensam habebat) recta in caput, ipsamq; maxillam Iconomachi impingeret, eandemque velut armilla quadam acuta, perforaret; sicut de Leuiatan apud Iob legimus, Iob cap 40. & Psalm. 31. *In chamo, & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Quamquam hic animo præpostero nimis approximauerit. Historia ab oculatis, & fide dignis testibus in consessu honoratorum virorum nobis relata est. *Tilmannus Bredembac. Vindicta. Iob 40. Psalm. 31.*

§. 182.

Thom. Costus Vindicta. Mariana lib. 21.

THomas Costus in additione ad compendium historiarum Regni Neapolitani post lib. 6. annot. 131. cui consentit Mariana l. 21. de rebus Hispanicis, cap. 13 sic narrant. Quanta reuerentia sanctorū templa, præsertim Deiparæ in bellis etiam iustis, ab omni militari iniuria, & bellica profanatione sint custodienda, sequens exemplum tēpli Deiparæ à Carmelo apud Neapolim apertè declarat. Cum Alphonsus, qui primus ex Aragonijs à Ioanna Secunda Regina Neapolitana in filium adoptatus, Neapolitanum Regnum est adeptus, cum Renato Andegauensi de Regni possessione armis contenderet, eaque de causa anno 1439. Neapolim, quam Renatus obtinebat, terra, marique obsideret, Petrus Aragonius Alphonsi frater totius exercitus Dux, eam ciuitatem multis in locis, sed præsertim murum illum ciuitatis propè templum B. Virginis de Carmelo ad portam Vrbis, vulgo à mercato dictam, æneis tormentis quatiebat: prostrato muro, qui Carmelitanum templum obtegebat, ingens quidam globus displosus, eius templi absidem perrumpens, caput statuæ Christi Domini nostri è cruce pendentis, quæ super trabem in media templi testudine collocata erat, recta petijt; cuius ictum statua ipsa caput demittendo insigni miraculo declinauit: quare ingenti absidis concussione, & terrifico pilæ fragore, excitі Patres Carmelitæ, aliqui ciues monasterij custodiæ deputati accurrunt, tantumque miraculum conspicati, sacram Crucifixi effigiem ad tutiorem locum transferre frustra sunt conati: eam enim neutiquam mouere potuerunt: caput verò sacræ Crucifixi statuæ in hodiernum vsque diem aliquantulum solito depressius visitur: pila item illa ad miraculi monumentum, in templo asseruatur, tabella exposita, quæ totius rei gestæ narrationem continet. In sequenti verò die, qui teste Mariana, erat 23. Octobris, & in feriam sextam incidit; cum idem Petrus ad vallum, aggeremque vbi enea tormenta ad quatiendam vrbem collocata erant, adueniisset, iuberetque vrbis verberationem versus eandem partem redintegrari; è Diuæ Mariæ Carmelitanæ templo, inquit Mariana, tormento percussus occubuit, pila tertio ad terram illisa, quarto icta caput eius cōminuit. Sic ille. Quo audito Alfonsus, fratris nece mœstus, iustam tamen Dei punitionem agnoscens, testatus est se, cum Crucifixi miraculum, quod pridiè euenerat, ex transfuga cognouisset, Petrum fratrem eodem, quo interijt die, sedulò monuisse, ne versus Carmelitarum Deiparæ templum tormēta displodi iuberet: Petrum verò ad hoc nullum sibi responsum dedisse, sed malo suo eandem verberationem rursum tentare voluisse. Ad hæc tanta est imbriū magnitudo, vt obsidio soluenda fuerit. Alfonsus verò hoc Crucifixi miraculo adeò est permotus, vt cū triennio exacto, Neapolis in eius potestatem veniisset, postridiè ad templum Deiparæ Carmelitanum adierit, vt sacram Crucifixi imaginem piè veneraretur. Quod & deinceps crebrò factitauit. Hæc Thomas Costus. quam Crucifixi imaginem etsi Mariana non referat, necem tamen Petri miraculo tributam, his verbis scribit. Vulgus militum, sed & populi multitudo, Petri cædem in religionem vertebat: præsertim continuis imbribus oppugnatione impedita, soluta obsidione, Capuam discessum. Hæc Mariana.

§. 183.

Vindicta.

IN via publica propè S. Anastasiam (id est oppidum Nolanæ diœcesis ad ciuitatem Vesuuium spectans, quod inter Nolam, ac Neapolim sex passuum millibus æqua distantia interiacet, situm ad Vesuuij montis radices, flam-

marum,

marum, cineriſque eruptione, ac Plinij interitu maximè celebris) erat anguſtũ, ac tenue ſacellum in campeſtri loco antiquitus extructum, cui nomen vulgò ſancta Maria ab Arcu, ſic dicta à fornice, ad cuius læuam in pariete erat liquidis expreſſa coloribus Deiparæ imago, puerum Ieſum inter brachia geſtantis, quæ quamuis nullo olim clericorum perpetuo ſeruitio coleretur, illuſtrata certè diuinitus eſt nobiliſſimo miraculo, quod finitimos populos ad pietatem nouumq; ſacelli cultum excitiuit. Enimuerò centeſimo ferè ab hinc anno, cum in ea vicinia ludum aliqui luderẽt, quo lignei globi trude item ligneo circumaguntur in plano, ac ſubinde traduntur, impius quidam, & proiectæ audaciæ, quòd pecuniæ iacturam faceret in ludo; die, quæ ſacratiſſimum reſurrectionis Domini Paſcha proximè ſequitur, arreptam, qua ludebat, pilã, irato, infenſoq; animo, in depictæ Deiparę faciem ſacrilega manu contorſit, eiusq; ſiniſtram percuſſit genam: inde repente ſanguis miraculosè dimanauit; cuius repreſſo fluxu ſanguinei coloris impreſſa cicatrix diuinitus remanſit in facie. Verum extemplo impius percuſſor immobilis factus, eodem in loco in ſceleris pœnam, ludicis ſententia infœlici arbori cum luſorijs inſtrumentis ſuſpenſus interijt: tunc verò perſpicua mirabili nouitate commota vicinia eſt, ad nouam Deiparæ pietatem tunc aucta celebritas; nam eadem feria ſecunda Paſchatis, eo in loco decreta eſt ſolemnitas, quæ ad inſequentis vſque miracula temporis perdurauit; quin etiam ad poſteritatis monumentum reum ex arbore ſuſpenſum cum luſorijs inſtrumentis, in veteris ædiculæ pariete quadam inſcriptione notatum, coloribus expreſſerũt, quam nos ipſi longo intervallo ex eodem ſemidiruto, exſcripſimus; quia verò præ nimia vetuſtate, voculæ ſunt obſcuratæ, ideò illam hic apponere omiſimus. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, quanto magis in Matre ſua? quam cum quidam diabolica inſtigatione luſor pila percuſſiſſet in faciem, repente immobilis factus, à curia deprehenſus, & ex arbore ſuſpenſus fuit.

Vindicta.

§. 184.

VIncentius Beluacenſis lib. 7. ſpeculi hiſtorialis, cap. 110. hæc narrat, quæ omnia oculis ſe vidiſſe teſtatur, his verbis. Iuxta Caſtrũ Rodulphi eſt quædam Abbatia, quæ Dolis vocatur: ſuper quandam columnam Eccleſiæ ipſius eſt imago lapidea ad honorẽ B. Mariæ Virginis ſculpta, ad quam cum quædã paupercula mulier veniret orandi gratia, aderant ibi in atrio duo Barbãtiones, qui improperantes mulieri, imaginem blaſphemabant: vnus etiã rapides ad imaginem proijciens, vno lapide percuſſit, & confregit brachium pueri Ieſu; & cum manus illa lapidea cecidiſſet, exierunt guttæ ſanguinis è brachio, ac ſi eſſet hominis viuẽtis, ſtatimq; in eodem loco ille, qui lapidem proiecerat, expirauit; alter verò cũ vellet morientem inter brachia ſua colligere, vt ei aliquod præberet adiutorium, ſtatim arreptus eſt à dęmonio, & inſequenti die defunctus eſt. Eodem etiam ſequenti die cũ turba multa conueniret, vt imaginẽ, & ſanguinẽ de lapide fluxum videret, ipſis videntibus, ipſa imago ſcidit veſtimenta ſua, ſcilicet ornatũ, qui circa eã erat lapideũ, & collum ſuũ, quod confirmatũ erat monili lapideo, & pectus denudauit vſq; ad mamillas propter ignominiam, & iniuriã, quæ illata fuerat ſibi, & paruulo ſuo. Hoc contigit ann. Do. 1187. tẽpore, quo bellũ erat inter Philippum Regẽ Francorum, & Henricũ Regẽ Angliæ, altero conſtituto apud Caſtrũ Dolis cum exercitibus ſuis. Et ego, qui ſcripſi, ſanguinẽ illum vidi oculis meis, & imaginem nudatam, ac veſtimentum reuulſum. Qui autem viderunt eam ante perpetratum miraculum, teſtantur, quòd

Vinc. Belua. Vindicta.

quòd erat prius rubicunda, & benè colorata; modo ſtat tanquam exanguis, & pallida. Ibi pro certo cęci illuminantur, claudi curantur, & fiunt miracula. Hæc Vincentius.

§. 185.

Liber de viris illuſtrib. Ciſtercięſis.

EX libro de viris illuſtribus ordinis Ciſtercienſis, & refertur in ſpeculo exemplorum, nu 43. diſt. 3. Et Vincentius Beluacenſis lib. 7. ſpecul. hiſt. cap. 104. affirmat, hoc euenisſe apud Laſſentiam. Cæſarius lib. 7. cap. 44. Quidam blaſphemus cum in ludo perderet, Sathanico furore percitus, vbi omnia Chriſti membra, tam externa, quam interna per ordinem nimia temeritate iuraſſet, ſanctiſſimæ Dei Genitricis membra omnia ſingillatim iurare cœpit, ijs, qui aderant præ horrore aures obſtruentibus. Sed repente inuiſibili, & quaſi fulmineo ictu percuſſus corruit, & diu palpitans, & mortiferos gemitus edens, ſacrilegam animam efflauit, in cuius dorſo inuenta eſt plaga recens, & intus debiſcens, ita vt intima cordis, hepatis, & pulmonis apparerent: multis verò ad horribile hoc ſpectaculum confluentibus, vni eorum quidam olim defunctus, apparens, dixit, Chriſtum Dominum Genitricis ſuę iniurias citius punire, aut ſi in poſterum reſeruat, eas acerbius caſtigare.

Spec exem. Vincen. Beluacenſis.

Vindicta.

§. 186.

Euag. lib. 1. hiſt. c 7.

EVagrius lib. 1. hiſtoriarum cap. 7. ex narratione quadā ab ipſo Neſtorio cōſcripta ſe accepiſſe teſtatur, ac narratur in hunc modum. Neſtorius ex Suida. Nepos Pauli Samoſateni nefarij hæreſiarchæ, Epiſcopus Conſtāt. exercendæ hæreſis & ipſe auctor, quippe qui duas in Chriſto perſonas ponebat; ideò filium Virginis tantum hominem eſſe dicebat, ſanctiſſimam verò Virginem negabat eſſe Dei Genitricem, cuius blaſphemias ſac. Conc. vniuerſale Epheſinum, anno ſalut. 431. ſub Cæleſtino I. damnauit, eumque Epiſcopali dignitate priuauit: cumq; adhuc obſtinato animo ſuæ hæreſi adhæreret, edicto Theodoſij Imperatoris in Oaſim, alio nomine Ibim, quæ eſt in Aegypto prouincia deportatur. Verum ea Nomadum multitudine in eā irrumpēte capta, igniſque, & cædibus funditus vaſtata à barbaris, demiſſus, cum quibuſdam captiuis venit Panopolim, vnde ad regionem quādam Elephantiam nomine, ad extremā oram Prouinciæ Thebaidis ſitam, per milites iuſſu Præſidis deductus eſt; quò, cum itineris longitudine fractus, peruenisſet, iterum magno cum labore Panopolim reuerti iubetur, rurſum à Panopoli ad quoddam illius confinium traducitur; inde etiam demigrare cogitur. De interitu verò eius hæc ſubijcit. Ipſe equidem accepi à ſcriptore quodam modum, quo deceſſit è vita, fuiſſe talem, nimirum eius linguam vermibus exeſam eſſe, ſic cum huius vitæ miſerijs ad grauiora ſupplicia iuſto Dei iudicio infligenda, eaq; ie ſempiterna migraſſe. Hæc Euagrius. Addit Theodorus lector in Collecta, totum eius corpus putredine fuiſſe conſumptū: & Cedrenus in Theodoſio minore, ait, cum lingua totum eius computruiſſe corpus. Et hæc quidē de Neſtorij in Deiparam blaſphemi miſerabili interitu. Quòd ſi quis neſſe cupiat, quibus tormentis eius anima apud inferos torqueatur, facilè intelligere poterit ex ijs, quæ habentur in Prato ſpirituali, cap. 6. de quodam fratre nomine Trophane ex regione Dora Neſtoriano, quem cum ſenex quidam iuxta Iordanem in Laura Calamonis Cyriacus nomine, ad fidem Catholicam hortaretur, ille verò hæſitaret, tandem demiſſo fratre in ſpelunca, ſenior egreſſus eſt propè mare mortuum, vt oraret pro illo, & circa horam nonam diei ſequentis aſpexit frater ille quendam aſtantem ſibi aſpectu terribilem, ac dicentem:

Vindicta.

Theodorus lector. Cedrenus.

tem: veni, & vide veritatem: duxitq; eum in locum tenebrosum, ac fœtidum, ignes euaporantem, atque in ipsis ignibus vidit Nestorium, Eutychem, Apollinarem, Dioscorum, Seuerum, Arium, Origenem, & alios quosdam, dixitque: locus iste præparatus est hæreticis, & blasphemantibus, & his, qui illorum dogmata sequuntur: si supplicium istud, non vis, vade ad sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, quam te senex docet, atque ita hæresi reiecta, Catholicam veritatem complexus, remansit cum sene, & post quatuor annos quieuit in pace. Hæc ibi.

§. 187.

Zonar. in annal. Constantinop.

ZOnaras in annali Constantinopolitan. Cum Leo Armenus vest gijs Copronymi insisteret, neque pios vellet Imperatores imitari, mater eius vidisse in somnis Deiparam dicitur, cuius in æde Blanchernia imago colebatur, iubentemque audisse, vt sibi propinaretur de vase pleno cruoris, quo cruore Ecclesiæ pauimentum redundabat: quod cum illa auersaretur; atq; cæli, ait, Regina, tuus filius nullum finem facit effundendi illorum sanguinis, qui me tota mente venerantur; ideoq; haud desinit ipse Deum, qui idē meus est natus, in se prouocare. Neque post multò, Leo interficitur, qui se sanctorum carnibus saginabat. Hic ille Leo est, qui ex tēplo sanctæ Sophiæ auream coronā, immensi pretij gemmis ornatam, rapuit, quam Mauritius Imperator sanctissimę Deiparæ dedicarat. Ergo, vt alij scribūt, carbunculo in capite oborto, perimitur, qui Virginei capitis ornamento ausus est sacrilegas manus inijcere.

§. 188.

Ioan. Maria Polit. Surius. Vindicta.

IOannes Maria Politianus in vita sancti Alberti; habet Surius de vitis Sanctorum, men. Augusti. In Castro Drepanensi quidam aleator rem suam ludendo perdiderat: ex damno dolor, ex dolore nata desperatio est, ex desperatione, impietas detestanda: nam iacturam animo reputans, ad locum, vbi beatissimæ Virginis, sanctique Alberti imagines erant, accedens cum altero: ita ait te sæpè, Alberte, inuocaui, neque in afflictis meis rebus præsto esse voluisti, quid igitur te sanctum prædicem, vt hominum vulgus opinatur? Deinde ad Virginis conuersus effigiem: tu (inquit) Maria, quæ gratiæ mater diceris, meis quoque precibus tuas pias aures occlusisti. Hæc vbi effutiuit insanus, arrepto gladio, vtramque imaginem furibundè persecuit, ex ambabus continuo sanguis in terram instillauit. Viderat hoc tetrum, & immane facinus puer quidam, moribus, & ætate simplex, statimque in sacrilegum dolenter exclamauit: fugit ille, audito clamore, exeuntem, ac se proripere conantem, in ipso templi aditu, tonitrui fragor horrendus exterret, fulminisque impresso ictu, impetuque grauissimo, redigitur totus in puluerem.

Vindicta.

§. 189.

Berno Abb. Aug. in vita S. Vdalrici. Augustin.

AVthore Bernone Abbate Augiēsi in vita S. Vdalrici Episcopi Augustiniani. Sanctissimæ Dei matris nomini, consecrati Augustæ vrbis templi, tanta olim sanctitas, & religio fuit, vt ex eo sacrilega manus nunquam quicquā impunè sustulerit, quod hæc, quæ dicam exempla testantur. Ex raptoribus vnus, furens amentia, manus sibi ipse lacerauit, neque prius sui dilaniandi, atque mordendi finem fecit, quā à se ipso miserè discerptus, interijt. Alter librum ex eodem loco furatus, vēdidit, cumque libri precio equum coemisset, & domū deduxisset, præsente, audenteque vxore, equi pulchritudinem, præstantiamque laudasset, sibi de animalis commoditatibus applausisset, librum, qui tam vtilis, fructuosusque fuisset, re-

Vindicta.

stitui debere negasset, cordata, prudensq; vxor contra exclamauit: vtinam ne librum, ô coniux, attigisses; perstat ille in sententia, & bestię contuendæ finem nō facit. eum quinimmò (vt ferè fit in huiusmodi emptionibus) leniter tractat, dorsumque & caudam manu demulcet. Hæc agenti, gestienti, ac temerè gloriāti, durissimum calcē efferatus equus impressit, quo vulnere exanimis subito cōcidit, & sacrilegij debitam pœnam, & iustam morte persoluit. Tertius minore mulctatus est pœna, quòd se rempestiuè, ac maturè correxit. Cum enim vilis stragulj, quo mensæ teguntur, partem, vel rupisset, vel quam ruptam inuenerat, sibi audacius vsurpasset, à dæmone occupatus, nullum neque extra, neque intra ædis limen, latebrę locum inuenit, & cū se lustrali aqua, ad diabolum fugandum, aspergeret, tamen mali illius comitis aspectum vitare non potuit. Quocunq; se verteret, vbi pedem poneret, in Sathanam, itineris individuum sociū, incurrebat. Ergo reuersus Augustam, quod abstulerat, reddidit, sanctoque Vdalrico Augustano Episcopo magno integerrimæ Virginis amatori, aduolutus ad genua, ob sacrilegium, pœnam sibi postulauit imponi. Eum Episcopus clementer acceptum, à dæmone liberauit, domumq; remisit, meliora cogitantem. Deinde Vdalricus, Conrado Cōstantiæ vrbis Episcopo socio, ad incultam Helueticorum solitudinē profectus, immaculatæ Virgini templum, vtriusque pariter voluntate, op. busq; fundatum, collocauit; quod templum miracula, resq; vni Deo factu faciles, illustrarunt.

§. 190.

Vuilhelm. Lindan. in apol relig. catho. cap. 2. Vindicta.

VVilhelmus Lindanus in Apologetico religionis Catholicæ, c. 2. Cuidam Hollandicæ mulieri, ex Anabaptistarum fœce, quibus Deiparæ Virginis maximè inuisa religio est, pariendi tempus aduenerat; aderant cognatæ, & vicinæ, quarum vna puerperam monuit, vt se in tanto vitæ discrimine Virgini commendaret; cui illa: quid mihi istam (horresco referens) immundam suem appellare opus est? sequitur illicò horrendi pœnæ conuicij, non quidem pro ratione flagitij, & facinoris execrandi, sed ad memoriam tamen posteritatis maximè insignis. Statim enim, vt nefariam illam vocem, quam & animus, & aures exhorrescunt, hæretica mulier emisit, nigellas aliquot suculas, partim viuas, partim mortuas edidit, monstrosoque illo partu portentosæ blasphemię pœnas aliqua ded t ex parte, & se, porcā turpissimam, atque spurcissimam testificata est, quæ porcas peperisset: Siquidem vnumquodq; animal sui simile generat. Neque Deipara, qua facilitate est, si resipuisset obscęna mulier, & palynodiam cantauisset, non feriret cæsa porca fœdus, & obliteratis iniurijs in suam clientelam miseram illam porciferam libenter acciperet.

§. 191.

Aug. Mann. in hist. rer. memor. in Eccl. Deigestar. c. 41.

AVgustinus Mannus in historia rerum memorabilium in Eccle sia Dei gestarum c. 41. Religiosus quidam ex Cappucinis ex Siciliæ insula, cum socio redibat in Italiā. In ea naui, qua vehebatur, erat homo quidā, qui mala quadam valetudine affectus, eam *Vindicta.* patienter ferre non valens, maledictionibus, & blasphemijs erga Virginē Dei matrem iaculatis, quærebat ægritudini suæ solatium. Hoc, cum indignè ab omnibus, qui in naui erāt, audiretur, & propterea timerent, ne nauis, blasphemias vlciscente Deo mergeretur in profundum; primus religiosus ille pater hortabatur eum, vt cessaret à blasphemijs illis, & linguā effrenem compescerer, ne illū Deus exterminaret, ipse tamē huiusmodi correptionibus magis exacerbatus, fortius blasphemabat. Cæteri quoque circumstantes acribus verbis virum obiurgan-

iurgantes, & comminantes ei, nisi desisteret ira percitus, & diabolo stimulãte, in furorem versus, in maledicta execrabilẽ linguam vehementius accendit: adhuc os contumelioſum eructabat dira verba, & tanquam iacula contorquebat in cælum, quando fumus ater, & nebuloſus egreditur ex quadam ſpelunca, quæ erat ex aduerſo iuxta loca. Vnde (ſicut ex Væſuuio monte contigit) ignes nonnunquam erumpere ſolent, & eleuatus in altum, cogitur in grandem nubem, quæ per aerem pergens, cœpit deſcendere ſuper nauem, cumque ſuper illam incubuiſſet, omnes, qui illa vehebãtur, trepidate metu, percutere pectora, emittere vota, fundere orationes, clamare ad Dominum: ſalua nos, perimus: ſentiebant enim, repentinum illius nubis aduentum ſuper naugium aliquid portendere. Vix horrenda nubes aliquãtulum ſuper nauim incubuerat, quando rurſus in aerem tollitur, & auditur in ea clamor hominis blaſphemantis, & petentis auxilium, qui ab inuiſibilibus dæmonibus raptus, intra nebulam ferebatur. Mox prodigioſa nubes, æthera ſecans, in tenebroſum antrum egreditur, vnde egreſſa fuerat, ſecum ferens miſerabilem hominem, qui vlciſcente numine, traditus eſt crudeliſſimis tortoribus, vt per viam mortis discerent illum ad igneam, & æternam carnificinam. Religioſus ipſe, qui interfuit, retulit hęc aliquibus ex patribus ſuis, à quibus hæc accepimus.

§. 192.

Eadem auth. IDem Auguſt. Mann. ibid. c. 93. Aleator Mariam Virginem blaſphemãs, punitur horribiliter in ore. Si qui autem aliqui reperti ſunt, qui aliquando illam non beatam prædicauerunt, ſed blaſphemarunt, cæleſtem vlrionem experti ſunt, ſicut contigit cuidã ludis dedito, qui cũ luderet aleis, & pecuniarum feciſſet iacturam, ſubitò ira accenſus, B. Virginem blaſphemare auſus eſt: quod cum feciſſet, os eius contortum factum eſt tam fędum, vt monſtro ſimilis eſſet, decidit́que in terram ſemimortuus, qui cum tã immaniter torqueretur, in vehiculo poſitus eſt, & cõſternatus, in domũ eiuſdem magni Prælati, cui ſeruiebat, deductus eſt. Hoc retulit nobis Horatius Alterius nobilis Romanus, cum in villa Carboniani nobiſcum eſſet, aſſerebatq; eo tempore, illum adhuc viuere: erat autem aleator iſte vir in cæteris probus; & eleemoſynarum largitor, ſed cum in ludo erat, iracundiam excitans, non erat ſui compos, ſed execrabiles blaſphemias eructabat. Hæc autem Patritius iſte propriis ſe oculis vidiſſe teſtabatur.

Vindicta.

§. 193.

TIlman. Bredenb. lib. 3. ſacr. collat. c. 23. Vaſtabat hęretica rabies Catholicorũ Eccleſias, nulliſq; imaginibus parcebatur. Cumq; inferni prædatores in D. Franciſci templum, quod Antuuerpiæ celeberrimũ erat, irruiſſẽt, & ſacras effigies deturbaſſent, vẽtum eſt ad imaginem Beatiſſimę Virginis, amictam ſole, & pedibus luna ſubiecta, qua figura quondam oſtenſa D. Ioanni Dei Mater eſt, etſi illa Eccleſiæ etiam typus fuit: hanc ex ſummo tholo pendentem nulla, neque vi, neque arte ſacrorum hoſtes deijcere, & demoliri potuerunt, intactaque, & immobilis de ſuis hoſtibus triumphauit; ſuiſq; cultoribus latiſſimũ ſpectaculũ prębuit: hanc eandem Tilmannus non ſine ingenti gaudio ſe vidiſſe teſtatur. Non eſt diſſimile, quod in Delphenſi Hollandiæ opido, anno 1533. idẽ author eueniſſe ſcribit. Omnes Caſtelli domos incẽdio conſumente, tres Deiparę imagines, diuerſis in locis poſitas, quas ſumma religione venerabãtur oppidani, nec vulgariter ars ipſa, & venuſtas cõmendaret, à flãmis cuncta perdentibus, intactas permanſiſſe, nimirũ, qui ſe à Romanis militibus cõprehendi

Tilm. Bredenbach. li. 3. ſacr. coll. cap. 23.

Vindicta.

Apoc. 12.

Ibid. c. 24.

passus est, quos paulò ante prostrarat, retroq; labi coegerat, imagines sacras alias defendit, alias furentium hæreticorum potestati, libidinique permittit, & scelera scelerib⁹ punit, quod grauissimum vindictæ genus est; quamquā supplicij grauitatem tarditas ipsa compensabit: neq; tamen in seram mortem, tormenta omnia videmus esse delata: punit persæpe viuos Deus, eosdemq; mortuos flammis addicet sempiternis.

§. 194.

Lud. Granat. de symb par. 2. sect. 10.

LVdouicus Granat. de symb. fid. par. 2. sect 10. Bonifacio Ferrentinę iam ciuitatis Episcopo sororis filius iam seruiebat, dignitate quidem presbyter, sed moribus, ne ostiario dignus, erat enim ambitiosus, & rerū sacrarum fędissimus nundinator: nam Bonifacij antistitis propè diuini, cognatione fretus, quę valere nihil debet, vbi cęteraparia non sunt, successorem se fieri cupiebat, & duodenos aureos nūmos, quos ex equi venditione parauerat, in arca seruabat, Pontificatus emendi subsidia, & symoniacæ fraudis instrumēta. Cum autem die quadam, negotiorum causa Constantius abesset (hoc erat pestifero huic presbytero nomen) egentium, & ærumnosorum multitudo Bonifacium, ab ipsis incunabulis misericordem, atq; benignum, de more circumstetit. Cumque beneficus, & liberalis Episcopus essetexhaustus, & nihil haberet, vnde tam multorū paupertati succurreret, neque, vt inanes dimitteret, adduci posset, mēte, & animo fluctuabat, omnia lustranti, atque animo reputanti, pecunia illa venit in mentem, quam suus ille ex sorore nepos vendito equo seruaret. Ergo thecam resignat, pioq; illo furto pecuniam acceptam lætus distribuit egēnibus. Cōstantius reuersus, arcam reuisit thesauri custodem, cordisque captiui: vacuam vbi reperit, non alium, nisi Episcopum, illius furti ratus authorem, foras se proripit, fremit, bacchatur, omnes illa in domo beatos esse, se vnum miserum, atque infœlicem indignabundus exclamat. Bonifacium alijs vitalē, suę sororis filio semper esse mortiferum vociferanti, accurrit Episcopus cum vniuersa familia, & efferatum Constantij animum orationis lenitate mitigare conatur: cum stomacho presbyter mansuetum accusat auunculum, illud semper ingeminans: omnes hic viuunt, vnus ipse mori cogor: cuncti tui liberè agunt, solus Cōstantius tuæ sororis filius duram seruit seruitutem aurū, aurum (inquā) reddito meū. Episcopus procacibus querelis, & vesana hominis ira commotus, ad Deiparæ templum aduolauit, & tendēs supplices manus, nummos à Virgine postulabat, quibus furentis iracundia presbyteri leniretur. Multiplicabat preces Pontifex, extenta veste quasi aliquid accepturus, inter orandum, ad sinum, quem expāderat, forte respiciens, duodecim nummos aureos conspicatur, metalli adeò fulgętis, vt ex aurificina, illa ipsa hora prodijsse viderentur. Igitur è templo Dei matris egressus, aurum illud, Virginis amatæ donum, in stomachantis presbyteri sinū proiecit: habes (inquiens) solidos duodecim, quos rātopere requisisti; me tamen mortuo, huius Ecclesiæ non etis Episcopus, quo munere tua te auaritia reddit indignum: itaq; mortuus est miser ille Constantius, qui se aliquando forè Episcopum somniarat ex sacerdote, & turpē, detestabilemq; mercatum animo tacitum continebat.

Vindicta.

§. 195.

TIlmannus Bredembach. eod. l. ca. 23. Vastabat hæretica rabies Catholicorum Ecclesias, nullisque imaginibus parcebatur, cumque inferni prædatores, in D. Francisci tēplū, quod Antuerpię celeberrimū erat, irruissent, & sacras effigies deturbassent, ventum est ad imaginem Beatissimæ Virginis, ami-

Tilmannus Bredembac.

Vindicta.

amictam Sole, & pedibus Luna subiecta: qua figura quondam ostensa Diuo Ioanni Dei mater est, etsi illa etiam Ecclesiæ typus fuit. Hanc ex summo tholo pendentem, nulla neque vi, neque arte sacrorum hostes deijcere, & demoliri potuerunt, intactaque, & immobilis de suis hostibus triumphauit, suique cultoribus lætissimum spectaculum præbuit. Hanc eandem Tilmannus non sine ingenti gaudio se vidisse testatur. Non est dissimile, quod in Delphensi Hollandiæ oppido, anno millesimo quingentesimo tertio, idem euenisse scribit, omnes castelli incendio consumente, tres Deiparæ imagines diuersis in locis positas, quas summa religione venerabantur oppidani, nec vulgariter ars ipsa, & venustas commendaret, à flammis cuncta perdentibus intactas permansisse. Nimi, qui se à Romanis militibus comprehendi passus est, quos paulo ante prostrarat, retroque labi coegerat, imagines sacras alias defendit, alias furentium hæreticorum potestati, libidiniq; permittit, & scelera sceleribus punit. Quod grauissimum vindictæ genus est. Quanquam supplicij tarditatem grauitas ipsa compensabit, neque tamen in seram mortem tormenta omnia videmus esse delata. Punit persæpè viuos Deus, eosdemque mortuos flammis addicet sempiternis.

§. 196.

Simeon Metaph.

Vindicta.

SImeon Metaph. in vita S. Theodistæ in Nou. Insula Paro ex templo Dei matris pulcherrimo, barbarus quidam pyrata, Nisirus nomine, Arabs genere, Cretensium classis præfectus, lapidem quemdam formosum, in Cretam tentauit abducere, & illius sanctitatem idolorum superstitione polluere. Hæc eo cogitante, ac petrã amouente diuino nutu in eam granditatem pulcherrimus ille lapis excreuit, vt eius immensitatem capere templi porta non posset. Id cum vidisset Arabs, atq; integrum se deportare posse diffideret, furijs incitatus defringi iubet, & in partes diuisum, dissectumq; transferri. Sed diuinus Iudex pœnas ab improbissimo latrone haud sero repetiuit, cùm enim ad Eubœæ promontorium, quod Xilophagum appellant (naues enim compactas ex ligno demergit) peruenisset naufragium audacissimus pyrata fecit, marinique fluctus diuinæ vltionis ministri, nefarium prædonem, hostemq; sacrorum penitus obruerunt, exemploq; fuit, quam illis perperã res cedat, qui in Virginis dona conantur inuadere.

§. 197.

Michael ab Isselt li. 14.

MIchael ab Isselt libr. 14. Mercurij Gallobelgici ex Franco fidei Catholicæ aduersario. Quidam ait in oppido Montani (vt 15. Septemb. scribunt) ausus est stricto gladio statuã B. Marię Virginis ferire, è vulnere mox sanguis effluxit, quo cum multi cœci, surdi, claudi, & qui alijs vitijs & morbis laborant, sanantur. Existimat prędictus Michael ab Isselt hanc eandem esse imaginem, de qua virum magni nominis Spira scripsisse asserit. Impius quidam cùm de dicta imagine, & ijs quæ ab illa fieri dicebantur, audisset, vt illuderet illi, iumentum oculis captum eo adduxit, visum illi restitui petiturus, bestiæ lumen redditur, & illusori adimitur.

Vindicta.

§. 198.

Vindicta.

ANno Christi 1525. cùm Lutherani cathedram cathedralis Ecclesiæ D. Virginis Erphordię vi inuasissent, & iam ad tempus occupassent, concionator quidam nomine Ioannes Culsamerus consistens in cathedra, ac digito monstrans statuam B. Virginis sub maximo organo consistẽtem in has blasphemas erupit voces. Non quiescã, nec dormitum ibo antequam idolum

illud (statuam D. Virginis intelligebat) ex hac æde basilica eiecero. Sed ecce subitò ignis sacer digitum ipsius inuasit, & eadem nocte subita morte extinctus est. Statua autem sanctissimæ Mariæ in eodem loco permansit.

§. 199.

Vindicta. CIrca idem tempus cùm Senatus omnium cœnobiorum, & Ecclesiarum ornamenta in curiam ferre iuberet; etiam argenteas tumbas duorum patronorum SS. Eobani, & Adalari; sub hoc specioso prætextu, ne tempore seditionis præda fierent impiorum, aurifero propè Prædicatores habitanti, ablata est magna argentea statua S. Mariæ in Sole, vt eam liquefaceret, & monetam ex ea cuderet: is (quia pessimus erat hostis Ecclesiæ Catholicæ) ferreo malleo magno, vt incipit contundere faciem statuæ, & blasphemo ore dicere: sic coercenda sunt idola Papistarum, &c. & subito excæcatus est, & mendicus mansit vsque ad mortem.

§. 200.

Eutrop. l. 21. rerum Rom. EVtrop. libr. 21. rerum Rom. scribit: Paulus Diaconus cùm Iconomachus quidam conspecta statua

Vindicta. B. Virginis lapides in eam iecisset, eamque comminuisset, per quietem Virginem ipsam ab eo visam terribiliter his verbis comminitantem, in caput tuum hoc feciſti. Deinde paulò post eundem ingenti lapide percussum atq; ita contusum esse, vt ipse statuam comminuerat. Theophanes ait: Constantinus quidam Strator Artabasdi videns imaginem Dei Genitricis stantem, apprehensum lapidem aduersus eam proiecit & contriuit, & cùm cecidisset, calcauit (lapidis eam iactu deiecit, deiectamq; pessundedit.) Et vidit in somnis (somno sopitus) astantem sibi dominam nostram, & dicentē: Nosti quam fortem causam in me operatus fueris? (scisne qualem te mihi præstiteris, & quam de me valenter triumphaueris?) verum contra caput tuum hoc feciſti (haud erit impunita audacia.) Postea verò dū Sarraceni aduersus murum congressionem facerent & ageretur bellum, currens ad murum, vt fortis miles infelix ille eijcitur è lapide transmisso ex Mangone (machina ita dicta,) & contritum est caput eius & facies, dignā impietatis suæ retributionem percipiēs, &c. (vel sequutum breui est cum Sarracenis bellum, quos muro subeuntes, dū miser Const. repellere conatur, proiectu lapidis comminutus ac contusus interijt, &c.

§. 201.

IN Conc. Niceno 2. Actor. 4. Fuit vir Cyprius in vrbe Constantia armentarius (boues & armenta pascens,) qui orandi causa (proposito, atque animo) in Virginis Deiparæ sacellum concessit (ingressus est,) atque cùm interorandum suspiceret (oculos ad templi tabulas, imaginesque conuerteret) imaginem Virginis ex coloribus in parietibus expressam animaduertit (Beatissimæ Virginis effigiem coloribus expressam in aduerso pariete vidit) ac indignabundus (subita correptus amentia) dixit: Quorsum hæc? statimque stimulo, quo boues agebat (incitabat) sublato (impresso) eidem imagini Virginis dextrū oculum eruit (demolitur.) Inde egressus cæpto pergebat itinere, dumq; fortè pecus ad maturandum iter pungit (boues, vt moris est, instimulat, atq; vrget tardiores) ecce tibi stimulus (agitatoria hasta) confringitur, & ea pars cui ferrū erat infixum in dextrum hominis oculum recta inuolat, ac miserum oculo priuat (instigantis ligni pars illa ferrata resiluit, certissimoque ictu retro versa, bubulæ grande illud pecus à tergo insequenti, dextrum oculum funditus eruit, iustissima lege talionis. Narrat

In Conc. Nicæno 2. Act. 4.

Vindicta.

hoc

hoc Constantinus sanctissimus Cyprius Episcopus coram toto consessu (in cætu grauissimo) Patrum, verbisque disertis adiungit: hunc ego Constantinus virũ vidi, & monoculum etiamnum ex hac causa esse cognosco.

§. 202.

Hist. Eccl. num. 202.

Bredemb.

Vindicta.

LIbr. 18 Ecclesiast. histor. capit. 33. Bredembach. libr. 2. cap. 12. Anno Christi 587. Affine est, quod Nicephoro narratur authore, de quibusdam verbo duntaxat, & nomine Christianis, cùm in caupona cum iocis & ludo comparassent, non se satis lepidos, & in ridiculis iacendis facetos visum iri putarant, nisi inter pocula puritatis, sobrietatis, & virtutum omnium Matrem, præceptricemque Mariam dictis impiè, nefarieque lacesserent, seque vicissim ad Deiparæ iniurias & conuitia prouocarent. Non tulit matris suæ contumelias vltor Deus, ac sceleruṁ vindex opportunus, siquidem nefariæ, horrendæque illius iocationis authores potenter arripuit, oppressit, ac perculit, & cum ipsis, vt dicitur, vestimentis detrusit in inferos, ipse autem caupo, illiusque vinariæ tabernæ dominus, ad quam perditissimi illi gancones, turconesq; conuenerant, non euasit impunitus, licet enim lingua nihil admiserat, tamen dissimulationis, accusabilisque patientiæ pœnas dedit atroces. Ei namque non multo post nocte quiescenti, Dei mater astare visa est, & quod blasphemos tecto excepisset, & toleranter audisset, ad intactæ Virginis maledicta, & conuitia tacuisset, obiurgare, turpeq; silentium exprobrare institit. Miser caupo supplex Virgini esse, delicti veniam petere, ne tam cito raperetur, sed pœnitendi, ac se expiandi tempus daretur obsecrare. Virgo daturam se, & morte dilata expiandi animi tempus aliquod, spatiumq; fore promisit. Vimine (virgula) interim, quod manu gestabat cauponis genua vndequaque signauit, & quasi exarando, ac lineam rotundando circumscripsit, his ita actis Virgo discessit, illeque somno solutus (euigilans) membra illa, quæ vimine notata erant, à cætero corpore auulsa, (incisa) discerptaq; reperit, & sanguinem quasi ex recenti vulnere profluentem vidit. Productus hospes miserandus in publicum, fœdo illo corporis habitu, & horribili crurum sectione, non minus quàm oris testimonio miraculi veritatem confirmauit, iustissimumque illud omnipotentis Dei, & iudicium, & supplicium ad multorũ exemplum patefecit.

§. 203.

S. Gregor. Turon.

Vindicta.

SAnctus Gregorius Turon. libr. in gloriam plurim. martyr. ca. 19. Templum erat in vrbe Turonensi S. Mariæ Virgini, ac diuino Christi præcursori dicatum, vbi periuri diuinitus plectebantur. Quidam enim, qui peierandi animo in Ecclesiam venerat, simul atque ad Virginis aram assistens manum sustulit, vt iusiurandum mendax pronunciaret, retrò habens ita caput ad pauimentum supinus afflixit, vt vix vitæ spes vlla superesset. Cùm autem recreatus, atq; erectus ad se miser homo rediisset, periurij scelus, quod occultarat, patefecit, & ad Dei, Mariæq; matris gloriam peruulgauit. Gregoriusque Turonensis huius author historiæ, quosdam Turonenses vidisse se ait, qui in illo eodem loco iusiurandi religionem, testimonij sanctitatem violarunt, haud impunita quidem audacia, quandoquidem omnes intra anni curriculum viuere, atque auras inficere desierunt.

§. 204.

Vindicta.

IOan. Ant. Valtr. in annal. societ. 1582. de historia Prouinciæ Romanæ. Homo Transalpinus, ex sacra Lauretana domo calcis aliquantulũ sustulerat, hunc

hunc vbi Romam venit, morbus debilitate subita adortus est, cùm autem de consilio quorundam Lauretum redijsset, calcemque restituisset, illico sanitatem recuperauit.

§. 205.

Ioan. Bonif. *Vindicta.*

IOan. Bonif. libr. 5. de historia Virginali, ca. 1. refert. Huic valdè affine est, quod nostra memoria Ioanni Soacres Conimbricensi Episcopo contigit, qui in illo ad Concilium Tridentinum itinere, laterem ex eadem Lauretana æde, illo permittente, qui poterat desumptum, tamen non tulit impune. Nam morborum & dolorum quasi tempestate quassatus, non ante conualuit, quàm laterem eò vnde abstulerat, referendum curauit, &c.

§. 206.

Hist. Eccl. Suidas Sur. Author. Miscella. Eutrop. Bred. *Vindicta.*

HIst. Eccles. Suidas, Sur. in vita S. Nicetæ, auctor Miscella. Zon. tom. 3. annal. Eutrop. li. 22. rerum Rom. Bred. lib. 2. cap. 11. sic aiunt. Constantinus Copronius: *Qui hoc fœdissimo notatus atq; affectus est cognomine, quod illo tempore, quo facto baptismi fonte tingebatur, humani corporis stercus egessisset, futuræque vitæ fœditatem ob turpitudinem portendisset.* Eò impietatis & amentiæ prorupit, vt omnem sacrosanctæ Virginis inuocationem, & cultum detestaretur ipse & à Christicolis implorari Virginem lege lata prohiberet. Neq; mirum videri debet, eam turpiter transijsse, & eius sanctionis, quæ intemeratæ Virginis cultum abrogaret, authorem illum fuisse qui Venerem coleret, magistramq; libidinis adoraret, pueros mactaret, humanisq; victimis vteretur: fœtidorum ita amantem fuisse accepimus, vt brutorum suosq; aulicos ad idem exemplum non magis hortaretur quàm impelleret. Moriturus carbunculum, morbi genus horribile sensit, quo pedes inflammati condolebant: ardentissimis etiam iactatus est febribus, quæ tales fuerunt, vt à medicis remedium inueniri non posset. Accessit elephantia, &c. Ergo rebus omnibus desperatis clamare ac vociferari coactus est, se violatæ Deiparæ Virgini pœnas dare, & propter impias in Dei matrem, detestandasq; blasphemias vel viuum flammis illis tradi, quæ nullis sæculorum spatijs ac terminis extinguuntur, precari proinde, vt Maria meritis laudibus exornetur, quibus sibi placetur irata. Paulò post impius discessit, indignus diuinæ parentis auxilio: mortui sepulti cadauer (Imperatore Michaele Theophili filio) effossum exhumatumq; est, incendioq; consumptum, vt ardentis apud inferos animam similitudinem aliquam exhiberet. *Consule Sigonium li. 3. de regno Italiæ.*

§. 207.

Canis. li. 5. cap. 20. Euagr. & Niceph. Bred. *Vindicta.*

CAnis. lib. 5. cap. 20. operis Mariani, citans Euagrium, & Niceph. Bred. li. 2. ca. 14. sic scribit. Constantinopoli in ea custodia, vbi Mariæ Dei matris hostis Anatolius, iussu Tiberij, Christiani Principis (proximè ante Mauritium imperauit) tenebatur inclusus: immaculatæ eiusdē Mariæ Virginis imago ad eorum solatium, qui in carcere erant, funiculo religata pendebat. Anatolius, dum suam causam Augusto probare nititur, & mutatæ correctæq; vitæ testes colligere studet, in illam eandem clarissimæ matris Dei effigiem oculos interdum iaciebat, veniāq; scelerum efflagitabat, animiq; dolorem ex vitæ superioris scelerum memoria & recordatione susceptum, ad placandum optimi Principis iram callide simulabat, neq; tam animo ac sincera voluntate, quàm externo corporis habitu, atq; mentita specie ante virgineam illam imaginem Virginis, Virgini supplicabat: ad fictas Anatolij preces (rem miram) Virginis imago iratæ similis, vultum auertit, illo ipso, qui custodiæ præerat

erat inſpectante, alijsque compluribus rem admirantibus, partim ex cuſtodijs (quibus carceris erat cuſtodia commiſſa) partim ex eorũ conſolatoribus, quos carcer incluſerat. Quin & ipſa Dei matris effigies, illo eodem iracundo aſpectu, Anatolio minitabunda, multis extra carceris limen monſtrata per viſum eſſe narratur, quo grauior populi totius in ſceleratiſſimum illum ſontem eſſet offenſio. Quamobrem communis omnium vox, Anatolium de medio tollendum, horribilique ſupplicio interimendum eſſe proclamauit. itaque omnium conſenſu beſtijs obiectus miſerrimè dilaceratur, ſed non miſerabiliter; nec enim erat quem miſeratio commoueret. Lupi, extincti Anatolij cadauer arreptum, diſcerptum, huc illuc iactatum, auidiſſimè conſẽcerunt. Euagrius ſcribit, Virginem ſe nonnullis fidelibus oſtendiſſe, & eos contra ſceleſtiſsimum priſcæ impietatis auctorem incitaſſe, diriſſeque filium ſuum ab Anatolio contumelijs affici, &c. addit etiam: Anatolius beſtijs obiectus & ſublatus in crucẽ populi, quæ parabantur, tormenta effugit, quæ præterea inferebantur, terminauit. Sed Lupi, quæ viſu noua res eſt, corpus è cruce deturbant, humi proijciunt, & paſtu crudeli membratim deuorant.

§. 208.

Vindicta. TRithemius lib. de origine gentis, Principumq; Bauariæ narrat Dinaſtæ Scheirenſes tantę nobilitatis, vt Bauariæ principes multos procrearint, inſigni pietatis laude commẽdantur. Quod enim in ipſorum ditione erat pręſtans, admirandumq; caſtellum, religioni Beatiſsimæ Virginis dedicauerunt, monaſterioq; conſtructo, quod etiam nunc apud Bauaros extat, gentis, ac familiæ non modo ſepulchrum (humantur illic Bauariæ proceres,) ſed etiam monumentum reliquerunt. Cum enim illo, qui familiam ducebat, quique rerum ſine controuerſia legitimus poſſeſſor erat extincto atque mortuo, multi hæredes de Scheirenſi caſtro dubia lite contenderent: diuino agente ſpiritu, ſuo quiſque iure ceſſerunt, & Beatiſsimæ cœli Reginæ caſtrum illud libentiſsimis animis obtulerunt, vno excepto (duce) Arnoldo, quem Bauarorum vulgus infelicem appellat, cùm infandum dicere debuiſſet, qui, quod malo dæmone familiariter vteretur, ſuæ partis eum conſortem facere nitebatur. Non multo poſt dæmon amicus gratiam retulit, eã ſcilicet, quam ſibi deuotis reddere conſueuit. Viuum enim veſtitum, ſoſpitemque corripuit, & in lacum monaſterio vicinum deturbauit, vnde nunquam eſt viſus emergere. Eo igitur de medio ſublato, rata cæterorum donatio fuit, & hęreditas peruenit ad Virginem, quæ ſuos remuneratur amatores, & ex orci faucibus ereptos, ad illam vitã perducit, quæ nullis finibus terminatur.

§. 209.

Vincentius Belluacen. VInc. Beluac. par. 2. ſpec. hiſt. lib. 8. ca. 104. ait. Placentiæ cùm in taberna luderet quidam, teſſeræq; iactus minus proſper ac felix cecidiſſet, *Vindicta.* glorioſiſsimo Mariæ ventri, vbi Chriſtus ſalus noſtra delituit, impudentiſsimus aleator obſtrepuit, ad nefariamque vocem, qua Virginem vterum diris execrationibusque deuouet, ſubita morte proſtratus deſcendit ad inferos, quem locum incolunt, quos à ſe Chriſtus bonus paſtor ſegregauit, ac furijs vltricibus dæmonibusq; permiſit, in omnem æternitatem cruciandos.

§. 210.

Cæſarius. CAEſarius monachus Ciſtercienſis lib. 7. Dial. c. 7 refert. Matrona quædam tum pia, tum nobi- *Vindicta.* lis, Ciſtercienſi familię prædia donauerat,

rat, quibus in S. Mariæ Virginis honorem ędificata domus est Cùm verò post matronæ fundatricis obitum quidam se bonorum illorum legitimos esse dominos profiterentur, Cistercienſibus esse moleſtiſſimi cœperunt, duce Henrico, qui omnium acerrimè monachos agitabat. Sed tamen Dei Matris ope, quæ cœnobio præſidebat effectum, vt non modo præda illa non potiretur, vt ſuis etiã fortunis euerſus, vitam egerit infelicem. Alter eorundem bonorum cupidus, & monachorum illa de cauſa vexator, à ſuo occiſus ſeruo temeritatis, & audaciæ meritas pependit pœnas Tertius ad hanc eandem prædam aduolans, & anhelans, in ipſo curſu miſerrimus occidit, ac medius crepuit, vt, qui Iudæ proditoris imitabatur auaritiam, Iudæ ſupplicium pateretur. Hanc memorabilem vltionem, cùm quidam ex competitoribus vir & nobilis, & benè cordatus audiuiſſet, in templum Virginis venit, & hæc ibi verba fecit: Domina mea, ſpes mea, portio mea, ſint tua tibi, ego iure meo cedo, & quę me pars attingit, ſi forte attingit, eam ego partem libenter abiudico. At verò poſt tot exempla Dinaſta quidam potens, cui Vuilhelmo nomen fuit vxoris inſtinctu, quæ ſe ſe bonorum illorum iactabat hæredem, ſua ipſe authoritate agrum omnium optimum occupauit, ac monachis omnia iure ac lege tenentibus, grauiſſimum tum rapinæ, tum contumeliæ vulnus inflixit. Interea religioſus quidam ſacerdos in viſu didicit, quæ pœna raptorem ſacrilegumque maneret, eumque proinde monuit, vt mature reſipiſceret. Ille, culpata vxore, aliena retinere, monachis negotium exhibere perſeuerat. Romani Pontificis ſeuero deplomate ac litteris appellatus, rem diutius, quàm par eſſet, extraxit. interea, dum curſores vltro citroque commeant, ac de pace cum Vuilhelmo fruſtra contenditur, deq; agro reddendo nequicquam laboratur, religioſus quidam, Ioannes nomine, in ſomnis Virginem querentem audiuit, atq; ita dicentem: hinc me cõmigrare neceſſe eſt. rogante hoc ipſo, quo ibis domina? ad filium meum, inquit, de Vuilhelmo conqueſtura, qui me hoc in loco quietam eſſe non ſinit. Poſtridie mane viſionem Ioannes cuidam Vuilhelmi famulo patefecit, & dominũ citò moriturum ſignificauit. Irriſit famulus, ſed irriſiſſe nollet, quippè qui altero pede truncatus deſpicientiæ pœnas perſoluerit. At Vuilhelmus dum in ſecreto quodam nemore (viſcum manu tenens) volucres aucupatur, à duobus Comitis Seinenſis adminiſtris, quibus vnius captiui prædam extorquere conabatur, lancea transfixus, confeſtim exſpirauit. Vxorem malorum cauſam priuignus quidam ex bonorum omnium poſſeſſione cum liberis, quos ex tyranno Vuilhelmo ſuſceperat, præcipitem exturbauit. Ita Cistercienſes glorioſæ Virginis Deiparæ meritis ac patrocinio, cuncta pacificè poſſederunt.

De Roſario.

IOan. Lopez lib. 1. de Roſar. cap. 15. ſic deſcribit. Anno 1472. ſenescentem Roſarij pietatem Diui Dominici ſectatores, iubente Deipara, Coloniæ renouandam curauerunt. Procedente eorum induſtria, & ſodalium augeſcente numero, proſpera Roſarij principia duobus illius vrbis concionatoribus ingrata & iniucunda fuerunt. Honorabat cõcionatorum hoc par, & celebrabat maximè populus, ob eloquendi artem, &c. ideoq; ad horum vtriuſque concionem audiendam innumerabilis multitudo confluebat. Igitur Roſarij creſcentis iniuria tacti, pium illum ita precandi morem vituperare adorti, ſeque verſutè ac veteratoriè in auditorum animos inſinuantes, Roſarij religionem, & ſanctitatem perfidioſè impieq; vexarunt, &c. Alter illorum incredibili audacia cum ſodalitatis pernicie, & ſacri iniuria Roſarij,

Ioan. Lopez.

Vindicta.

sarij, ex superiore loco multa iactauit, multa impudenter effutiuit, quibus retardati quàm plurimi, & ab illa pietate deterriti, partim societatem, quam iam coierant, deseruerunt, partim incœpta consilia prorsus abiecerunt. Ergo quæ tam multos numerabat, ad paucos redacta sodalitas, suam solitudinem deplorabat, &c. Cùm verò nugator ille quosdam animaduertisset, & Rosarij adhuc tenaces esse, & sodalitia frequentare, ad eam religionem funditus eijciendam, & eius exiananienda collegia, concionem in proximum Dominicum diem cum applausu auditorum indixit: in ea se mõstraturum, quàm esset inanis & futilis illa religio, &c. Aduenerat dies ille Dominicus, populusque in maximam concionis expectationem adductus, templum omne compleuerat: cùm eundi tempus esset, neq; tamen orator appareret, quæsitus à suis, inuentus est mortuus. Nam proximi sabbati nocte cùm sanus & valens cubuisset, & minacem illam concionem habiturus esset, Dei iudicio omnia contuentis ac regentis obijt repentino, nullo teste, nullo adiutore, nemine, qui Iesu & Mariæ salutifera nomina identidem inuocaret, assistente. Ille alter orator erroris concors & socius, & Rosarij exagitator impius, illud humanitus euenisse censens, mortui consiliorum se professus hæredem, Rosarij reliquias delere constituit, & in eum finem concionem aduocauit, dumque in suggestum parat ascendere, tota vrbe inspectante, paralysi repentina correptus, in terram subito concidit, integra tamen Dei beneficio mens muto infantiq; relinquitur. Igitur cùm intellexisset improbati Rosarij se pœnas meritas dare, & supplicij causam agnoscere esse iustissimam cœli Reginam, cùm voce non posset, animo & corde compellat, lenissimeq; matris opem mutatus implorat & linguam à Deipara postulat, qua prædicet dilaudetque Rosarium, quod furijs agitatus, impugnasset: impias, ac nefarias conciones commendandi pro dignitate Rosarij, tum assiduitate, tum alacritate & studio se correcturum esse promittit, diligentioremque se ad restituenda sodalitia fore, quàm fuisset ad euertenda furiosus. Vix sponsionem, votumq; finierat: cùm vox illi linguaq; redditur, & valetudo pristina reparatur. inde ad suggestum lætus ascendit, & in illa maxima frequentia Rosarij laudes suauissimè, verissimeque prosequitur, taleq; & pietati testimoniũ dedit, quale eius esse oportebat, qui beneficio Virginis ex tanto & tam graui, tum periculo, tum supplicio incolumis euasisset.

§. 212.

NIcolaus Orlandius in annal. Societ. 1584. Homo improbus, omnium religionum contemptor Brunsuuichij, vbi cœnobium Virginũ erat instructum, sub trunco arboris, vbi Dei Matris imago infantem Iesum fouens in gremio tot iam sęcula suum habuerat domicilium, cellam vinariam effodi iussit, sed non impunè hæc impietas abijt. Tertio die horrea omnia, & pecus vniuersum, & ædificia nonnulla ignis incendio conflagrarunt, ipse verò sceleris author, cùm magnos ad honores iam peruenisset, multorum facinorum reus, in atrum coniectus est carcerem, vbi scelestam vitam inhonorato fine concluſit. *Nic. Orlan. Vindicta.*

§. 213.

FRanciscus Benci' in annal. Societ. 1580. & 7 in hist. prouinc. Pol. Cũ vxor cuiusdam hęretici (Adriani) Beatissimæ imaginem Virginis, ad quã orare solebant Rutheni, rectè sentientes coniecisset in ignem, eam comburere non potuit, & duo eius liberi miserrimè deflagrarunt. Neque enim semper conniuet clementissimus Deus, *Franc. Benc. Vindicta.*

excitat se hoc etiam tempore interdum, & vnum aliquem corripit, vt multos emendet.

§. 214.

Idem auth.

Vindicta.

IDem author ibidem. Cùm Russus quidam schismaticus eo die, qui assumptæ Virgini sacer est, ad eruendam argillam exisset, maximè ob Kalēdarij Gregoriani contemptum, multum licet dissuadente Virgine quadam Catholica, & vaticinante, vltimum illum ei diem, ac supremum opus fore, ruentis subito casu molę telluris, ita oppressus est, vt suo (incluſus) funere, idem reliquerit alijs neglectæ religionis monumentum, & inuenerit ipse dementis propositi sepulchrum.

§. 215.

Melch. Triu.

Vindicta.

EX litteris P. Melchielis Triuini Rect. Prāgensis Collegij. In Polonię vrbe Zamossa quędam matrona, genere quidem nobilis, sed hæresis tam perditæ, vt sabbathi diem & sibi, & suis vellet esse malè feriatum, contra Dominicam, profestum & operosum. Extra vrbem huicerat villæ possessio, ad quam ipso Annunciationis Angeli die, cùm proficisci pararet, domestici iter dissuadent, diei Christianis religiosissimi sanctitate proposita. Mulier offensa, Deiparam, cuius inclytas ferias famuli obiecissent, verbis lacessere, vnam ex multis dicere, eidem se sanctitate parem esse iactare. Igitur ad villam suis inuitis egressa, cùm iam parum viæ restaret, equi rhedam trahentes, tam fixis hæsere vestigijs, vt ad progrediendum vis nulla coegerit, itaque rhedario nequicquam ineitante, nihilq; neq; voce & clamore, neque flagello proficiente, improba mulier, dum equi persistant immobiles, exit ex rheda, & tantisper declinat à via, vt naturæ obtemperet, & aluum exoneret: se purgantem, ingens & validus ventus repentè deturbat, & mulieris faciem in corporis egestas sordes impingit, & cùm os sacrilegum immundis sœditatib⁹ inquinasset, post ingētes editos clamores, spurcam animam egit dolore trahente (aliàs subita tempestas eam adeò terruit, vt relicto curru ventris onus deponere coacta fuerit, quam ventus ita terræ allisit aliquoties, vt horrendum clamans, & impuro ore in suis sordibus se volutans, infelicem animam efflarit.) gesta res tanta anno sexcentesimo supra millesimum.

§. 216.

Vuilhelmus Baldesanus.

Vindicta.

VVilhelmus Baldesanus in stimulis virtutum adolescentiæ lib. 3 cap. 21 ait. Narrauit mihi vir religiosus & grauis, superioribus annis in Mediolanensi prouincia fuisse adolescentem, vt nobilitate, sic fastu & arrogantia insignem. Hic, cùm aliquando in contentionem veniisset cum alio quodā inter pugnandum, impium aliquid dicit in Matrem Dei: atque ecce iustissimus iudex permisit, vt os illud apertum contra maiestatem tantæ Reginæ, ipso temporis articulo aduersarij telo interciperetur, vt ad punctum vibrato ictu, & ipsis linguæ radicibus succisis, & trāsfixo palato repentè conciderit mortuus.

§. 217.

Lypsius.

Vindicta.

LYpsius in miraculis D. Virginis Hallensis c 7 ait. Anno 1580. cùm Oliuerius Tempelius Hallas obsideret, erat inter milites quidam Ioann. Zuuichius: is iactare palam se suis manibus Hallensi mulierculæ (Deiparentē intelligebat) nasum abscissurum. Sed hæc mox procurat glande plumbea excussa, scurræ illi ipsi nasum auferri. Pœnam habuit, & irrisum inter ipsos commilitones perpetuum meruit, qui identidem hominem ad nasum recipiendum Hallas mittebant.

§. 218.

§. 218.

Cæsarius. *Vindicta.*

CAesarius lib. 7. cap. 45. hæc narrat. In villa Castri Veldēsis Diœcesis Treuirensis, quædam nostro tempore extitit imago Deiparæ, Filium in sinu fouentis, opere non adeò benè formata, multa tamen virtute dotata, quam Matrona quædam eiusdem Castri respiciens, & sculpturę indignās, ait: Vtquid hic stat vetus hæc Bumbula? Verum alteri matronæ, à Deipara dictum est, quia mulier illa (nomen eius exprimens) vocauit me veterem Bumbulam, semper misera erit, & post paucos dies à proprio filio omnibus suis bonis exuta, misere mendicans stultiloquij pœnam luit.

§. 219.

Cæsarius ca. 28. *Gratia, & nonnulla vindicta.*

IDem Cæsarius cap. 28. Matrona quædam cuiusdam honesti militis vxor, instinctu diaboli militem alium admisit, quæ post tempus aliquod inspiratione diuina, ducta pœnitentia, de crimine doluit, & adultero prorsus contradixit: ille verò mariti eius absentiam obseruans, domum illius intrauit, & cū solam reperisset, verbis solitis ad crimē consuetum eam inuitauit, quod cum illa renueret, vi renitētem opprimere visus est, & cum videret se illi nō posse resistere, vtpote fœmina debilis, ac delicata, fortissimo militi, ad totius castitatis patronam confugit, dicēs: Rogo te, Domina sancta Maria, per illud sanctum: Aue Maria: quatenus in hac hora liberes me; ad quod verbum virtus omnis in milite defecit, & emarcuit, & fœmina se ab eius amplexibus excutiens, incorrupta euasit. Postea, requisita à milite de causa virium sibi subtractarum, respondit illi; nō mea virtute, sed glorioſi nominis Dominæ nostræ hoc actū est: quod cum audisset ille, territus est, nec amplius adulterij verbum ad illam facere præsumpsit. Apollonius: benedictum sit nomē Mariæ. Cæsarius: quòd vincula soluantur eius virtute, etiam per exemplum tibi ostendam.

§. 220.

Vincentius Beluacensis. *Vindicta.*

VIncentius Beluacensis lib. 7. cap. 84. eisdem verbis. Clericus quidam suppetente rerum copia, etsi sæculo deditus, Matris Domini amorē, & reuerentiam animo sic omninò indixerat, vt quandocumq; Ecclesiæ ingressus, vel per Ecclesiam ei contingeret trāsitus, nulla sæculi solitudo, nulla surrepere posset obliuio, quin omni deuotione, & humilitate genu flexo, Angelica salutatione eam honoraret, dicens: *Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum.* Rursum genuflexo: *Beatus venter, qui te portauit, Christe, & beata vbera, quæ te lactauerūt, Dominum Deum Saluatorem nostrum.* Hic aliquādo molestia corporis tactus, quasi desperatus est, tantumque dolor inualuit, vt linguam suam, & labia sua dentibus suis commanducaret, idipsum de membris cæteris facturus si permitteretur. Cumq; iam lingua, & labijs penitus consumptis, iaceret horrendus aspectu, vidit iuxta lectuli sui caput personam pulchra facie, & reuerendo aspectu, qui Angelum eius custodem suspicatus est: hic ægroti sui ærumnas dolēs, in hunc modum lamentari videbatur: *Quid ô Domina misericordiæ, fons pietatis, hoccine est gloriæ, & gratiæ tuæ salutatorium! hæccine est lingua in beatificationem ventris, & partus tui longo vsu, & ardenti affectu sic assuefacta, vt pænè nihil aliud sonare nosset in Ecclesia Dei? Domina, Domina, si tu dees tuis, quis aderit suis? Non sic Domina, non sic, ad nihilum deueniet spes hominum, si in te non incipiunt habere refugium.* Hæc cum ille in auribus ægri declamaret, apparuit vtique Mater Domini, & quasi satisfaciens de mora in seruulum suum, de qua insimulabatur, ad lectum propius accedit, extractaque vbera visa est protinus lac immittere in os ægri,

cui sancti lactis rore infuso, subitò ille linguæ integritatem, labijs antiquum decorem, & toti eius corpori pristinam restituit sanitatem: redditus igitur sensibus, continuò surrexit sanus, & incolumis, & factam circa se misericordiam, repentina vitæ, & morum mutatione, omnibus cæpit prædicare: etenim se, & sua Dei seruitio mancipans, de cætero duxit vitam religiosam.

§. 221.

Vincentius Beluacensis.

IDem Vinc. Beluac. lib. 7. c 87 eisdem verbis. Quidam pueri clerici, ante quandam Ecclesiam ludum pilæ exercebant, quorum vnus, qui habebat in manu annulum, quem ei puella donauerat, carnali amore ducta, timens ne assidua pilæ percussione frangeretur, diuertit ad Ecclesiam, vt alicubi eum reponeret, donec post ludū ipsum reciperet. Ingressus itaque ante imaginem Virginis Mariæ, intuitus eam, & genu flexo deuotè salutauit Virginē, & addidit: Vere in omnibus formosior es, quā illa, quæ mihi annulū hunc amoris munere condonauit, ideoq; ei renūcio, teq; deinceps amare, & tibi deseruire decerno, ita dūtaxat, vt ego vice reddita, amore tuo dignus inueniar. Sic igitur præfatus puer annulū digito imaginis sursum erectū indidit. Quo accepto, quasi conditum comprobans, & fidē adhibens, mirabile dictu, digitum suum imago cōstrinxit. Quo viso puer, stupore permotus, circūstantes aduocat, & rei nouitatē mirantibus salutationis ordinem, & voti cōditionem enarrat. Quod illi audientes, eū sæculo renunciare, & votum persoluere hortabantur, quatenus Dei Genitricis seruus, & amicus, sicut dixerat haberetur. At ille spinis diuitiarum obstātibus, segre, quod monebatur, audiēs, ingratus extitit, & post modicum imagini mētitus, vxorem ducere non expauit: sed prima nocte nuptiarū, B. Virgo Maria proxima lectulo apparuit, annulum digito prætendens, & infidelitatis eum arguēs. Excitatus ille de somno, circa extendēs manum, quærens imaginem, & non inueniens, eam credidit esse phantasma. Iterum somno detentus, vidit eam assistere, non sicut prius blandè alloquentē, sed cum indignatione vultum auertentem, & tormenta durissima pro contemptu sui, & voto irrito comminantem. Euigilans igitur, & iterata admonitione perterritus, incognita vxore, & relictis omnibus, quæ habebat, eadem nocte, in eremum clam secessit, vbi habitum Monachi, vitamque professus Dominæ, & amicæ suæ cunctis diebus vitæ suæ deuoto animo deseruiuit. Maluit enim fidem seruare Reginæ Cælorum, quam ei ante nuptias promiserat, cum munditia animę, & corpore impolluto, quàm spōsæ mortali cum integritatis iactura copulari cōtra votum, quo obligatus erat.

§. 222.

Idem lib. 7. cap. 97.

IDem lib. 7 cap. 97. eisdem verbis. Sānctus Præsul Bonitus Aluernensis, cū cor suum dedisset, vt perfecte Iesum, & eius matrem diligeret, quadam die tēplum B. Michaelis cum turba intrauit, & in angulo basilicæ, licet inter multos, solitudinem cordis sibi fecit. Consummatis mysterijs, singuli in sua redierūt, ipse tamen solus in latibulo suo remansit: custodes, autem, an quis ne remansisset, perscrutati non sunt; sed Dei nutu, obseratis iam Ecclesiæ foribus, eo securius ille quo secretius, effudit in se animam suam, factusq; in agonia, prolixius & enixius orans, vidit huiusmodi visionem. Ecce repentè de cælo sonuit, quasi vox dulcis cantilenæ, & micantibus luminaribus, limen templi cæpit tremere, tanquam intrante multitudine. Adspiciebat vir sanctus, & ecce Virgo Maria intrabat cum candidato sanctorum Angelorum, & animarum cætu, sicut Regina, circumstante exercitu: chorus ille cęlestis decantabat Dominæ, eiusq; filio:

ipsa

ipsa quoq; vocem suã exercuit in Christi præconio: per medium chori facta est illa processio. Cumq; ventum fuisset ante altare, quæsitum est à quibusdam sanctorum, quis haberet Missam celebrare? En, inquit, B. Virgo adest Bonitus Præsul verè bonus, & satis dignus, cui hoc officium debeat committi. Audiẽs hoc ille paucbat, & retrahebat se, cuius rei lapis, qui ei cessit, adhuc seruat indicium: tandem quæsitus, & inuentus est, deductus, & præsentatus illi Beatæ congregationi, & ministrantibus sanctis, veste nuptiali ornatus est, ac diuino altari applicitus. Et postquam dedit in celebratione sancti operis operam, ac decenter consummauit, B. Virgo vale faciens dilecto suo pro munere celestem vestem ei dedit. Res est nota satis, & apud Aluernenses admodum celebris, maximè autem in ciuitate Aluerniæ, quæ dicitur mons clarus, & vsque hodie monstratur populo vestimentum illud celeste, cuius materies, & contexturæ modus à nullo hominum dignosci potest, & est eximij candoris, mireque leuitatis, ac lenitatis.

§. 223.

Cantiprat. CAntiprat. lib. 1. c. 22. par. 3. eisdem verbis. Filia quædam fuit viri pauperrimi, & cum puella nondum septennis miro feruore spiritus interius traheretur, rogauit patrem cũ lachrymis, vt sibi psalterium compararet: cui pater: Vnde filia, psalterium comparabo, qui vix tibi quotidiè panẽ lucrari sufficio? Mox illa conuersa ad Matrem Christi, orauit, & dixit: O Mater Christi, da mihi psalteriũ, quod pater dare non potest, & ero perpetua ancilla tua. In hac simplicitatis prece perseuerauit illa, & ecce in somnis apparuit ei B. Virgo Maria, ferens, vt ei videbatur, in manu duo psalteria, & dicens ei: Accipe nunc filia mea: vbi cũ maximo tripudio elegit vnum, dispariter B. Virgine: puella de sõnis euigilans nihil inuenit in manibus suis, & illusam se conquerens à Matre Christi, flere cæpit. Quod cum audiuit pater, irrisit filiæ, & demum consolatus est eam: Vade, inquit, tãtum diebus Dominicis, ac festiuis ad magistram, quę filias diuitum psalterium docet, & primo discas legere, & postea B. Virgo psalterium tibi forsitan procurabit. Mira res: Puella ad magistrã, quæ filias diuitũ docebat, venit: psalterium inspexit, & nullo docẽte legit: quo miraculoso euentu B. Maria multo excellẽtius promissam suę dignationis impleuit. Quod vbi viderunt honestæ personę, & diuites matronæ parochiæ, emerunt puellæ psalteriũ, & sequenti tempore, cum eam in Christi seruitio alacrem cernerent deuotam, eidem iuxta Ecclesiam cellulam pro recluſorio locauerunt.

§. 224.

THomas Cantipr. lib. 2. c. 29. par. 15. Idem aut. Erat in partibus Theutoniæ monasterium Virginum, quo bellorum euentu funditus destructo, ad domos parentum puellæ redire compulsæ sunt. Quarum vna pulcherrima, Agnes nomine, vbi ad patrem militem redijt, ab eo violenter oppressa, mox impregnata fuit. Ad partum ergo appropinquans, fugit anxia ad deuia, & partu edito, adest diabolus specie Monachi, qui se eius consanguineum, & conscium facti contestans dixit ei: Ne tu charissima, per partum editum cum patre, & parentibus confundaris, paruulum in stagnum proximum proijce. Si enim vixerit, delictum latere non potest: renuere cæpit. at vicit erubescentia maternum pectus, & mox paruulum submersit in stagnum, postea diabolus videns illam tabescentem præ dolore, dixit: O, omnium fœminarum miserrima, quid nunc restat? Melius est, vt sine scandalo tui, & tuorum, & grauiore mortis periculo, facta mihi confessione, in aquam cum filio te submergas. Hoc audito, antum facinus exhorrescens, exclamauit,

Glorio-

Glorioſam Virginem Matrem Chriſti inuocans, & contra diabolum adiutorium ab ea implorans, & continuo vidit dęmonem cum fumo teterrimo diſparentem, & mox effuſa in laudem Matris Chriſti ad ſpem meliorem in prece, & lachrymis cõfortatur. Venit ergo in proximam ciuitatem, & hoſpitio ſuſcepta à quadã matrona Iudæa, Sara nomine, vt eius paruulum lacte ſuo nutriret, mãſit annis quinque cum illa. Interim de fide Chriſti, & bonitate, & pietate Matris eius, vt erat fęmina prudens, & eloquẽs, prædicabat, & ſenſim cor Iudææ illius verba ædificantia, & efficacia penetrabant. hortata eſt illã, vt orationem Dominicam, & Angelicam ſalutationem addiſceret, Chriſtum, & Matrem eius quotidianis precib⁹ inuocaret, hoc ſciẽs maritus, ægerrimè ferebat, & ideò, in furiam raptus, quòd ſuſpectam eam quaſi ſubuertricem ſuæ vxoris haberet, extracto capulo, inuaſit illam dormientem, tria infligens vulnera cor penetrãtia. Hoc viſo occidit Iudæa horruit, & intrans thalamum obſeruauit. Hinc noctis medio facto ſigno, Iudæus ſynagogam cum vicinis intrauit. Iudæa autem poſt luctum obdormiens in ſomnis vidit Glorioſiſſimam Dominã cum duabus puellis ad occiſam mulierem intrãtẽ, & ex tribus pyxidibus, quas ferebant, vnamquamq; ſanguine ſalutari, in rediuiuum ſtatum, mortis vulnera reducentem. Iudæus autẽ mane rediens, occiſam fœminam nõ inueniens, credebat, quòd vxor ſua cadauer mortuũ ſepeliſſet. Hoc idem de viro illuceſcente die vxor credebat, vnde neuter ſuper hac re alterum requiſiuit. Vix dies 40. completi ſunt, & ecce venit mulier peregrina, Iudæamq; & virum eius ex parte Agnetis officioſiſſimè ſalutauit, & ãbijt. Tunc Iudæus vxori ait: quid eſt, quòd illa viuit? Nunquid occidi eã? Cui vxor Potens, inquit, Chriſtus Dominus eius, mortuã ſuſcitare. Et Iudæus hoc eſt, inquit, quòd ſemper timui, quòd te apoſtatam duceret in errorẽ: nec mora hæc dicens, comprehẽdit vxorẽ, duobus annis recluſit in carcere obſtrictã. Hinc accidit, vt ad remotiora tendente Iudæo, vxor è carcere euaſit, & cũ duobus paruulis tertium gerens in vtero ad Eccleſiam fugit: & cum gaudio fidelium, qui eam ditiſſimam, & honeſtiſſimam nouerant, baptiſma ſuſcepit. Hanc poſtea duo filij eius adoleſcentes, & vna filiarum ſecuti ſunt, & fidem alacriter ſuſceperunt; mãſit autem poſt baptiſma cum filijs in Colonienſi diœceſi, & mutato nomine vocata eſt Gertrudis, & inuenit Agnetem, quondã nutricem ſuam ibidem manentem, & de conuerſione eius valde gratulantem. Quæſiuit ergo ab Agnete Gertrudis, quomodo reuixiſſet, Et illa mirata ſubriſit, dicens: Quare nunquam mortua ſuſcitarer? Ad hæc ſtupefacta Gertrudis: Verè, inquit, vidi, quod te vir meus tribus vulneribus cultro confodiens, occidit, & illa ait? Nouit Chriſtus omnipotens, quòd in ſomnis tantum me vidiſſe, & nõ ſenſiſſe videbar occidi. Manè verò offenſam viri tui, ſi manſiſſem, pręcogitans, omnibus inſalutatis, recedere feſtinaui. Nec mora, Gertrudis apprehenſa veſte circa collum Agnetis, rupit eam, ſimulque cilicium, quo induebatur, ad carnem vſq; ad pectus medium, & inuenit manifeſtiſſimas trium vulnerum cicatrices. Manifeſtata ſunt hæc Archiepiſcopo Colonienſi domino Conrardo, mortua eſt autem Agnes in maxima pœnitentia, & feruore ſpiritus. Annus ſecundus M. ſcilicet CCLXV. eo tempore voluebatur, quo ipſa Agnes à Iudæo occiſa eſt, & per glorioſam Chriſti Matrẽ, & Virginem ſuſcitata. Gertrudis verò ſuperſtes eſt, miro fidei calore ſuccenſa.

§. 225.

IDem lib. 2 ca. 29 eiſdem verbis. Vidi in Brabantiæ partibus Ciſtercienſis ordinis Monialem, in qua conuerſa de Iudaiſm... opus Diuæ Mariæ matris Chriſti

Idem lib. 2. c. 29 eiſdem verbis.

Christi gloriosius excolebat. Annorum non planè quinque in domo parentum Iudæorum aduertere cœpit; cur distinctio nominum fieret Iudæorū pariter, & Christianorū, cum vnius vultus, atque loquelæ homines essent vtriusq; gentis. Mira talis puellæ discretio; propendebat tamē, vt postmodum retulit, magis in Christianum, quam in Iudaicum nomen, specialiterq; B. Mariæ nomen lætabatur audire, furabatur autem sub vtraq; axilla panē de mensa parentum, & pueris occultè mendicis partiebatur, vt, ab eis regratiando, sibi Mariæ nomē audiret: in his ergo de tempore in tempus mirè proficiēs, ita sagaciter latitabat, vt neuter parentum aliquid super cogitatu filiæ aduertere posset, vel audire. Contigit autē, vt parentes eius Colonia Louanium, Brabantiæ oppidum, cum filia deuenirēt, vbi cum successu tēporis in domum cuiusdā præclari presbyteri, magistri Reyneri, puella cū Christianis pueris aduenisset, & eam ex nomine nouisset presbyter, & venire libentius ad se frequentius aduertisset, interrogauit eā, dicens: vis ne Rachel charissima (nā hoc illi nomen erat) fieri Christiana? Et illa, volo, inquit, dūmodo erudias me, quid sit fieri Christianā. Tūc presbyter, vt vir sanctus mirè gauisus, in spiritu sentiebat de puella futurū nescio quid diuinū. Et incipiens à constitutione mundi, cēpit illi scripturas exponere, per quas fides Christi, vel ipse Christus significari poterat, vel ostēdi. Quarū expositiones, vt mihi ipsamet dixit, ita integro sensu in illa ætate sex annorū cū dimidio, discretione spiritus intellexit, vt raro oporteret presbyterū rationē aliquā iterare. Hæc eruditio ferè per annū dimidiū perdurauit, occultè, & furtiuè, & ecce insigne prodigiū. Nunquā Rachel auditu verbi Dei satiari poterat, vel lassari, cū tamen presbyter, & Martha ministra eius, mulier religiosa, & prudens valde, ambo frequenter lassati, sibi inuicē succederent in docendo. Quid plura? Mox vt parētes in filia cœperunt aduertere cogitatum, colloquentibus inter se Iudæis pluribus, conuenerunt in hoc, vt missam filiā de Louanio vltra Rhenum sponso traderent arctius conseruādam. Quod vbi puella cognouit, Presbytero cū lachrymis indicauit, vt si illā eadem nocte non raperet, & Christianam efficeret, perdita esset in perpetuū, & confusa. quod audiens presbyter, puellæ præcepit, vt ad solitū summo mane veniret. Iacēte ergo puella vsq; mane, & obliuiscente penitus, quod presbytero præcedēti nocte promiserat, astitit illi gloriosa Mater Dei Maria habitu candido super niuem, & offerens illi virgā splendidā, quā gestabat, dixit: surge Catharina, & iter arripe: grandis enim tibi restat via. Hæc illa dicente: Rachel virgā apprehēdere credēs, de lecto cecidit, & exclamauit: cuius clamore excitata Matre, & quærente clamoris causam, filiaque cautius dissimulāte, mater protinus obdormiuit. Et Rachel surgens, ad condictum locum presbyterū inuenit. Qui lætus assumpsit eam, & venit ad monasterium, quod Parens Dominarū dicitur: distans leucā dimidiam à dicta villa, & gaudentibus cunctis, baptizauit eā, nomen Catharinæ imponēs, quo vocata prius erat à Christi Matre; statimq; habitu ordinis induit baptizatam. Nec mora, vt audiuit pater, & amici eius, quod gestum est, cōsternati sunt, & per Ducem Dominum terræ, & per Episcopum Leodiensem, tādem per Papam Honoriū laborauerunt, vt infra ætatē legitimam filia ablata parentibus redderetur. Quæ si in domo parentum vsq; ad duodennem ætatē perseuerasset in fide susceptā, tūc iustè Christiano nomini reddi posset: cogitabant parentes nequissimè medio hoc tempore infantilem animum faciliter inflectere posse, vt ad natiua eorum vota rediret. Horum fraudulenta conamina, proh dolor, multi magni, & litterati viri pecunia suscepta fouebant, pro quo presbyter supradictus nō modicè tribu-

latus, solum Christum, & non matrem eius, quę auctrix fuerat huius facti, multis lachrymis inuocabat. Mirantes, & vsque in præsens cunctis sęculis inaudita; petijt à presbytero ad omnem citationem, ad iudicem se puella deduci. Forsan, inquit, Iudices flectentur ætate, & ad mei piaculum mouebuntur. Et factum est, vt petiuit. Vt enim quadā die apud Leodium venit coram Episcopo, clericis, & magnatibus diuersis, aduocatos, & iudices, tam constanti, quàm veridica ratione confudit, & mouit, vt voces vlulantium, & clamantium cum lachrymis præ stupore in Ecclesia sancti Lamberti à locis distantissimis audirentur: ita vt omnes manifestissimè discernerent, & viderent, in tam exili ætate diuini spiritus sapientiam præualere. Hinc post annos duos cessatum est à lite viris, & aliud deceptionis tendiculum præparatum fuit. Iuuenis elegantis formæ Iudæus, conductus ad hoc, venit ad monasterium supradictum, in quo erat puella, & simulato animo, baptisma suscepit, precaturque: quærebat, vt puellæ sibi quasi cognatæ suæ, gratia eruditionis loqui liceret. Dicebat enim: plus super omnium sermonibus, mihi cognatæ verbum salubrius imprimetur. Illa tamen (vt mihi retulit) interius discernebat, fictum ad fidem iuuenem accessisse, & ideò nec prece, nec pretio, nec vlla ratione flecti potuit, vt solum verbum iuueni loqueretur. Hæc vt viderunt Iudei miseri, cessauerunt ab illa, iuuenis autem ad vomitū est reuersus. Hāc postea tanta gratia potiri vidimus, vt nihil ea serenius videri posset. Cumq; nobilium parentes cum multa ambitione venirent videre filias, & cognatas; hęc coram imagine B. Mariæ Virginis veniebat, & gratioso vultu dicebat: Aliæ sorores nostræ moniales à matribus, & amicis solatium habent, & gaudium; ego autem pauperula pupilla, & indigna ad te Dominā, & cognatam meam fidenter accedo: tu sola præ omnibus mihi esto refugium, & solamen. Et à misericordissima pietatis Matre multa solamina accipiebat.

§. 226.

CAesarius lib. 7. cap 20. eisdē ver bis. In Regni Franciæ villa, quæ *Quido* dicitur, virgo quędam fuit nobilis, & religiosa, sed paralytica. Huic pater suus, vtpote vir magnus, & diues, sacerdotes, qui ei diuina celebrarent, instituit ministros, annuosq; redditus sufficienter ordinauit: quæ cum orationibus, ieiunijs, & diuinæ contemplationi operam daret, ita illa tum dulcedine est pasta, vt omnis cib⁹ corporalis ei in nauseam verteretur, nec aliquid ex eo sumere posset, nisi succum modicum vuarum. Hospitalis erat valde, per quam & spiritum meruit prophetiæ. Ordinem nostrum summo honore reuerebatur, & hoc ei sæpissimè contigisse fertur, vt cū aliqui Monachorum, siue Abbatum, ad eius hospitium diuertere proponerent, illorum aduentum ipsa præsciret, atque admodum hilaris familiæ prædicaret. Tali, ac tali die, illi & illi Abbates, siue Monachi ad nos venturi sunt, præparate necessaria. Alio tempore, cum die Purificationis Dominæ nostræ, clericis, aliisque ministris diuino nutu absentibus, sola iaceret, intra se tristis dicebat: Modo hic sola iaces, nec aliquid obsequij, more Ecclesiæ vniuersalis, hodie B. Dei Genitrici impendis. Dum talia in mente volueret, spiritus eius misabili Dei virtute de corpore eductus ab Angelo intra cælestem Hierusalem est deductus. In qua maximam vidit processionem, ex diuersis eiusdem beatæ ciuitatis ordinibus: Patriarchis videlicet, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, cæterisque fidelibus, ex quibus bini, & bini simul incedebant, & candelas ardentes in manibus gestabant, Antiphonas, siue responsoria ad diem pertinentia, more Ecclesię militā-

Cæsarius.

Vindicta.

tis,

tis, omnes decantabant, stationes debitas obseruabant: Angelus verò virginis ductor, alteri cuidam virgini, quam nouerat esse consimilis meriti, illam sociauit, candelam porrigēs ardentem. Tantus erat decor omnium, tanta gloria, in dispari tamen claritate singulorum, vt nulla lingua fari sufficeret. Saluator verò, qui caput est omniū Sanctorū, splendor gloriæ, & sol iustitię, indutus pontificalibus, mytram gestans in capite suo, cum baculo, chirothecis, & annulo, & reliquis Episcopalibus ornamentis, nouissimū locum cū Matre tenebat, cuius pulchritudinem, omnis cælestis exercitus mirabatur. Qui cum post tertiam stationem inchoasset Antiphonam: *Hodie B. Virgo Maria puerum Iesum &c.* ingressi sunt templum ex auro gemmisque constructum, deinde inceptus est Missæ introitus, & ab omnibus simul decantatus. Interim Christo introeūte ad Altare, postquam expletum est Kyrie eleison à choris alternatim, post Gloria in excelsis Deo &c. quod ipse inchoauit, Beatus Protomartyr Stephanus epistolam legit de lib. Malachiæ Prophetæ, sanctus verò Ioannes Euangelista, Dalmatica indutus, legit Euangelium secūdum Lucā, scilicet, Postquā impleti sunt dies purgationis, &c. Quo perlecto, Dominus secundum morē Ordinis nostri, ad gradum redijt, & ab offerentibus cādelas suscepit: prædicta autem virgo, per spiritum sentiens se ad corpus reuersuram, candelam suam offerre noluit, etiam Angelo suo præcipiente, volens illam secum ad terras portare. Quod Angelus considerans, candelam in manu eius fregit, superiorem partem auferens, & inferiorem ei relinquens. Sicque ad corpus reuersa, partem eandem manu conclusam se retinuisse inuenit, de qua plurimæ fiebant, & forte vsque hodie fiunt virtutes. Nam aquam superfusam infirmi bibunt, & conualescunt. Tam manifesta, & sublimis erat visio, vt modum eius minimè intelligeret, dicens illud Apostolicum, dum de ea interrogaretur, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit. Dominus Eustachius Abbas de Clausto visitator noster, audiens hanc visionem, quibusdam Abbatibus referentibus nobis, desiderio veritatis cognoscendæ virginem principaliter adijt, & ab eius ore, quæ dicta sunt, audiuit: hæc Cæsarius.

§. 227.

EX Vitis fratrum Prædicatorum par. 1. cap 7 eisdem verbis. In territorio Amonensi super fluuium Rodanum situm est clausstrum nobile Tarasconis, vbi B. Martha, Christi hospita venerabiliter requieuit. In hoc clausstro, hospita fratrum mater Domini Olfani militis, deuotissima Deo, & Ordini fuit, cui quod sequitur reuelatū est: sicut ex litteris venerabilis viri, & honesti Domini Guidonis Fulcodij, qui post, Podiensis Episcopus factus est, clare patet in hūc modum. Viris religiosis Patribus & Dominis, Priori, & fratribus Prædicatoribus in Mōte Pessulano, Guido Fulcodij salutem, & pacem. Instante nuper festo Pētecostes, cū Ordinis vestri generale capitulum apud nos celebrandum occurreret, soror mea quondā Domina Maria de Tarascona, sanctorum congregationē tam celebrem, quam iucundam videre desiderans, per quindecim dies ante festum in villam S. Aegidij, notos, & proximos visitatura, descēdit. Cumq; à pluribus matronis visitaretur, quæ suis ædificabantur alloquijs, & exemplis, cæpit à nonnullis earum anxie sciscitari: quoties orationem Dominicam deuotissimè dicerēt, Matremque Domini salutarent, & vt fratribus in capitulo congregatis, suum Dominus mitteret spiritum, materque misericordiæ, eos sua gratia visitaret, à singulis earum quoad poterat orationem extorsit. Laudanda certè

Ex Vitis.

Vindicta.

ſanctæ mulieris deuotio, ſed magis admiranda prudentia. Minus quippe ſibi ſufficere iudicans, quod iuxta patrimonij vires fratrum plurimorum neceſſitatibus temporale ſubſidiū porrigebat, nouo, ſed laudabili quæſtus genere, ſatis (vt arbitror) honeſtè mendicans, ſpiritualis alimoniæ beneficia corroborabat, impoſſibile reputans ab eo preces plurimorum non exaudiri, qui fidelis in omnibus verbis ſuis ſe ſuorū congregationi fideliū affuturum promittit, & multiplicatis interceſſionibus, theſauros euiſcerat ſæpè pietatis. Sanè ad montē Peſſulanū veniens, cum ſorore, cum in die feſto tantæ ſolemnitatis, officium celebraretur in Eccleſia noſtra, & ipſa proſtrata, orationi tota incumberet iuxta morē, cępit inſtantiſſimè deprecari Dominum, vt tot fratres in ſuo nomine cōgregatos reſpiciens (quorum multi per tot terrarum ſpatia laborauerant) eos ſui ſpiritus lumine perluſtraret, &, ſi merita deerant aliquorum, ipſe de ſuæ gratiæ plenitudine, nec non & aliorum meritis, defectum illorum miſericorditer ſuppleret. Cum igitur hoc in animo volueret, importunè petēs, & nihil hæſitans, hymnum: *Veni Creator ſpiritus*, inchoante cantore, vidit flammam deſcēdere de ſuperius, quæ chorum vſque ad conſummationem inuolueret. Cumque rem viſam cōſideraſſet, cum gaudio, nemini ſuam viſionē dicēs, nec ſuis aſcribens meritis, gratias egit Deo, qui ſicut primos hominū viſitauerat piſcatores, ſic etiam ſuæ beneficia largitatis ad noſtri temporis Prædicatores extēdit. Porrò cum ad eandem Eccleſiam audiendi completorij cauſa, redijſſet, & fratres illam dulcem antiphonam: Salue Regina, cantarent; Regina Virginum apparuit viſibiliter monens, vt ab eius pedibus non recederet: vidit ergo ipſam chori vtramque partem luſtrantem ſingulis reclinare recantantibus, & iuxta cereferarios gradum ſiſtere vſque ad finem orationis. Dehinc in cælum rediens, eam affectibus ſecum duxit: quæ ſibi reddita, tantæ guſtu dulcedinis recreata, gratias humiliter retulit, in corde ſuo conferēs vniuerſa. Nā & per triduum in ſingulis cōpletorijs hanc habuit viſionem. Cęterum, nec ſorori, nec alijs ſeriē facti aperiens, tanquam mulier ſenſata, & tacita, clauſa tenuit omnia, quæ vidit, donec ęgritudine vehementi confracta, mortē, quam diū ſaluo diuino conſilio diſpoſitionis optauerat, imminere præſenſit. Tunc verò mihi primum, dehinc ſorori, & filio, poſt Priori noſtro Arelatenſi, & tribus fratribus cuncta per ordinem enarrauit. Eodem tempore dicta Domina defuncta eſt, & in cœmeterio fratrum Arelati ſepulta, quia fratres conuentum in Taraſcone non dum habebant.

§. 228.

THomas Cantiprat. appendice ex 1. lib. breuiter id tangit. Pelbartus lib. 3. par. 1. art. 2. cap. 3, Stellarius aſſerit, hæc mira ſe reperiſſe in bibliotheca Budenſi. Tempore B. Bonifacij Papę, qui, vt in Eccleſiaſticis hiſtorijs legitur, à Phoca Imperatore precibus eximijs obtinuit, quatenus templum Romuli, quod ab antiquis Romanorū Grecè Pantheon vocabatur, ſanctæ Dei Eccleſiæ quaſi ad ſupplementū religionis adderet, in honorē B. ſemper Virginis, ac ſimul omnium ſanctorum dedicādo cōſecraret; facta eſt in Vrbe Roma ſedito inter Iudæos, atque Catholicos non modica. Impugnabant quippe Iudæi toto veſaniæ impetu fidem incarnationis Chriſti, aſſerentes, & Virginem Mariam, de ſemine Ioſeph, cui deſponſata erat, non de Spiritu ſancto concepiſſe Chriſtum, & generaſſe, adijcientes iuxta impiiſſimam hæreſim Grecorum, omnibus modis impoſſibile fore, Virginē contra naturam parere poſſe. Cumque diutius apud Romam hæc altercatio haberetur, & iam Chriſtiani feruētiſſimo fidei zelo

Thom. Cantiprat. Appendice ex 1. lib.

zelo profanos Iudæos, nisi citò resipiscerent, & ad baptismi gratiam conuolarent, ex vrbe propellere vellent; erat quidam eiusdem Romanæ Vrbis ciuis cœcus natus, sed tamen Christianis litteris apprimè imbutus. Is namque quodam die eodem Christianitatis feruore succensus, verbo veritatis conflicturus, aggressus est Iudæos, & tanta illos redarguit constantia, vt pænè omnes inuenirentur victi, & vt falsos testes decuit elingues. Ad vltimum verò Iudæi ad probra conuersi, & conuitia stomachando valdè cœperunt improperare, dicentes: Tu cùm sis homo peccator, & in peccatis totus natus, quomodo ausus es fidem Christianorum defendere, & nos ad pugnam lacessere? Nonne liquido patet Christum tuum adeò impotentem esse, vt non posset etiam tibi lumina reformare? Ad hæc cæcus. Expectate, inquit, triduo, & videbitis me, & magnalia Dei. Erat autem post triduum veneranda solemnitas Purificationis sanctæ Mariæ, quam Græci Hypanti vocãt, quæ est 4. Nonas Februarij, & necesse erat, vt eadem sacrosancta festiuitas apud præfatam Ecclesiam S. Mariæ Virginis ab omni clero Romano eodem anno celebrari debuisset, quæ tantummodo singulis annis apud S. Mariam Maiorẽ fit. Quo audito Iudæi indignè tulerunt, & subridendo dixerunt: Certè Christus tuus, quem Patres nostri crucifixerunt, non potest tibi oculos reddere, qui non potuit semetipsum de periculo mortis liberare. Attamen si in præsentia nostra te illuminauerit, pro certo nos omnes credemus in illum, & tunc liquidè constabit, quod ipse est filius Dei, & non sit alius Saluator mundi, eo autem pacto annuere placet, vt si quis in Christum non credidetit, hoc viso miraculo, omnium rerum suarum proscriptionem patiatur, & iniurijs maximis, vtpote maiestatis reus, de Vrbe ejiciatur. His dictis, recesserunt Iudæi vnusquisque in sua. Cœcus verò clanculo se perduci fecit ad Dominum suum Bonifacium, & indicauit ei pactum & conditionem Iudæorum super fide Christianorum. Quibus Papa auditis, plus solito lætus, atq; sub eodem momento omnibus mandauit Iudæis, quatenus sine dubio præfatæ solemnitati vnanimiter occurrerent. Aduenit autem festiuitas illa magna, totusque Romanorum clerus apud præfatam Ecclesiam ex more peruigiles celebraturus excubias, congregatus est: similiter Iudæorum conuẽtus non modicus habebatur immixtus. Ductus est autem cœcus ille in medium plenus fide & spiritu sapientiæ, nihil hæsitans de propositis; Dumque ab omnibus fidelibus nocturni ibidem canerentur hymni, & iam octaua lectio recitata fuisset, cœcus ante altare Matris Domini perduci se rogauit, ibidemq; baculo sustentatus, canere cœpit quddam responsorium, scilicet, *Gaude Maria*, &c. quod sibi ante biduum (quia musicę artis gnarus fuerat) composuerat, in quo tam viuaciter Iudæorum errorem confutauit, vt sub oculis omnium qui aderãt, completo versu eiusdem responsorij, vera lux, qui est Christus, Genitricis suæ interuentu (cuius virginitutis integritas eodem cantu defensa est) lumen ei oculorum clarissimum reddidit, qui eius mentem primitus fide Catholica illuminauit. Quo viso cunctis miraculo, ab omnibus Christianis, illico Gloria in excelsis Deo canitur, & exultatio spiritualis habetur. Iudæi verò ad quingentos viros statim ad baptismi conuolarunt gratiam, reliqui fuga lapsi, in vrbe Roma visi vltra non sunt, vnde placuit sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vt idem responsorium in eadem festiuitate octauum locum perpetualiter obtinere debuisset, quatenus memorabile miraculum fidelium cordibus omni tempore ad laudem Christi feruentius semper inhærere potuisset, ipso præstante, qui regnat in sæcula sæculorum. Amen.

§. 229.

Collect. speculi eisdem verbis.

COllector eisdem verbis. Legitur, quòd vnus deuotus Laicus frater, qui erat coquinarius fratrũ, stabat ante Conuentum fratrum multorum, & in continuo labore fuit. Et quoniam frequenter hospites superueniebant extra horam communis prandij, vel cœnæ, vix tantum temporis habere potuit, vt orationes debitas persolueret. Contigit quoque vna die, vt multis superuenientibus fratribus tota die occuparetur in labore coquinæ. Tandem post completorium satis tardè accessit ad orationes persoluendas, & quasdam peculiares orationculas B. Virgini offerebat. Et quia fatigatus fuit multum ex labore, somnus ipsum arripuit, quem excutere à se somnum conatus, magnam luctam habuit in somno, lassum corpusculum deprimente, & feruore deuotionis renitente. Cumque sic luctaretur, apparuit ei Domina pulcherrima, dicens: *Fili bone, mihi satisfeciſti: vade ad dormiendum.* De cuius aspectu gratioso multa consolatione repletus est.

§. 230.

Idem Collector speculi eisdem verbis.

IDem Collector speculi eisdem verbis. Ante aliquot annos comperi rem non incertis testimonijs approbatam, quæ regulariter operantibus afferat non parum solatij, & opus alleuiet intuitu mercedis & præmij. In vna domo ordinis Cistercienſis res gesta est celebris apud Franciam, & ab omnibus credita, quia vir magni testimonij testis eius est, à quo & visa est. Messis erat, monachi messuerunt, & sub pondere diei, & æstus fortiter sudauerunt. Venit vesperus, itum est ad domum cœnatum, dormitum, & dormitorium clausum. Cellarius vir sanctus, sapiens, & maturus, talis denique, cui soli hoc liceret, mercenarijs responsurus. Expeditis his venit & ipse ad dormitorium, sed clausa est ianua: quid faceret, pulsaret? sed turbare noluit requiem monachorum: desisteret? sed requiem non haberet. Malens tamen inquietare se quam illos, capitulum intrat, in scamno se ponit, & de iunco capitale instruit sibi. Necdum obdormierat, & ecce Virgo omni specie pulchrior, obsequentibus, & lumina præferentibus alijs duabus ingreditur. Aggreditur monachum, an dormiat, scisciturus: vigilare se dicit. Qui & ipse: quid ibi facere velit, cur contra morem, & maximè nocte intrauerint, securus inquirit. At illa: Ego sum, inquit, cuius es & tu, & domus ista, & omnes, & omnia, quæ sunt in domo illa, & in ordine isto. Portabat autem vas vitreum ad nares suas tanquam odorem captans ab eo, dixitque: Visitaui hodie monachos meos in agro, sudoremq; eorum collegi mihi in vase isto; & hic odor optimus coram me & filio meo, digne vtiq; remunerandus præmio opportuno. Tum ille: O pia Domina, quid tibi tanti est labor noster, qui fit non tam deuotione humilitatis, quam necessitate inopiæ? at illa, inquit: tu non audisti, quia voluptas habet pœnam, & necessitas pariat coronam? Et, si necessitas parit coronam, sed iam partem accipit voluntas: siue ergo necessitate, siue voluntate, quod agitis meum est. Omnia vestra mihi vendico, ego suscipio, ego remuneror. His dictis disparuerunt illæ. Et ille obdormiuit suauiter, vtique sic animatus in spe, sic confortatus in fide, voluntarius in labore. Mane facto, refert lætus, & compunctus Abbati, Abbas Conuentui. Lætati sunt omnes, crediderunt omnes, & præ grauitate personæ nemo dubitat. Accenduntur animi omnium, singuli feruent ad opus laborantes & sudantes in tantum, vt si Maria adesset, demum posset implere vas sum. Sic ludere solet dulcis Maria cum pueris suis, sic in visu ostendens se illis, donum pacis & gratiæ afferens illis. Audiant hæc mansueti, & lætentur, pusilla-

sillanimes, & confortentur, pigri, & excitentur, alacres currant, non lassentur. Omnes Christo, & B. Mariæ dent gloriam, & ab ipsis vicissim hauriant gratiam.

§. 231.

Ioan. Iunior. IOannes Iunior Ordinis Prædicatorum, & legitur in Scala Cœli, eisdem verbis. Fuit quædam mulier nobilis. sed pauper habens duas filias, quas informauit ad amorem Virginis benedictæ. Paupertate ergo grauata, timens corruptionem mundi, ante altare B. Virginis eas adduxit, sic dicens: O Domina has filias meas virgines mundas tibi offero, & quia non habeo vnde possum eas nutrire, quicquid iuris in eis habeo, totum tibi do. Et acceptis manibus puellarum, in signum veræ donationis, coniunxit manibus Virginis. Et dum recessissent, iuuenem splendidum inuenerunt in foribus domus suæ, qui obtulit ei centum libras, in quibus secretè erat obligatus patri earum. De his mater induit filias, & de necessarijs prouidit optimè. Quod attendentes gentes, murmurare cœperunt, credentes, quòd de meretricio quæstu hoc haberent. Quod mater audiens, filiabus aduocatis, sic ait: Ite ad Matrem Virginem Mariam, & institate cum fletibus & deuotione, vt tanquam mater subueniat huic infamiæ vestræ. Quæ ex corde Virginem rogantes, dum in quodam festo solemni ipsius Virginis, ad sermonem in platea sederent, in præsentia totius populi Angelus descēdit, de cœlo portans duas capsellas de rosis pulcherrimis albis, & clamando in præsentia totius populi, sic ait illis duabus virginibus: Istas capsellas mittit vobis B. Virgo Maria mater vestra in signū virginitatis vestræ. Et illis dimissis disparuit. Tunc princeps terræ, qui ibi aderat, viso hoc miraculo, duo monasteria cōstruxit ad honorem B. Virginis, in quibus istas duas constituit Prioriſſas.

§. 232.

Idem Colle. IDem Collector speculi eisdem verbis. Legitur in libro quodam exemplorum B. Virginis, qui vocatur Mariale, quoniam fuerant alicubi duo monasteria ordinis S. Bernardi, nō longè à se inuicem distantia, vnum mulierum, & aliud virorum, in quibus singuli, ac singulæ iuxta institutionis suæ regulam Domino deuotè seruiebant. Erāt autem & in eisdem monasterijs duę personæ, quarum vtraque in suo Conuentu custodis officio seruiebat. propter morum autem, ac sanctitatis vitæ parilitatem, se mutuo in Domini charitate arctius diligebant, ita vt vbi alter alterius obsequio egeret (prout officij oportunitas sępius exigebat) sibi alternato monasterio seruirent. Talem autem suæ charitati custodiam adhibebant, vt nequaquam sibi corporali præsentia propinquarent, nec sibi loquerentur, nec suis aspectibus se offerrent. Feruebant autem ambo in seruitio Dei, ac Glorioſæ Matris eius. Custos verò Conuentus virorum ob singularem ad Dominam nostram deuotionem, & reuerentiam, imaginem quandam pulchriorem, quo potuit, eiusdem Virginis Mariæ sibi fieri impetrauit, sub cuius pedibus imaginem dæmonis è contra, quo horribilius ac turpius excogitare potuit, ordinari fecit. Postquam verò longo tempore in iam dicta deuotione Beatæ Virgini deuotè seruisset, stimulatus de facto prædicti custodis, deuotionis omnis inimicus puritatem intentionis eiusdem amplius sufferre non potuit, venitque in figura, qua eum custos formari fecerat obuiam, in quadam nocte, cùm ad pulsandum ad matutinas surrexisset: eum proteruo, ac irato vultu intuens, in hæc verba prorupit. Cur hāc mihi opprobriosam confusionē exhibuisti, vt me tam turpi forma faceres depingi sub pedibus pulchræ illius imaginis Mariæ Dominę tuę, vbi contrarijs iuxta se positis, mei figura, alia magis

eluce-

eluceſcente, horribiliter apparet ? Niſi me citius depoſueris, talem tibi prouidebo confuſionis talionem, vt te me ſic oſtendiſſe pœniteat. Quo audito, cùm viſionis eius conceptus horror paululum abſceſſiſſet, cuſtos in hæc ſic verba reſpondit, dicens : Recede à me Sathana, tuas minas non curo: cui ego ſeruio, poterit me benè de tuis manibus eripere. Quo dicto, inimicus velut in fugam verſus diſparuit. Poſt hęc multò tempore cùm cuſtos minarum Diaboli minimè memoraret, ac doli eius inſcius, ſibi minimè prouideret, Diabolus humanæ ſalutis ſemper inimicus redijt, & cuſtodi confuſionem, quam ſibi promiſerat, Deo permittente inferre curauit. Nocte igitur quadam in primo ſomno ante tempus matutinarum cuſtodis fœminæ indutus forma ad cellam cuſtodis, velut introitum poſtulans pulſauit. Cuſtos verò tali tempore timoris inſuetus ſurrexit, & aperiens cellæ ianuam, quiſnam ibi eſſet, aut quid ſibi vellet inquiſiuit, cui Diabolus: Ego, inquit, amica tua cariſſima, talis monaſterij cuſtos tibi fidelis, quæ quoniam in tui amorem vehementer exarſi, amoris vehementia tibi amplius abeſſe non potui: magno itaq; tractus amore ex monaſterio meo ad te huc perueni, aſſumens pretioſiora cuncta noſtri monaſterij clenodia, quæ nobis longo tempore ſuo valore vitę neceſſaria poterunt miniſtrare. Nũc igitur ſurge velocius, omni mora poſtpoſita, mihiq; ſociare, quicquid quoq; tu pretioſorum clenodiorum, ac ornamentorum habere poteris, tecũm aſſumens: in ignotam regionem, vbi cupita poſſimus frui præſentia, ſimul pergamus. Satanas quoq; ſicut cuſtodi loquebatur extrinſecus, ſic tentationibus ſuis, animam eius amplius excitando, mouebat extrinſecus, ita vt quid illi reſponderet, non inueniret, ſed verborum, ac tentationum eius victus importunitate, fidem illi adhibuit, cellam egreſſus eſt, & quicquid de ſuæ cuſtodiæ commiſſis clenodijs monaſterij, & ornamentis habere poterat, in ſaccum vnum colligens cum diabolo, veluti cum cuſtode dilecta, à monaſterio fugam petens, abſceſſit. Cum autem per aliquantulum ſpatium à monaſterio receſsiſſent, lachrymabili voce diabolus conqueſtus eſt, ſe quoddam pretioſiſsimũ monaſterij ſui clenodium fuiſſe oblitum, quod omnia habita præcelleret in valore, dixitque ad cuſtodem: tu hic ſede, amice chariſsime, & tu reditum meum præſtolare, ego citius, quo potero quæſito & allato illo, feſtinus ad tẽ redibo. Credit cuſtos, & aſcendente diabolo, ſolus cum furto remanſit in campo. Diabolus verò poſtquam receſsit à cuſtode, venit in monaſterium, & ingreſſus dormitorium, magnum ſtrepitum commouit, clamans alta voce: ſurgite, ſurgite, & citius cuſtodem, qui cuncta furatus eſt inſequentes, comprehendite. Surrexit Abbas & totus Conuentus cum eo, & perluſtrantes ſingulas clauſuras apertas, & pretioſiora quæq; clenodia ac ornamenta monaſterij ſui ſublata inuenerunt. Vnanimiter perinde monaſterium egreſsi, & cuſtodem inſecuti, non longè à monaſterio ſolùm inuenerunt, & furtũ cum eo. Quẽ comprehendentes, cùm quid diceret, & furto præſente confuſus non inueniret, ſecumque vehementer tacitus miraretur, quomodo in hoc infortunium peruenisſet, cum in monaſterium reducentes, incarceratum, ambobus pedibus cippo arctatis, & affixis, vſque in diem craſtinum, quando de facto melius deliberarent, dimiſerunt. Alteri quoque monacho, vt ad matutinas tempore congruo, loco cuſtodis pulſaret, committentes, ipſi ſe quieti tradiderunt. Quieſcentibus ſingulis, cùm cuſtos facti turpitudine confuſus, ſolus ſederet in carcere, atque cippo, ſecumque miſerabilem cauſam tacita mente, cordeque contrito reuolueret, & præcordis anietate erumpentibus lachrymis, benè contritus amariſsimè fleret,

ſola-

solatiumq; sibi sub sole nullum superesse conspiceret, deuoto corde se transtulit ad omnium desolatorum consolatricem pijssimam Virginem Mariam, casum suum ei conquerens in hæc verba: O mea Mater omnium peccatorum misericordissima patrona, quoniã vt corde nosti, deuota tuis me seruitijs mancipaui: per tuam infinitam clementiam te deprecor, vt mihi casu hoc lachrymabili innocenter circumuento, tuam misericordiam gaudeam affuisse. Cumque sic iaceret in oratione, & totius spei ancoram in matrem misericordiæ iniecisset, ecce subitò in forma, qua eum depingi fecerat, sathanam adesse conspexit, sibi suum infortunium improperantem, atque dicentem: ecce (inquiens) quomodo, quod tibi ante promiseram, vt scilicet mihi de facta iniuria tibi reddam rationem, iam persolui. Custos cordis dolore confusus, quid suis responderet improperijs non inuenit. Tunc ait diabolus: Ecce, quod tibi ante prædixeram, iam me cognoscas implesse, sed tamen Maria Domina tua mota quam ad te gerit compassione, me imperiali potentia, quod inuitè facerem, compulit. His dictis, dæmon excessit, & excusso cippo liberauit, & vt illinc recederet imperauit. Custos cellæ suæ secreta secretè petijt, ac diabolus in forma custodis transformatus, in cippo carceris pro eo inuitus & compulsus resedit; custos quoque totus gratulabundus, misericordiæ glorioſæ Virginis (cuius imperio fuerat liberatus) gratias quas potuit, retulit, tempusque matutinum totus lætabundus expectauit. Cumque propè esset, quod impulso horologij tempus matutinarum signaretur, quod etiam in loco officij sui frater ordinatus expectauit, Ecclesiam introiuit, atque vt solet, decantandis monachis in pulsu signum dedit. Quod vt frater vice eius ad pulsandum ordinatus, audiuit, mirabatur quisnam ibi esse potuit, qui ipsum pulsando etiam ante tempus præuenisset, eo quòd dum custos incarceraretur, adfuisset. Ad Ecclesiam igitur festinus accurrit, & custodem pulsantem inueniens, cùm vehementer miraretur, Abbatem, ac fratres cæteros adiit, & quod custos, fracto carcere, violenter aufugisset, intimauit. Surgentes illi carcerem adeunt, atq; vt sibi videbatur, custodem incarceratum, vt eum antea reliquerant, inuenerunt. In choro quoque Ecclesiæ veniunt, atq; custodem (vt ibi solet) pulsantem aspiciunt. Dixitque Abbas fratribus suis: Tota hac nocte fratres mei, diabolica sumus deceptione vexati. Et accepta aqua benedicta cùm pulsantem custodem aspersisset, ille aspersionem humiliter (vt verè humilis erat) reuerenter accepit. A choro igitur ad carcerem cum Conuentu redijt, vbi, vt sibi videbatur, custodem incarceratum sedentem inuenit. Cumque eum (vt vero custodi ante fecerat) etiam aqua benedicta aspersisset, ille demisso magno fœtore, vt fumus euanuit, sicque discordiæ seminator maleficus, fratres singulos cum custode pacificauit inuitus. Custos quoq; suæ liberationis non ingratus, nec immemor, studuit adiutorio glorioſæ Virginis, in virtutibus proficiendo, pro sibi impenso beneficio gratus existere, & in seruitio eius spirante gratia, vsque in finem vitæ suæ amplius feruere: fratres verò, missis nuncijs in prænominatum monasterium Virginum, vtrum de hoc negotio nocte illa aliquid percepissent, explorare studuerunt. Sed quoniam rei veritas nulli hominum, excepto custode patuit; nullibi aliquid inde auditum fuit. Custos verò rei euentum vsque ad vitæ suæ terminum secretum tenuit, nulliq; publicauit. Sed cum cæteris vicinæ mortis signis prodentibus se, ab hoc sæculo migraturũ esse cognosceret, omnem rei gestæ ordinem vocato priori intimauit.

* * *

§. 235.

Collect. speculi eisdem verbis.

COllector speculi eisdem verbis. S. Thom. Cantuariensis Episcopus in adolescentia sua castissimus erat, vtpote qui beatissimæ Virgini Mariæ suam vouerat castitatem. Cū autem esset inter socios, sicut lilium inter spinas audiuit eos sæculares sæcularia conferre, & iactantes se de suis specialibus dominabus, & de clenodijs sibi datis ab ipsis. Tandem in loco dixit: Nihil valet quod dicitis, & iactatis, ego habeo amicam, quæ omnium vestrum præcellit amicas, quæ mihi clenodium dedit, cui nunquam simile vidistis. Hoc autem totum spiritualiter intendebat, sed ipsi secundum mentem suam recipere hoc volebant, supplicantes instantissimè, vt eius clenodium demonstraret. Et vim iam inferre volentibus, aufugit in Ecclesiam, seque ad orationem contulit, rogans, vt sibi tam præsumptuosum verbum Domina dulcissima indulgeret. Ecce autem in visione ei electissima Virgo apparuit, consolans eum flebilem, & dicens: Ne timeas, quia optimè & verè excellentiam tuæ amicæ inter socios, imò inter omnes homines obtinebis. Deditque ei pyxidem valdè paruulam nimis pulchram. Reuersus ad se, & ab oratione consurgens lætus abire volebat, sed socij prædicti videntes eū, iterum pro exhibitione sui clenodij insistebant. Tandem socij è manu eius prædictam pyxidem rapuerunt, & aperientes viderunt in ipsa parum de purpura extraxerunt, & prodijt de illa pulcherrima casula mirabiliter benefacta. Verbum illud mirabile peruenit ad Episcopum Cantuariensem, cui accersitus Thomas, re indicauit veritatem. Vnde prouidit ei Episcopus in studio, & expensis, præordinans eum in animo suo, sibi futurum successorem. Quod & postmodum factum est.

§. 234.

Idem Collect. speculi eisdem verbis.

IDem Collect. spec. eisdē verbis. Miles quidam in torneamentis & exercitijs sæcularibus se plurimum exercebat. Huic euenit infortunium, quòd talibus solet sæpè euenire. Nam monachus factus fuit. Sed Dominus qui dixerat: Melius esse cum vno oculo ad vitā ingredi, quam cum duobus tendere ad gehennam, qui nouit bonum de malo elicere, felici necessitate eum compulit ad meliora commutari. Et quia circa diuinum officium, & præcipuè in missa gloriosæ Virginis Mariæ deuotissimè se agebat, quodam die eques processit ad Ecclesiam, in qua Salue sancta parens solemniter cantabatur, qui morem gerens solitum abstitit, & missam negligere recusauit. Tunc ecce Iudæus quidam interim casu pertrāsiuit, inueniēsque militem ad nomen Reginæ Cœli frequenter genua flectere respexit, impieque subsannauit improperans inter cætera, quòd ancillā gentis suæ tam venerabiliter honoraret. Miles Dominæ suæ iniuriam ferre non valens, accensus zelo fidei, Iudæum percussit ad aures, qui mox querulans & eiulans, commouit totam plebem. Accurrensque populus, sciscitabatur causam clamoris, qua percepta, pro diuite fauoris gratia sententia lata fuit. Miles autem interim videns paratas sibi insidias, secessit in Ecclesiam, auxiliatrici fidelissimæ negotium suum committens. Astitit autem anguistiato illuminatrix cordium, & amissum sibi oculum restituit, & visum lucidissimè reparauit. Captus tandem in Ecclesia, & abstractus, ac productus, traditus est Iudæo, qui eum minimè recognouit, dicens: Hunc iudicarem me læsisse, si duos oculos non haberet. Nam huic nihil imputare valeo. Viso igitur miraculo, gaudebant fideles, recognoscentes, & laudantes Matrem Domini, fidelium adiutricem. Statuerunt ergo fideles, vt in eodem die annis

annis singulis Iudæi, Iudæum aliquem publicè repræsentent, qui sine contradictione alapam tam grauem sustineat, quam Christianus decreuerit sibi dandam.

§. 235.

Idem Collect. speculi eisdem verbis.

IDem Collector speculi eisdem verbis. Erat quidam presbyter Deo multum deuotus, & naturali quodam castitatis dono refulgens, ordinis Crucigerorum, cuius & si mihi nomen non incognitum est, nec incerta habitatio subticere tamen vtrumque volui, ne aut ipsi pudorem (nam verecundus est) aut mihi adulationis notam inficerem. Is cùm à primordijs florentis iuuentæ ferè vsque ad trigesimum annum, vel nullos omninò ob ingenitam castitatem, aut admodum paucos carnalium tentationum æstus persensisset, nescio qua dæmonis inuidia actum sit, vt in prouectiore ætate tam grauibus tentationum carnalium fluctibus inciperet agitari, vt de periculo castitatis hæsitans, grauiter trepidaret. Cumque dæmon immundas cogitationes die, noctuque ingereret, & prædictus frater profundis suspirijs, prodigijs, lacrymis, & sanctissimis precibus ambigua satis victoria decertaret; tandem ad Reginam Virginem Mariam spei suæ anchoram fixt, ipsamque adiutricem sub tam acerba certaminis mole sibi fieri postulauit. Verùm dum illa non acceleraret præsidium, sed texeret moras anxiè repugnanti, vidit quadam vice in altari, coram quo se in orationem prostrauit, Virginis Mariæ & Beatæ Gertrudis imagines, vel sculptas, nescio, vel pictas. Sed cùm Reginam Cœli aureo diademate renitentem, & Beatam Gertrudem humiliori velo tectam conspiceret, vt videlicet imperiale meritum dispar habitus denotaret, columbina simplicitate plenus in hunc modum cœpit perorare: Non debueras Virgo Maria benedicta me crebrius te inuocantem hactenus protraxisse, & hucusq; in tuis castris militanti diu, sæpeque optata negasse præsidia, cum te & vulgatum nomen miserorum adiutricem, & regium diadema, Virginum principem signent. Verum nunc quia grauius sæuiente hoste, in me video periclitari castra pudoris, & bellum impar viribus meis impositum cerno, atque ex hoc conijcio hosti in proximo cessura trophæa, eò vsque noueris rem processisse, vt hodie felix Virgo regium diadema aut retineas, aut amittas. Si iueris fessum, manebit tibi: si verò, vel adhuc precantem spreueris, detracta sublimi de vertice corona, Gertrudis Virginis caput ornabo. At ipsa cùm se viderit per me hoc honore præuentam, tantis beneficijs non ingrata, à turpibus cogitationum procellis me liberum, atque securum efficiet. O Deus, quid non facit innocentis hominis sancta simplicitas: mox enim vt his verbis genitricem Dei, & Reginam Cœli conueniisset, ipsa quasi tanti honoris fastigio nolens priuari, minantem sibi fratrem ab huiusmodi tentatione tam potenter eripuit, vt post illam horam, vsque in præsens tempus dicatur carnalium tentationum fluctibus non quassari, sed de tunc accepta puritate, nunc quoque lætatur.

§. 236.

GErardus Lorichius Hadamarius Catholicus in compendio glossæ ordinariæ, & interlinearis in 3. Regum, cap. 13. Hermanni Itali Fratricellorum hæreseos authoris manens apud Ferrariam instar sancti alicuius reliquiæ colebantur. Aliorum impium dogma vt declararetur, itidem æquum fuit, necessitas quoque postulauit, vt ossa infanda comburerentur. Diabolum hoc iudicium Ecclesiæ solùm odisse, ex historia Gaidonis est videre. Diabolici hominis reliquiæ in ignem coniectæ

Gerard. Lorichius.

statim emicuere, atque diabolorum potestate, in aera supra rogum ferebantur. Populus iudices in ipsam ardentem pyram iniecisset, nisi clerus gloriosam Virginem Mariam, hæreseon omnium interemptricem, in officio cuius introitus est. Salue sancta parens, inuocando, diabolorum nequitias exuperasset, ipsoque clamore coegisset: O Guido de Lacha, nos defendimus te quantum potuimus, & cætera. Itaque meritò cantat Ecclesia: *Gaude Maria Virgo, sola cunctas hæreses interemisti in vniuerso mundo.*

§. 237.

Card. Iacobus de Vitriaco.

CArdinalis Iacobus de Vitriaco in libro quem de apibus vocat, quia ad similitudinem apum varios exemplorum flores collegit: licet autem liber nomine auctoris careat, illum tamen prædicto Cardinali adscribit Dionysius Carthusianus, dum ait: Eundem auctorem illius esse, qui scripsit vitam Sanctæ Christinæ de Leodio; hunc autem fuisse Cardinalem Vitriacum tradit Surius in vita eisdem sanctę. Narrat igitur ille, quòd cùm quidam, qui postquam multos annos in militari vita consumpsisset, Ordinem Cisterciensium ingrederetur, interrogatus à Magistro nouitiorũ de aliquibus Christianæ doctrinæ rudimentis, etiam orationis Dominicæ ignarum illum reperit, causam ille subiecit, dicens: ita memoriam labilem habere, vt per totam vitam non potuisset orationem Dominicam memoriæ mandare, tunc præcepit Abbas, vt saltem salutationem Angelicam addisceret: per multos dies ille laborauit, nunquam tamen potuit alia verba memoria retinere quàm illa: *Aue Maria gratia plena*. Magister autem nouitiorum obseruans hebes hominis ingenium, ac labilem memoriam, salutare hoc consilium ei præbuit, vt frequenter mente, & ore in omnibus suis actionibus illa verba repeteret: *Aue Maria gratia plena*, cui ille ita obtemperauit, vt ferè nunquam ea verba ab eius ore decederent, fatebaturque repetitionem illam sibi non solùm non molestam, sed dulciorem super mellis fauum ori eius esse. Postmodum nonnullis transactis annis, quibus religiosè ac sanctè vixit cùm è vita discederet, & in loco consueto reliquorum fratrum fuisset sepultus, è sepulchro eius prodijt arbor, in cuius folijs diuinitus aureis characteribus scripta erant verba illa: *Aue Maria gratia plena*. Huius portenti fama continuò per totam illam diœcesim diffusa, protinus Episcopus ad videndam visionem illam grandem properauit, foderequeiussit in eodem loco, vbi arbor sita erat, & inuenit radicem arboris in ore sancti illius cadaueris radicatam esse. Vnde non obscurè coniectaui ob deuotam illorum verborum repetitionem: *Aue Maria gratia plena*: tantum miraculum cœlesti consilio patratum fuisse, & ad remunerationem illius, & ad instructionem nostram: vt moneamur frequenter sacra illa verba mente & ore versare.

§. 238.

Fr. Francisc. Gonzaga.

FRater Francisc. de Gonzaga quondam minister generalis Seraphici ordinis, nunc verò Episcop. Mantuanus libro de origine familiæ obseruantiæ, commemorat: cum magna grassante peste per totam ciuitatem Conimbricensem monasterium sanctæ Claræ inciperet adeò periclitari, vt moniales timore mortis concussæ de fuga ab eo loco inter se agerent: dum tamen de modo magis decenti ad fugam capessendam deliberarent, ecce repentè ad ostium pulsat pauper quidam eleemosynam petens, ad quẽ cùm venissent quædam moniales, continuò ille interrogauit, vt quid adeò tristes & afflictę essent, illis autem respondentibus propter appropinquantem ad nos pestem, quæ nos hinc abire compellit, at illę continuò dixit:

dixit: credite mihi non opus est, dabo vobis efficacissimum remedium ad illam omninò propulsandam: accipite chartam istam, & antiphonam Deiparæ in ea scriptam singulis diebus recitate; statimque ille non amplius comparuit. Cœperunt moniales singulis diebus sæpè sæpius tum alta voce canere antiphonam illam, tum summissa voce singula eandem repetere; quo præsentissimo antidoto cælitus, vt creditur, demisso, monasterium in medijs flammis grassantis pestis ab eius contagione omninò immunè seruatum fuit. Antiphonam, vel orationem hic apponam, vt omnes salubri hac medicina ingruente peste fruantur.

Stella Cæli extirpauit
Quæ lactauit Christum Dominum
Mortem pestis quam plantauit
Primus parens hominum.
Ipsa stella nunc dignetur
Sydera compescere,
Quorum bella plebem cedunt
Diræ mortis vlcere.
O pijssima stella maris
A peste succurre nobis,
Audi nos Domina.
Nam filius tuus nihil negans
Te honorat,
Saluos nos Iesus
Pro quibus Virgo Mater orat.

Vers. *Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.*

Resp. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

Oratio.

Deus misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, qui misertus es semper afflictionem populi tui, & dixisti Angelo percutienti populum tuum, contine manum tuam, ob amorem illius stellæ glorioſæ, cuius vbera pretiosa contra venena delictorum, quam dulciter suxisti: præsta auxilium gratiæ tuæ, vt ab omni peste, & improuisa morte, securè liberemur, & à totius perditionis incursu misericorditer saluemur, per te Iesu Christe Rex gloriæ, qui viuis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Hæc, & omnia mea, iudicio Ecclesiæ Catholicæ Romanæ libenter subijcio, paratus, si quid eius doctrinæ minimo apici aduersum quoquomodo scriptum sit, corrigere emendare, abradere, & penitus abolere.

Laus, & gloria Deo Trino, & vni, Christi Domini humanitati, B. Virgini Mariæ eius Genitrici, ac Diuo Ioſepho charissimo eius sponso.

INDEX

SINGVLORVM LIBRORVM ET HOMILIARVM, QVAE IN SINGVLIS EORVM IN HOC QVARTO TOMO continentur.

LIBER XV.

Homilia I.

IN illa verba Eccleſiaſt. 44. imperio ſuo accelerauit niuem: proprietates, & effectus niuis in laudem B. Virginis, & noſtram vtilitatem conuertuntur. pag. 1.

Homilia II.

In illa verba: Extollens vocem quædam mulier de turba, &c. Fœminarum præconia decantantur, & quæ variis virtutibus, etiam inter Ethnicos mirificè floruerunt, recenſentur. 14

§. 1.

Ab ethymologia nominis, fœminæ laudantur. 14

§. 2.

Ex creatione primæ mulieris, laudes fœminarum deducuntur. 15

§. 3.

Ex honore, quem Principes, & Philoſophi mulieribus deferunt, earum excellentia innoteſcit. 16

§. 4.

A fortitudine, & impauido animo, etiam in militia, fœminæ laudantur. ibid.

§. 5.

Ab amore erga patriam, & maritos, & à tutela quam eis præſtiterunt, fœminæ commendantur. 19

§. 6.

A liberalitate, & magnificentia fœminæ laudantur. 21

§. 7.

A caſtimoniæ virtute fœminæ commendantur. 22

§. 8.

A prudentia, & ſanis conſilijs fœminæ laudantur. 28

§. 9.

A miſericordia, & pietate commendantur fœminæ. 30

§. vlt.

A litterarum peritia, eloquentia, & eruditione fœminæ commendantur. 31

Homilia III.

Euangelicæ illius mulieris in laudem Chriſti, & Beatæ Virginis, dicentis: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti: præconia multa apponuntur, quibus mira eius religio, fortitudo, & ſanctitas cum ſingulari prudentia coniuncta innoteſcit, in illa verba: Quædam mulier de turba dixit: Beatus venter, qui te portauit. 35

Homilia IV.

Eiuſdem Euangelicæ mulieris, necnon virginei Deiparæ ventris encomia exordimur, in eadem verba: Extollens vocem quædam mulier de turba dixit: Beatus venter, qui te portauit; vbi præcipua epitheta, quibus ſancti Patres Beatæ Mariæ vterum exornarunt, cum alijs multis à nobis excogitatis, apponuntur. 42

Homilia V.

Celſiſſimæ dignitatis Matris Dei præclara multa encomia proferimus, in illa verba: Beatus venter qui te portauit. Luc. c. 11. 53

Homilia VI.

Proſequimur idem argumentum ex ſeptem inſignibus matribus, quarum diuina eloquia meminere, excellentiam Dei Matris deprehendentes, in eadem verba: Beatus venter, qui te portauit. 62

Homi-

Homilia VII.

Eadem verba: Beatus venter, qui te portauit, elucidamus, internam Beatæ Virginis puritatem, varijs Canticorum locis explicatis, illustrantes; nonnullaque virginei ventris encomia subijcientes. 66

Homilia VIII.

Deiparam Virginem diuinæ gratiæ miraculum ac beatum eius Ventrem miraculorum officinam esse apertè commonstramus, in illa eadem verba: Beatus venter, qui te portauit. 77

Homilia IX.

Virgineum Deiparæ ventrem bonorum omnium scaturiginem esse, atque ideo meritò dici beatum: varijs animi conceptionibus palam fit, in eadem verba: Beatus venter, qui te portauit. 85

Homilia X.

Beata Virgo Christum Dominum ventre suo deferens, mulieri Euangelicæ tria sata farinæ commiscenti, clibano, quo Eucharistiæ panis formatur, ac fertulo Salomonis, illum nobis deferenti comparatur, in illa eadem verba: Beatus venter, qui te portauit. 90

Homilia XI.

Virgo Deipara vtero suo Dei filium gestans Arcæ Fœderis, seu testimonij, ex antiquorum Patrum doctrina appositè satis comparatur, in qua similitudine varia beatæ Virginis encomia delitescunt. 96

Homilia XII.

In eadem verba Diui Lucæ: Beatus venter, qui te portauit: Deipara Virgo nubi fulguranti comparatur, iuxta sanctorum Patrum doctrinam, quam similitudinem varia, ac multiplici, tam diuina, quàm humana eruditione illustramus. 106

Homilia XIII.

In eadem verba: Beatus venter, qui te portauit, Virginis Deiparæ venter nido comparatur, quem Alcedines, seu (vt alij volunt) Halcyones aues fabricant. 110

Homilia XIV.

Deipara Virgo vtero suo Christum gestans Cælo comparatur, quo Deus sanctos beat, in eadem verba: Beatus venter, qui te portauit. 118

Homilia XV.

Beatissimam Virginem Deiparentem verè, & propriè thronum Dei esse, varia tam sacræ Scripturæ, quàm sanctorum Patrum eruditione commonstramus, in illa verba: Beatus venter, qui te portauit. 125

Homilia XVI.

Variæ rationes apponuntur, ob quas omninò decuit Christum Dominum non alio lacte in eius infantia nutriri, quam eo, quod vbera Beatæ Virginis Matris suæ ei propinabant, in illa verba: Beata vbera, quæ suxisti. 134

Homilia XVII.

Beatam Virginem nõ solum corporaliter Christum Dominum, sed & nos omnes spiritualiter vtero suo portasse, ac suis vberibus lactasse, ex sacra Scriptura, ex sanctis Patribus, & efficacissimis ratiocinationibus cõmonstramus: vt propterea non solum Christi, sed & viuentium omnium Mater, & nutrix censeri debeat. 144

Homilia XVIII.

Vindicatur Deipara ab iniuria, quam hæretici ei irrogant, aduersus eam perperam intorquentes verba illa Christi Domini; Quinimo beati qui audiunt verbum Dei; & custodiunt illud. quorum germanus, & catholicus apponitur sensus, iuxta receptissimam Patrum illius loci expositionem. 150

Homilia XIX.

Christus Dominus verba illis: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, humanas laudes longè abijciendas esse nos docet. 155

Homilia XX.

Prosequimur idem argumentum aduersus inanis gloriæ appetitum, cuius grauitatem, & stultitiam multiplici eruditione tam ex sacra scriptura, quam ex sanctis Patribus, ac ingenti conceptuum copia palàm demonstramus in eadem verba: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei. 173

Homilia XXI.

De verbi diuini vtilitate, & efficacia, varia eruditione disserimus: necnon de multiplici discrimine circa auditionem verbi Dei inter reprobos, & prædestinatos, in illa verba: Bea-

ba: Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. 189

Homilia XXII.

Agimus de religiosa translatione Iconis S. Mariæ Maioris ad celeberrimum sacellum à Paulo V. Pont. Max. in honorem Deiparentis sacrum. 202

LIBER XVI.

Homilia I.

De excellentia, & vtilitate Rosarij, sed prius de eius nomine, antiquitate, & auctore disserimus. 210

Homilia II.

In percelebri festo Rosarij B. Virginem Rosæ comparamus: eius proprietates pulchrè ei accommodantes in illa verba: Quasi plantatio rosæ in Iericho. 225

Homilia III.

In eadem festiuitate Rosarij, salutationes Angelicas, ex quibus illud componitur, rosis comparamus, varios eius fructus commemorantes in eadem verba: Quasi plantatio rosæ in Iericho. 233

Homilia IV.

Prosequimur idem argumentum à Rosario Virginis, ad eius, quam vocant coronam, sermonem conuertentes, quam multiplici eruditione illustramus in eadem verba: Ego quasi plantatio rosæ in Iericho. 239

Homilia V.

Proponimus varias recitandi Rosarium, formulas, ac perutiles modos omnibus statibus respectiuè accommodatissimos. 244

Homilia VI.

Sacræ fraternitatis Rosarij excellentiam, ac miram vtilitatem ex multiplici cap. palam facimus, pleraque eius præconia decantantes. 251

§. 1.

Pro inscriptione in fraternitatem Rosarij. 259

§ 2.

Pro gerentibus secum Rosarium. ibid.

§. 3.

Pro deuotè orantibus Rosarium. 260

§. 4.

Pro confessis, & communicantibus. ibid.

§. 5.

Pro Salue Regina. ibid.

§. 6.

Pro opere pio quocunque. ibid.

§. 7.

Pro agonizantibus. 261

§. 8.

Pro processionibus. ibid.

§. 9.

Pro visitantibus templum, aut aram Rosarij. ibid.

§. 10.

Pro non volentibus visitare Ecclesiam Rosarij. 262

§. 11.

Pro liberanda è Purgatorio anima. ibid.

§ 12.

Pro stationum vrbis Romæ indulgentijs. ibid.

§. 13.

De facultate absoluendi inscriptos in fraternitatem. 263

Homilia VII.

Encomia prosequimur sacræ confraternitatis Mariani Rosarij, visionem arboris Nabuchodonosoris accommodantes. 266

Homilia VIII.

De percelebri victoria à Christianis contra Turcas, Virginis intercessione, ac Rosarij confraternitatis precibus parta. 274

Homilia IX.

Impij hæretici tam in Marianum Rosarium, quàm in sacram eius confraternitatem turpiter debacchantur, sed ab eorum calumnijs illa vindicamus. 279

Homilia X.

Agimus de pio, ac laudabili processionum ritu, quo Mariani Rosarij confratres Deiparam Virginem religiosè colunt. 288

LIBER XVII.

Homilia I.

Agitur de percelebri festo sanctæ Mariæ de monte Carmelo, cuius occasione Illustrissimæ familiæ Carmelitanæ nonnulla præconia laconicè perstringimus. 295

Homilia II.

Præconia sacri Ordinis sanctæ Mariæ de monte Carmelo prosequimur, à cauillis omnibus acerri-

acerrimè illam vindicantes, quibus quidam authores iniustè eam lacerare ausi sunt. 302

Homilia III.

In eodem festo sanctæ Mariæ de monte Carmelo, Deiparæ laudes, necnon Carmelitici Ordinis encomia prosequimur. 329

Homilia IV.

Opportuna digressio in celebratione beatificationis sanctæ Matris Tharasiæ Carmelitani Ordinis Monialis, nouæ reformationis Discalceatorum fundatricis. 339

LIBER XVIII.

Homilia I.

Exhortatio ad deuotionem Virginis, adductis præcipuis rationibus ad eam stimulantibus, partim à mira eius sanctitatis excellentia, partim ab vtilitate, quæ in nos redundat, petitis. 350

Homilia II.

Prosequimur idem argumentum ex multiplici capite ostendentes deuotionem, ac filialem affectum erga B. Virginem singulare nostræ prædestinationis signum esse; sed prius per multas alias prædestinatorum notas ex sacris Scripturis, & sanctis Patribus proponimus. 366

Homilia III.

Apponuntur obsequia varia, à Virginis cultoribus præstanda, per quæ tamquam per efficacissima media affectū deuotionis erga Deiparentem, diuina ipsorante gratia, comparare, & fouere facilè poterunt. 373

Homilia IV.

Prosequimur principale argumentum, de interna, & externa adoratione Deiparæ Virgini debita, agentes, vbi genuflexionum cultum, valde illigatum, & ab Angelis, & à viris Sanctis vsitatum, multipliciter ostendimus. 381

Homilia V.

In idem argumentum, Hyperduliæ cultu, qui omnium aliorum Sanctorum cultum excedit, Ecclesia Catholica Imagines Deiparæ Virginis religiosè veneratur, cuius occasione imaginum vsus multifariam constabilitur. 389

§. 1.

Recensentur primi, & nouissimi hæretici, qui imagines Christi, B. Virginis, & Sanctorum demoliri tentauerunt. ibid

§. 2.

Imaginum, præcipuè Christi Domini, & Beatæ Virginis vsus, & cultus ex sacris Scripturis comprobatur. 391

§. 3.

Ex Christi Domini exemplo. 395

§. 4.

Ex Sacris Concilijs. 397

§. 5.

Ex antiquissima Ecclesiæ traditione, & consuetudine. 400

§. 6.

Ex miraculis valde authenticis. 403

§. 7.

Ex Sanctis Patribus, ac vetustissimis Doctoribus. 408

§. 8.

A multiplici vtilitate. 411

§. 9.

Ex neruosis rationibus. 415

Homilia VI.

Potissimum medium ad obtinendam deuotionem Virginis, & cōciliandum nobis eius amorem, virtutū illius imitationem esse ex doctrina sanctorum Patrum palam fit. 420

Homilia VII.

Commemorantur templa ab Ecclesia ædificata ad cultum Deiparæ, non solum dum vitam ageret, sed antequam conciperetur. 427

Homilia VIII.

Diuino consilio factum esse ad maiorem Virginis cultum, & gloriam, ac de antiquo serpente illustriorem victoriam, vt in templis, & locis quibus dæmonum simulachra Gentiles olim venerabantur, in eisdem Deiparæ Virginis imago posita ab Ecclesia coleretur. 433

Homilia IX.

Ecclesia Catholica permulta festa instituens in Deiparæ Virginis cultum, eximiam suam pietatem, ac deuotionem erga illam protestatur. 438

Homilia X.

Perenni sabbati cultu, singulis recurrentibus hebdo-

hebdomadis, Ecclesia Catholica Deiparentem honorat, specialia obsequia in ea die ei deferens, officij, missæ, ieiunij, aut similium. 448

Homilia XI.

Reliquiarum Deiparæ veneratione, quas ipsa Virgo nobis reliquit, ostendit Ecclesia Catholica deuotionem, quam erga illam profitetur. 454

Homilia XII.

De multiplici alio religiosi cultus genere, præcipue orationis, quo Ecclesia Catholica Deiparam Virginem singulariter veneratur. 460

Homilia XIII.

Referuntur alphabetico ordine celebriora epitheta, quæ tam sacræ litteræ, quam omnes sancti Patres ad maiorem Deiparæ cultum, & deuotionem in nobis excitandam, tradidere. 465

Homilia XIV.

Prosequimur principale argumentum, singulare illud documentum tradentes, ad deuotionem Virginis acquirendam, vt qui illam adipisci cupit, castissimum eius sponsum Diuum Ioſephum speciali veneratione colat. 479

Homilia magna, & vltima.

Prosequimur idem argumentum Ioſephi, Virginis sponsi, varia præconia decantantes, ad maiorem in animis fidelium deuotionem erga illum excitandam. 487

§. 1.

De sanctificatione D. Ioſephi in vtero materno. ibid.

§. 2.

De nominis Ioſeph excellentia. 489

§. 3.

De pulchritudine corporali, & spirituali D. Ioſephi, vbi de quadruplici eius iustitia. 493

§. 4.

De sanguinis nobilitate D. Ioſephi, & de miro splendore stemmatum eius. 499

§. 5.

Famæ, & honori Christi Domini, & Matris eius, S. Ioſeph mirificè consuluit. 506

§. 6.

De duplici D. Ioſephi sublimi dignitate, sponsi scilicet Deiparæ Virginis, & Christi Domini patris legalis. 507

§. 7.

De fœlicissima D. Ioſephi morte. 516

§. vlt.

De resurrectione D. Ioſephi ad vitam immortalem, & gloriosam, secundum animam, & corpus. 519

LIBER VLTIMVS.

§. 1.

Insignis præfatio de miraculorum natura, & vtilitate, necnon de potestate Virginis ad ea patranda differens, varia doctrina, & eruditione locupletissima.

Deinde per ducentos & triginta octo paragraphos, totidem miracula Deiparæ Virginis referuntur, citatis eorum Auctoribus, tam in gratiam, quàm in vindictam ab ea patrata.

INDEX
LOCORVM SA-
CRÆ SCRIPTVRÆ QVI
VEL AB AVTHORE, VEL AB ALIIS,
SIVE LITTERALI SENSV, SIVE MYstico, elucidantur.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex lib. Geneſis.

Et factum eſt ita. *Gen.* 1. 59
Inimicitias ponã inter te, & mulierem, ſemen tuum, & ſemen illius. *Gen* 1. 56
Videtes filij Dei filias hominũ *Gẽ* 6. 249
Quam terribilis eſt locus iſte. *Gen* 8. 383
Si fuerit Deus mẽcum, & cuſtodierit, &c. erit mihi Dominus in Deũ *Gẽ* 24. 177
Nõ eſt hic aliud niſi domus Dei *Gẽ* 28. 131
Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli, &c. *Gen.* 48. 41
Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, &c. *Gen.* 49 176

Ex lib. Exodi.

Talem compoſitionem non facietis in vſus veſtros, quia ſanctum eſt Domino. *Exod.* 30. 175
Sume tibi ſtacten, & onycha. *Exo* 30. 174
Septimus dies erit vobis ſanctus, ſabbatum eſt requies Domini. *Exod.* 35. 11
Fecit Beſeleel arcam *Exod* 37. 68

Ex lib. Leuitici.

Ponam tabernaculum meum in medio veſtri. *Leuit.* 26. 370

Ex lib. Iudicum.

Erat autem Debbora prophetiſſa vxor Lapidoth. *Iudic.* 4. 347
Vade, & duc exercitum. *Iud.* 4. 345
In phiala principum propinauit butyrum. *Iud.* 5. 135

Ex lib. Regum.

Fuderunt aquam in conſpectu Domini. 1. *Regum* 7. 226
Non fuit quod non monſtraret eis Ezechias. 4 *Reg* 20. 165

Ex lib Paralipom.

Eccè ego in paupertate mea præparaui impenſas domus Domini. 1. *Paral.* 12. 6
Et fecit Ozias quod rectum eſt in conſpectu Domini. 2. *Paral.* 26. 168
Reſpondetur, ortam ex legatione Regis Babyloniæ. 2 *Paral* 32. 165

Ex lib. Iudith.

Sandalia eius rapuerunt oculos eius. *Iudith.* 16. 42

Ex lib. Iob.

Non ei placebit vecordia ſua, & ſicut tela aranearũ fiducia eius. *Iob.* 8. 179. 180
Priuauit illum Deus ſapiẽtia *Iob* 30. 178
Pepigi fœdus cum oculis meis vt ne cogitarem quidem de virgine *Iob* 31. 12
Duratur ad filios ſuos quaſi non ſint ſui. *Iob* 39. 179
An extrahere poſſis Leuiathan hamo. *Iob* 40. 667

Ex lib. Pſalm.

Tamquam prodigium factus ſum multis *Pſalm* 7. 5
A ſummo cælo egreſſio eius. *Pſal.* 18. 118
Titulus. Prima ſabbathi. *Pſal.* 28. 130
De præparato habitaculo ſuo. *Pſ.* 32. 128
Aures autẽ perfeciſti mihi. *Pſal.* 38. 194
Dũ confringuntur oſſa mea. *Pſ* 41. 526
Aſtitit Regina in veſtitu deaurato circumdata varietate. *Pſal.* 44. 131
Titulus. Secunda ſabbati. *Pſal.* 47 130
Memor ero Raab, & Babylonis. *Pſ.* 86 3
Homo natus eſt in ea. *ibid.* 56
Dominus narrabit in ſcripturis populorum *ibidem.* 3
Quoniam gloriam virtutis eorum tu es,

& in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. *Psal.* 88. 174
Omnẽ escam abominata est anima eorum, & appropinquauerunt vsque ad portas mortis. *Psal.* 100. 198
Virgam virtutis tuæ emittit Dominus. *Psal.* 109. 525
Quam dulcia faucibus meis eloquia tua. *Psal.* 118. 197
Beatus vir, qui impleuit desiderium suũ ex ipsis. *Psal.* 126. 192
Fulgura in pluuiam fecit. *Psal.* 134. 526

Prouerbiorum.

Vade ad formicam ô piger. *Prou.* 6. 190
Sicut aũis transmigrans de nido suo, sic vir, qui derelinquit locũ suum. *Prou.* 7. 110
Iusti autẽ quasi virens foliũ. *Prou* 5. 355
De fructu oris viri Dei replebitur vẽter eius. *Prou.* 18. 76
Quomodo nix in æstate, & pluuia in messe. *Prou* 25. 5
Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus. *Prou vlt.* 14

Ecclesiastes.

Da partem septem, nec non & octo. *Eccl.* 15. 284

Ex lib. Cantic.

Equitaui meo in curribus Pharaonis assimilaui te *Cant.* 1. 66. 364. 525
Recti diligunt te. *Cant.* 1. 68
Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. *Cãt.* 1. 142
Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias *Cant.* 2 131
Ne euigilare faciatis dilectam. *Cant.* 2. 71
Ferculũ fecit sibi Rex Salomõ. *Cant.* 3. 94
Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris. *Cant.* 3. 142. 148
Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreę. *Cant.* 4. 139. 145
Pulchriora sunt vbera tua vino. *Cant.* 4. 141
Fons hortorum, puteus aquarum viuentium. *Cant.* 4. 85
Emissiones tuę Paradisus malorum punicorum. *Cant.* 4. 112
Mille clypei pendent ex ea. *Cant.* 4. 114
Capilli tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de mõte Galaad. *Cãt.* 4. 71
Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. *Cant.* 4. 73
Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ędificata est. *Cant.* 4. 75
Puteus aquarum viuentium, quę fluunt impetu de Libano. *Cant.* 4. 46
Fauus distillans labia tua. *Cant.* 4. 59
Ego dormio, & cor meum vigilat. *Cant* 5. 112
Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigrę sicut coruus. *Cant.* 5. 71
Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. *Cant.* 6. 69
Reuertere reuertere Sunamitidis. *Cãt.* 6. 67
Caput tuum vt Carmelus. *Cant.* 7. 329
Collum tuum sicut turris eburnea *Cant.* 7. 111
Vmbilicus tuus sicut crater tornatilis &c. *Cant.* 7. 45. 92
Statura tua assimilata est palmæ, *Cant.* 7. 69
Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, &c. *Cant.* 7. 72
Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs. *Cant.* 7. 45. 75
Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis. *Cant* 7 352
Quid videtis in Sunamitide nisi choros castrorum. *Cant.* 7. 345

Ex lib. Sapient.

Omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. *Sap.* 16. 198
In fraude conuenientium illi affuit. *Sap.* 10. 362

Ecclesiastici.

Quasi plantatio Rosæ in Iericho. *Ecclesiastici* 24. 225. & 234
Quasi platanus, &c. *ibid.* 279
Quasi palma, &c. *ibid.*
Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi. *ibid.* 226
Sicut balsamum aromatizans odorem dedi, *ibid.* 98. 424

Quasi

Quasi balsamum non mixtū odor meus *ibid.* 99 & 425
In Iacob inhabita, & in Israel hæreditare. *ibid.* 370
Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris *ibid.* 8
Quasi storax euaporaui habitationem meam. *ibid.*
Ego mater pulchræ dilectionis & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. *ibid.* 149 & 231
Quasi cedrus exaltata sum in Libano, *Eccles 27.* 225

EX PROPHETIS.

Isaias

Egredietur virga de radice Iesse. *Is.* 11. 352
Flos de radice eius ascendet. 498
Gloriam meam alteri non dabo. *Isa.* 24. 164
Gloria Libani data est ei. *Isa* 30. 10
Pater futuri sæculi *Isa.* 33. 146
Lætabitur deserta & inuia, &c. *Isai.* 35 329
Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni. *Isa.* 40. 160
Attendite ad Abraham patrem vestrum *Isa.* 51. 422
Conceperunt laborem, & pepererūt iniquitatem. *Isa.* 56. 90
Nunquid tale est ieiunium, quod elegit per diem affligere hominem animam suam, nunquid cōtorquere quasi circulum collum suum. *Isa.* 58. 156
AEdificabuntur in te deserta sæculorū. *Isa.* 58. 228

Hieremias.

Induxi vos in terram Carmeli, vt comederetis fructus eius *Hierem.* 2. 349
Ecce ipse faciebat opus super rotam, & dissipatum est vas. *Hier.* 18. 58
Nouum fecit Dominus super terrā, fœmina circundabit virum. *Hier.* 31. 354
Domui autem Rechabitarum dixit. *Hierem.* 35. 323

Ex lib. Thren.

Oliuam vberem pulchram. *Thren.* 2. 181
Candidiores Nazarei eius nitre. *Thren.* 4. 10. & 142

Ezechiel.

Porta hæc clausa erit. *Ezech.* 44. 2
Clausa erit, & non aperietur. *ibid.* 228
Apparuit in Cherubin similitudo manus hominis subtus pennas eorum. *Ezech.* 10. 193

Daniel.

Ecce arbor in medio terræ. *Dan* 4. 266
Succidite arborem, veruntamen germen radicum eius in terra finite. *ibid.* 226

Oseas.

Factus est Ephraim sicut columba seducta, non habens cor *Ose.* 7. 179
Culmus stans non est in eo, germen nō faciet farinam, quod & si fecerit, alieni comedent eam *Ose.* 8. 159
Factæ sunt aræ in delictum. *ibid.* 182
Væ eis cùm recessero ab eis. *Ose.* 9. 95

Amos.

Exsiccatus est vertex Carmeli. *Amos* 1. 323

Habacuch.

In luce sagittarum tuarū ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ *Hab.* 3. 516

Zacharias.

Ecce ego cælabo sculpturā eius. *Zac.* 10. 104

Ex lib Machab.

Siluit terra in conspectu eius. 1. *Machab.* 1. 107.
Quicunq; confugerint in templum obnoxij Regis in omni negotio dimittentur. 1 *Mach.* 10. 359
Virgines quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam. 2. *Mach* 3. 27. 28

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex D. Matthæo.

De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. *Matth.* 1. 56. & 58
Cùm facis eleemosynam, noli tuba canere. *Matth* 6. 159
Nesciat sinistra manus, quid faciat dextera. *ibid.* 162
Non habebitis mercedem apud patrem vestrum *ibid.* 169
Ab arbore fici discite parabolā *Mat.* 24 8

Ex D. Luca.

Ideoq; quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. *Luc.* 1. 56

Ecce ancilla Domini, fiat mihi. *ibid.* 75
Fiat mihi secundum verbum tuum *ibid.* 74
Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me. *ibid.* 64
Beatus venter qui te portauit, &c. *Luc.* 11. per totum ferè lib. 15.
Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti, *ibid.* 42. *vsq; ad* 150
Quinimo beati qui audiũt verbum Dei & custodiunt illud. *ibid.* 150. *vsque ad* 202
Quæ mulier habens drachmas decem, &c. *Luc.* 15. 87

Ex D. Ioanne.

Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent *Ioan.* 5. 191
Mulier ecce filius tuus. *Ioan.* 19. 146. & 172
Ex illa hora accepit eam discipulus in sua. *Ioan.* 19. 47

Ex D. Paulo.

Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. 2. *Cor.* 1. 355
Ipse est qui operatur in nobis velle, & perficere. *Philip.* 2. 174
Cum timore & tremore vestram salutẽ operamini. *Phil.* 2 165
Quid est vinculũ perfectionis. Col. 3 75
Non ad oculum seruientes. *ibid.* 158
Lex iusto non est posita. 1. *Tim.* 1. 288
Vt in me ostenderet Christus Iesus omnem patientiam. *ibid.* 198
Pacem sequamini, & sanctimoniam. *Hebr.* 12. 12

Ex D. Iacobo.

Vmbra est & vapor ad modicum parẽs. *Iacob.* 4. 163

Ex D. Ioanne.

Qui habet hanc spem, in eo sanctificat se. 1. *Ioan.* 3. 12

Ex Act. Apost.

Statuerũt duos, Ioseph qui vocatur Barsabas, &c. *Act.* 1. 492

Ex Apocalypsi.

Vestimentis albis induaris. *Apoc.* 3. 14
Egrediebantur fulgura. *Apoc* 4 525. 526
Et templum non vidi in cœlo, & visa est arca testamenti eius in templo. *Apoc.* 9 208
Et erat in ore meo tanquam mel dulce, & cùm deuorassem eum, amaricatus est venter meus. *Apoc.* 10. 197
Signũ magnũ apparuit. *Apo.* 12. 77. & 276
Aperuit os suum in blasphemias ad Deũ blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius. *Apoc.* 13. 3
Soluetur Satanas modico tempore, &c. *Apoc.* 20. 362

INDEX

VBERRIMVS RERVM NOTABILIVM HVIVS OPERIS.

ADORATIO triplex. 381. interna bifariam exercetur. pag. 384
Affectus humani cedant vbi Dei causa agitur. 66
Albertus Magnus ope Virginis scientias naturales repentè callet & amittit. 545
Amor erga patriam & maritos, in quibus fœminis eluxerit. 19
Angeli non comprehendunt Mariæ Virginis excellentiam. 2. plures assistunt ei. 100. ex quibus tantum Ordinibus corruerint. 132. speciali cultu Virginem adorant. 387
S. Anna vitem fœcundissimam protulit. 8
S. Anselmus ope Virginis à præcipitio incolumis euadit. 579. eidem Virgini deuotissimus. 655
Apostoli sunt Christi Legati. 61
Apparitiones variæ B. Virginis. 592
Aqua in vinum sæpius versa. 528
Aquila biceps stemma Imperatorum aptatur stemmati Virginis. 62
Aranearum natura expenditur. 180
Assumptionis festo plurimæ è Purgatorio animæ liberantur. 535. cerei consumpti idem ac prius retinent pondus. 567

B.

BAsilicæ S. Mariæ Maioris origo & varia nomina. 4. Vide Templum.
Basiliscus fugatur icone, & imploratione B. Virginis. 553. 554
Beatitudo formalis & obiectiua fuit in vtero Virginis. 126
S. Benedictus conuertit Canonicum quendam Colonienſem. 601
S. Bernardus orat pro pituitæ remedio, & exauditur. 591
Bonum esse inter malos, optimum. 40

C.

COelum musicum edere concentum vnde probetur. 121
Carmelitana familia Eliam authorem agnoscit. 296. eius præconia. 298. 302. à cauillis omnibus vindicatur. ibid. eius nomenclaturæ ratio 310. antiquitas. 317. an eadem quæ Essenorum. 321. in finem vsque mundi duratura. 322. quis eius habitus 327. quem locum inter alias obtineat. ibid eius confratres, & consorores die sabbati à Purgatorio liberantur. 328. à Virgine summopere diligitur. 331. prima fuit quæ Virgini sacellum & templum erexerit. 332. à Virgine ortum habuisse dicitur. 334. magni viri qui in ea floruerunt. 334. eius encomia. 339
Carnis rebellio militat aduersus spiritum. 120
Capitis scabie liberatur Monachus à B. Virgine, & ab eius dolore immunis perpetuò redditur. 604. caput latronis abscissum loquitur. 566
Castitas relucet in fœminis. 22. qui eam amisit quomodo B Virgini se præsentet. 533. est præcipua quædam sanctificatio & dispositio ad Deum videndum, summéque placet Mariæ. 12. martyres facit. ibid.
Charitas collo & turri comparatur. 75. B. Virginis. Vide verbum Maria Virgo.
Cherubim non comprehendunt Mariæ Virginis excellentiam. 2
Christus carnem traxit ex Maria Virgine contra Apollinaristas. 36. sine labe conceptus. 36. in vtero Matris fuit comprehensor 128. tria spolia refert in Incarnatione. 88. frater noster.

noſter 147. Chriſtus à Virgine armatus prodiit in mundum. 144. eo naſcente mare lacteum, & ſumma pax in mundo. 116
Chriſtus eſt miraculorum maximum 527. cõparatur ſicui. 8. aquæ. 85. hamo 88 vermi. ibid fulguri & fulmini 106 dicitur ſermo. 119. multiplicem habuit coronam. 241. benignitas & auctoritas eius. 101
Chriſtus pro Matris honore pugnauit. 6. eius præconia cum Maria ſunt communia. 41. veluti ſol decus præcipuum Mariæ. 121. eius myſticum monumentum eſt Maria. 452. ei gratiſſimus honor Matri collatus. 632. gratiſſimus Ioſeph ob obſequia ab eo recepta. 481. filius eius legalis. Vide S. Ioſeph.
Chriſti paſſionem contemplari ſolita Virgo quædam Virginitatem tuetur. 686
Chriſti natiuitatem meditans Virgo quædam vbera miraculoſo lacte plena acquirit. 542
Chriſti nomine gloriatur Ieſus ob aſſumptam naturam quam connotat. 56. cur ſæpius vocetur filius hominis. ibid. Vide ver. Ieſus.
Ciſtercienſes Monachi pallio Virginis tegũtur. 614
Cogitationes bonæ capillis tonſarum comparantur. 71. conſeruant animam. 196
Cognitio ſui à peccatis liberat. 109
Comminationes diuinæ in bonum vertuntur. 526.
Compunctio ex viſione miraculorum. ibid.
Concupiſcentia viri & mulieris. 45
Confeſſionis ſacramentalis neceſſitas exemplis oſtenditur. 532. & 551. eam adhibet ope Virginis caput abſciſſum 566. ea infirmos prædare nititur dæmon. 621
Congratulari B. Virgini præſtantium. 378
Conſilia ſana à mulieribus. 28
Contemplatio comparata capillis tonſarum. 71. fuit optimè in Maria Virgine. Vide Maria Virgo.
Conuerſiones peccatorum à B. Virgine. 105. Vide ver. Peccator. & Maria Virgo.
Corona Beata Mariæ Virginis fortitudinem præbet ad hoſtes deuincendos. 241. eius virtus. libro vltimo. 633. Vide verbum Roſarium.
Creationis cum Incarnatione comparatio. 60

D.

Dæmones Maria Virgo debellat. 384. eorum illuſiones patefiũt per ſalutationem Angelicam. 605. fruſtra perſequuntur deuotum Virginis Mariæ. 621. arcentur & fugantur à Virg. 652
Detrahi nobis promittit Deus, ne inanem ſectemur gloriam. 171
Deuotio in Virginem excitatur ex eius ſanctitate & excellentia. 351. ex vtilitate quæ inde conſequitur. 361. 481. ſignum eſt prædeſtinationis. 368. quibus foueatur exercitijs 373. ſi remittitur, ægrè ab ipſa fertur. 543. fuit præcipua in Martiano 589. in Gerardo. 591. obtinet contritionem in fine vitæ. 636. Vide mortis hora.
Deus operatur mira per imbecilla inſtrumenta. 38. à Maria Virgine placatur. 119. Vide Mariæ Virg. interceſſio: eius attributa per Virginem innoteſcunt. 78. eſt cauſa præcipua bonorum operum. 164. 174. odit & punit vanam gloriam. 165. 173. eius cor eſt Virginis templum. 208
Dignitas maternitatis Dei eſt incomprehenſibilis & eximia. 53. 56.
Diſcendi deſiderium quam laudabile. 201
Doctores ſunt famuli Dei à face. 57
S. Dominicus auctor Roſarij. 212. ſuadet orationem Dominicam. 222. ſalutationem Angelicam. 223
Dormientes incompoſitè Virginea benedictione priuantur, & diabolico ore oſculantur. 602.

E.

S. Edmundus ob intermiſſam deuotionem in Virginem ab ea blandè corripitur. lib. vlt. 583
Eleemoſynam facientes olim tuba canebant. 159. in occulto facienda. ibid. quæ offertur altari B. Virginis ab ipſa viſibili apparitione in ægritudine offerentis remuneratur. 433. quæ in terris fit in cœlis magnificè repræſentatur. 541. detinet iratas manus Dei & Virginis lib. vlt. 581
Eliſabeth cedit ſtronte Mariæ. 64

Eloquentia humana diuinæ res non indigent 4. *in fœminis floruit.* 31
Eruditio summa quarundam fœminarum. ibid.
Essenorum familia an fuerit eadem quæ Carmel. 321
Eucharistiæ sacramentum Beatæ Virgini acceptum ferarum. 91. 93. *semper indeficiēs.* 92. *è manu Virginis sumendum* 93. *sumēs puer Hebræus nil læditur a fornace, in quā pater eum incecerat.* 537. *flammam ore percipere sibi videtur.* ibid.
Exemplum deuotionis, & pietatis, hæreticum quendam conuertit. 537. *eius maxima vis ad imitationem.* 538
Expectationis B. Mariæ festum vnde initium sumpserit. 595

F.

Fœminæ non aspiciendæ quamuis sanctæ. 13
Fœminæ laudantur ab ethymologia nominis. 14. *ex creatione primæ mulieris.* 15. *ex honore quem Principes & Philosophi eis deferunt* 16. *à fortitudine & impauido animo.* ibid. *& seq. ab amore erga patriam, & maritos, & à tutela quam eis præstiterunt.* 19. *à liberalitate & magnificentia.* 21. *à castimonia.* 22. *à prudentia & sanis consilijs.* 28. *à misericordia & pietate.* 30. *à litterarum peritia, eloquentia, & eruditione.* 31
Fidei confessio quam difficilis, & quam necessaria. 37. *nunquam in Ecclesia Dei deficit.* 43
Fontes ac fluuij vinum miraculosè fluentes. 528
Fortitudo fœminarum quarundam. 16. 17. *B. Virg. Vide Maria Virgo.*
Fratres quatuor modis dicuntur. 251
Fulgura pro fulminibus in sacra Scriptura. 526 *significant miracula.* ibid. *cur præcedant pluuias.* ibid.

G.

Gaudium promittitur à Virgine, gaudium illi annuncianti. 535. *septem gaudia, quæ habet in cœlo reuelat B. Virgo S. Thomæ Cantuariensi.* 630
S. Gerardus Paxoniæ Martyr quantam B. Virgini reuerentiam exhibuerit. 591
Gloria Dei quærenda in operibus bonis. 161. *nemini datur.* 164. 174
Gratia inuenitur per Virginem. 87. *recuperatur vi Rosarij.* 235
Sanctus Gregorius Magnus Beatæ Virgini deuotissimus. 626

H.

Hæreses multæ confutantur à muliere exclamante Beatus venter &c. 36. *earum destruxtrix B. Virgo, vide Maria Virgo.*
Hæretici praue intorquent in Virgine responsum Christi, quinimo beati &c. 150
Hebræorum ruina prædicitur ex Dei Incarnatione. 55. *vide Iudæus.*
Honor mulieribus à Principibus, & Philosophis delatus. 16. *exhibetur Mariæ Virgini ab omnibus.* 65
Hominis salus à consensu B. Virginis dependet. 59
Humilitas prædestinationis signum. 368. *B. Virginis. vide Maria Virgo.*
Hypocritarum stultitia struthionis, & araneæ insipientia declaratur. 178. 179. 180. *nominis ethymologia.* 183. *vide verbum Vana gloria.*

I.

S. Ildefonsus pro Virginitate Mariæ dimicans vestem pretiosam ab ea recipit. lib. vlt. 596
Ieiunium ob vanam gloriam ne fiat. 156
Ieiunantem quarta feria vel sabbato in honorem B. Virginis inconfessum non mori exemplo comprobatur. 566
Iesus nomen glorioſissimum. 56. *ipsum pronuncians Inda mulier castitatem tuetur.* 644. *caput mortui ipsum pronunciat.* 649
Ignorantia affectata signum reprobationis. 190 *& seq.*
Imaginum sanctarum cultus comprobatur ex sacris Scripturis. 391. *ex Christi exemplo.* 396. *ex sacris Concilijs.* 397. *ex traditione Ecclesiæ.* 400 *ex miraculis.* 403. *ex SS. P.* 408. *ex multiplici vtilitate.* 411. *à ratione.* 415
Imaginum sanctarum defensor acerrimus S. Stephanus. 597. *& seq. vi exemplis asseritur.*

ritur. 612 613. B Virg defendenda ab inuasione hæreticorum. 672. earum veneratio plus dæmoni displicet quam castitatis obseruatio 625. earum veneratio confirmatur à B Virgin quæ perpetuo candelam accensam ante illas conseruat. 626. inimicorum tollit odium 628. earum violatio punitur grauiter. ibid.

Imitatio necessaria. 423

Incarnatio à Verbo Dei maximè concupita. 54. in ea ostenditur omnipotentia Dei. 57. cum creatione comparatur. 60. miraculum miraculorum. 80 commistio farinæ 90 91. expiscatio quædam & captio Leuiathan. 88. eodem die quo passio 104

Indulgentiæ quibus gaudet fraternit. Rosarij. 259

Infirma instrumenta eligit Deus. 38

Ingratitudinis pœna exemplo demõstratur 593 594. beneficij est amissio. 536. 557

Inimicorum dilectio prædestinationis est signum. 367

Inobedientia grauiter punitur. 176

Instrumenta imbecilla eligit Deus. 38

Intentio sola abscondit opera. 158. vide Vana gloria.

Intercessio SS quanti valeat in hora mortis. 546. B V. vide Maria V. & mortis hora.

Inuidia grauiter punitur. 176

S. Ioan. Baptista an fuerit Monachus Eliæ. 326

S. Ioannes Hierosolymorum Episcopus an fuerit Ordinis Carmelitarum. 312

S. Ioseph speciali veneratione colendus, exemplo Christi, & Mariæ. 479. vt gratum faciamus Virgini, & Christo. 480. vt tributum debitum soluamus. ibid. vt in eo vtilitatem percipiamus. 481. eius intercessio potentissima 482. quibus eius auxilio indiget. 483

S. Ioseph sanctificatus in vtero. 487 confirmatus in gratia 488. eius nominis excellentia. 489. eius priuilegium est, vt nullus ex Apostolis Ioseph vocaretur. 492 pulcher animo & corpore. 493. iustus. 496. nobilis sanguine. 499. stemmata eius gloriosa. 502. 503. genealogia ab Adam deducta. 504. honori Christi & Matris eius consuluit. 506 duplex dignitas sponsi Virg. & Patris legalis Christi. 507 item dignitas Patris spiritualis. 515. eius felicissima mors. 516. resurrectio 519. gloria. 520

Ioseph nomen à B. Virgine Hermanno tanquã sponso imponitur. 566

Iudæa quædam ope & miraculo Virginis conuertitur. 553. item Iudæus alter. 558. alia. 645. alia. 712 713

Iusti Mariam Virginem matrem & nutricem habent. 666

Iustificatio an sit miraculum. 524

L.

LAc B. Virginis miraculosum & ducissimum 135. potus Dei. 138

Lactare filios de iure naturæ. 136

Lauretanum sacellum celeberrimum. 432

Lauretanæ iconis miracula. 554. 555. ibid. 574

Laudes Dei celebrandæ sunt à mulieribus quoque 39. qui eas canit cœlo comparatur. 121

Laus humana contemnenda. 163 Vide verbum Vana gloria.

Laudandus, qui inter malos bona agit. 40

Laudans quod minus est ostendit inexplicabilem esse laudem dignioris. 40

S. Leocadiæ apparitio. 595

Lex quomodo imposita iusto. 287

Liberalitas fœminarum. 21

Litterarum peritia reperitur etiam in fœminis. 31. illico obtinetur à Ruperto Abbate ope Virginis 545 ab Alberto Magno. ibid.

Luxuria in puella quãuis confessa in Purgatorio tamẽ grauiter punitur. 535. eius tentationes ope V. superantur. 548. ei deditus Rosarij vi conuertitur. 638. B. Cyprianus ope Virginis euadit victor 644. Inda mulier idẽ obtinet pronunciando Iesus Maria. ibi presbyter quidam idem obtinet. 723

M.

MAgnificentia reperitur in fœminis 21

Malorum societas auget laudem bonorum. 40

B. Marcella quæ exclamauit, Beatus venter, doctissima. 66 & per totum lib. 15

MARIAE VIRGINIS Adoratio Hyperduliæ. 381. honoratur ipsa à filio 382. modus eam colendi. ibid. eam venerantur Angeli 387. & viri sancti 388 omnes 65. inhonorant hæretici. 389. dignè colitur cã-

pana-

panæ pulsu, vespere, mane, & meridie, & cur. 460. varijs antiphonis. 462. alijs actibus & signis. 463 & seq.
Altaria, odoramenta in eis fieri perpetuo curauit Gerardus. 589
Apparitiones variæ. 592
Assumptioni deuotus Monachus de ea reuelationem accipit. 605
Beneficia in homines, & protectio post assumptionem adhuc nos tuetur 77. consensus eius requiritur ad salutem mundi 59. illuminat, & conuertit peccatores. 105 præparat nobis mansionem. ibid. pro populo supplicare visa est. 536. Romam à graui morbo liberat. 626. fulmen Dei in lecto reponit dum ipsum concipiendo placat. 109. Purgatorium visitat singulis festis Natiuitatis Christi. 659 Filij iram pro salute mundi placat anno 1117. ibid. simile lib. vlt. 661. eius intercessio propitiatorio comparatur 99 primum miraculum Christi mundo impetrauit, cuius memoria adhuc extat. 528. Mater electorum est. 144. 47 eorum nutrix. 147. 584. eius ope & fructu victoriam de Diabolo reportamus 88 pœnitentes excipit. 582. Christianorum arma contra infideles adiuuat. 560. parturientibus adest. 549 à serpentis morsu nos præseruat, se fidam hominum custodem exhibet. 569. & seq. depellit morbos & omnia mala. 230 Victoria de Turcis eius intercessione reportata. 274. cœlestia bona dispensat. 365. basis est Ecclesiæ. 10. humilitati nostræ se accommodat. 13. operit multitudinem nostrorum criminum. 14 hæresum extirpatrix declaratur à dæmonibus ipsis. 722. dæmones arcet, ac debellat. 13. 303. 652
Charitas fuit in summo. 72. per collum & turrim signata. 75. aciem instruit ad expugnandum Deum. 69
Comparationes, comparatur crateri tornatili. 45. puteo aquarum viuentium. 46. aceruo tritici & lilijs 46. 47. Balsamo 98. 424. mulieri quærenti dragma. 87. die b verni. 231. cælo 118. libro 355 fœminæ tria fata cõmiscenti. 90. tabernaculo. 3. Niui. 12. Templo Salomonis. 6. Viti 8. Storaci. ibid. ficui. ibid. Lunæ. 9. Spongiæ. 3. Rosæ, Cedro, Cypresso. 225. 226. 228. cœlo empyreo. 122
Compassio ad Christum cum luctu Moabitidis Ruth confertur. 64. fuit continua. 72. maxima. 103 ob eam rubore suffunditur. 73
Conceptio immaculata. 5. 45. omnes diuitias cœlestes Christus in ea impendit 8. 9. immunis à peccato licet ex peccatoribus. 225. & seq. singularis. 110. cum Paradiso templi conferitur. 111 in ea summè elucet vis Redemptionis. 227. fuit rosa inter flores cœlestium donorum concepta & enata. 228
Deuotio eius q; vtilitas, eius deuoti & filij cãdidi ac puri sint tanquam filij cordis Dei. 10. sint verè Nazarei. 1. casti. 12. Deuotis suis Virgo impetrat æternæ dãnationis reuocari sententiam 546. & seq 556 in hora mortis protexit. Vide Mortis hora. pro suis deuotis efficaciter intercedit. 360. 41. 43. honores defert. 580. tutatur suos deuotos in vitæ periculis. 620. 631. 634. 553. 666. 667 688. 719. 720. 722. 554 537. 575. 660 580. à paupertate subleuat. 572. 719. à Dæmonis potestate liberat. 668 565 540 578 fouet. 614 571 non sinit confessione carere. 5 2. à peccatis auertit. 710. 548. 558. 601. 615. 629. 531. 711. ab infirmitate liberat. 604. 554 555 562. 574. 5 7. ab infamia 719. 720 & seq. 722. 567 seruiendum illi cum timore. 105. imitatio optimum medium ad deuotionem. 420. Virgo recitatione Rosarij delectatur 236 Vide Rosarium. summam impartitur dulcedinẽ suis deuotis. 237 militi cuidam Virgo mirificè fauet. 606 quidam monachus mira facit. 609 filiam restituit Maria Virgo minanti non aliter restituendum sibi filium. 612 in re quoq; minima se cuidã fœminæ inuocanti adest. 587. Hermannum pluribus benevolentiæ signis prosequitur. 542 clericum eam salutans lactis medicamine labia linguamq; recuperat 565. cæcum sui defensorem illuminat. 717. tutatur ab insidijs Diaboli. 621. Dæmonis fraude liberatur mulier à Virg. quæ suã formam induerat 551. nouitium in religione confirmat 6 3 psalterijs Virgo lagitur pauperculæ sibi deuotæ 611. Missæ interest presbyteri sibi deuoti. ibidem. 714 puerum ab incendio, & ruina liberat. 560 sponsam promit-

promittit iuueni sponsam carnalem dimittenti. 619. visitat suos deuotos. 655. 665. 677. 778. 533 studiosos & feruentes amplexatur, indeuotos auersatur. 561. consolatur monachum. 603. 584. D. Bernardū. 591. docet rusticum pulcherrimum hymnum. 585. alios. 670. fratrem simplicem docet prædicare. 597. 643. Rupertum Abbatem. 545. Albertum Magnum. ibid. ab infamia abbatissam liberat. 564. opera bona in mortali pro eius amore facta temporali remuneratione compensat. 608 quæ in eius honorem consumuntur non consumi miraculo annuo comprobatur. 167. mortuos suscitat. 538 556. eius deuotissimi S. Thomas Cantuarien. 722. S. Bernardinus Senensis 248. Sanctus Henricus Imperator. 249. S. Annon Archiepiscopus Colon. 249. B. Alanus. 650. S. Anselmus. 655

Encomia & attributa, Complementum Sanctissimæ Trinitatis. 41 Eucharistiæ clibanus & crater indeficiens. 91. 92. illuminatrix. 422. vmbra Dei. 86. Regina florum. 234. Thronus Dei. 125. varia nomina ex S. Iacobo Apostolo. 594. 595 omnia eius celebriora Epitheta ex sacris litteris, & Sanctis Patribus per Alphabeti ordinē reperies. 465

Excellentia trahit ad se corda. 424. auctoritatibus, & rationibus demonstratur. 351. eius fiat plus à Deo honoratur, quàm propriū fiat 59. oportet ipsos Prophetas, ipsumq; Dei filium cum cautela de ipsa loqui. 57. Philosophi periculum idololatrandi vix euāserunt. 58. res eius paruæ magnis aliorum cōparantur. 111. omnium Deo simillima. 66. Miraculum magnum. 77. 80. 83. cognoscitur ex eius fructu. 60

Excellentia & decor ex filio. 121. melius quam cæteri simul Sancti patefacit attributa Diuina. 78. multiplici corona & omnibus aureolis decorat. 59. 241. à solo Deo dignè laudari potest. 53. eius laudes cæterorum laudes obscurant 107. eius gloria silentiū indicit oraculis dæmonum. 108. ipsi tribuuntur victoriæ Christi. 114. ipsi plurimi Angeli famulantur. 110

Festa omnia recensentur, eorumque origo indicatur. 438

Fides singularis, ipsa enim sola in triduo explicitè credidit resurrectionem filij. 452

Gratia, respectu aliorum Sanctorum fuit miraculosa. 78. fuit immensa. 122. vsum rationis & gratiam obtinuit anticipate. 110. summas benedictiones à Deo recepit. 143. Diuinarum gratiarum fuit mirificè susceptiua. 13

Humilitas odore Rosæ indicatur. 229

Imago pro obside pacis à Principibus quibusdam recipitur. 585. pulchram depingens ab insidijs dæmonis liberatur. 564. 566. imago quædam visa ab odio inimicorum auertit. 628. inter ingentes fragores intacta manet. 629. Dum transfertur imago quædam auditur angelicum concentus 289. summè honoratur à Principibus. 289. & 290. eius veneratio antiquitus figurata 291. effigies Constantinopolitana oleo perfusa mirabilitor apparet. 557. S. Mariæ Maioris icone fugatur pestifer basiliscus. 553 554

Impeccabilitas. 68. 97. 112. 99. 110. 120. 131. 354. nullam passionum pugnam sentijt. 120. ab internis tēptationibus immunis. 232 perturbationis expers. 72. inseparabiliter Deo adhæret. 64

Inuocationes, Author antiphonæ Salue Regina. 587 Antiphona: Sub tuum præsidium à multis eruit periculis. 571 in Missa Æthiopum quomodo inuocetur 595. in Missa Syrorum quomodo salutetur 595. Gaudium sibi annuntianti Virgo gaudium repromittit. 535. Aue Maria. Vide Salutatio Ang.

Laudatio ab omnibus præstanda quamuis peccatoribus. 2. 3 qui eam laudat Deum laudat. 3. nunquam desistendum, quia nunquā satis. 1. & quia eam blasphemare non cessant hæretici. 3. eius laudes secretò & publicè fuerunt pronunciatæ. 37

Liberalitas, cum Rebeccæ confertur. 200

Maternitas Dei omnium eius priuilegiorum maximū. 44. 48. 53. absque viri opera concepit. 36. à filio appellatur, O salus & gaudium animæ meæ. 51. maximè vnita Deo. 54 potest dici Dei causa secundum aliquos. 58. Dominium gerit cæteri ministerium. 61. eius stemma glorioſissimum. 60. confertur cū omnibus glorioſis matribus. 63. Deo vicinis-

vicinissima. 133. *nouum dicitur monumentum* 453. *Vide Mariæ Virginis venter. arma Christo suppeditauit.* 114. *ei opponitur concipiens peccatum.* 90. *cur aliquando a filio Matris nomine priuetur.* 66. *Beata propter corporalia obsequia præstita filio.* 51. *fælix quia Dominum lactauit* 134. *eodem die cœpit quo Christus crucifixus est.* 104

Merita etiam dormientis erant maxima 112. *omnia opera erant coronata. ibid. excedunt longè aliorum merita.* 111. *cogitationes omnes & verba erant sanguine Christi rubricata.* 74

Misericordia, aceruo tritici & lilijs comparata. 77. *mons dicitur* 86. *ex oculis commendatur.* 72

Missam quotidiè dicens ab ea protegitur. 566

Mortificatio, cū matris Samuelis confertur. 64.

Natiuitas. Vide Natiuitas. maxima in veneratione apud Gentiles. 623. 624.

Nomen, quibus circumstantijs à Beato Iordano pronunciaretur 544. *eo se mulier ab impudico liberat.* 709. *pronuncians Inda mulier castitatem tuetur.* 644. *caput mortui ipsum pronunciat & baptizatur* 648. *eo rogatus Gerardus nihil vnquā negauit.* 591. *illud pronuncians cum quinque psalmis monachus quidam post mortem quinque rosis mirificè decoratur.* 549. *ipsum pronuncians Hermannus mira suauitate repletur.* 542

Obedientia, cum Saræ confertur. 63. *audit non tantum concipi Verbum Dei.* 154

Officium persoluere quam sit vtile. 154. 677. 678. *clericus quotidiè ipsum persoluens lacte Virgineo in infirmitate linitur & curatur.* 535

Oratio, cum Annæ oratione confertur. 64. *diuinas laudes mystice frequentabat.* 121. *lacrymæ eius post Ascensionem Filij.* 72. *labia laudantur.* 73. *eloquium dulce.* 74

Potentia, est enim miraculorum opifex. 524. 526. *officina miraculorum.* 526. 527. *nunquam cessauit à patrandis miraculis.* 529

Prædestinatio fuit ante omnes puras creaturas 97. *in ea fuit Christo simillima.* 129

Pulchritudo corporalis ad turpitudinem non alliciebat. 13. *variis rebus varia membra lætè comparantur* 71. *indicat eius spiritualem pulchritudinem.* 66. 67

Pulchritudo spiritualis traxit Dei Verbum in eius amorem. 56. 68. *ex beatitudine pacis oriebatur.* 67. *ex beatitudine paupertatis. ex contemplatione. ibid. comparatur equitatui.* 69. *palmæ. ibid. Cogitationes pulcherrimæ.* 71

Purificatio, virtutesq; in ea exercitæ. 63. 64.

Reliquiæ venerantur ab Ecclesia 45. *quænam sint & vbi. ibid. zona omnia bona tribuit eam adorantibus.* 585. 586. *eius præconia ex Euthymio.* 586

Sapientia maxima. 100. 232.

Templa ædificata etiam ante ipsius Conceptionem. 427. *& quæ Idolis dicata erant. ibid. quod in Græcia dicitur Anastasiæ miraculis multis decoratur* 589. *S. Mariæ Lauretanæ insigne miraculum.* 515. *Sacellum in Templo S. Mariæ Maioris summa cum prudentia ædificatum* 202. *inde Virgini summa gloria.* 204. *quàm sibi complaceat in extractione Templorum.* 203. 204

Vbera laudantur. 138

Venter dum laudatur, eius anima magnis extollitur laudibus 42. *varijs encomijs decoratur.* 51. 52. *laudatur à SS. Patribus.* 48. *laudari satis non potest.* 52. *comparatur Fōti* 85. *Monti, &c.* 86. *mēsa propositionis dicitur.* 93. *vehiculum panis cælestis.* 94. *Arca fœderis.* 96. *Nubi fulguranti comparatur.* 106

Nido Alcedinum. 110. *cælo capacior.* 122. *iure Beatus dicitur.* 151

Verecundia cum Rachelis confertur. 63

Vindicta sumpta de inimicis sui nominis. 683, 687. 688. 689. *Episcopum admoneri, non emendatum interfici permittit.* 679. *benedictione sua priuat Monachum intempestiuè iacentem.* 602. *negat suam consolationem Monacho sanitatis nimium studioso.* 613. *dispergit superbos.* 109

Virginitas in niue repræsentatur. 6. *omnibus præstat.* 7. *singularis. ibid* 102. *fœcunda.* 8. 140. *illibata.* 45. *rosis clausis indicatur.* 228. *vndique vallata.* 76. *consolidata à filio.* 113. 114. *redundat in alios.* 46

Virtutes copiosæ 421. *earum optimum exemplar fuit. ibid* 422. *tanquam exercitus expugnant*

pugnant Deum. 68. 69
Visitatio ad Elisabet fuit maxima dignatio. 64
Martyres sunt Christi milites & Duces. 61
Melodia dulcissima exhibetur à Virgine cuidã eius deuoto. 603
Militia à fœminis quoque tractata. 16 17
Miracula in B. Virgine, & in Incarnatione ostensa. 79. 80. quædam non omnibus talia. 142. quæ vulgariter, quæ Theologicè dicantur. 522. septem celeberrima mundi. 523 definitio 524 quænam talia non sint. ibid. cur dicantur fulgura 526. sunt arma defensiua Sanctorum. ibid. maximum est Christus. 527 primum Christi fuit impetratum à Virgine. 528. non rariora his quã anteactis sæculis. ibid. in omnibus sæculis recensentur. 523. 529. nouis qualiter præstanda fides. 529 ea negantes maximum miraculum astruũt. 530. ea fecere peccatores quoque & infideles. ibid an fieri possint in attestationẽ falsi. 531. apparentia tantum cur permittantur. 531
Misericordia propria mulierum 30. statim post Diuina iram elucet. 526. quæ exercetur in pauperes est prædestinationis signum. 538. Vide Mariæ Virg. Misericordia.
Missæ sacrum audire non potens Albertus à Virgine consolatur. 583. Vide Mariæ Virginis Missa.
Moniales virtute Rosarij reformantur. 641
Mortis in hora adest Virgo Maria. 669
Mortis hora maximè iuuat deuotio in Virginẽ, eiusq; patrocinium quod exemplis comprobatur. 622. 629. 641. 655 656. & seq 658. 663

N.

NAtiuitatis Christi festo B Virgo Purgatorium visitare solet. 659
Nobilitas virtuti adiumento est. 499
in tribus consistit. 500
Numeri ratio in diuinis quomodo non contemnenda. 280
Nuptijs carnalibus renuncians pro amore Virginis ipsam sibi sponsam acquirit. 619

O.

OBedientiæ Mariæ Virginis antefertur obedientiæ Saræ. 63
Obstinati vendunt animam Diabolo, nec redimere curant. 199 eorũ mors repentina. 200
Occasiones peccati omninò fugiendæ. 11
Officium B. Mariæ quotidie persoluens ab ipsa visitatur, & sacri lactis stillicidio repente à mortali infirmitate curatur. 535. quam primum persoluentes F Dominicani grauioribus culpis non diu detinentur 544. qua occasione cæptum est à clericis recitari. 559
Omnipotentia Dei in nullo opere effulget magis quam in eo, quod B.V. fuerit Mater Dei. 57
Opera bona facientes in Cruce oculos conijciant & caueant à vanagl. 159. Vide Vanagl. Eorum merces locus tantum. 183 Coniungenda auditioni Verbi. 192. moraliter tantum bona mercedem infra terram accipiunt. 183
Orationis confidentia exemplo quodam patefit. 612
Orationis studio Maria Virgo superat Annam matrem Samuelis. 64
Oratio Dominica omnia impetrat. 215. eius summa vtilitas. 216. Adhortatio ex B. Dominico ibid. ex B. Alano. 218
Ornatus profanus abijciendus in rebus diuinis. 293

P.

PAcis beatitudo fuit in Maria. 69
Parentes laudes communes habent cum filijs. 41
Partus difficultatem superat mulier pronuncians Salue Regina. 549. Item B. Brigitta ope Virginis. ibid.
Patientia prædestinationis signum. 367.
Pauper confugiens ad Virg. proprijs illum crepidis argenteis mirabiliter ditatur. 572
Paupertas spiritus prædestinationis signũ 368
Paupertatis beatitudo fuit in Maria. 67
Pax per Christum 116 quanti facienda. 117
Peccans omninò contrarius B. Virgini. 90
Peccantes faciũ B. Virg. matrem miseriæ. 620
Peccatum cum difficultate perpetratur. 90. mortem affert ibid.
Peccata vitare per longum tempus, prædestinationis signum. 366
Peccator damnandus, vi orationis ad Virg. excitatur à mortuis, & pœnitet. 622
Peccator quidã miles mori non potest sine confessione ob deuotionem in Virginem. 657

Peccatrix desperans ope Virg. conuertitur. 711
Pestilentia sæuissima cessat B. Virginis intercessione. 553
Pluuiæ cur sequantur fulgura. 526
Pœnitentia ex visione miraculorum. ibid.
Pœnitens non confessa à mortalib. plagis mirificè sanatur ope B. Virg. & peccata confitetur. 554
Prædestinationis signum audire verbũ Dei. 193
Prædicatio est tantæ necessitatis, vt etiã à muliere fieri debeat si desint viri. 39
Prædicatores sunt Christi famuli. 61. caueant à vanagloria. Vide Vanagl.
Prædicationis auditio proficua. 189. Vide Verbum Dei.
Prædicatores sunt magnæ virtutis. 191. in gratiam auditorũ ne inania tractent. 194. 195
Processiones cur institutæ. 288. earum antiquitas. 291. quomodo faciendæ. 192
Professionis delatio nõ reprehẽdẽda. 544. & seq.
Prophetiæ donum fuit in peccatoribus, & infidelibus quoque. 530
Pudor. Vide Verecundia.
Pulchritudo Virginis maxima omnium creaturarum. 67. Vide Mariæ pulchritudo.
Pulchritudo corporis indicat puritatem mẽtis. 494
Purgatorium diuturnum sustinet mulier quæ cum puellis puella lasciuierat. 534. 535
Purgatorio euocantur plurimæ animæ in die Assumptionis B. Mariæ. 553
Purgatorium visitat B. Virgo in festo Natiuitatis Christi. 659
Puri conscientia sunt filij cordis Dei. 10. comparantur niui, lacti, ebori, & sapphiro ib.
Purificationis festum vnde ortum duxerit. 553
Puritas Virg. Mariæ. 45

R.

REdemptionis opus & vis maximè elucet in B. Virg. 227
Religionem perseuerãter amplecti prædestinationis signum. 368
Reliquiarum veneratio antiqua, & laudabilis. 454
Risus vitandus in processionibus. 293
Romanorum priscorum humana felicitas ob bona opera moralia. 185.
Rosa plantatio totũ B. V. vitæ cursum indicat. 225
Rosa à Summo Pontif. benedicta constat ex 150 solijs sicut Hiericuntina. 227
Rosaceæ coronæ B. Mariæ origo. 239
Rosarij B. Virginis initium. 568
Rosarium Virgin. à periculis vitæ tuetur 632. 634. eius virtute Monialis quædam à libidine præseruatur. 635. desperans reducitur. 637. quidam luxuriosus conuertitur. 638. alius. 639. alia. 641. illud impugnans à B. V. punitur. 683 est vetustissimum. 211. eius dignitas. 214. vis impetrandi. 235. conciliandi & consolandi. ibid.
Rosarium Marianum ab Hæreticis impugnatũ defenditur. 278. 279
Rupertus Abbas ex tardo ad litteras fit ope V. velox & ingeniosus. 545
Ruth Moabitẽ superat B. V. adhærendo Deo. 64

S.

SAbbatho abstinens meretrix à peccato in honorẽ V. gratia efficaci præuenitur. 574
Sabbato abstinens à carnib. mulier hæretica in honorem V. sterilitate liberatur. 586
Sabbatum cur in Dominicam translatum. 448
Sabbati obseruatio in cultum Virginis. 449
Sacrificium offerentis Hermanni manus Christus & Maria suis manibus calefaciunt. 543
Salutatione Angelica Dæmonis illusiones patefiunt. 605
Salutationem Angelicam frequentanti saliua in mel conuertitur. 614
Salutationem Angelicam tantum sciens signa salutis post mortem ostendit. 619
Salutationis Angelicæ frequentatio à periculis vitæ tutatur. 622.
Salutationis Angelicæ dignitas. 220. eam negligere signum reprobationis. 221. vis magna ad impetrandam Diuinãgratiã. 235. ad consolandum. 235. 236 adhibenda ante somnum. 238
Salutationis Angel. effectuosa paraphrasis. 375
S. Stephanus minor martyr a B. Virg. Matri dono datus. 596
Sancti omnes & Angeli ministerium Matri Christi dominium gerit. 61
Sancti abhorruerunt à vanagl. 166
Sindonis sacræ latus. 796
Spiritus Sanctus aquæ refrigeranti, absterenti, & fœcundanti comparatur. 85

Spiritus pugnat contra carnem. 117
Struthionis natura expenditur. 178
Studiorum causa, intermittere Virginis deuotionem non licet. 561. 583
Superbia reprobationis signum. 368
Superstitio aliquando non est numerum & tempus obseruare. 280

T.

TEmpla B. Virginis non restaurare quãtum illi displiceat ostenditur exemplo. 536
Templa in honorem Virginis ædificata. 427. *vbi simulachra gentium colebantur.* 433
Tempus certum obseruare quomodo vacet à superstitione. 281
B. Tharasiæ Carmelitanæ monialis encomia. 340
Thronus Dei qui dicantur. 126
Torneamenta exercere peccatum mortale est. 608
Translatio imaginis B. Virginis ad Sacellum S. Mariæ Maioris. 208
Transubstantiatio an sit miraculum. 524
Tribulationibus premi prædestinationis signũ. 367

V.

VAnæ gloriæ omnes communiter subiecti. 155. & *seq.*
Vanæ gloriæ causa insipienter fiunt opera bona. 156
Vanæ gloriæ hieroglyphicum. ibid. ab operibus bonis & virtutibus hoc vitiũ fouetur. 157. *virtutes à ea fascinãtur, ibid. arescunt.* 159
Vana gloria est seruitus oculorum 158. *ad eam vitandam sufficit intentio* 158. *insidiatur nobis in cœlo.* 159. *aufert meritum à bonis operibus ibid. quomodo superetur.* 161. *monstra gignit.* 162 *grauiter à Deo punitur.* 166. 174. *Sancti eam fugerunt. ibid. fugienda ex doctrina SS. Patrum.* 168 *in vanam iniustè vera gloria commutatur.* 160
Vanam gloriam Christus exemplo suo reprimere docuit. 173. *eam captans fur. ibidem. Insidiatur omnibus.* 176. *species quædam est idololatriæ.* 177. *eius stultitia struthionis natura declaratur.* 178. *item araneæ.* 180. *alijs argumentis.* 181. *vix tamen euaditur.* 187
Venter Mariæ laudatus maximã indicat laudem. 42
Venter officina malorum & errorum. 85
Verbum diuinum desiderio flagrauit ingrediẽdi Virginis vterum. 54. 55
Verbi Diuini vtilitas & efficacia. 189 *quomodo audiendum & custodiendum.* 192. & *seq. ipsum audire signum prædestinationis.* 193. 367. *Audientes perfunctoriè musicæ potius quàm prædicationi vacant.* 194. *pueriliter se gerunt. ibid. ruminandum & digerendum vt prosit.* 196. *est dulce prædestinatis.* 197. *insipidum reprobis.* 198. *renuentes audire seuerè puniuntur.* 200. *eius encomia. ibid audiendi quanta deberet esse auiditas.* 201
Verecundia similis fragmini mali punici. 73. *Virginem decet. ibid.*
Victoria de infidelibus B. Virgnis ope refertur. 559
Victoria per B. Virginem obtinetur. 685. 686.
Victoria de Turcis Virg. intercessione reportata. 274
Vindicta B. Virg. 689. 690. 693. 709
Virgines sunt famulæ Regis Cœlestis. 61
Virgines decet verecundia. 73
Virgines commutantur in Angelos. 76
Virginitas lilio significatur. ibid.
Virginitas maxima cum difficultate seruatur. ibid.
Virginitatem tuenti Puellæ, caput abscissum, à Virgine restituitur. 658
Virtus laudata quænam crescat. 162
Virtutes sunt veluti exercitus quo Dei cor expugnatur. 69
Vitæ periculis liberat deuotio in B. Virginem. 622. 623
Vitæ periculum euadit Theodosius Cœnobiarcha auxilio Virginis. 666. *alter.* 672. 685. 688
Vota B. Virg. reddenda quàm primũ. 547. 548
Vnio maxima inter Matrem & Filium. 54.

FINIS.

Mulieri quæ sanguinis fluxum patiebatur 403. col 1

